UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opera Mystica V. Ac Mystici Doctoris F. Ioannis A Crvce Primi Religiosi Discalceati Ordinis B. V. M. De Monte Carmelo Et Seraphicæ Virginis Theresiæ fidelissimi coadiutoris

Juan <de la Cruz>

Coloniæ Agrippinæ, 1639

urn:nbn:de:hbz:466:1-37873

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 2802.

J. XI
21

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

B.
Joannis
à Cruce

Opera
Mystica
NVI
12ª

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

B.
Joannis
à Cruce

Opera
Mystica
NVI
12a

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

OPERA

MYSTICA

V. AC MYSTICI DOCTORIS

F. IOANNIS A CRVCE

PRIMI RELIGIOSI DISCALCEATI ORDINIS B. V. M.

DE MONTE CARMELO, ET SERAPHICÆ VIRGINIS

THERESIÆ fidelissimi coadiutoris.

Ex Hispanico idiomate in Latinum nunc primum translata,

PER R. P. F. ANDREAM A IESV

Polonum eiusdem Ordinis Religiosum,

Vnà cum Elucidatione Phrasium Mysticarum, quas Author in hus suis Operibus vsurpat. Quorum seriem versa pagina docebit.

COLONIÆ AGRIPPINÆ

Sumptibus Hæred. Bernard. Gualtheri

Excudebat Henricus Krafft.

ANNO M. DC. XXXIX.

B. Joannis à Cruce

Opera Mystica

NVI 12a

Colleg. Soc^tis JESV Paderborna 1697

Dono P. Kloppenburg

ELENCHVS OPERVM.

PRimum inscribitur Ascensus Montis Carmeli, continet libros tres.
2. Dicitur Obscura Nox Animæ continet libros duos.
3. Flamma Amoris Viua nuncupatur.
4. Cui Titulus, Canticum Spirituale.
5. Denique, sunt Opuscula, nimirum, Cautelæ Spirituales, Sententiarium Spirituale, Variæ Epistolæ Spirituales, vna cum Canticis quibusdam Hispanis, quæ V. P. minime explanauit.
6. His accessit Elucidatio Phrasium Mysticarum, quas V. Author vsurpat ab Erudito Theologo nostro edita.

B.
Joannis
a Cruce

Opera
Mystica
NVI
12°

REVERENDISSIMO,

ET ILLVSTRISSIMO
S. R. IMPERII PRINCIPI
AC DOMINO,

D. FRANCISCO
BAMBERGENSI, ET HERBIPOLENSI
EPISCOPO, FRANCIÆ ORIENTALIS
Duci &c.

Domino nostro clementissimo.

SCriba doctus in regno cœlorum in cõspectu CELSITVDINIS VESTRÆ, ILLVSTRISSIME AC REVERENDISSIME PRINCEPS apparere audet, nec vacuus à munere; sed quæ de thesauro suo protulit, Augusto nomini Vestro per nos offert, dedicat, consecratque. Sano profectò consilio: vt quando subire debeant iudiciorum periculosam aleam, nec inuidiæ pateant, nec iniuriæ, vbi tanti Principis fuerint insignita nomine, probata iudicio, munita fauore. Et quidem præter nomen quod in fronte gestant; vtrumque alterum certò sibi pollicentur; quando ita ab indole atque institutione comparatus sis, vt cùm optima quæque impensè diligas, ea-

dem propensè iudicio approbes, & fauore prosequaris. Porro talia esse hæc ascetica scripta, quamuis à nobis dici non debeat, ne domesticæ causæ abblandiri videamur; tamen res ipsa loquitur, atque omnium ordinum grauissimi calculi luculenter testantur.

In illis Author, cui dedit Deus scientiam Sanctorum, loquitur sapientiam Dei inter perfectos, idq; non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus.

Suppetunt quidem alij plurimi, qui in artium arte *Oratione*, quâ cælestes thesauri comparantur, apprimè periti, & in cellam sponsi vinariam introducti deliciarum immortalitatis promulside prægustata, doceant fideles ascensiones in corde disponere in hac valle lacrymarum, quibus legislatore dante benedictionem eant de virtute in virtutem. Sed Ioannes hic noster (& hoc audemus pro veritate dicere) Aquilæ meritò comparandus, sublimi planè volatu super se leuatus in arduis contemplationis posuit nidum suum, & sepositò cortice, non nisi Cedri medullâ pastus, diuinæ fontem sapientiæ in sua quodammodo scaturigine degustauit, ac in alios arcuato velut opere deriuauit.

Quamuis autem Aquila nostra pullos suos à ceruis & draconibus, ab animalibus scilicet hominibus qui non percipiunt ea quæ Dei sunt, vnguibus ac rostro defendere potuisset; satius tamen id præstabit, si illos in gremio, non Iouis (vt est in fabulis) sed Illustrissimæ mane-

Celsitudinis Vestræ repoſuer: Hic tamquam in petris manebunt, & in præruptis ſilicibus commorabuntur, atque inacceſſis rupibus, id eſt, in tui patrocinij aſylum recepti, ſecuri conſiſtent.

Admitte igitur ſereno vt ſoles vultu ſpiritualis huius Aquilæ myſticos fœtus, qui hactenus Hiſpanis tamquã natiuis, deinde mutuatitijs Italis & Gallicis pennis inſtructi orbem peruolarunt: modò Latinis ſinum Celſitudinis Veſtræ inuolare geſtiunt, vt inde acceptâ ſecuritatis teſſerâ, omnium oculos & manus tutò incurrãt. Ita duplex præbebunt argumentum; obſeruantiæ noſtræ qua offeruntur, authoritatis Veſtræ qua defendentur.

Reuerendiſs. & Illuſtriſs. Celſitudinis Veſtræ

Humiles Clientes

FF. Carmelitæ Diſcalceati.

B.
Joannis
a Cruce

Opera
Mystica
NVI
12°

IESVS MARIA.

F. PHILIPPVS A S. IACOBO PRÆPOSITVS GENERALIS FRATRVM CARMELITARVM DISCALCEATORVM CONGREGATIONIS S. ELIAE

Ord. Beatissimæ Virg. Mariæ de Monte Carmelo, ac eiusdem S. Montis Prior.

Librum hunc inscriptum Opera spiritualia, quæ animam ducunt ad perfectam cum summo Deo Vnionem à Ven. Pat. Frat. Ioanne à Cruce compositum, qui primus nostræ Congregationis fuit Carmelita Discalceatus, ac S. Virg. Theresiæ coadiutor fidelissimus, & à R. P. Fr. Andrea à Iesu Polono nostræ Congregationis sacerdote professo ex vulgari in Latinum Idioma translatum probo, vt typis mandetur, si ijs, ad quos pertinebit, ita videbitur. In quorum fidem præsentes dedimus Sigillo nostro munitas, ac proprio nomine subscriptas. Romæ, in Conuentu nostro S. Mariæ de Scala, die 25. Junij 1639.

Fr. Philippus à S. Iacobo Præposit. General.

Fr. Alexius à S. Ant. Secretarius.

PRI-

PRIVILEGIVM SACRAE CAESAREAE MAIESTATIS.

CVm Diplomate Sacræ Cæsar. Maiestatis, omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, ac alijs quamcunque librariam negotiationē exercentibus, serio firmiterq; inhibeatur, ne quis libros à Fratribus Carmelitis Discalceatis editos hactenus vel inposterum edendos, vel eosdem ab alijs hominibus in diuersas linguas translatos, aut in compendium redactos, intra Sacri Romani Imperij Regnorum, & Dominiorum suæ S. Maiestatis hæriditariorum fines, simili alioue characteris genere, aut forma, siue in toto, siue in parte excudere, vel recudere, aut alio excudendos vel recudendos mittere, aut alibi etiā impressos seu recusos, vendere vel distrahere, clam, seu palam sine facultate Prouincial. Ordinis eiusdem pro tēpore existentis, in scriptis habenda, sub pæna confiscationis omnium librorum, & alijs grauioribus audeat vel præsumat: ego Fr. ALEXANDER à IESV MARIA Prouincialis Prouinciæ Sanctissimi Sacramenti in Germania Frat. Discalceatorum Ord. B. Vir. MARIAE De MONTE CARMELI Congregationis S. ELIAE, concedo Hæred. Bernardi Gualteri Bibliopolæ Colonienſi facultatem excudendi OPERA SPIRITVALIA V. P. N. Fr. IOANNIS à CRVCE Mysticæ Theolog. Doctoris eximij à Religioso quodam nostri Ordinis Latinate donata. In quorum fidem hoc ei testimonium manu nostra subscriptum, & officij nostri sigillo munitum dare voluimus. Viennæ in Cœnobio nostro Beatiss. Virg. MARIAE DE MONTE CARMELI & S. Theresiæ 20. Aprilis An. 1639.

Fr. Alexander à Iesu Maria Prouincialis
Carmelitar. Discalceatorum
Germaniæ.

†† CEN-

B.
Joannis
à Cruce

Opera
Mystica
NII
12

CENSVRA

Celeberrimæ Vniuersitatis Complutensis.

LIbros istos à Ven. Admodum Pat. Fr. Ioanne à Cruce primo Carmelita Discalceato compositos, quos Eximius Dominus Rector, & Claustrum huius insignis Scholæ Complutensis, postulante Reuerendissimo Patre Generali Ordinis Carmelitarum Discalceatorum nobis examinandos commisit, vidimus, atque summo studio, ac solicitudine legimus, & non solum non inuenimus in eis aliquid nostræ sanctæ fidei Catholicæ, bonis moribus, & SS. PP. doctrinæ contrarium, sed è contra vniuersam doctrinam in eis contentam valde vtilem & proficuam existimamus, ad directionem animarum spiritualium, & ad discernendum illusiones, quas patiuntur, dum plurimi faciunt nonnullas visiones, aut reuelationes, quibus tam sibi quam alijs nocere solent. Contra quod malum præsentissimum & efficacissimum antidotum nobis videtur horum librorum doctrina. & reuera quisquis debita cum attentione eos percurret, comperiet peculiari Dei Spiritu, eiusdemque singulari munere Authorem illos scripsisse, subiectam materiam ita profunde, ac subtiliter pertractasse, & Scripturæ sacræ testimonia ad propositum argumenti explanasse, ac proinde propter allatas rationes, præsertim vero, quod doctrina adeò tuta sit, & oportuna ijs, qui Magistrorum Spiritualium animarum funguntur officio, imprimi debere, imo assiduo ante oculos versari, vnanimiter iudicamus. In quorum fidem propria manu & nominibus subscripsimus. Compluti 16. Maij 1618.

Doctor Martinus de Saureguí.
Rector
Fr. Ioannes Gonzales

Doctor Andreas Merino.
M. Fr. Laurentius Gutierrez
M. Fr. Petrus de Ouiedo.

Subscripserunt D. Rector, & DD. Cathedratici primæ, & vesperarum Theologiæ.

Ita est: *Ludouicus de Serna*
Notar. & Secret.

APPRO:

APPROBATIO

Eximij Doctoris Ludouici Monteſinos primæ Theologiæ Cathedræ Profeſſoris in celebri Vniuerſitate Complutenſi, & Facultatis Decani.

SIngulari ſtudio ac diligentia perlegi opera Venerab. Pat. ac Doctoris Myſtici Fr. Ioannis à Cruce Carmelitarum Diſcalceatorum Anteſignani, exigentibus, Reuerendiſs. Pat. Fr. Ioſepho à Ieſu Mag. Generali & vniuerſo Ordine Carmelitarum Diſcalceatorum: in quibus prorſus nihil reperi noſtræ ſanctæ fidei Catholicæ, bonis moribus, SS. PP. Doctrinæ contrarium: quin potius vniuerſa hiſce libris contenta, valde conformis eſt Sanctis, qui de materia Spiritus tractarunt, & admodum vtilis, hoc noſtro ſæculo his, qui ad perfectionem tendere concupiſcunt. Docet enim Author in eis animam ambulare per intimam nuditatem, & paupertatem Spiritus, ad perfectam vnionem cum Deo, qualis in hac vita obtineri poteſt, per orationis exercitium: innitendo dumtaxat puræ, ac viuæ fidei: tradit inſuper modum ſapienter, prudenterque ſe gerendi circa viſiones, ac Reuelationes, ne in eis quiſpiam decipiatur. Magiſtros vero ſpirituales edocet modum dirigendi animas, ne Dei operationem in eis impediant, ac perturbent. & reuera ſatis aperte indicant ſingularem Spiritum & lumen, quo Ven. Pat. præditus erat; Quodque ſpeciali Dei inſtinctu illa compoſuerit, tum vt materiam adeo delicatam elucidaret, tum etiam vt ſacræ Scripturæ teſtimonijs ad ſuum intentum, appoſitiſſime vteretur. Quare opus dignum videtur quod imprimatur; vt illo fruantur, & ex eo animæ orationi deditæ, earumque Magiſtri proficiant. ſaluo meliori iudicio. Compluti 11. Nouembris 1618.

Doctor Ludouicus Monteſinos.

B. Joannis à Cruce

Opera Mystica

NVI 12

APPROBATIO

Ad.^{dum} Reu. Patris præsentati Fr. Thomæ Daoiz. Ordinis S. Dominici S. Theologiæ Professoris in Conuentu Sancti Thomæ Matriti, nec non Sanctæ Generalis Inquisitionis Qualificatoris.

EX mandato Celsitudinis Vestræ vidi opera Spiritualia, quæ dirigunt animam ad perfectam Vnionem cum Deo, Authore Ven. Pat. Fr. Ioanne à Cruce Primo Discalceato, & parente reformationis Ordinis Beatiss. Virg. Mariæ de Monte Carmelo; Quæ cùm singulari studio ac diligentia legissem, inueni Doctrinam non solum piam, & valde Catholicam, sed ex grauioribus, eruditioribus, & vtilioribus hactenus in lucem editis, ad dirigendas animas ad perfectam vnionem cum Deo, in qua summa perspicuitate, & eminenti modo traditur purgatio, & purificatio potentiarum sensitiuarum, & spiritualium, nec non media vsurpanda ad consequendam & attingendam Vnionem, & Contemplationem perfectam. Iam vero quia Doctrina sublimis, & extraordinaria est, habet nonnullos loquendi modos, in quibus hærere posset Lector; Cæterum ex Doctrinæ contextu & connexione significata istorum terminorum iuxta Mysticam Phrasim dilucidantur; adeo vt Doctrina Sancta, & Catholica valdeque Scholasticæ Theologiæ conformis appareat. Quæ vt publici iuris fiat, & effectum suum sortiatur pius zelus Ven. Pat. Ioannis, in his suis libris relictus; vtque ex ipsius Doctrina fideles omnes proficiant, Censeo Celsitudinem Vestram iubere debere, vt præfata opera typis cudantur. Secunda Aprilis, Anno 1618.

Fr. Thomas Daoiz.

APPRO-

APPROBATIO

R^di Adm. P. M. F. Didaci de Campo ex Ordine D. Augustini, Qualificatoris Generalis Inquisitionis, nec non in Archiepiscopatu Toletano Examinatoris.

EX commissione D. Ioannis de Velasco, & Azeuedo, Vicarij Generalis in hac aula Regia, vidi Cantica inter animam & Iesum Christum Dominum, quibus Religiosissimus P. F. Ioannes à Cruce sui spiritus vigore, spiritibus nostris voluit imprimere communicationem cum Deo, opus sane tanto viro dignum, quodque ad sæculi huius teporem inflammandum sufficiat. apud S. Philippum Matriti, die 22. Decembris 1618.

Fr. Didacus de Campo.

CENSVRA

Adm. R. P. Magistri F. Francisci de Araujo Ordinis Prædicatorum Primæ Cathedræ Theologiæ Moderatoris in celeberrima vniuersitate Salmanticensi.

LEgi opera spiritualia à V. P. F. Ioanne à Cruce Primo Carmelita Discalceato composita, in quibus nullam propositionem reperio non Catholicam, & quæ Theologiæ Scholasticæ Sanctorumque Patrum doctrinæ conformis non sit, (tantum abest, vt Illuminatorum hæreticorum doctrinæ cõ sentiat) tametsi ex eo quod non omnes Theologiæ Mysticæ terminos, ac phrases intelligant in causa sit, vt in ea parum versatis quodammodo discrepare videantur ab illa. Cæterũ quod Mystica hæc Theologia, sit sapientia secreta & abscondita, prout ipsemet Author docet lib. 2. c. 8. Ascens. mirum non erit, si non omnes illius phrases percipiant: nec idcirco fas erit illas improbare: Quemadmodum licet sacræ Scripturæ Parabolæ arcanum veritatis Mysterium insipientibus & minus dignis celent, non propterea, tanquam inutiles, & veritati repugnantes eas reprobare licet, vt ait D. Thom. p. 1. c. 1. ar. 9. ad 2. *& ipsa etiam occultatio figurarum vtilis est ad exercitium studiosorum, & contra irrisiones infidelium, de quibus S. Matth. 7. Nolite sanctum dare canibus &c.* quas merito Salomon Prou. 25. iuxta Galatini versionem appellauit, *mala aurea in camellaturis argenteis, verbum dictum secundum ambas facies*, nam sicut in istis desiderio tantum cernitur aurum, ita in parabolis, verus sensus difficile cognoscitur; quod idem euenit in Mysticis locutionibus: nisi forte dicamus, Theologis rite dispositis esse sapidas: Quorum Scholastica Theologia

B. Ioannis à Cruce

Opera Mystica

NVI 12.

gia horum librorum Mysticam non debet reputare contrariam: ni velint veritatem in parabolis damnare, & aurum in cancellaturis argenteis despicere; mannaque cœleste, eo quod paucorum solitariorum, & à mundi Ægypto segregatorum cibus sit, fastidire. Cum autem absurda hæc minime debeant admitti, multo minus damnare decet prædictas phrases, & Mysticæ Theologiæ locutiones, quas Author spiritu simul & eruditione insigni in hisce libris vsurpat cum vtilitate multorum: ita Censeo. Saluo meliori iudicio.

In Collegio S. Thomæ Matriti 12. *Iulij* 1623.

M. Fr. Franciscus & Araujo. &c.

CENSVRA

P. Fr. Ioannis Pontij Legionensis, Theologiæ Professoris ex sacro ordine Minimorum, Consultoris, & Qualificatoris in Regio Senatu supremæ ac vniuersalis Inquisitionis.

MVbente Cels. V. lustraui opera Spiritualia à sancto & Mystico Doctore V. P. F. Ioanne à Cruce primo Discalceato Illustrissimæ Religionis B. V. de Monte Carmelo edita; vna cum delineatione vitæ eius & introductione ad hæc eadem opera per R. Pat. Fr. Hieronymum à cto Iosepho Historiographum meritissimum, eiusdem ordinis composita: Cuius florentissimæ reformationis meminisse videtur D Ambrosius. sermone 83. his verbis. *O hereditas certe pretiosa, in qua plus relinquitur quam habetur, plus consequitur qui accipit, quam possideat qui largitur; pretiosa plane hereditas, quæ dum à Patre transfertur ad Filium; meritorum quoque fœnore duplicatur.* Hi ergo præclarissimi filij S. Eliam parentem suum confitentes, etiam Mysticum hunc Doctorem F. Ioannem à Cruce obseruantiæ suæ Restauratorem agnoscunt, qui ob præclara sua scripta, iure & iustitia Mysticæ Theologiæ Doctoris Eximij nomen sibi vendicat. Siquidem de hac sapida scientia, teste S. Ambrosio epist. dedicatoria in Apologia Dauidis, *nemo loqui potest nisi qui scripturas omnes penitus excusserit, imbiberit, concoxerit, tantoque vsu contexerit, vt in naturam abijsse videatur*; prout tradidit D. Anastasius Nicenus q. 78. dum explicat c. 13. S. Matth. loquens de illo qui ad proximorum emolumentum libros euulgat. *Per laboriosam* (inquit) *diuinarum Scripturarum lectionem sibi recondit thesaurum veteris, & noui testamenti, & ex eo expromit tempore disputationis.* quod mirum in modum exequitur Mysticus Doctor S. P. F. Ioannes à Cruce, in librorum suorum canticis Mysticis, è quibus eiusmodi diuini amoris radij prodeunt, vt tam hoc nostro, quam etiam alijs futuris sæculis, de ipsis vere dici possit, quod de alijs similibus sanctissimi cuiusdam viri libris protulit Magnus Isidorus Peluſiota lib. 4. Epist.

Quem-

Quemadmodum enim inquit *fax in illumina nocte apparens, sua sponte oculos allicit, sic virtus omnes homines illuminare apta nata est. Nec in solos homines virtus vim habet; fœliciſſime in libris hiſce effuſa varietas, & Angelos admiratione ſparſerit, moueat vel aſtra matutina, & filios Dei in iubilum ad libri voces ſuborta claritudo*; Intellectum lectoris lumine illuſtrans & Chriſti Ieſu amore voluntatem inflammans, vnde ſi ad illorum omnium notitiam perueniret, qui & ſequi & ſcire cupiunt iter vnionis cum Deo, vt verbis D. Baſilij vtar, in ſimili occaſione prolatis oratione prima, *accenſi fide, perſiſtent operibus veri luminis relucentes*. Quapropter cenſeo Celſitudinem Veſtram poſſe facultatem dare vt communi luce fruatur liber iſte; vtque commune bonum; omnibus communiter impreſſus, communis fiat &c. Datum in Conuentu Victoriæ Matriti, ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula. die 17. Maij Anno 1629.

Fr. Ioannes Pontius de Leon Supremæ Inquiſitionis Qualificator.

CENSVRA

Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi D.D.F. Auguſtini Antolines, ex Ordine D. Auguſtini, Epiſcopi Ciuitatenſis, Salmantica prius Primæ Cathedræ Theologiæ moderatoris, deinde Archiepiſcopi S. Iacobi.

VIdi librum ſerui Dei ac V.P. F. Ioannis à Cruce: in quo denudationem animæ à rebus omnibus extra Deum, & ſui ipſius abnegationem (de qua Chriſtus loquitur in Euangelio) lucidiſſimè demonſtrat. Eandem ad praxim reducit, liquidam reddit, lectoremque allicit, ſacræ Scripturæ Teſtimonijs, ad ſuum inſtitutum appoſite adductis, excellenter vtitur. Haud obſcure indicat ſpiritum, ac Cœleſtem lucem, quibus, dum ſcriberet, affluebat: adeò vt non immerito de ſua doctrina cum Chriſto D. affirmare poſſit: *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius, qui miſit me Patru.* Mea doctrina non eſt mea ſed Domini, qui miſit me, & in me locutus eſt. Maximum profecto bonum fuit, quod in lucem prodierit, pro illis animabus, quæ orationem frequentant, earumque directoribus: In quorum fidem manu propria ſubſcribo, apud S. Philippum Matriti. 4. Septembris, 1623.

F. Auguſtinus Antolines Epiſcopus Ciuitatenſis.

APPRO-

B.
Ioannis
à Cruce

Opera
Mystica
MVI
12

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

APPROBATIO
CENSORIS.

EX commissione Adm. Reu. & Eximij Viri ac Domini, Henrici Sierstorpffij, S. Theologiæ Doctoris, Canonici Metropolitani, Gymnasij Laurentiani Regentis, & librorum Censoris Ordinarij, legi summa animi voluptate fructuque non exiguo, Theologiam Mysticam, & reliqua Opuscula Spiritualia, Adm. Reu. ac Venerabilis P. F. Ioannis à Cruce, primi Discalceati in Ordine reformato; Et inueni in omnibus doctrinam sanam & Catholicam; profundam videlicet scientiam, ac sapientiam propè cœlestem, lucemque & suauitatem admirabilem prorsus, & diuinitus animæ illius infusam, qua humanam mentem mysticus ille Doctor, sic ab omni re creata, in supremum cœli Numen dirigit ac transfert, sic supra se eleuat & extollit, vt singulis penè verbis diuini amoris flammas, incredibili quadam Canticorum suorum spiritualium energia in legentis cor euibret & diffundat, illudque & omni gaudio & lætitia spirituali repleat, & Deo creatori suo coniunctissimè vniat. Erit opus istud in exercitio spirituali multis voluptatis torrens, fons vitæ, lumen indeficiens, & fidei & spei & charitatis, delicatissimaque cum Deo in immensis cùm gratiæ, tum gloriæ suæ thesauris acquirendis connexio & vnio, discretio Spirituum infallibilis, reuelationumq; & visionũ, ne quis exerret, norma & regula ad perfectionis cursum certissima. Prodit nunc ex Hispanico idiomate in Latium eleganter conuersum, & quem fructum edidit hactenus in vna Orbis parte, in totum de cætero iucunditate simul & vtilitate eximia diffundet. Accedat Lector Catholicus tutò, mystico iam patefacto sensu, hauriatque de fontibus Saluatoris, quæ ipse in perfectionis via sanus bibat, & alijs non sine diuino fœnore, ad æternam animarum salutem propinet. Ita censeo ad tutelaris Angeli ductum, cuius hodie festum in Vbijs peragitur. Coloniæ Agrippinæ Anno reparatæ salutis 1639. 2. Octobr. ad S. Petrum in area D. Cæciliæ Virginis ac Martyris.

Arnoldus Meshouius Lippiensis, S. Theol. Licentiatus, Pastor S. Petri, in Colonia m.p.

ELO-

ELOGIVM I.

Sanctæ Virginis & Matris nostræ Theresiæ, decerptum ex Epistola, quam scripsit V. M. Annæ de Iesu Priorissæ Conuentus oppidi Veas: cum illa expostulanti, de penuria Directoris spiritualis cui animæ suæ sinus aperiret.

Aceta mihi fuit Filia, querimonia tua, videns quam immerito conquereris, quandoquidem inibi habes meum P. Fr. Ioannem à Cruce, hominem plane cœlestem, atque diuinum. Equidem dico tibi Filia mea, quod post eius abhinc ad vos discessum, neminem illi similem reperi in toto Regno Castellæ, qui tantum animabus feruorem addat in via cœlesti. Vix credi potest, quantam ob illius absentiam solitudinem patiar. Animaduertite magnum vos ibi habere thesaurum in isto S. Vito. Omnes istius Monasterij Moniales agant, & cum ipso animarum suarum negotia conferant, & sic liquido cernent quantum profectum in spiritu, & perfectione inde accipient. Contulit quippe illi Dominus ad dirigendas animas, donum & gratiam singularem. *Eadem adhuc viuens, dicere solebat* P. Fr. Ioannem à Cruce annumerandum esse inter puriores, & sanctitate eminentiores animas, quas Deus haberet in Ecclesia sua, cuique ipsius D. Maiestas ingentes lucis, & cœlestis sapientiæ thesauros infudisset. *Gratias insuper agens Deo, quod tandem intra propriæ Religionis lares reperisset, quod foris non inuenerat, lepidè dicere consueuerat.* Hinc, inde lumen inquirendo discurro, & ecce in meo paruulo Seneca totum simul reperi. *Sic enim illum compellabat, propter eximiæ sapientiæ thesaurum reconditum corpore tam exiguo*

ELOGIVM II.

Relatum ab Eminentissimis DD. Cardinalibus de Torretz, & Ioanne Baptista Detti sacræ Rituum congregationi, in literis remissorialibus concessis in ordine ad Canonizationem Venerab. P. F. Ioannis à Cruce &c.

Libros de Mystica Theologia (qui per diuersa Regna circumferuntur scripti) cœlesti eruditione fœcundos, sublimi adeo, & admirabili stylo conscripsit; vt talem scientiam diuinitus reuelatam esse, non humano

 acqui-

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
MVI
12°

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

acquisitam ingenio existiment omnes, quorum lectio aduersas à falsis illuminationibus, discernendas; animasque in perfectionis via roborandas perutilis comprobatur. Vnde Doctrinæ S. Dionysij Areopagitæ à legentibus comparata est.

ELOGIVM III.

Adm. Rdi. P. Ioannis de Vicunna Rectoris Collegij Societatis Iesu Vbetæ,

Relatum in informationibus in ea ciuitate confectis pro Canonizatione V.P.

PLures audiui personas de profunda humilitate, rigida pœnitentia, ac sublimissima oratione V.P.F. Ioannis à Cruce, cum singulari æstimatione loquentes; atque ex his quæ ex ipsius scriptis legi, conijcio S. hunc virum simul copulasse austeram valde pœnitentiam extrinsecam, cum præcipua quadam abnegatione & pœnitentia interna, ardentique charitate & amore erga Deum, similem S. Francisco: multa enim sciui de pœnitentijs prædicti S. P.F. Ioannis à Cruce, nec non de amore quo ferebatur in Deum, quod etiam ex ipsius scriptis comprobatur: suauitas quippe, & affectus, quos illa præ se ferunt, & spirant, indicant manifeste, eum de illis loqui per experimẽtalem scientiam, quodque nuditatem illam omnium consolationum, Deique intimum amorem in se ipso experiretur, (prout legenti constabit) nam ex sola illorum lectione incalescit anima, quod est argumentum ingentis amoris, & charitatis, quam ipsius anima erga Deum habebat. perlegi ego semel, ac sæpius scripta omnia huius sancti viri, quorum doctrinam, Mysticam Theologiam, cœlesti sapientia plenam existimo, & clare denotant, sublimem, ac eminentem lucem, qua ipsorum Author præditus erat in anima, quamque Deo tenaciter esset vnita: ea siquidem, quæ inibi refert, clarissime hoc ostendunt. & quamuis non paucos Authores, qui de Mystica Theologia scripserunt, euoluerim; nullam nihilominus doctrinam solidiorem, neque sublimiorem inuenisse videor hac, quam V.ac S.P.F. Ioannes à Cruce cõscripsit: è cuius lectione legentiũ animæ in via spirituali copiosum lumen experiuntur, & quãuis ego hactenus parũ profecerim, fateor nihilominus me hoc experiri, quoties illa lego: tum etiam calorem vehementem sentio, qui ad Dei me amorem incitat; ideoque illa æstimo ac veneror; eisque tum in meam, tum aliarum animarum, quibuscum ago vtilitatem vtor; atque in hunc finem ea mihi transcribi curaui. Inter alia verò ipsius P. scripta huius idiomatis ac sapientiæ cœlestis, peruenit ad manus meas originalis descriptio Monticuli ipsius sancti caractere delineati; in quo describit modum quo anima ad perfectionem ascendit. Quem plurimi feci, tum quia ipsius sancti copia originalis sit, tum etiam propter excellentem, quam in se continet doctrinam spiritus. Quem D.D. Theresiæ de Zuniga Ducissæ de Arcos,

tan-

tanquam pretiosissimum thesaurum dono dedi. Scio etiam librorum istorum plurima circumferri exemplaria manuscripta. Ego etiam curaui præfatum Monticulum exarari; eumque diuersis personis doctis, & indoctis obtuli; qui ab omnibus plurimi fit; tum propter doctrinam quam continet, tum etiam propter sanctitatem Authoris.

ELOGIVM IV.

Doctoris Francisci Mirauete Auditoris, & Decani Curiæ, & Iustitiæ Aragonum Cæsaraugustæ: viri præcipuo spiritu doctrina & pietate insignis, contentum in epistola data ad quandam personam Religiosam.

MAmdudum exilibus meis precibus indesinenter à Domino suppliciter peto, exaltationem per relationem ab Ecclesia inter Beatos, magni amici sui, & fidelis serui Fratris Ioannis à Cruce, quem licet dum viueret, non cognouerim, libri tamen quos conscripsit ad solatium, lucem, directionemque spiritualium personarum cœlesti doctrina referti, eum toti mundo faciunt innotescere. Qui Authoris sui sanctitatem, excellentes virtutes, spiritus eminentiam, clare & patenter demonstrant, quamque præcellenter in hac vita mortali per orationem, & exercitium mortificationis, ac pœnitentiæ, vnionem cum Deo in gradu transformationis adeptus sit. Exarsit Dei amore; fuit Seraphin carne vestitus. Continetur in prædictis libris doctrina admirabilis, de vijs, ac semitis, quæ nos ad hanc diuinam vnionem, transformationemque obtinendam manuducunt; simul etiam deteguntur obices, & offendicula quæ impediunt consequutionem finis adeo fortunati, & portus tam fœlicis: breuius dicam, quantum meo tenui iudicio colligere valeo, maxima illius doctrinæ pars infusa ac reuelata fuit. in magna, vt audio, existimatione sunt libri illi apud personas eruditas & spirituales, in hoc Regno orationi, & internæ recollectioni incumbentes: vnde & multi eos sibi compararant vt ipsorum lectione, ac cœlestibus documentis in via perfectionis proficiant; eadem etiam intentione auide exquiruntur, & expetuntur ab alijs.

B. Ioannis à Cruce

Opera Mystica

MT 12a

ELOGIVM V.

Illustrissimi & Reuerendissimi D.D. Fr. Antonij Perez Episcopi Vrgella, Operum V.P. Fr. Ioannis à Cruce, contentum in Epistola missa ad V.M. Annam de Iesu, Fundatricem Monialium Carmelitarum Discalceatarum in Gallia & Belgio.

OPera V.P. & Magistri sui F. Ioannis à Cruce, quæ R. V. mihi perlustranda commisit, remitto, ea quippe talia in se sunt, vt (quantum pro ingenij mei tenuitate percipio) totus vester sacer Ordo, tanquam in lucidissimo totius perfectionis suæ speculo, merito se ipsum in eis inspicere, & contemplari possit. Nam si illius professores viam purgatiuam rigidè sequuntur, hic taliter illa proponitur, vt ob illius rigorem eiusdem tractatio Nox Obscura inscribatur: vtpote in qua homo proprios obtutus vsque adeo fugit, vt ei de se ipso liceat enunciare, quod D. Paulus de Christo Domino asseruit. 2. Corinth. 5. *Et si nouimus secundum carnem Christum, sed iam non nouimus.* Si vero viam illuminatiuam insigni cum splendore exercent, hic tantopere resplendet, vt manifestum quoque fiat, eodem Apostolo teste 1. ad Cor. 2. eam *non in sapientia hominum, sed in virtute Dei splendescere*; adeo vt quod ibidem subiunxit dicere possint. *Nos sensum Christi habemus.* Denique si viam vnitiuam, tam præcellenter profitentur, hic vsque adeò perficitur, vt attingatur quodammodo quod D. Paulus asseruit 1. Cor. 6. *Qui adhæret Deo, vnus spiritus sit cum eo.* Potest itaque R. V. thesaurum istum tanquam rem cœlestem æstimare: præsertim verò si praxis & exercitium tam salutarium documentorum, quo (meo quidem videre) qui sic illa dictabat, insigniter emicuit, accedat. R. V. suis sanctis precibus Deum exoret pro me. ipse custodiat, &c.

EX ELOGIIS ILLVSTRIVM IN CARpetania Scriptorum Viri Nobilis

D. Thomæ Tammaio de Vargas Historiographi Regij. Ioannes de la Cruz.

SIue de Iepes inter celebriora Carpetanici iuris oppida non vltimum locum Iepes Toleto vicinum iure obtinere semper visum est. Nam si primæuam illiu

illius originē ſpectes, cū antiquiſſimis inter viros doctos de vetuſtate decertat. Certe ex Hebræorum ſiue Phœnicum Ioppe apud Ioſuam, Dyoniſium, Plinium, Solinum ſunt qui deducant. Alij Hipponē, de qua Liuius, haud procul Hippone & Toleto vrbibus, inter Pabulatores pugna orta &c. vt vere intelligunt. Si vberrimam pinguiſſimæ glebæ laudem contemplere, dices nulli ſecundum. Si inſignes omni doctrina & virtute viros ex eo, tanquam ex equo Troiano meros Heroas productos numeres, fortaſſe primum. Inter cæteros, qui natale ſolum cognomine, vt patriam virtutem ſcriptis vberius illuſtrarunt, nulli non noti ſunt Reuerendiſs. ac religione, literis & auctoritate Illuſtriſs. Don: Fr. Didacus de Iepes; è grauiſſimo Hieronymianorum Ordine Philippo II. Regi Catholico à Confeſſionibus & Arcanioribus conſilijs, Epiſcopus Tiraſonenſis; qui triumphales Anglorum Martyrum agones, & præcellentem S. Thereſiæ noſtratis ſanctitudinem piſſimo ſtylo diffudit. Reu. Fr. Rodericus de Iepes, ex eodem inſtituto, non diſſimili conatu non ſolum de aliquot Hiſpaniæ viris ſanctitate illuſtribus, ſed de ipſis Regibus bene meritus eſt. Didacus etiam alter de Iepes Toletanus Sacerdos de operibus miſericordiæ & alijs virtutibus vbertim diſſeruit; D. Auguſtinum & Paulum Oroſium Hiſpanè loquentes dedit. Nulli horum inferior eruditione, ingenio, labore, M. Fr. Antonius de Iepes fuit. Quem poſtquam à puero omnibus rebus religioſo animo dignis, grauis inprimis ſanctuſque Benedictinæ familiæ ordo imbuiſſet, tanto Patrum ſuorum amore illum perculit, vt illorum gloriosè ac præclarè facta in poſteritatis exemplum incredibili ſtudio & indefeſſa diligentia propalarit. Exemplo erunt VII. illa perpetuo victura Chronici tanti Ordinis volumina, quæ

——nec Iouis ira, nec ignes
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas

Alij. Quos merito

——aget penna haud metuente ſolui
fama ſuperſtes.

Sed omnium coniunctiſſima ſibi propinquitate cognatorum ipſis volentibus familiã ducit Ioannes ille, qui antiquæ Originis de Iepes compellationem Crucis cognomento permutauit, cùm familia longe præſtantiore auorum, pro Deo relicta, nomen non ſolum dedit, ſed vna cum veræ virtutis Heroide, cæleſtis fortitudinis viragine, diuinæ ſapientiæ Pallade, Thereſia de Ieſu fundamenta iecit. Pater illi Gondiſaluus cognomine originem & genus de Iepes referebat. Mater Catharina Aluarez Toletana, honeſto loco, integri ſanguinis: Fratres Franciſcus qui Metymnæ à Campo obijt magnæ ſanctitatis opinione, Ludouicus qui in tenera adhuc ætate ad plures abijt; Minor noſter Hontiueros nobili Abulenſis tractus oppido nouum, veluti Abulæ ipſi Thereſiæ ſydus cœlo tandem receptum terris ſemper ſecundum illuxit. Cuius ſanctiſſimam vitam omni admiratione maiorem, non ijs anguſtijs adſtringemus; Alij dabunt; nos, quod noſtri muneris eſt, illius ſcripta repetitis editionibus & illuſtrationibus aucta, non noſtris ſolum hominibus in pretio, verum exteris, in quorum linguas pronuperrerſa, etiam audio. ecce illa.

B. Joannis à Cruce
Opera mystica
NVI
124

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

I. Aſcenſus in Montem Carmelum.

II. Nox Obſcura.

III. Flamma amoris.

IV. Cantica.

In quibus pietatis & doctrinæ iudicio, plura ſunt Sacramenta quam verba: nec mirum, cum ille (vt de Dyoniſio Areopgiata cenſuit Nicephorus) *ſublimi rerum diuinarum contemplatione ſententijs & elocutione admiranda prorſus, & excellentia, longeque ab ijs, quæ pro hominum captu edita ſunt, diſtincta compoſuit.* vnde illi antiquiſſimum Myſteriorum ſublimium, (*quæ non licet homini loqui*) Theologo ex amuſſim comparatur nonus hic tam *ſublimis ac excellens & mente diuinitus illuſtrata, rerum diuinarum Myſtæ ac profundus ſcrutator.* Certe magni Dyoniſij imprimis imitatorem ſe eſſe Ioannes noſter (ſi attentè rimeris) ſcriptorum ſuorum non argumento ſolum ſed nominibus prodidit. Ille de *arcana* ſeu *Myſtica Theologia* ſcripſit: hunc Myſtici Doctoris titulo ipſa Myſteriorum arcanorum pertractatio & merito inſigniuit: ille hymnos diuinos modulatus eſt, huius Canticis etiam diuinis læti congaudemus. Vtrumque igitur propter ſcriptorum ſublimitatem cum Chryſoſtomo volucrem cœli, cum Anaſtaſio multum in hac Theologia valentem cum Sanctino fidei virtute illuminatum ex voto ex merito compellemus.

CAN-

CANDIDO LECTORI INTERPRES.

AD *fidelem, ac numeris omnibus absolutam interpretationem operum V. P. Fr. Ioannis à Cruce, candide Lector, fuissent vtiq; necessaria eiusdem Authoris Spiritus sensus, verborumque proprietas: vtpote cuius tam doctrinam quam etiam verba cœlitus inspirata existimant omnes. Verum quia experientia compertum est, ex horum librorum lectione plurima spiritualia emolumenta fidelibus prouenire, nefas esse iudicauimus, primam hanc, & nouissimam interpretationem Latinam, quæ pluribus nationibus est communior, diutius protrahere.*

Quamuis enim non sit vsquequaq; perfecta, & aliquibus in locis obscura videatur locutio, mirum videri non debet, si materia ex se intellectu difficilis, alieno idiomate non adeò clara & perspicua reddatur. præstat nihilominus aliquam interpretationem, licet non ita exactam habere, quam nullam.

Deinde propter difficultatem maximam, ne dicam impossibilitatem interpretandi carmina Authoris Hispanica, seruato metro congruenti, ita vt verba verbis, & versus versibus, ad amussim inuicem corresponderent, (quod ad illorum explanationem erat omnino requisitum) opus fuit initio explicationis cuiusq; Cantus ponere primo loco Cantionem Hispanam, vna cum sensu literali eiusdem, absque metri quantitate; qui sensus deinceps inseruit

B. Ioannis à Cruce

Opera Mystica

NVI 12a

inſeruit verſuum expoſitioni. Caterum in gratiam Poëtarum, placuit initio cuiuſq; Tractatus præmittere Cantus omnes ad illum ſpectantes, tam ſermone Hiſpano, quam Latino, metro ſapphico, & rhythmico, non iniucundè compoſitos.

Denique ne quis propter imperitiam Myſticæ Theologiæ, hæreat in phraſibus, ſeu myſticis locutionibus in his operibus à V. Authore vſurpatis, quæque prima fronte Scholaſticæ Theologiæ repugnare videntur, niſi ſano modo intelligantur; idcirco ad calcem operis annectitur Elucidatio earundem locutionum, erudita ſatis, (pro vt legenti patebit) in qua ex doctrina SS. PP. DDq; vtriuſque Theologiæ inſignium, earundem phraſium veritas, & cum Theologia Scholaſtica conſonantia lucu-
lenter demonſtratur. Vale &
fruere.

COM-

COMPENDIVM VITAE
VENERABILIS PATRIS FRATRIS IOANNIS A CRVCE.

VEnerabilis Pat. Fr. Ioannes à Cruce restaurati Carmeli decus, & post B. Virginem Theresiam primus author & parens, Hontiuerij, quod est Castellae veteris in Abulensi tractu, non ignobile oppidum, natus fuit, parentibus honestis Gondisaluo à Yepes, & Catharinâ Aluarez. Duos habuit Fratres Germanos, Franciscum, & Ludouicum, hic puerilia annos fato conclusit, alter virtutum & dierum plenus non sine fama sanctitatis obijt. Patre Gondisaluo vita functo mater vidua familiam cum prolibus Areualum transtulit, inde Metinam campi, vbi & sedem fixit. Cœpit Ioannes ætate adhuc tenera primos virtutis suæ flores, tam quam futuræ sanctitatis indicia, proferre, ad hoc eum impellente ingenitâ quadam propensione ad pietatem, & omne genus virtutum. Templa, Imagines sacras Rosaria, & quicquid conciliandæ deuotioni conducit, iam tum in delitijs habuit. Accessit cultus B. Virginis, cui se totum addixit. Porro Deipara clientulum suum materno planè fouens affectu protectionis suæ singulare specimen præbuit. Ludebat forte pro more illius ætatis cum coætaneis ad oram laci, in quem certatim conijciendo & mergendo virgulas, mox emergentes receptabant, cum suam quoque iecisset Ioannes, iamque emergentem niteretur recipere, plus æquo corpusculum inflexit, ac fallente vestigio in lacum decidit. Sed ecce aquis supernatanti apparuit Virgo sanctissima, manumque auxiliatricem porrexit, quam ille candore columbino non ausus est prehendere, ne manibus suis, quas cæno habebat fœdatas, candidissimas Virginis inquinaret. Interim accessit agricola, qui porrecta, quam manu gestabat, virga, puerum incolumem eduxit. alij Angelum, alij D. Iosephum fuisse ex insignijs coniectant.

§. II.

Adolescentia & studia litterarum.

CRescebat Ioannes virtute magis quam ætate, cuius pretium cum haberet perspectũ, nihil non pati, nihil non moliri gestijt, quò eam consequi posset. Octennẽ mater non semel reperit palmitum manipulis incubantem, detrahentem somno tempus quod orationi impenderet, alijsq; modis tenellum corpusculum Dei & virtutis amore affligentem. Ascitus in Collegium puerorum illius oppidi vt primis litteris imbueretur, ita se gessit, vt omnium oculos in se conuerteret, nec non morum grauitate, pietate, alijsque virtutibus, cæteris non minus esset stupori quam exemplo. Inde à viro nobili Xenodochij Generalis præfecto eductus, & ægrorum pauperum ministerio adhibitus fuit, eo fine, vt præter solatium quod morum suauitate ægris allaturus videbatur, litteris & eruditione tandem instructus, præfatæ domui aliquando esset à sacris.

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
NVI
124

Vix Xenodochium ingressus in altum puteum cecidit, clamoribus eorum qui cadẽtem viderant, exciti plures, conuolarunt, & quem rebantur submersum, aquis supernatantem conspiciunt non minori candore animi quam lætitia asserentem, vlnis Beatiss. Virginis in ipso casu se exceptum, ab eaque ne mergeretur, sustentari. atq; ita cum omnium admiratione incolumis extractus fuit. Hoc eodem loco Grammaticæ, Rhetoricæ, ac Philosophiæ operam dedit, maximo profectu, præcipuè vero orationis studium, ad reliqua pietatis exercitia adhibuit, quæ tanto fuerunt in Ioanne frequentiora, quanto cumulatius indies diuinam lucem ac Dei beneficia recipiebat. Accidit vt cum aliquando enixe à Deo peteret dirigi in viam virtutis, hanc in intimo animæ recessu vocem audierit: *Religioni antiquæ nomen dabis, & pristinam illius perfectionem suscitabis*; exinde ardens eum desiderium incessit, huius status profitendi, quamuis, quænam hæc esset Religio, aut quo eam tempore esset ingressurus, penitus ignoraret.

§. III.

Habitum Ordinis Carmelitarum induit.

An. 1560. SVb hoc tempus Religiosi Carmelitæ Metinæ Conuentum sui Ordinis erexere, quos vt vidit noster Ioannes, Propheticæ illius Illustrationis innouationem persensit, vnaque Religiosi status profitendi efficax desiderium. nec mora: monasterium recenter erectum ingreditur, probationis annum insigni feruore auspicatur & complet. Post nuncupata solemni ritu vota, ad Collegium Sancti Andreæ (nunc à Sancta Theresia cognominatum) quod familia Patrum de Obseruantia Salmanticæ habet, studiorum causa destinatur, vbi cum Theologiæ, tum virtuti ita operam impendit, vt quamuis in illa plurimum proficeret, in hac tamen maximè emineret. Iam inde ab emissæ professionis tempore facultatem à Prælatis obtinuerat seruandi rigorem regulæ nostræ primitiuæ, præscribentis continuam à carnibus abstinentiam, protractum ad octo ferè menses ieiunium, assiduam orationem, silentium, cellæ recessum, arctissimamque paupertatem, cæteraque omnia quæ præfatæ regulæ legibus continentur, cuius rigor talis est, vt obseruatu impossibilis quondam sit æstimatus. Verùm Ioanni nostro hæc pauca visa sunt & parua, vnde alia plura & maiora addidit supererogationis exercitia, vt in decursu patebit. Porrò ad ea præstanda, nõ vulgaria Deus illi conferebat auxilia & gratias. Singulare fuit quod Primitias celebranti contulit, infantilem nempe puritatem atque innocentiam, & instar Apostolorum, in gratia confirmationem, quemadmodum persona eminentissimi spiritus Deo reuelante cognouit: quapropter S. M. N. Theresia dicere solebat, *Patrem Fr. Ioannem à Cruce annumerandum inter puriores ac sanctiores animas, quas Deus Optimus Maximus in sua Ecclesia haberet, & cui ingentes lucis, puritatis, & cælestis sapientiæ thesauros infudisset.*

§. IV.

§. IV.

Primus in Reformatione calceos depoſuit.

HOc pacto voluit Deus inſignem hunc virum expolire in lapidem fundamentalem noui ædificij reformationis Diſcalceatorum Beatiſs. Virg. de Monte Carmelo. Appulit eo tempore B. Virgo Thereſia de Ieſu Merynam campi, eadem quæ Ioannes (qui tum forte Merynam venerat) verſans animo. Cumque B. Virgo magna de illo inaudiſſet (vt ipſamet fatetur) petijt & obtinuit à Deo hunc ſibi donari in anteſignanum Diſcalceatorum. Conuenit ergo virum B. Mater, alloquitur, cumque operi maxime idoneum reperiſſet, ad expeditionem induxit, perſuaſitque vt deſiderium quod conceperat Carthuſiam ingrediendi, in hoc opus commutaret. fundationi ergo quæſita eſt domus, eaque inuenta, nec non impetrata, eorum quorum intererat, facultate, operi ſeſe accinxit feruentiſſimus Pater. Eſt in Abulenſi tractu, vix quattuor aut ſex ædium viculus, Duruelum vocant, vere iuxta nominis ſui etymon durus, cum ob aëris inclementiam, tum ob omnium quæ ad corporis oblectamenta aut commoditates ſpectant, inſignem inopiam. Hic à loci Domino in nouam fundationem tugurium obtinuit verius quam domum, cuius machina nil præter exiguam porticum, vnicum cubiculum eundemque paruum, granarium, & culinulam complectebatur. Hanc ædiculam in formam monaſterij ita diſpoſuit: Porticum in capellam, granarium in chorum, cubiculum in dormitorium conuertit & adaptauit, diuiſa culinula triclinij & culinæ loco fuit. Hac mole conſtitit prima refloreſcentis Carmeli ſtructura, his initijs de fructu manuum Venerabilis Noſtri Ioannis, præeunte Virgine Thereſia, plantata eſt vinea, quæ breui per Hiſpaniam vniuerſam, Italiam, Galliam, Belgium, Germaniam, Poloniam, Perſidem, vtramque Indiam, ſuos palmites eſſet diffuſura. Hic tandem Ioannes rudi & anguſto habitu indutus quem B. Virgo Thereſia proprijs manibus conſuërat, abiectiſque calceis primum Carmelitam Exalceatum mundo exhibuit. Adfuit paulo poſt eiuſdem propoſiti ſocius Pater Frater Antonius de Ieſu, vir ſimiliter ſanctitate conſpicuus, qui Ioannis inductus exemplo aſperum hoc vitæ genus amplexus eſt, illudque ambo perpetuo ſeruaturos reiecta omni mitigatione polliciti ſunt. Ioannes vero hoc loco nactus opportunam occaſionem feruori ſpiritus habenas laxauit, tantoque impetu abripiebatur, vt nullos orationi, auſteritati, & pœnitentiæ limites præfigeret, ſed ad omne heroicarum virtutum exercitium infracto animo conniteretur. Victus illi tenuis, nec niſi ieiunio conditus, protractæ vigiliæ, macerationes corporis continuæ, cellula adeo anguſta ac demiſſa vt vix genuflexum admitteret, tam male ſarta vt per imbrices non modo lux ſubintraret, ſed etiam pluuiæ, pruinæ, niues, quæ orantem non ſemel contexerunt; lectus dura humus, cerulea lapis, ac tum præclarè ſibi indulſiſſe videbatur, ſi quando modicum fœnum corpuſculo ſubſterneret, tota vero ſuppellex, crux, & cranium humanum. hanc vero ſpiritus paupertatem omnimodamque nuditatem non ſolum Durueli exacte ſeruauit, alioſque ſuo exemplo ad ſeruandum induxit, ſed Paſtranæ quoque, Manceræ, Compluti, hanc nouellam plantam eodem

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
NVI
12°

spiritu imbuit ac fundauit, vnde postea tamquam è fœcundissimis seminarijs alia plurima eiusdem instituti germina pullularunt.

§. V.

Mirabilia Abulæ operatur.

NOn viris dumtaxat, sed etiam ordinis sui virginibus Ioannes præluxit. illas quæ primitiuam regulam profitebantur, ad contemplationis apicem direxit, adeo efficaciter, vt etiamnum fructus in ipsis perseueret. alias, quæ sub mitigatiore viuebant, intra vocationis suæ limites ad orationis & reformationis spiritum verbo & exemplo pertraxit. fidem faciet Cœnobium Abulense ab Incarnatione nuncupatum, vbi cum munere Confessarij suasu B. M. Theresiæ fungeretur, monialibus talem animarum profectum attulit, qualem in hunc vsq; diem, non absque præceptoris sui grata memoria, experiuntur. Hic in morbum incidit monialis Maria de Hiera, qui præter spem & opinionem ingraueſcens necdum Ecclesiæ Sacramentis munitam repente abstulit; accitus Venerabilis Pater inopinato euentu perculsus accurrit ad monasterium, & defunctam intuitus coram Venerabili Sacramento orationi institit, deinde lætissimo applausu accurrêre moniales nuntiantes illius precibus defunctam vitæ restitutam. Illud quoque dignum admiratione quod testibus oculatis constat: Cum Venerabilis Pater cum B. Virgine Theresia quadam vice altissimos & pro more suo feruentissimos de Sanctissimæ Trinitatis mysterio sermones miscceret, adeo vtriusque animus diuino igne incaluit, vt Sancta Mater rapta in extasim: ipse vero non solum in extasim, sed etiam in aëra vna cum sede tamquam alter Elias raptus fuerit. Plura alia admiranda, & Ioannis sanctitatem testantia, Abulæ acciderunt: pauca è multis delibabimus. Puella nobilis & vulgi opinione spiritualis, libidinoso animo Ioannem aggreditur solum & sine teste agentem; at vir castissimus carnalem hunc amorem in diuinum mutauit, eamque corde compunctam & facti pœnitentem reddidit. Aliam quoque ad meliorem frugem reduxit, quæ post sacrilegam voti, quo Deo sacrata erat, violationem, notoria turpitudine toti ciuitati scandalum præbebat: cuius facti hanc retulit mercedem, vt à sacrilego complice fustibus egregie fuerit exceptus, tanta cum animi, non solum patientia, sed etiam gaudio, vt lapidè interdum diceret, non minus sibi dulces fuisse baculos, quam Beato Stephano lapides. Quod sequitur plane singulare est. Monialis alterius Ordinis à teneris annis Dæmoni se tradiderat, scriptamque propriò sanguine consignauerat schedulam: ex pacto inito mira patrabat, ita vt viris doctis non paucis imponeret. Agnouit Venerabilis Pater immundum spiritum, ex ritu Ecclesiæ adiurauit, vicit, expulit, & tamquam alter Basilius memoratam schedulam reddere coëgit, qua igne combusta, & pactione rescissa, monialem liberauit, atque in statum reduxit meliorem.

§. VI.

§. VI.

Vincula, carceris custodia, exitus.

His acceptis contumelijs & damnis humani generis hostis in vindictam exarsit, igitur illo instigante turbata nonnihil pace & concordia vtriusque familiæ Discalceatorum & Obseruantium, hi iudicarunt è re congregationis esse si illi abolerentur, in eum finem statuunt præcipua Discalceatorum capita comprehendere, maximè vero V. Patrem Ioannem vt hanc nouellam plantulam in sua radice succiderent, & subtracto lapide fundamentali tota moles ædificij corrueret. Ergo comprehensum Abulæ mox Toletum deducunt, vbi frustra tentata illius constantia vt Discalceatos desereret, rigido arctissimoque carceri mancipatur, is erat angusta cellula, fœtida, atque ita tenebrosa vt per exiguam rimulam tecti vix tantum lucis admitteret, quantum soluendo diuini officij penso esset satis. Victus erat panis & aqua plerumque lautissimum verò obsonium frequens disciplina, quæ illi acriter infligebatur; & hæc quidem zelo religionis fiebant, quod hanc constantiam animi pertinaciam reputarent. Maior afflictio fuit interna desolatio, internæque tenebræ quibus Ioannis animus Deo permittente inuoluebatur; accedebãt à dæmone suggestę perplexitates, suspiciones, & alia sexcenta interioris hominis tormenta, quibus dæmon hãc animam doloribus vndique circumseptam, omnique terrena ac diuina consolatione destitutam, expugnare nitebatur. Et sane nauicula tot fluctibus agitata vix subsistere potuisset, nisi Deo imperante ventis & mari facta fuisset tranquillitas. Inter has animi pressuras amorosis querimonijs & suspirijs cœlum pulsabat, vt patet ex diuino illo cantico, *vbi te abscondisti amate &c*, quod tunc mirabiliter composuit, & postmodum alte sublimiterque explanauit.

Adfuit tandem laboranti Deus, & vt quondam in simili occasione Antonium, Ioannem nostrum inuisit consolatione animam replens, & cellulam lumine cœlesti, quẽ his verbis corroborauit. *Adsum, noli timere Ioannes, ego enim te liberabo.* Adfuit non semel & Virgo sanctissima, quæ tum præsentia sua, tum pollicitatione auxilij afflictum recreauit. Admonitus deinde cœlesti oracolo miraculosè è carcere euasit. arreptis namque retibus, vetustis & laceris è sublimi feneſtra sese demisit, atq; illæsus in quoddam atrium desilijt muris altis vndique cinctum. Sed ecce repente parietes mirabiliter se transcendisse aduertit, ac lucis globo præeunte ad publicam plateam deuenisse. Vbi vidit se ope diuina liberũ, ad moniales Discalceatas perrexit, quæ pro salute communis Patris solicitæ, tanquam pro Petro Apostoli Deum continuis precibus sollicitabant. Commodum accidit, ita disponente diuina prouidentia, vt Religiosæ Virgines Cõfessarium accersendum curarent pro subitanea necessitate cuiusdam monialis, idque eo tempore quo Ioannes ad monasterium peruenit; hac igitur arrepta occasione septa monasterij intrauit, virgini laboranti Sacramentum pœnitentiæ contulit, eademq; opera delituit, ac indaginem Patrũ de Obseruantia qui accurrerant, & vinctum suum per sacristiam, Ecclesiam, locutorium requirebant, feliciter eluſit. Vnde egressus, opera amicorum Toleto se subduxit, atque ad Discalceatos Conuentus Alnodouarensis peruenit.

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
NVI
12

§. VII.

Munia quæ obiuit, & conuentus quos fundauit.

NIhil Ioanni magis erat in votis, quam vt expeditus ab omni prælatura sibi Deoque soli vacaret, idque identidem summis precibus à Deo postulabat, vnde cum in Capitulis ad aliquod officium eligeretur, nullum non mouebat lapidem, quo sese collata dignitate & munere liberaret: aduolutus ad genua electorum precibus miscendo lachrymas impositum munus resignabat, vacationemque efflagitabat. At noluit Deus hanc lucernam latere sub modio, quam super candelabrum constitutam voluit prælucere omnibus. Igitur ex præfato Almodouarensi cœnobio in Prouinciam Bæticam missus fuit, vt conuentui Caluariæ præesset. postea Beacense Collegium fundauit, deinde rexit Granatense, vbique eundem spiritum orationis & pœnitentiæ introducens. Functus officio Vicarij Prouincialis Bæticæ, denuo munus Prioris subijt. Postmodum Capitulo Generali interfuit, in quo electus in primum Definitorem, eoque officio per triennium durante, simul interim Conuentum Segouiensem gubernauit. Mirum quanta integritate, prudentia ac sanctitate hæc aliaq; munia administrarit, quam rara virtutū exempla, quā probatę sanctitatis famam apud omnes reliquerit.

§. VIII.

Virtutes quibus fuit exornatus.

LVbet carptim illius virtutes delibare, nam vt minutatim omnes explicentur, res est operosi voluminis, non contracti, quale hoc est, vitæ compendij. occurrunt primo virtutes Theologicæ, quas vt præcipuas præcipue coluit. Fidem viuam spirant & aperte loquuntur illius scripta, quæ videntur nihil aliud esse quam imago quædam & commendatio huius virtutis. Eam adeo firmam inter medias tenebras habuit, vt nihil indigeret eorum, quæ aut fulcimentum adferre solent, aut solatium. Idcirco in oratione minime appetebat internas dulcedines, visiones, reuelationes, aliaque huiusmodi: quin potius ariditates, labores, &c. Circa Mysteria SS. Trinitatis ac venerabilis Sacramenti talis in eo erat fidei vigor & viuacitas, vt ea potius intueri quam credere videretur, quemadmodum plurimis apertisque constat exemplis, quæ in vberiori vitæ illius historia recensentur.

Fides.

Spes.

Spes vrpote in fide fundata immensa erat, quam non ex angustijs humani cordis, sed ex immensitate diuinæ omnipotentiæ metiebatur. Hinc identidem dicebat: *O spes cœlestis quæ tantum obtines quantum speras.* Vbi de rebus domesticis prouidendis agebatur, aiebat: *nouit Dominus quibus indigemus, nostrum est ei fideliter seruire, ipsius vero nobis prouidere.* atque ita iactans super Dominum curam suam mirabiles diuinæ prouidentiæ effectus non semel est expertus.

Charitas.

Charitatem quis dignè commemoret? talis fuit vt in externam etiam faciem redundarit, quæ cœlesti splendore non raro perfusa internum ignem charitatis prodebat. Dū quadam vice corā Infantuli Iesv effigie Religiosos adhortaretur, visi sunt radij miri splendoris è vultu pueruli prodire, atque in ipsum rendere, inde resilire in auditores,

tores, quo pateret verba cœlestis huius viri scintillas esse, non tam suo quam Dei ore egressas. Et vero (quod de Elia legimus) verbū ipsius quasi facula ardebat, quo animos audientum incendebat, trahebat, rapiebatque. S. Mater nostra Theresia de Ioanne nostro dicere consueuerat, *Impossibile est sermonem de diuinis miscere cum P. F. Ioanne, nam mox in extasim ipse abit, aut alios abire compellit.* Vnde passim apud alios audiebat diuinus incantator, Seraphin carne indutus.

§. IX.

Aliæ virtutes heroicæ.

THeologicarum virtutum vestigia reliquæ pari passu insequuntur. Humilitas tanta, quanta opus erat sublimi perfectionis ædificio superstruendo. Opera, verba, vultus, amictus, quicquid denique erat in Ioanne, humilitatem spirabant. Sibi vilis & abiectus, nihil quod propriam laudem redoleret, aut ipse loqui, aut alios loquētes audire poterat. Cum religiosi quidam labores, quos in promouenda reformatione pertulerat, recenserent, vtraque manu aures obturauit, obsecrans non ista sed potius peccata sua narrarent. Alteri alterius ordinis Religioso, qui (quod pater otiosa illius colloquia interrumperet) cum dixisset videri eum rustici filium; Respondit Dei famulus: Imo tanti non sum, quin potius filius pauperculi cuiusdam textoris, quo responso non solum ille confusus, sed adeo etiam compunctus fuit, vt ex eo tempore fuerit Venerabili Patri addictissimus, & præco illius sanctitatis. Tria solitus erat à Deo postulare. primum labores, secundum ne præsul existens è vita migraret: tertium quod profundissimæ humilitatis indicium præbet, vt abiectus & vilipensus viueret ac moreretur. Cum in Segouiensi Conuentu ante imaginem Christi Domini crucem baiulantis orationi vacaret, hanc ab imagine prodeuntem vocem audijt *Ioannes quid vis pro laboribus?* & ille: *Domine pati & contemni pro te.* Singularis optio, & non nisi ex intimo tum patiendi, tum contemptus desiderio nata. *Humilitas.*

Paupertatis fuit obseruantissimus, quæ ab omnimoda quadam spiritus nuditate procedebat. Morabatur plerumque in viliori & strictiori conuentus cellula, cuius ornatus crux lignea, tota suppellex, Breuiarium, Biblia sacra, disciplina, & cilicium. Habitus illi rudis, vetustus, resarcitus, mundus tamen, nisi obstaret aduersa valetudo, pedes iter agebat mendicato victitans, & relictis hospitijs lautioribus quæ vltro offerebantur, pauperiora requirebat, nunquam non fugiens opulentiam & vitæ commoditates. In conuentuum fundationibus nullos reditus admittebat; si quando delicatiora aliqua à benefactoribus submitterentur, nec essent infirmi quorum vsibus ea deputari suaderet charitas, restitui curabat, asserens nefas esse Carmelitis Discalceatis dum valerent vti similibus blandimentis. *Paupertas.*

Visus est Venerabilis Pater in carne sine carne viuere, ita alienus ab omni impressione luxuriæ, vt cœlum diceres, aut Olympi verticem, quem turbidæ tempestates nō tangunt. Imo, quod mirere, alijs quibuscum agebat sola præsentia puritatem imprimebat; erantque antidotum contra immundi spiritus tentationes, quæcumq; corpus hoc castissimum aliquando contigissent. Quis credat mulierem carnis stimulis agitatam viri vel præsentia vel memoria suæ castitati posse consulere? & tamen inuenta est persona religiosa ab immundo spiritu vexata, quæ Ioannis nostri sola recordatione castitatis suæ munimen quæsiuerit ac inuenerit. *Castitas.*

Fuit

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
N VI
12°

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tientiæ. Fuit in Ioanne patientia insuperabilis, cuius adamãtinum pectus grauissimi labores, morbi, persecutiones nunquam frangere potuerunt. Solitus erat dicere: *Quid scit qui pro Christo pati nescit? cum de laboribus agitur, quo plures sunt, eo melius.* Audiuit aliquando decantari laudes tolerantiæ, inde tantopere in Deum absorptus remansit, vt cratem ferream tenaciter apprehenderit, ne (quod illi non erat infrequens) amore attractus in aëra raperetur. Illa porro Ioannis petitio, cuius ante meminimus, *Domine pati & contemni pro te*, vt humilitatis, ita patientiæ præbet argumentum singulare.

Pœnitẽtiæ. Hinc originem trahebat spiritus pœnitentiæ admirandus potius quam imitandus. Corpus cingebat catenula ferrea crebris & acutis cuspidibus plena, quæ adeo carni adhærebat, vt cum socius eius ob incidentem & inopinatum casum eam conaretur abstrahere, non nisi cum sanguinis copiosa effusione id facere potuerit. Cilicium quo vtebatur ordinariè erat thorax & femoralia spartea nodis crebrioribus referta. Somno duabus dumtaxat horis, aut ad summum tribus indulgebat. Ferijs sextis rutæ germinibus in memoriam fellis & aceti saluatoris, vesci consueuerat.

§. X.

Dona Spiritus sancti & gratiæ gratis datæ.

CVrsim & veluti per transennam virtutes Venerabilis Patris attigimus; lubet eadem breuitate percurrere aliqua ex donis Spiritus sancti & gratijs gratis datis quibus claruit. Occurrit primo loco donum sapientiæ, & huic cognata scientiæ & intellectus, quæ in scriptis Venerabilis Patris mirifice relucent, quibus animam ad apicẽ purissimæ & sublimissimæ contemplationis dirigit. nullibi mystica Dei arcana aptiori stylo, aut sublimiori sensu reserata inuenies, idque nullo adminiculo librorum, cum præter sacros codices & Breuiarium nullos alios aut euolueret, aut haberet; quo constat non humanitus hæc acquisita, sed à spiritu S. cœlitus infusa. Hinc illa profundissima mysteriorum Dei contemplatio & penetratio, cuius rei fidem facit mirabilis imago Christi Domini crucifixi, quam Ioannes post extaticam huius mysterij visionem, vbi ad se redijt, nudis & superficialibus lineis, sed miro artificio deductis, adumbrauit, vt præstantissimi pictores tum ob hanc causam, tum ob piam affectionem quam animis intuentium imprimit, opus miraculosum iudicarint.

Prophetia. Plurima prophetico spiritu cognouit, inter alia obitus sui diem & horam Hominum interiora penetrabat, peccata oblita pœnitentibus reuocabat in memoriã. prænouerat pridem suum in Religionem ingressum, perfectionem quam in ea erigeret: vincula, carceres, persecutiones quas erat passurus. Deplorabilem casum cuiusdam monialis à stygmatibus dictæ prænuntiauit, aliaque plurima quæ rei euentus probauit.

Potestas in dæmones. Potestate in dæmones præditus fuit tanta; vt hoc in genere non inferiora Diuo Basilio patrauerit prodigia, idipsum spiritibus immundis licet inuitis fatentibus, qui Ecclesiæ exorcismis astricti sæpius confessi sunt, à nullo diuorum in cœlo degentium sibi acrius bellum indici, quam à quodam Carmelita Discalceato, qui vocaretur Ioannes à Cruce, & à nullo alio à temporibus D. Basilij se passos persecutionem grauiorem, quam ab illo. Plures legiones è corporibus humanis expulit, pessimæ pactionis chirographa

grapha recuperauit, prædamque è manibus dæmonum extorsit; quemadmodum & nunc inuocatum eius nomen corporisque reliquiæ idem præstant. huc reuocari potest quod imminentes tempestates crucis signo, quandoque solo aspectu dissipauerit, flammam conuentui incumbentem contra ventorum impetum recedere coegerit, & eius generis non pauca. Sanitatum gratia fuit illustris. non texemus omnium Catalogum; vniuersim dico nullum morborum genus quod vel ipse dum viueret, vel eius post mortem reliquiæ non sanauerint, & ne quid miraculo decederet, plerumque instantaneæ, quamuis cum morte aliqui conflictarentur. vestes, linteola, aut quæcunque denique Ioannem contigissent, vitalem quandam vim habere videbantur, quam ægris communicarent. *Sanitatis gratia.*

§. XI.

Postremus Ioannis morbus.

CVm Prouincialis officio fungeretur, aliquando in morbum inciderat grauem admodum & periculosum, qui ægrotantem ad eas redegit angustias, vt iudicio medici nulla spes vitæ superesset. At vir Dei prophetico spiritu, *Multum* inquit, *patiar, sed non decedam hac infirmitate, nondum enim lapis perfecte expolitus est.* Vbi vero tunsionibus, pressuris, perfectissimoque nitore omnigenarum virtutum lapis hic pretiosissimus satis superque expolitus fuit, in Conuentu Rupellæ in febrim incidit quæ accessu aliorũ vulnerũ & dolorũ illi postrema fuit. Quod vero is locus solitudini esset destinatus, nec suppeteret copia medici, optio ei facta fuit migrãdi in Biacense aut Vbetense Cœnobium, quod hæc cæteris essent viciniora. Ille vero Vbetense elegit, tum quod in ea ciuitate necdum notus esset, tum quod ignoraret alias patiendi occasiones hic suppetere. In itinere cum socij molestissima nausea laborantem viderent, sciscitati sunt, num quid esset quo vesci vellet; ille asparagos visus est appetere, sed loco & anni tempore maxime alieno, Septẽbri iam excurrente, indoluerunt comites quod nec tantillo refrigerio necessitati optimi patris subuenire possent. At præstitit Deus, quod locus & tempus præstare non poterant. Vix enim ingressi flumen Guadalimar fasciculum recentium asparagorum impositum lapidi inuenerunt grauissimi mali exiguum solatium, sed miraculo magnum. Cum Vbetam appulisset, inualuit febris; accessit vlcus in dextero pede ea parte qua Saluator clauis affixus est cruci, cui vt Chirurgi mederẽtur, alia ingentia vulnera circumcirca per modum Crucis aperuerunt, gaudente interim Ioanne ac Deo Optimo Maximo gratias agente, quod vnico pede in formam Crucis quinque Domini vulnerum memoriam gestaret. Maxima puris copia ex his vulneribus educta est tantæ virtutis, vt eo tinctæ fasciolæ & ægris applicitæ plurimas infirmitates miraculosè sanauerint: tantæ vero fragrantiæ, vt linteola quæ obligandis aut abstergendis vulneribus fuerant adhibita, solo odore ab alijs discernerentur. Argumentum suauissimi huius odoris est, quod Religiosus eiusdem Conuentus cum scutellam purulenta hac materia plenam reperisset, ratus ex odoris fragrantia id esse sapidam aliquam sorbitiunculam, penitus ebibit, non modo citra nauseam, sed etiam summa cum suauitate & gustu, vt ipse postmodum rescius quidnam esset, testatus est.

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
NVI
12a

Augebatur in dies & morbus & dolor qui iudicio Medici & chirurgi intenſiſſimus erat; nihilominus Ioannes inter has anguſtias tam ſereno, hilarique vultu perſiſtebat, vt nihil omnino pati videretur. Frequenter inter dolores in extaſim rapiebatur, vt ſubinde debuerint medicus & chirurgus exſpectare, donec in ſe reuerteretur. Hinc fama ſanctitatis illius in ea ciuitate, in qua antea notus non fuerat, percrebuit, eumque inuiſere, ſanctumque proclamare cœperunt. Sæculares aliqui concentu muſico conati ſunt laborantem recreare, ipſo licet inuito & renitente. Interrogatus poſtmodum à religioſo ſibi familiari quî tandem placuiſſet muſica? *Reſpondit: eam non audiui; nam longe ſuauiori Dominus me detinuit occupatum.* Deo Optimo Maximo cœleſti haud dubie ſolatio ſeruum ſuum demulcente & abſorbente, in præmium contempti ſolatij terreni.

§. XII.

Admirabilis ipſius obitus.

PRæcognouerat iam pridem Deo reuelante mortis ſuæ tempus; Beatiſſima quoque Virgo die Sabbati profeſto immaculatæ ſuæ conceptionis denuo eum præmonuit, ſequenti Sabbato ſibi ex hac vita migrandum media nocte quando matutinæ preces decantari ſolent. Exinde ſolebat quotidie inquirere quænam eſſet dies, adeo namque abſorptus & immerſus erat conſiderationi rerum diuinarum, vt temporis obliuiſceretur. Cum ſemel audiſſet à medico mortem inſtare, reſpondit: *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domũ Domini ibimus*; & mox ſubintulit: *Hoc tam fauſto nuncio omnis à me dolor abſceſſit.* Voluerunt tunc ei ſalutiferum viaticum adminiſtrare; at ille: *tempus* inquit *adhuc ſupereſt, admonebo cum tempus aderit.* Feria quinta ſub veſperam percunctatus eſt quænam eſſet dies, quod cum cognouiſſet, petijt ſibi præberi ſacrum viaticum quod ſumma animi deuotione ſuſcepit. Feria ſexta Diuæ Luciæ ſacra iterum inquiſiuit quæ dies eſſet, qua cognita, amplius non interrogauit de die, ſed ſæpius de hora; ſemel ſubiunxit: *Interrogo quota ſit hora, nam Deo meo ſit laus, hac nocte ad laudes matutinas decantandas in cœlum iturus ſum.* Hora quinta Sacramentum extremæ vnctionis ſibi dari poſtulauit, quo accepto humiliter petijt veniam ab omnibus religioſis, illique viciſſim ſuam benedictionem, nec non vt documentum aliquod ſpirituale in abſentiæ ſuæ ſolatium eis relinqueret, quod & fecit, vt morem gereret Patri Prouinciali P. Fr. Antonio de IESV antiquo eius ſodali qui præſens aderat. Hora octaua iterum interrogauit quota eſſet hora, quam cum reſciuiſſet, ait: *Heu tam diu adhuc commorandum eſt in hac vita.* Hora nona idem inquiſiuit, eaque cognita ſubiunxit: *adhuc tres horæ reſtant? incolatus meus prolongatus eſt.* Hora decima cum audiſſet campanæ pulſum petijt ad quid pulſaretur? reſponſum eſt ad matutinum apud quaſdam moniales: *& ego* inquit *per bonitatem Dei mei vnà cum Beatiſſima Virgine in cœlum illud decantaturus conſcendam*, ſtatimq; hac ſanctiſſimæ Virginis recordatione liqueſcens eam his verbis alloquutus eſt: *Immenſas ô Regina & Domina mea tibi refero gratias ob ſingulare hoc, quo me donas, beneficium, nimirum vt die Sabbati tibi dicato me ex*

hac

hac vita migrare velit. Dimidia hora priusquam media nocte ad matutinum pulsaretur, ait: *Iam hora mea appropinquat, admoneant religiosos.* Sine mora accurrêre omnes, cereis accensis, & longe magis cordibus lectulum circumdantes. Lecta est de morte animæ commendatio ipsomet vt poterat adiuuante. Postquam nonnullos Psalmorum Versiculos & Cantici Canticorum sententias tenerrimo cordis affectu ingeminasset, iterum in oratione Christi Domini Cruci affixi effigiem manu tenens, suspensus est, & eleuatus.

Hora duodecima iam imminente Crucifixo relicto manus & brachia sub lodicem immisit, summaque tranquillitate & modestia proprijs manibus corpus suum composuit, atque iterum apprehenso crucifixo ineffabili animi & verborum teneritudine sese cum illo oblectare cœpit. Paulo ante quam spiritum Deo redderet, apparuit globus lucis instar ignis splendidissimi, & supra modum decori, Venerabilis Patris corpus tedimentis. tantus autè fuit luminis huius fulgor, vt 23. candelarũ in illa cellula ardentium lumen penitus offuscaret. In medio tam ingentis splendoris hic ardentissimus Seraphim instar solis cernebatur accensus. Tum audita est hora duodecima, & simul campanæ domesticæ pulsus ad horas matutinas. Scisciatus Dei seruus ad quid pulsaretur, acceptoque responso pulsari ad horas matutinas, blandè oculos suos aperiens omnesque circumstantes hilari & amabili vultu quasi valedicens intuitus, lætabundus ait: *In cælum eas decantaturus abscedo.* Mox labia pedibus crucifixi, quem manibus tenebat, imprimens, *in manus,* inquit, *tuas Domine commendo spiritum meum.* ac simul blandè suauiterque spiritum tradidit. Atque ita ineunte die Sabbati, quemadmodum ipse prædixerat, exspirauit 14. Decemb. Anno 1591. ætatis suæ 49. reformationis à se inchoatæ 23.

§. XIII.

Corporis effigies, sepultura, apparitiones.

FVit corporis statura ad mediocritatem vergente, triticea facie, macilenta, debitè tamen proportionata, venerabili caluitie, lata fronte, oculis nigris suauitatem & mansuetudinem præ se ferentibus, naso aliquantulum aquilino; denique totius corporis habitudo & constitutio grauis, iucunda, & supra modum modesta, adeo vt sola ipsius præsentia intuentes quoque componeret. Remansit vultus post felicissimum eius transitum mirabili quodam splendore perfusus, fragrantia vero tam copiosa è corpore defuncti emanauit, vt non solum in cellula, sed etiam in toto Monasterio perciperetur. Religiosi & seculares qui aderant, habitum, tunicam, Breuiarum & quicquid Dei famulum aliquando contigerat, tamquam opima spolia, imo veluti pretiosissimas reliquias certatim rapuerunt. Sepultus est innumera multitudine hominum concurrente, postea Vbeta Segouiam translatus fuit (quod ipse aliquando futurum prædixerat) vbi in magnifico sepulchro pietate & munificentia

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
NVI
124

Philippi III. Regis Catholici exstructo, conditus iacet. Miraculis plurimis post mortem, quemadmodum & in vita claruit, quæ in vberiori vitæ historia speciatim describuntur. multis tum sæcularibus, tum Religiosis post mortem apparuit; sed prodigiosæ sunt illæ apparitiones, neque de vllo hactenus sancto vel lectæ vel auditæ, quæ in diuersis particulis carnis huius Venerabilis Patris etiamnum videntur, in quibus videre est diuersa mysteria & imagines cœlestes Christi Domini, Beatissimæ Virg. spiritus S. sub columbæ specie, Venerabilis Sacramenti, Angelorum, & aliæ plurimæ, potissimè vero eiusdé Venerab. Patris imago ante Christum Dominum & Beatissimam matrē genuflexi. Huiusmodi apparitiones Anno Domini 1594. ipso Epiphaniæ festo Metinæ campi manifestari cœperunt; deinceps vero Segouiæ, Burgis, Cæsaraugustæ, Calatayudis, Vbetæ, & ferè vbicumque mirabilis viri huius habentur reliquiæ, hæc stupēda prodigia perseuerant. Primæ apparitiones Metinenses ab Illustrissimo D. Ioanne vigil de Quiniones Vallesoletano Episcopo, omnibus & singulis experimentis, & circumstantijs requisitis, examinatæ & probatæ fuerunt. In ciuitate Calataiudi duæ erant proiectissimæ vitæ mulierculæ, & in scelere obstinatissimæ, quæ videntes in vna harum reliquiarum Magdalenam ad viuum peccata sua deflentem, conuersæ sunt ad meliorem vitam, ac sua etiam peccata planxerunt. His & innumeris alijs miraculis quæ Deus Optimus Maximus per seruum suum operatur, permotus summus Ecclesiæ Pontifex Vrbanus Octauus, litteras remissoriales concessit in ordine ad Beatificationem. Inter ipsas informationes conficiendas accidit quippiam dignum relatu: Religiosus affectu in Venerabilem Patrem non vsque adeo propenso, cum & ipse inter alios interrogatus esset quidnam de illo sentiret? contemptim respondit: *quid ego dicam de P. F. Ioanne?* Vix vltimū verbum protulerat, & ecce penitus obmutuit, ita vt nec vllū verbū, quantumuis conaretur, proferre potuerit. Ex inflicta pœna proprium reatum agnouit, & corde compunctus, supplex veniam à Venerabili Patre popposcit, & obtinuit, solutumque est vinculum linguæ, quam deinde in laudes Ioannis laxauit, cuius honorem Deus zelaret. Iam vero confectis & exhibitis informationibus vitæ & miraculorum eius, vt Beatorum Catalogo inscribatur, ad fidelium consolationem, sacræ reformationis Carmelitice decorem, ad Venerabilis Patris nostri honorem, ad Dei gloriam, præstolamur indies; cui sit semiterna laus & gloria, Amen.

(·.·)

ASCEN-

B.
Joannis
à Cruce

Opera
Mystica
NVI
12°

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



Psalm.

Versiculi sequentes declarant modum ascendendi per semitam ad montem perfectionis et præscribunt monita ne incedatur per duas vias obliquas.

MODVS PERVENIENDI ad totum.

Vt peruenias ad id quod nescis,
ire debes per id quod nescis.
Vt peruenias ad id quod non gustas,
ire debes per id quod non gustas.
Vt peruenias ad id quod non possides
ire debes per id quod non possides.
Vt peruenias ad id quod non es,
ire debes per id quod non es.

MODVS POSSIDENDI totum.

Vt peruenias ad sciendum totum,
nihil in re aliqua scire velis.
Vt peruenias ad gustandum totum,
nihil in re aliqua gustare velis.
Vt peruenias ad possidendum totum,
nihil in re aliqua possidere velis.
Vt peruenias ad hoc vt sis totum,
nihil in re aliqua esse velis.

MODVS NON IMPEDIENdi totum.

Vbi quiescis in aliqua re desinis
proficere te in ipsum totum.
Vt enim ex toto ad totum peruenias
ex toto relinquere debes totum.
Et dū ū ad ipsū totū habendū peruenēris
debes illud habere nihil volendo,
Si eā in ipso toto aliquid habere volueris
in Deo purum thesaurū tuum non habes.

INDICIA QVOD POSSIDEAtur totum.

In hac uiditate inuenit spiritus
quietem et refocillationem.
Cum enim nihil appetit
nihil ipsum sursum fatigat
Nihil ipsum deorsum deprimit
nam in centro humilitatis manet.
Quando enim aliquid aspit
in hoc ipso defatigatur.

ASCENSVS MONTIS CARMELI,

AVCTORE V. P. Fr. IOANNE A CRVCE.

Argumentum.

VNiuersa, quam in hoc Ascensus Montis Carmeli Opere tractaturus sum doctrina, subsequentibus Versibus seu Cantibus comprehenditur: in quibus etiam modus ad montis vsque verticem ascendendi, qui est Perfectionis vitæ spiritualis sublimis status, quem hoc loco Vnionem Animæ cum DEO appellamus, continetur. Et quoniam ea quæ dicturus sum, Cantibus istis velut fundamento inniti debent, placuit eos hîc coniunctim subnectere; vt sic rerum tractandarum medulla seu substantia tota simul pateat, clariusque percipiatur. Licet dum Cantus dilucidabuntur, necesse erit singulos seperatim, & eodem modo Versus explanationi præponere, iuxta quod materia eorumque declaratio postulauerit.

CAN-

B.
Joannis
a Cruce

Opera
Mystica
NVI
124

CANCIONES,

EN QVE CANTA ET ALMA la dichosa ventura que tuuo en passar par la escura Noche dela Fe en desnudes, y purgacion suya ala vnion del Amado.

I.

En vna noche escura,
Con ansias en amores inflammada,
O dichosa ventura,
Sali sin ser notada,
Estando y ami casa sosegada.

II.

A escuras y segura,
Por la secreta escala disfraçada,
O dichosa ventura,
A escuras y encelada,
Estando y ami casa sosegada.

III.

En la noche dichosa,
En secreto que nayde me veja,
Ni yo miraua cosa,
Sin otra luz y guia,
Sino la que en el caroçon ardia.

IV.

Aquesta me guiaua,
Mas cierta que la luz del medio dia,
Adonde me esperaua,
Quien yo bien me sabia,
En parte donde nayde parecia.

CANTVS,

QVIBVS FORTVNATAM sortem celebrat anima, quam per Obscuram Fidei noctem, in nuditate, purgationeq; sua ad Dilecti Vnionem transeundo, consequuta est.

I.

NOCTIS obscuræ tenebris, Amoris
Æstuans flammâ, stimulisque pulsa,
[O bonam sortem nimis & beatam]
Sola prorupi: procul exeuntis
Conscio nullo, sopor altus omnem
Cùm domum tandem placidâ quiete
Composuisset.

II.

Noctis obscuræ tenebris profundis,
Calle securo gradibusque scandens
Prorsus occultis simulata vultum:
[O bonam sortem nimis ac beatam]
Per meras ibam tenebras latenter,
Cum domum totam placida quietis
Somnus haberet.

III.

Nocte felici procul in recessu,
Hic vbi nulli poteram videri,
Hic vbi nullum poteram videre,
Nulla lux, nullus mihi dux præibat,
Præter hanc lucem liquidam, ducemque,
Quæ mei cordis radios vibrando
Arsit in imo.

IV.

Illius lucis radijs vibratis,
Et magis certo facilique ductu,
Quam iubar monstrat media diei,
Iubilans veni properante gressu
Huc vbi notus mihi me manebat:
Huc vbi posset, nisi notus ille,
Nemo videri.

V. O du-

V.

O noche que guiaſte,
O noche amable mas que la alborada,
O noche que juntaſte,
Amado con amada,
Amada en el amado transformada,

VI.

En mi pecho florido,
Que entero para el solo seguardaua,
Alli quedo dormido,
Y yo le regalaua,
Y el ventalle de cedros ayre daua.

VII.

El ayre del al mena,
Quando yo sus cauellos esparcia,
Con su mano serena,
En mi cuello heria,
Y todos mis sentidos suspendia.

VIII.

Quedeme y oluide me,
El rostro recline sobre el amado,
Ceso todo, y dexeme,
Dexando mi cuidado,
Entre las açucenas oluidado.

V.

O ducem noctem sine nocte noctem
Candida Aurorae face gratiorem!
O bonum, quae me thalamis Amati
Sic representas, & Amantem Amato
Fibulis casti socias Amoris:
Non suam posthac, sed Amati: Amantem
Versam in Amatum.

VI.

Florido sponsus meus in cubili
Pectoris casti recubans, quod ipsi
Prorsus integrum studiosa seruo,
Soluit in dulcem sua membra somnum:
In meo [hunc] blandè gremio fouebam,
Atque Cedrorum flabra ventilabant
Leniter auram.

VII.

Concita Aurorae rutilantis Aura
Cum suos flatu nitidos capillos
Sparserat; dextrâ ferijt serenâ
Tunc meum collum, feriendo dulce
Vulnus influxit, penitusque cunctos
Sustulit sensus, & ego stupente
Mente pependi.

VIII.

Sorpta diuino remanens veterno,
Languidos vultus ab amore, supra
Candidam sponsi faciem reclinans:
Nulla res mansit, perière cuncta,
Ipsa cum cunctis quoque me reliqui:
De serensinter speciosa tristes
Lilia curas.

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
NVI
12

PROOEMIVM.

AD declarandam & explicandam hãc Obscuram Noctem, *per quam Anima ad claritatem Diuinam, perfectæ vnionis Amoris Dei (quantum præsentis vitæ status fert) tendens transire debet; requirebatur profectò maius scientiæ experientiæque lumen eô, quod mihi inesse sentio. Tot enim sunt, adeoq; profundæ tenebræ, tot tam spirituales, quàm corporales afflictiones, quas felices Animæ, quæ ad Perfectionis statum anhelant, sustinere solent, vt neque humana sapientia satis sit ad eas percipiendas, nec experientia, ad explicandas. Solus siquidem ille, qui noctem hanc ingressus est, sentire quidem eam poterit, sed nequaquam verbis exprimere. Quamobrem ad aliquid de nocte hac obscurâ pertractãdum, minimè scientiæ experientiæque confidam; vtraq; enim deficere & fallere potest; sed diuinis duntaxat scripturis, quas dum sequimur, haud quaquam aberrare possumus, cum in illis loquatur Spiritus sanctus. Quamuis hoc minimè impediat, quin tam scientiæ, quam experientiæ in hac scriptione adminiculis vtar. Quod si aliqua in re, ob eius intelligentiæ defectum aberrauero; nequaquam mens mea est, à sana doctrina, Sanctaque Matris*

tris Ecclesiæ Catholicæ sensu, discrepare. In huiusmodi quippe euentu, integrè me, non solum eius lumini iussioniquesubmitto & resigno: verum etiam cuiuscunque alterius, qui meliori ratione nixus, hisce de rebus iudicium tulerit.

Ad hanc vero scriptionem, nõ me virium mearum aliqua impulit facultas, quæ nulla est, si rei adeo sublimi arduæque conferatur; sed firma quam in Deum concepi fiducia, eum mihi laturũ opem, vt aliquid proficui depromam: idque ob summam plurium Animarum necessitatem, quæ in incepto virtutis itinere, dum eas Dominus in hac obscura nocte collocare vult, vt per eam ad vnionem diuinam perueniant, minimè vlterius progrediuntur: aliquando quia eam ingredi, aut sese in ea collocari recusant, aliquando verò quia seipsas minimè intelligunt, nec idoneos peritosque duces, qui eas ad summitatem vsque montis perducant, sortiuntur. Quare est res commiseratione digna, videre plures Animas aptitudine naturali, diuinique fauoris auxilijs ad vlterius in via hac progrediendum dotatas (quæ si seipsas vrgere, animosque rem aggredi vellent, sublimem hunc statum attingerent) in infimo cum Deo agendi gradu remanere: eo quod abnuant, vel ignorent, vel certè à vitæ spiritualis initijs deflectere, & auelli non edoceantur. Et cum tandem, tanto eas Deus prosequatur fauore, vt absque conamine proprio, magistriqueinstructione, noctem hanc intrent & pertranseant, eo valdè sero, magnisque cum difficultatibus,

Causa, & motiua quæ ad libros istos conscribendos impulerunt.

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
NVI
12

ac minore merito pertingunt: idq; propterea, quia nequaquam se Deo permiserunt & morigeras exhibuerunt, vt eas in puro certoq; vnionis itinere collocaret. Licet enim exploratum sit, posse Deum, qui eas dirigit, absq; huiusmodi adiumentis, eò illas perducere, nihilo secius, dum eæ ducenti se Deo reluctãtur, minus progrediuntur, nec tãtum meritum acquirunt; quia voluntatẽ suã minimè flectunt, & in hoc ipso amplius patiuntur. Reperiuntur enim Animæ, quæ dum deberent seſe Deo permittere, ac ad ei cooperandum conari, impediunt potius eum indiscretâ imprudentique sua actione, seu exercitatione, vel resistentia: similes hac in re effecti puerulis, quos dum parentes vlnis gestare volunt, reluctantur & plorant, suis ipsi greßibus incedere pertinaciter molientes: sicque nihil itineris conficiunt, aut certe si aliquid conficiunt, erit illud infantium paßibus emensum. Quamobrem ad hoc, vt Animæ nôrint, permittere se à Deo duci, quando eas sua Maiestas ad vlteriora promouere voluerit, tam incipientibus, quam ijs qui iam profecerunt, Deo fauente, documẽta, monitaq; trademus, vt se ipsos intelligere sciant, vel saltem se à Deo duci patiantur. Nonnulli siquidẽ Confessarij & spiritualis vitæ Patres, eò quòd lumine, istarumq; viarum experimẽtis destituti sint, potiùs huiusmodi Animas præpediunt, illisque detrimento sunt, quã adiumẽto: similes facti fabricatoribus Babylonis, qui cũ materiam ædificio aptã porrigere debuissent, aliã multũ ab ea discrepantẽ suppeditabant, eò quòd minimè idioma-

Librorum istorum doctrina tam incipientibus, quàm proficientibus datur.

ma illud perſpectum illis eſſet. Vnde nec quidquam perfectum eſt. Venite igitur, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum; vt non audiat vnuſquiſque vocem proximi ſui &c. Atque ita diuiſit eos Dominus. Quamobrem res eſt prorſus moleſta, & dura, Animam in huiuſmodi euentibus minime ſeipſam intelligere, nec qui eam intelligat, reperiri poſſe. Nam euenire interdū poteſt, quod Deus ſublimiſsima obſcuræ contemplationis ſiccitatiſque viâ animam ducat, & illa ſe deuiâſſe aberraſſeq; arbitretur: dumq; ſic tenebris, tribulationibus, anguſtijs, ac tētationibus diuexatur reperiat, qui ſicut conſolatores illi, Iobo, dicat; Illam melancholiâ laborare, vel ſiccitates illas è naturali complexione proficiſci, poſſeq; hac in re aliquam occultam ſuam malitiam intercedere, propterea q; à Deo hoc modo deſeri: & ſolent confeſtim huiuſmodi homines, Animam illam vel eſſe, vel fuiſſe valde deprauatam, eò quòd talia ſuſtineat, iudicare. Nec deerunt, qui illā in via Dei retrocedere affirment: ſiquidē in rebus diuinis minime eum interiorem guſtum & conſolationem experiatur, quam antea deguſtabat. Hacq; ratione geminant miſeræ Animæ pœnam: accidere quippe poteſt, maximam qua tunc illa premitur afflictionem, ex propriæ miſeriæ notitia proficiſci; videaturque tunc Animæ meridianâ luce clarius, ſe malorum omnium ac peccatorum eſſe refertiſsimā: hanc enim tunc cognitionem illi communicat Deus, in illâ contemplationis Nocte, quē admodùm poſtmodùm dicturi ſumus. Cum verò, qui idem quod illa ſentit, aſſeren-

Gen. 11, 7

Iob 4.

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
NVI
12ª

tem dicentemque, id culpâ suâ euenire, reperit: crescit in immensum Animæ pœna, & angustia fit plusquam mortalis. Nec ista satis sunt huiusmodi Confessarijs: verum ij existimantes, has animarũ afflictiones ex perpetratis criminibus ortum ducere, faciunt eas vniuersam præteritæ vitæ seriem retexere, ac plures generales Confessiones peragere, sicq; eas denuo cruci affigunt, nec intelligunt minime tunc tempus esse istarum rerum, verum relinquendas tunc esse illas animas in purgatione illa, qua Deus eas exercet, consolandasque interim, ac animandas, ad æquanimiter sustinendas afflictiones, quamdiu Deo placitum fuerit: nam antequam Deus aliter res disposuerit, quidqd illæ egerint, & ipsi dixerint nihil prorsus proderit.

Qualiter [illegible] Magistri [illegible]

Hisce itaque de rebus Deo propitio acturi sumus, & quomodo Anima tunc se gerere debeat, & qualiter Confessarius eam dirigere, quibus etiam indicijs seu argumentis dignosci valeat; an illa sit Animæ purgatio: & si est; an sit purgatio sensus, vel spiritus (hæc si quidem est Obscura Nox, de qua locuturi sumus) qua etiam ratione discerni possit, an afflictiones istæ ab humore melancolico, an verò ab aliqua alia sensus vel spiritus imperfectione oriantur. Inuenire quippe est aliquas Animas, quæ existiment, se à Deo hac Obscuræ contemplationis, spiritualisq; purgationis via duci, imò & ipsi earum Confessarij idem arbitrabuntur: & forsan nihil aliud erit, quam aliquid ex dictis iam imperfectionibus. Nec tamen desunt plures Animæ, quæ nullam se orationem exercere putant, & tamen

De quibus rebus in hu libru agendum.

Animarũ orantium status diuersus.

men sublimiter orant: sicut viceuersa multæ, dũ se insigni orationis dono præditas existimant, nihil ferè eius adeptæ sunt. Nonnullæ sunt (quod sine dolore dici nõ potest) quæ multos labores defatigationesque exhauriunt; nihilominus tamen retrocedunt, eò quòd emolumentum profectus sui, non in eo, quod prodest, sed potius in eo, quod obest, constituant: aliæ verò in quiete & tranquillitate proficiunt plurimum. Quædam ipsismet diuinis delectationibus & gratijs, quas à Deo ad vlterius progrediendum recipiunt, sese in hac via irretiunt, & præpediunt. Hoc enim itinere gradientibus, eueniunt plura, quæ iam prouocant ad gaudium, iam afflictiones fiduciam, doloresq; generant: quorum pleraque è Spiritu perfectionis promanant, pleraq; verò ab imperfectionibus ortum ducunt, de quibus omnibus rebus Deo fauente, aliquid in medium adferre conabimur, vt vnusquisque legentium, aliquo modo iter quod carpit animaduertat; & quanam illum tendere expediat, si montis cacumen attingere peroptet, agnoscat.

Et quoniã doctrina hæc est de Obscura Nocte, per quã Anima ad Deũ pergere debet; haud miretur Lector, si illi aliquantũ obscura appareat. Existimo tamẽ, id solũ initio lectionis futurũ: verum si in ea legenda progrediatur, priora clarius eũ percepturũ, vna quippe res, per aliã dilucidatur. Quod si libri lectionẽ repetierit, puto manifestius cuncta intellecturũ, doctrinamq; hãc ei tutiorẽ apparitura. Si verò aliquib. lectio hæc nõ arriserit, in causa est exigua mea scientia, ac scribendi modus abiectus, & vilis: nã scri-

B.
Joannis
à Cruce

Opera
Mystica
NVI
124

ſcriptionis materia ex ſe optima eſt, & apprimè neceſſaria. Arbitror nihilominus, q̃ licet hæc ſublimiori exactioriq; ſtylo tractarẽtur, quã hoc loco nos fecimus, nõ multorũ palato benè ſaperẽt, nec à multis exoptarẽtur. Nõ enim hîc valde moralia, & ſpiritualibus ſapida, quibus perſuauia & iucunda ad Deum ire placet, tradentur; ſed ſubſtãtialis ſolum & ſolida pro vtriſq; doctrina, ſi tamẽ ad ſpiritus nuditatem, de qua hîc agitur, peruenire voluerint. Nec animus meus eſt, hîc paſsim agere cum omnibus; ſed cum quibuſdam noſtræ ſacræ religionis, primitiuis Carmeli montis, tam religioſis, quam monialibus, quorũ precibus ad ſcribendum inductus ſum: quos etiam Deus gratia ſua in montis huius ſemita collocauit; qui cum à temporalibus ſæculi huius rebus denudati ſint, melius doctrinam hanc de ſpiritus nuditate percipient.

Libri iſti pro Carmelitis præſertim Diſcalceatis conſcripti.

LIBER

LIBER PRIMVS
ASCENSVS MONTIS CARMELI,
IN QVO, QVIDNAM SIT OBSCVRA Nox, quamque necessario per eam ad vnionem diuinam sit transeundum, agitur. Et præsertim de Obscura sensus, ac Appetitus Nocte, & quantum ij Animæ detrimentum inferant, pertractatur.

CAPVT I.

Duo Noctium discrimina, per quæ Spirituales, secundum duas hominis partes, superiorem scilicet & inferiorem transeunt, assignat; & primum Cantum proponit, ac dilucidat.

CANCION PRIMERA.

CANTVS PRIMVS.

En vna Noche escura
Con ansias en amores inflamada
O, dichosa ventura:
Sali sin ser notada,
Estando ya mi casa sosegada.

SENSVS.

QVadam Nocte obscura
Amoribus anxijs inflammatâ
O sortem fortunatam
Exiui, nec fui obseruata
Cum esset iam domus mea tranquillata.

HOc primo Cantu, fælicem suam sortem, ac fortunam celebrat anima, quam ob egressionẽ ab omnibus rebus, necnon ab Appetitibus imperfectionibusque sensitiuæ hominis partis, ex ipsius deordinatione à recta ratione, ortis, adepta est.

Ad cuius Cantus intelligentiam sciendum est; ad hoc vt Anima ad Perfectionis statum perueniat, vt plurimum duos præcipuos modos Noctium (quæ à spiritualiũ rerum peritis, Animæ Purgationes, vel purificationes nuncupantur; & nos hoc loco Noctes, idcircò appellamus, quia Anima in vtrisque velut Noctu & in tenebris graditur) illi transeundos esse. Quarum Noctium, seu Purgationum, prima est sensitiuæ partis Animæ, de qua in præsenti Cantu, primaque huius libri parte agitur. Secunda verò est spiritualis partis; de qua in secundo proximè sequenti Cantu tractatur; quam etiam secunda libri parte Actiuè (hoc est, secundùm quod anima ipsa Actiuè seu operatiuè se in hac purgatione gerit) explanabimus: quod enim ad Passiuum modum attinet, id tertia quartaque operis parte præstabimus.

Distributio rerum in istiu libru tractandarũ.

DECLARATIO CANTVS.

ITaque id, quod summatim hoc Cantu Anima innuit est; se (DEO educente) solo amoris ipsius intuitu, eiusque amore flammantem, in quandam Noctem obscuram

Quid sit Nox Obscura sensus.

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
NVI
12a

ſcuram (quæ eſt Priuatio omnium Appetituum ſuorum ſenſitiuorum, in quantum vniuerſas mundi res exteriores reſpiciunt, necnon rerum omnium ſuæ carni acceptabilium, ac etiam voluntatis ſuæ delectationum purificatio) eſſe egreſſam. quæ omnia in hac ſenſus Purgatione perficiuntur: quamobrem etiam dicit; ſe domo ſuâ iam tranquillatâ, quæ eſt ſenſitiua eius pars, exiuiſſe: ſopitis videlicet iam in illa vniuerſis Appetitibus ſuis, & viciſſim ſe quoque illarum reſpectu, iam conſopitâ remanente. Nec enim aliter à pœnis anxietatibuſque Appetituum quiſpiam erui poteſt, antequam mortificentur illi, ſintq; conſopiti. Et hoc innuit, cum dicit, ſe fœlici ſorte potitam, exeundo abſque vllâ notâ, nec à quopiam deprehenſam. Hoc eſt; abſque eo, quod aliquis carnis ſuæ, vel alicuius alterius rei Appetitus, illam à ſuo exitu præpedire potuiſſet, idcirco etiam ſe fortunatam adſtruit, quod noctu exierit; priuando nimirum illam DEVS omnibus Appetitibus, quæ res erat illi noctis inſtar. Hæc itaque fuit ſors eius fortunata, quod DEVS illam in hac Nocte collocârit. Vnde tot in illam bona promanârunt, & in quam minimè illa adeò perfectè ingredi ſciuiſſet: nemo ſiquidem per ſeipſum ſe ab Appetitibus euacuare ac eliberare valet, vt ad vnionem diuinam tendere poſſit. Hæc ſummatim eſt huius Cantus dilucidatio. Nunc quemlibet verſum, ſingillatim, quæ ad inſtitutum noſtrum ſpectabunt proponendo, explanabimus.

CAPVT II.

Quanam ſit Noxiſta Obſcura, per quam ſe Anima ad Vnionem diuinam pertranſiſſe decantat; & quæ ſint ipſius cauſæ, declaratur.

QVADAM NOCTE OBSCVRA.

TRes ob cauſas dicere poſſumus, tranſitum hunc ad Vnionem diuinam, Noctem Obſcuram nuncupari. Prima ex parte termini, à quo Anima recedit, deſumi poteſt: debet enim expoliari priuatiq; Anima Appetitu guſtus, ſeu delectationis omnium mundi rerum, quas poſſidebat; quod per earum abnegationem fieri debet. quæ res eſt noctis inſtar omnibus Appetitibus, ſenſibuſq; humanis. Secunda huius appellationis cauſa, ex parte modi ſeu viæ, quâ Anima ad hanc vnionem proficiſci debet, petenda eſt; quæ via eſt fides, intellectui humano noctis inſtar obſcura. Tertia cauſa à termino, ſeu ſcopo ad quem tendit, id eſt, à DEO ipſo deſumenda eſt: qui cum incomprehenſibilis ſit, & in immenſum cuncta excedat, poteſt in hoc mortalis vitæ ſtatu, Animæ Nox Obſcura appellari. Per has igitur tres Noctes tranſeundum eſt Animæ ad diuinâ vnionem aſpiranti. Harum Noctium figura fuerunt, tres illæ noctes, de quibus in Tobiæ libro legimus, quas Angelus tranſeundas Tobiæ iuniori mandauit, antequam ſponſæ copularetur. *Tu autem cum acceperis eam, ingreſſus cubiculum per tres dies continens eſto ab ea.* Tob. 6. 19.

Per tres Noctes Anima tranſit. eundã ad Diuinam Vnionem.

Prima nocte præcepit ei, Piſcis iecur igne cõburere, quod cor affectibus obnoxium, rebuſq; mundanis affixũ repræſentat; quod ad hoc, vt iter in DEVM auſpicari poſſit, cõburendum repurgãdumq; eſt diuini Amoris igne, ab omnium creaturarum affectionibus. Quâ in purgatione effugatur Dæmon, qui dominatum in Animas, delectamentis temporanearum & corporearum rerum affixas exercet.

Secunda nocte, ad ſanctorum Patriarcharum conſortium, qui ſunt Patres fidei, admittendum fore dixit Angelus. Primâ ſiquidem nocte; quæ eſt omnium obiectorum, quæ ſubijciuntur ſenſibus, priuatio, tranſactâ, confeſtim in ſecundam noctem ingreditur Anima, ſola remanendo in fide nudâ, directioni gubernatio-

tionique eius solius subiecta. fides enim sub nullum cadit sensum.

Tertiâ vero nocte, prædixit Tobiæ Angelus, eum benedictionem (quæ est DEVS) consecuturum, qui secundâ nocte, quæ est fides, intercedente, adeò intimè occulteque communicatur Animæ, vt quamdiu communicatio hæc fit, DEVS sit Animæ obscurior Nox cæteris duabus, quemadmodum iam exposituri sumus. Hâc verò tertiâ nocte transactâ; videlicet cum hæc DEI communicatio in spiritu iam perficitur; quod vt plurimum fit, manente in maximis tenebris Animâ, continuò sequitur vnio cum sponsâ, quæ est DEI sapientia. Quemadmodum etiam Angelus Tobiæ nunciârat: eum nocte tertiâ euolatâ, sponsæ in timore Domini copulandum: qui DEI timor, cum perfectum sui statum adeptus est, amorem quoque DEI includit, quod accidit, cum transformatio Animæ in DEVM perficitur, amore. Quæ omnia vt liquidius constent, de quacunque istarum causarum, singillatim agemus. Animaduertendum tamen est; tres dictas noctes, vnam solam noctem esse, in tres partes distributam. Prima enim quæ est sensus, confertur primæ parti noctis naturalis; cum nimirum omne visibile obiectum visui subtrahitur. Secunda, quæ est fidei, mediæ nocti comparatur, quæ omninò obscura est. Tertia tandem nox, quæ est DEVS, vltimæ noctis parti seu auroræ similis est, cui immediatè solis lumen succedit.

Tres noctes, vna nox.

CAPVT III.

De prima noctis huius causa, priuatione videlicet Appetitus in rebus omnibus Tractationem incipit.

Priuatio Appetitus hoc dicitur.

APpellamus hoc loco, Noctem, Priuationem gustuum, seu delectamentorum Appetitus, respectu rerum omnium. Sicut enim nox nihil aliud est, quàm lucis priuatio: & consequenter obiectorum omnium, quæ illâ interueniente videri possunt. quam etiam ob causam, visiua facultas remanet in tenebris, nilque operatur: eodem prorsus modo mortificatio Appetitus, nox Animæ dici potest. Dum enim ipsa gustibus Appetitus, in rebus omnibus sese spoliat; idem ei est, ac in tenebris, atque absque vlla re, remanere. Sicut enim visiua potentia, mediante luce nutritur, ac in varijs obiectis visibilibus pastum inuenit; deficiente verò luce, hæc quoque cessare necesse est; ad eundem modum Anima, mediante appetitu nutritur, & quasi pascitur vniuersis rebus, quas medijs potentijs suis delibare potest. Mortificato verò Appetitu, non ampliùs Anima recreatur vel reficitur gustu, seu sapore omnium rerum; remanetque hac ratione secundùm Appetitum in obscuritate, & sine aliqua re.

Exemplis res hæc declaratur.

Exẽplis omnium potentiarũ, rem hanc illustremus. Dum Anima priuat Appetitũ suum vniuersis illis, quæ sensui Auditus aliquam delectationem adferre possunt; respectu huius potentiæ, remanet Anima in tenebris, & omni re destituta. Simili modo abnegans gustum omnium earum rerum, quæ sensui visus possunt esse iucundæ; secundùm hanc quoque potentiam remanet Anima in tenebris & sine vlla re. Et idem affirmari de cæteris sensibus potest. Ita vt Anima quæ abnegauerit repudiaueritque gustus seu delectamenta rerum omnium, per mortificationem Appetitus in illis, dici poterit, quasi in Noctis obscuritate versari, quæ nihil aliud est, quàm vacuum quoddam, seu exinanitio illius, respectu cunctarum rerum. Cuius rei ratio seu causa est: nam vt Philosophi asserunt, statim ac DEVS Animam corpori infundit, est illa velut quædam tabula rasa, in qua nihil prorsus depictum, reperitur: & nisi sensuum ministerio ali-

Cur priuatio Appetitus nox dicatur?

B. Joannis a Cruce Opera mystica NVI 12°

quam rerum notitiam adipiscatur, aliunde (loquendo secundum naturæ cursum) nihil illi communicatur. Hinc est, quòd quamdiu in corpore moratur, est illius instar, qui tenebroso ergastulo includitur, qui nullius alterius rei notitiam assequi potest, eâ demptâ quam per carceris fenestras acquirit; & nisi inde aliquid cerneret, aliunde omninò nihil conspicere valeret. Ad eundem modum Anima, exceptis ijs, quæ illi sensuum præsidio instillantur, qui sunt veluti carceris eius fenestræ secundum naturæ ordinem, nihil aliunde assequitur. Vnde si ea, quæ sensuum obsequio recipere potest, aspernetur & respuat; rectè dicemus, illam veluti in tenebris & vacuam remanere: nam, vt ex dictis constat, naturaliter alijs foraminibus seu rimis nulla ad eam lux ingredi potest. Licet enim certum sit, non posse Animam, non audire, videre, odorari, gustare ac tangere, sed si illa abnegat, ac repudiat, tantundem illi est, adeoque nihil ferè hisce sensationibus præpeditur, ac si nihil videret, vel audiret. Quemadmodum eueniret illi, qui ex industria obseraret oculos, adeò enim in tenebris remaneret ac cæcus ipse, videndi facultate destitutus. Ad hoc institutum locutus est Dauid dicens: *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea.* Pauperem se nominat, quamuis diuitem eum fuisse exploratum sit: non enim opibus voluntate adhæserat, quare perinde illi erat, ac si reuerà pauper fuisset. Quin potius si egenus reuerà fuisset, voluntatis tamen affectu diuitijs inhiâsset; minimè verè pauper extitisset, eò quòd anima dives fuisset, & rebus mediante Appetitu, abundans. Et propterea nuditatem hanc Animæ, Noctem appellamus. Nequaquam enim hoc loco de rerum ipsarum carentia agimus; hæc siquidem minimè denudat Animam, si illas appetit: sed de nuditate solùm Appetitus ac gustus illarum; hæc enim efficit, Animam liberam ac vacuam, licet rerum possessio minime abdicetur: neque enim res mundi huius occupant Animã, neque illi detrimentum aliquod inferunt, cùm illam minimè ingrediantur; sed enim voluntas Appetitusque illarum, qui in ea moram trahunt, illi non mediocriter obsunt. Hic primus Noctis modus, ad Animam secundum sensitiuam partem pertinet. Nunc quantum illi expediat domo sua, in hac Obscura sensus Nocte egredi, si ad vnionem diuinam aspiret, doceamus.

Nihil ad Noctis huius ingressum abest sensuũ vsus, si Appetitus adhæsio absit.

Ps. 87. 16.

CAPVT IV.

Quam necessarium sit Animæ, Noctem hanc sensus obscuram, quæ est Appetitus mortificatio, serio transmeare, vt ad vnionem diuinam possit proficisci.

CAusa, ob quam necesse est, Animæ ad diuinam vnionem cum DEO aspiranti, hanc Obscuram Noctem mortificationis Appetituum, atque abnegationis delectationis omnium rerum peruadere est; quia omnes Amoris adhæsiones, quibus in Creaturas fertur, sunt coram DEO veluti meræ tenebræ; quibus quamdiu Anima est vestita, in capax est, vt illustretur ac possideatur à pura simplicique DEI luce, nisi prius illas dispulerit ac eliminauerit. Non enim potest conuenire lux cum tenebris, dicente S. Ioanne, *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Cuius rei ratio est: nam duo contraria, sicut Philosophis placet, non possunt in eodem subiecto consistere, & quia tenebræ, quæ sunt creatarum rerum adhæsiones, & lux, quæ est DEVS, sunt contraria & dissimilia, vt ad Corinthios docuit S. Paulus. *Quæ societas luci ad tenebras?* hinc est, quod non potest Anima diuinæ vnionis lucem recipere, antequam adhæsiones amo-

Cur sensus Nox, ad vnionẽ diuinã aspiranti transeunda.

Si Appetitus creaturis adhæreat, tenebras effundit Animæ. Ioan. 1.

2. Cor. 6. 15.

amoresque eius erga creaturas effugentur. Vt autem clariùs hucusq; dicta consistent, sciendum est; Amorem adhæsionemque Animæ erga creaturas, coæquare ipsam Animam creaturæ; quoque maior ac intensior est amor, eò maior æqualitas ac similitudo resultat: amor siquidem similitudinem inter amantem & amatum parit, & propterea dixit Dauid, loquendo cum illis, qui corda sua idolorum amori immerserant. *Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis*: hoc est, qui amore illas prosequuntur. Hinc prouenit, quòd qui alicui creaturæ amore copulatur, adeò v lis abiectusque efficitur, ac est creatura illa, imò aliqua ratione abiectior & inferior: amor enim, non æquat solùm, verùm etiam subdit ac subijcit amantem rei amatæ. Hinc est, quòd eo ipso, quòd Anima alicui rei extra DEVM amoris nexu inhæret; incapacem se puræ cum DEO vnionis, ac in eum transformationis, reddat. Multo enim minus capax est vilitas rei creatæ, sublimitatis creatoris, quàm tenebræ lucis. Vniuersa enim tàm terrena, quàm cœlestia, collata DEO nihil sunt; quemadmodum Hieremias dixit. *Aspexi terram, & vacua erat, & nihil: & cœlos, & non erat lux in eis.* In eo quod asserit, se terram vacuam vidisse, innuit; vniuersas eius creaturas nihil esse, terram quoque ipsam nihil esse. In eo verò quòd dicit; se cœlos quoque aspexisse, nec lucem in illis vidisse, perinde est ac si dixisset; vniuersa cœli lumina DEO comparata, puras merasque esse tenebras. Hoc itaque modo spectatæ, creaturæ vniuersæ, nihil sunt; & illarum Amores, seu adhæsiones, minus esse quàm nihil, cum sint obstacula & Priuationes quædam transformationis in DEVM, optimè affirmare possumus: quemadmodum tenebræ nihil sunt, & minus quàm nihil, cum sint priuatio lucis. Et sicut ille, qui in tenebris manet; minimè lucem recipit aut comprehendit, ita non poterit comprehendere DEVM Anima, creaturis per amorem affixa, à quo amore priusquam repurgetur, nec in præsenti vita potietur illo per puram Amoris transformationem, nec in futura, per visionem claram, sed maioris claritatis gratia, descendamus ad singularia.

Anima creaturarũ nihilo, amore cõglutinata, nihil efficitur.

Itaque vniuersarum rerum creatarum essentia seu quidditas, infinitæ essentiæ diuinæ collata, nihil est. Et propterea Anima, quæ nihilo huic agglutinatur amore, nihil quoque coram DEO est, & minus quàm nihil: siquidem, vt dictum est; Amor æqualitatem similitudinemque facit, imò in inferiori adhuc gradu collocat amantem. Nulla itaque ratione, huiusmodi Anima infinitæ DEI essentiæ copulari poterit: id enim quod non est, nullo pacto potest congruere aut conuenire cum eo, quod est. Et vniuersa creata pulchritudo, infinitæ DEI pulchritudini collata, summa est turpitudo; sicut docuit Salomon in Prouerbijs. *Fallax gratia & vana est pulchritudo.* Sicque Anima, quæ cuiuscunque tandem creaturæ pulchritudine capta est, coram DEO ex hac parte deformis apparet; & propterea nõ poterit hæc Anima in pulchritudinem, quæ DEVS est transformari, quia turpitudo non attingit pulchritudinem. Præterea vniuersa gratiositas seu amabilitas Creaturarum, DEI gratiositati comparata, summa est insipiditas & ineptitudo. Et idcirco Anima, quæ Creaturarum gratijs, salibus, aptitudinibusque capta est, coram DEO insulsa & ingrata est, hocque modo non potest esse apta & capax infinitæ gratiæ, & pulchritudinis DEI, ingratum enim & ineptum plurimùm ab eo quòd infinitè gratum & amabile est, distat.

Pro. 31. 30

Vniuersa quoq; creaturarũ bonitas immẽsæ DEI bonitati collata, potius malitia

B. Joannis à Cruce
Opera mystica
TOM II
128

Nemo bonus, nisi solus Deus. Luc. 18. 19

quàm bonitas dicenda est. *Solus* quippe *DEVS bonus est.* Et ideo Anima, quæ amorem suum in creatis bonis collocat, mala est coram DEO. Et sicut malitia, non conuenit cum bonitate: sic talis Animæ, nequibit adhærere DEO vnione perfectâ, qui est bonitas summa.

Omnis etiam mundi sapientia, & humana capacitas, si cum infinita sapientia diuina conferatur, est mera ac summa ignorantia; iuxta illud quod D. Paulus ad Corinthios scribit. *Sapientia huius mundi stultitia est apud DEVM.* Vnde quæuis Anima, quæ reputauerit sapientiam, idoneitatemque suam, quasi ad tendendum ad DEI vnionem sufficientem, est summopere stulta coram eo, longeque ab vnione deuiabit: ignorantia enim non capit sapientiam. Et illi qui se existimant aliquid scire, coram DEO stulti reputantur; de quibus idem Apostolus loquitur. *Dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt.* Soli itaque illi percipiunt DEI sapientiam, qui paruulorum & ignorantium instar, scire suum deponunt, & abijciunt, ac illi ex amore obsequuntur. Quem etiam sapientiæ modum docuit Apostolus dum dixit: *Nemo se seducat &c. Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, vt sit sapiens: sapientia enim huius mundi stultitia est apud DEVM.* Itaque ad hoc, vt Anima sapientiæ diuinæ vnionem assequatur, potius eo tendere debet per ignorantiam, quàm per scientiam.

1. Cor. 13. 19.

Rom. 1. 22

1. Cor. 13. 18.

Omnis præterea dominatio, ac mundi libertas, dominationi libertatique Spiritus DEI comparata, summa est seruitus ac captiuitas, & angustiæ immensæ. Quare Anima, quæ dignitatibus, honoribus, præeminentijs ac Appetitus sui libertatibus inhiat, apud DEVM non velut liber & dilectus filius, sed sicut vilis, abiectaque persona, ac passionum & appetituum suorum mancipium vile, reputatur, & velut cum tali DEVS se cum ea geret; idque propterea, quia sanctæ eius doctrinæ acquiescere recusauit, quâ docuit; eum qui maior esse voluerit, minorem esse debere. Ideoque non poterit huiusmodi Anima ad regiam spiritus libertatem, quæ in hac vnione diuina obtinetur, peruenire: seruitus siquidem omninò libertati repugnat, quæ in corde passionibus suis mancipato, moram trahere non valet, cum huiusmodi cor sit captiuum; sed solum in libero, quod est cor filij. Hanc ob rem Sara viro suo Abraham dixit, vt foras domo sua eijceret ancillam, eiusque filium dicens: *Eijce ancillam hanc, & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ, cum filio meo Isaac.* Gen. 21. 10.

Vniuersæ quoq; deliciæ suauitatesque, quas voluntas ex omnibus mundi rebus decerpere potest, delicijs ac voluptatibus, quæ sunt ipsemet DEVS, collatæ, summa sunt pœna, tormentum, & amaritudo. Qui ergo cor suum illis immergit; apud DEVM dignus pœnis, tormentis, amaritudinibusque reputatur, nec poterit delicias amplexuum DEI, qui in vnione percipiuntur, degustare.

Omnes opulentiæ ac creatarum rerum gloria, diuitijs, quæ sunt ipse DEVS, comparatæ, summa sunt paupertas, ac miseria, ac sic Anima, quæ maximè istarum rerum possessionem diligit, summè est pauper ac miserabilis coram DEO, ideoque haud poterit fœlicem diuitiarum & gloriæ statum, qui est transformatio in DEVM, adipisci: latissimum enim discrimen inter summam miseriam egestatemque, ac inter supremam gloriam & diuitias intercedit.

Quam ob causam diuina Sapientia, de huiusmodi hominibus, qui seipsos turpes, viles, miserabilesque reddunt, amando ea, quæ pulchra, sublimia, ac opulenta mundus iudicat, conquerens hunc in modum

Prou.1.4 modum contra eos exclamat. *O viri, ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum. Intelligite paruuli astutiam, & insipientes animaduertite; audite, quoniam de rebus magnis locutura sum. Mecum sunt diuitiæ & gloria, opes superbæ, & iustitia. Melior est enim fructus meus auro & lapide pretioso, & genimina mea.* (hoc est, ea, quæ ex me in vestris animabus generabitis) *argento electo. In vijs iustitiæ ambulo, in medio semitarum iudicij, vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.* His verbis æterna Sapientia alloquitur eos omnes, qui cor suum & amorem quibuscunq; mundi rebus applicant, vt iam dictum est; quos etiam paruulos appellat; similes etiam amatis rebus efficiuntur, quæ sunt exiguæ. Et idcirco eos admonet, vt intelligant astutiam; & vt animaduertant, quoniam de rebus magnis locutura est, non de exiguis, sicut ipsi sunt, Diuitias enim grandes, & gloriam quam ipsi expetunt, cum ipsa & in ipsa, non verò vbi ipsi arbitrantur, reperiri. Opes quoque superbas & iustitiam, in ipsa sedem fixisse. Licet enim illis mundanæ res grandes appareant; animaduertant tamen, (inquit) suas esse præstantiores. Fructus enim, quem in ipsa reperturi sunt, meliores illis futuros auro, lapidibusque preciosis; idque quod ipsa Animabus ingenerat, nobilius esse argento electo, quod ipsi diligunt. Quibus etiam in rebus, omnis alia affectio seu amor, qui in hac vita haberi potest, intelligitur.

(c.)

CAPVT V.

Eandem prosequitur doctrinam, ac authoritatibus figurisq; sacræ Scripturæ declarat, quàm necessarium sit Animæ, hac obscura Mortificationis Appetitus nocte, in DEVM tendere.

EXposuimus iam, quantum sit inter DEVM Creaturasque interstitium; & quemadmodum Animæ, quæ alicui illarum afficiuntur, eandem quam illæ à DEO distantiam habent: Amor enim (vt diximus) æqualitatem similitudinemque facit. Rem hanc optimè exploratam habuit S. Augustinus, dum in Soliloquijs alloquens DEVM diceret. *Miser ego, quando poterit obliquitas mea tua rectitudini adaquari? Tu verè bonus, ego malus: tu pius, ego impius: tu sanctus, ego miser: tu iustus, ego iniustus: tu lux, ego cæcus: tu vita, ego mortuus: tu medicina, ego æger: tu summa veritas, ego vniuersa vanitas.* Hæc Sanctus de homine, ad Creaturas propenso protulit. Soliloq. c. 2.

Quamobrem summa est Animæ stultitia, quæ posse se ad sublimem vnionis cum DEO statum euolare arbitratur, nisi prius Appetitum naturalium, imò etiam supernaturalium rerum, secundum quod proprio amori innixæ sunt, exuat & euacuet: immensa enim differentia seu distantia inter hæc, & ea, quæ in hoc puræ in DEVM transformationis statu concedũtur, reperitur. Et propterea CHRISTVS DOMINVS NOSTER, hanc nos edocens viam apud S. Lucam dixit. *Qui non renunciat omnibus quæ (voluntatis adhæsione) possidet; non potest meus esse discipulus.* Estque res hæc extra dubium omne: doctrina enim quam DEI FILIVS mundo traditurus aduenit, contemptus fuit rerũ om- *Summa Animæ stultitia quæ* Luc. 14. 33.

B. Joannis à Cruce Opera mystica

omnium, vt hoc modo spiritus DEI precium recipere posset. Quamdiu enim Anima illis sese non expoliat, incapax est receptionis DEI Spiritus, in transformatione pura.

Quamdiu anima amore Creaturarum sese nõ expoliat, est incapax receptionis Spiritus DEI in transformatione. Exodi 16.3

Rei huius figuram libro Exodi expressam habemus, vbi legimus, DEVM cœlestem cibum qui erat Manna, *Ecce ego pluam vobis panes de cœlo*, Filijs Israel minimè dedisse, donec farina, quam ex Ægypto tulerant, defecisset. Quo facto innuere voluit, necesse esse priùs, vniuersis rebus nuncium remittere: cibus enim hic Angelicus, nequaquam palato, qui gustus escarum humanarum admittit, conceditur. Nec solum se inhabilem spiritui diuino reddit Anima, quæ peregrinis gustibus inhiat pasciturque: verum etiam non leuiter ad indignationem DEVM prouocant illi, qui spiritus escas appetentes, minimè solo DEO contenti sunt, sed etiam Appetitum, aliarumque rerum amorem illi admiscere volunt. Quod etiam in eisdem sacris literis videre est, in quibus legitur. *Quis dabit nobis ad vescendum carnes?* quod cùm illis minimè cibus ille adeò simplex satisfaceret, expetierint carnium esum; Dominumque nostrum grauiter iratum fuisse, eò quod cibum adeò vilem & crassum, cibo adeò sublimi simpliciq; intermiscere voluissent, qui licet in se simplex esset, omnium tamen ciborum sapores in se continebat. Quapropter, dum adhuc escæ eorum essent in ore ipsorum, descendit, sicut dicit Dauid, ira DEI supereos, igne de cœlo dejecto, qui plura eorum millia combussit. *Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos, & occidit pingues eorum, & electos Israel impediuit.* Indignum quippe videbatur, alicuius alterius cibi Appetitum, illos admittere, cœlesti pane concesso.

Ad indignationem prouocant DEVM, qui solo DEO non sunt contenti. Num. 11. 4.3.

Quanta

O si spirituales nossent ac intelligerent, quibus se bonis priuant, quantamq; Spiritus copiam amittunt eò quod non finiunt Appetitum suum à puerilibus ineptijs auellere & abstrahere; & quomodo in isto simplici cibo spiritus, omnium rerum sapores affatim reperirent, si ab omnibus alijs gustibus abstinere vellẽt: quod quia facere recusant, minimè spiritualis cibi delicias percipiunt. Hæc enim causa fuit, cur Hebræi omnium rerum sapores, qui Mannâ illo continebantur, non experirentur: quia nimirum, non applicabant illi soli, suum Appetitum. Non itaque hæc causa fuit, cur non sentirent illi rerum omnium sapores ac robur, quod optare potuissent in Manna illo, quia Manna eo careret; sed ideò quia ipsi aliquid aliud appetebant. Qui aliquid aliud simul cum DEO amare intendit; dubiò procul parui DEVM facit: siquidem in vna eademque statera illud, vnà cum DEO collocat, quod in immensum ab eo distat; vt iam dictum est. Experientiâ enim manifestâ compertum est, humanam voluntatem, cùm alicui rei afficitur, eam pluris facere, cæteris omnibus; licet illæ præstãtiores melioresque sint re illa dilectâ, si tantundem dulcedinis in alijs non experitur. Quod si æqualiter amet, vel delectetur vtrisque, necessariò præiudicium præstantiori rei facit, ob æqualitatem iniustam, quam inter eas constituit. Cùm itaq; nulla res DEO æquiparari possit: grauem illi iniuriam infert Anima, quæ aliquid aliud præter illum amat, aut ei affectu inhæret. Quod si hæc ita se habent, quid esset obsecro, si rem illam plus ipso DEO diligeret. Hoc ipsum etiam eodem Exodi libro significabatur, cùm DEVS mandauit Moysi, montem vt ascenderet, se allocuturus; cui etiam præcepit, vt non modò ipse solus ascenderet, filijs Israël ad montis radicem relictis; sed etiam, ne vel in montis conspectu pecora iumentaque pascerentur. *Stabisq; mecum super*

ineurrant detrimẽta, qui Appetitum à Creaturis perfectè nõ diuellunt.

Qui aliquid simul cum DEO amare vult, parui facit DEVM. & quare

super verticem montis, nullus ascendat tecum, nec videatur quispiam per totum montem : boues quoque & oues non pascantur è contra. Docens hoc facto; Animam quæ montem perfectionis ad agendum cum Deo cõscensura sit, non solùm debere vniuersas res repudiare, verum etiam non debere pati Appetitus suos, qui sunt velut bestiæ, in montis conspectu capere cibos: hoc est, alijs rebus, quæ non sunt purè DEVS oblectari, in quo (id est DEO) perfectionis statu adepto, omnis Appetitus cessat & quiescit. Quare necesse est, vt hoc iter & ascensus, nihil aliud sit, quàm continua sollicitudo refrenandi seu abnegandi hos Appetitus. Tantoque citiùs & expeditiùs perueniet Anima ad perfectionis montem, quantò diligentiùs & feruentiùs rei huic incubuerit. Verum antequam cessent mortificenturque Appetitus, nullo pacto illuc perueniet, quantumuis in virtutibus sese exerceat: deest enim illi perfecta earum assecutio; quæ in eo sita est, vt Anima sit ab omni Appetitu denudata, vacua & repurgata.

Huius quoque rei viuam habemus figurã in libro Geneseos, vbi legimus; quod cum Patriarcha Iacob Montem Bethel subire cuperet, ibique DEO altare, in quo sacrificium illi offerret, erigere; prius omnibus suis tria præstare mandauit. Primò, vt vniuersa idola prorsus abijcerent. Secundò, vt sese purificarent. Tertiò, vt vestimenta sua mutarent. *Iacob verò conuocata omni domo sua ait: Abijcite Deos alienos qui in medio vestri sunt, & mundamini, ac mutate vestimenta vestra.* Quibus rebus eruditur; Animam quæ montem hunc Perfectionis conscendere, seque ipsam in eo in altare, in quo DEO sacrificium puri amoris, laudis, ac reuerentiæ offeratur, erigere voluerit, priusquam verticem montis attingat, tria superiùs descripta, perfectè præstare debere. Primo loco, omnes Deos peregrinos procul à se remouere debet, qui sunt vniuersi peregrini amores, & adhæsiones. Secundò repurgare reliquias, siue maculas, quas huiusmodi amores seu Appetitus in Anima reliquerunt, idque obscurâ sensus Nocte (de qua sumus locuti) abnegando scilicet illos, discretéque de admissis illis pœnitendo, perficiat. Tertiò demum, vt ad sublimem montem hunc euehatur, vestimenta mutet, necesse est. Quæ profectò medijs primis duabus operationibus, ipse DEVS ex vetustis in noua permutabit; collocando Animam in nouo quodam modo intelligendi DEVM in DEO, abiecto ac relicto, pristino intelligendi modo humano, nouum quoque DEVM in DEO amandi modum conferet, denudatâ iam voluntate omnibus suis pristinis affectionibus, amoribus ac delectamentis humanis, hocque modo reponendo Animam in quadam nouâ notitiâ, abyssalibusque delicijs, profligatis iam procul alijs notitijs, ac imaginibus antiquis; faciendo demum cessare, omne illud quod est hominis antiqui, omnem videlicet habilitatem, aptitudinemque esse naturalis, illamq; induendo noua, & supernaturali habilitate, secundum omnes eius potentias. Ita vt omnis eius humana operatio, versa sit in diuinam, quæ res, in vnionis statu obtinetur: in quo ad nihil aliud deseruit Anima, nisi vt sit altare in quo DEVS per sacrificium laudis & amoris adoratur, soluseque in ea DEVS commoratur. Et propterea iubebat ipse, vt altare, in quo sacrificia offerenda erant, intus vacuum inaneque esset: *Non solidum, sed inane, & cauum intrinsecus facies illud*, vt Anima intelligat quam vacuam illam ab omnibus rebus cupiat DEVS, vt dignum esse altare *Exod. 27. 8.*

B. Joannis à Cruce
Opera mystica
NVII
12

possit, in quo Maiestas sua commoretur. Prohibebat etiam DEVS, proculque arcebat ab altari suo alienum ignem, nec proprium vnquam abesse iubebat: adeo vt quoniam Nadab & Abiu filij summi Sacerdotis Aaron, alienum ignem altari suo intulerant, iratus ipse, continuo illos ante ipsum altare, interemerit. *Arreptisque Nadab, & Abiu filij Aaron thuribulis posuerunt ignem & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat. Egressusque igniu à Domino deuorauit eos, & mortui sunt coram Domino.* vt hinc intelligamus, neque abesse debere ab Anima Amorem diuinum, vt esse possit dignum altare, neque alienum illi amoris ignem esse permiscendum, Deo quicquam aliud vna secum morari non consentienti. Quare primo Regum libro legimus, quod cum Philistæi testamenti Arcam templo DEI sui intulissent, apparuit quotidie mane idolum solo stratum, ac vltimo in frusta comminutum. Illum solum Appetitum admittit DEVS, secumque commorari sinit, qui ad perfectam legis diuinæ obseruantiam, Crucisque CHRISTI tolerantiam, animum flectit. Vnde non legimus in sacris litteris, aliquid aliud præcepisse DEVM in Arca, in qua Manna continebatur reponi, quam legis librum: *Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri.* & Mosis Virgam, quæ figuram crucis præferebat: *Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonij.* Nam Anima, quæ nihil aliud ambiet quam perfectè legem Domini obseruare, Crucemque Christi tollere: erit vera Arca, quæ in se verum Manna, quod est ipsemet DEVS, continebit.

Leuit. 10. 1.

2. Reg. 5. 2.

Exod. 16. 33.

Deut. 31. 26.

Num. 17. 10.

CAPVT VI.

In quo duo præcipua detrimenta, quæ Appetitus Animæ inferant; Priuatiuum vnum, Positiuum alterum exponuntur, sacrarumque literarum authoritatibus, comprobantur.

VT autem manifestius, copiosiusque dicta percipiãtur, expedit hoc loco declarare, quo pacto Appetitus isti, duo præcipua detrimenta inferunt Animæ. Vnum est, quia eam diuino spiritu priuant: aliud verò, quia Animam in qua illi vigẽt, defatigant, torquent, obscurant, fœdant, ac debilitant, iuxta quod Ieremias dixit. *Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Duo hæc mala, vnico appetitus actu, in Animam inuehuntur. Manifestum quippe est; quòd eo ipso, quòd Anima alicui rei creatæ afficitur, quò Appetitus seu affectus ille profundiores in Animam radices miserit, plusque entitatis habuerit; eo minus illi capacitatis respectu DEI remansurum: Nam sicut capite quarto docuimus, duo contraria in vno subiecto consistere nequeunt. Amor autem DEI, & creaturæ, contraria sunt, nec simul cohærere possunt. Quæ enim comparatio esse potest creaturæ cum creatore; sensibus subiectæ rei, cum spirituali; visibilis cum inuisibili; temporaneæ cum æterna; cibi cælestis puri ac spiritualis cum cibo sensus purè sensibili; nuditatis Christi cum adhæsione alicuius rei? Quare sicut in naturali generatione, non potest vna introduci forma, antequam expellatur prius à subiecto contraria, præcedens, quæ quamdiu ibi reperitur, aliam impedit, ob mutuam

Appetitus Animam Diuino priuant spiritu.

Eam de fatigant, torquent, obscurant, fœdant ac debilitãt. Iere. 2. 13.

Duo hæc mala vnico Appetitus actu incurrunt.

mutuam illorum contrarietatem: Eodem modo, inquantum Anima spiritui sensibili & animali sese subdit, non potest spiritus purè spiritualis illam ingredi. Ideo enim Saluator noster apud S. Matthæum dixit. *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Et alibi. *Nolite dare sanctum canibus.* Quibus in locis, confert Dominus noster illos qui abnegatis, & repudiatis omnibus creaturarum Appetitibus sese ad suscipiendū purè DEI spiritum, disponunt; filijs: eos verò, qui Appetitus suos in creaturis pascunt, canibus. filijs enim Patris mensæ assistere, cibumque in ea ex eadem lance sumere permittitur, quod nihil aliud est, quàm suo spiritu pasci. Canibus verò, micæ solum, quæ de mensa cadunt, conceduntur. Quâ in re sciendum est; vniuersas creaturas micas seu fragmenta quædam esse, quæ ex mensa DEI ceciderunt. Vnde meritò canis appellatur, qui creaturis pascitur: ideoq; auferturillis filiorum panis, eò quòd nolint sese à creaturarum micis erigere, ac ad mensam spiritus increati Patris sui, aspirare. Et propterea merito canum instar, semper patiuntur famem: micæ enim potius prouocant Appetitum, quam satiant famem. Et de huiusmodi loquitur Dauid: *Famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem; si verò nō fuerint saturati, murmurabunt.* Hoc enim est illorum proprium, qui appetitibus indulgent, vt semper sint insipidi, & minimè satisfacti ad similitudinem eius, qui famem patitur. Quæ igitur comparatio esse potest famis seu inediæ, quam excitant creaturæ omnes, cum satietate, quæ ex spiritu DEI promanat? Propterea nequit hæc diuina satietas, animam subire, antequam eliminetur ex ea hæc Appetitus fames, siquidē vt dictū est, non possunt duo cōtraria eidem subiecto inesse, sicut sunt fames & satietas. Ex dictis apparet; maius quodammodo laboriosius opus esse, quod DEVS, mundando purificandoq; vnā ex Animabus istis ab huiusmodi contrarietatibus, efficit, quàm in creanda illa ex nihilo. Nā huiusmodi Appetituum affectionumq; cōtrarietates, videntur plus impedire DEVM, quam ipsum nihil: hoc enim Maiestati suæ non repugnat; Appetitus verò creaturæ, renititur. Et hæc nunc satis sint, quātum ad primū præcipuumq; detrimentum attinet, quod Appetitus Animæ inferunt; nēpe spiritui DEI repugnare, sicut supra multis ostendimus.

Maius opus efficit Deus expurgando animam, quā creādo eam ex nihilo.

Loquamur iam de altero effectu, detrimento videlicet Positiuo, quod Appetitus in Anima producunt: quod est multiplex: Appetitus siquidem defatigant Animam, Affligunt, Obtenebrant, Maculant, & Debilitant. De quibus quinque rebus singillatim agemus.

Quod ad primum spectat, perspicuum est, Appetitus Animam inquietam reddere, & defatigare: sunt enim similes puerulis inquietis, & quibus difficile satis fit, qui semper à matre sua nunc hoc, nunc illud exigunt, nec vnquam contenti sunt. Et quemadmodum lassatur ac defatigatur ille, qui cupiditate stimulante thesaurum eruit: sic delassatur & laborat Anima in consequendis ijs, quæ ab ea Appetitus requirunt. Et quamuis ijs potiatur, tandem semper defatigatur, eò quod nunquam satietur: sunt enim cisternæ dissipatæ, ex quibus haurit, quæ non possunt continere aquam, ad eius sitim explendam. Et idcirco Isaias dixit: *Lassus adhuc sitit, & Anima eius vacua est.* Sicque Anima Appetitibus subdita lassatur, & defatigatur: est enim veluti ille, qui calida febri laborat, qui nunquā quiescit, sitisq; eius per singula crescit momenta, donec euanescat febris. Nā sicut in lib. Iob dicitur: *Cum satiatus fuerit arctabitur, astuabit, &*

Appetitus inquietāt Animam.

Appetitus cisternæ dissipatæ, non valētes continere aquā.

Isa. 29. 8.

B. Joannis a Cruce
Opera Mystica
NVI
1.2.

Iob 20.22 *Appetitus sauciant Animam.*

omnis dolor irruet super eum. Præterea defatigatur & affligitur Anima ab Appetitibus suis, quia sauciatur, agitatur, ac ab illis sicut aqua à ventis validis perturbatur: quã etiam isto agitatam commotamq; modo, nullo loco, nullaq; in re consistere patiuntur. De huiusmodi Animabus locutus est Isai. *Cor impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest*: Impius autẽ ille est, qui Appetitus suos non superat. Tandem fatigatur & affligitur Anima, quæ Appetitibus suis satisfacere cupit: est quippe instar illius, qui cum laborat fame, ore hianti vẽtos haurit: tantumq; abest vt saturetur ijs, vt etiã magis ac magis exaresçat, cum ille nequaquam sit cibus ei aptus. Ac propterea de huiusmodi Anima pronunciat Ieremias. *In desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui.* Et paucis interiectis, significando ariditatem, quam talis Anima patitur, hunc in modum illam adhortatur: *Prohibe pedem tuũ* (id est, cogitatus tuos) *à nuditate, & guttur tuum à siti*, nempe voluntatem tuam ab Appetitus saturitate cohibe, quæ ardentiorem excitat sitim, & sicut lassatur, & fatigatur ambitiosus in die expectationis suæ, quando spe sua frustratus est; ita lassatur, & fatigatur Anima cum omnibus appetitibus satisfacit, quandoquidẽ maiorem ei vacuitatem, & esuriem pariunt. nam sicut vulgò dicitur. Appetitus est instar ignis, cui si lignorum pastus addatur, augescit; quibus consumptis, omnino eum deficere necesse est. Imò deteriotis naturæ, hac in parte est Appetitus igne: ignis siquidem lignis absumptis minuitur, at Appetitus, illud augmẽtum, quod sibi satisfaciendo acquisiuit, haud quaquam diminuit, deficiente etiam eius obiecto seu materia; sed vice decrementi (sicut igni euenit materiâ eius subtractâ) laborando ipse in semetipso atteritur & consumitur, aucta est enim eius esuries, & imminutus cibus. Et hac de re locutus est Isaias. *Declinabit ad dexteram, & esuriet, & comedet ad sinistram, & non saturabitur.* Illi enim qui Appetitus suos minimè abnegant, si quando ad iter Dei carpendum, quod per dexterã significatur, deflexerint; merito famem patiuntur: nequaquam enim dulcis spiritus satietatem promerentur. merito quoque cum ad sinistrã, ad cibos capiendos declinarint (quod nihil est aliud quã Appetitum alicuius creatæ rei pastu delinire) nõ explent famem, quia eo, quod illis solum saturitatem adferre potest, prætermisso, ijs, quæ potius irritant famem, pascuntur. Liquido itaque patet, Appetitus delassare, ac defatigare Animam illis obnoxiam.

Isa.57.20

Iere.2.24.

Ibid.n.25.

Isa.9.20.

CAPVT VII.

Quomodo Appetitus cruciant Animam; quod etiam similitudinibus ac authoritatibus comprobatur.

SEcundus detrimenti Positiui modus, quem Appetitus Animæ inferunt, est: quòd eam cruciant ac affligunt: idque ad instar illius, qui alicui alligatus loco, funiũ extensione torquetur, nec quiescit, antequam se tormentum huiusce modi euasisse sentiat. De quibus loquitur Dauid. *Funes peccatorũ* (qui sunt Appetitus) *circumplexi sunt me.* Et quemadmodũ cruciatur ac affligitur, qui nudus spinis ac aculeis incubat, sic torquetur Anima, Appetitibus suis innixa, nam velut spinæ eam feriunt, cruentant, detinent, ac dolorem illi infligunt. De quibus itidem dixit Dauid. *Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis.* In Appetitibus enim, qui sunt spinæ, angustiarum & cruciatuum ignis excrescit. Et sicut arator stimulo affligit, vrgetque

Ps.118.61.

Ps.117.12.

vrgetque arantem bouem, cupiditate messis, quam expectat inductus: ad eundem prorsus modum, concupiscentia, medio Appetitu, affligit Animam, vt id quod optat adipiscatur. Quæ res manifestè patet in cupiditate & Appetitu illo ingenti, quo ardebat Dalila, explorandi, quanam in re sita esset tanta Samsonis fortitudo, vt scriptura dicat, adeò illum, ab ea afflictum defatigatumque fuisse, vt penitus defecerit. *Defecit Anima eius, & ad mortem vsq; lassata est.*

Quò vehementior intensiorque fuerit Appetitus, eò acrius animam torquet. Ita vt tantum cruciatus sustineat Anima, quantum Appetitui indulget: eoque plura patiatur tormenta, quò pluribus subdita fuerit Appetitibus. Impleturque in huiusmodi Anima, in præsenti etiam vita, illud Apocalypsis. *Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit; tantum date illi tormentum, & luctum.* Et sicut affligitur ille, qui in suorum inimicorum potestatem deuenit; sic cruciatur Anima, quæ suas sibi Appetitiones prævalere sinit, cuius rei expressam videre est figuram, in robusto illo Samsone: qui cùm antea adeò esset potens, liberque Israelitici populi iudex, postquam in sibi aduersantium manus incidit, suo ab illis priuatus est robore, oculisque orbatus, ac molendino ad cominuendum frumentum alligatus, quo loco ad libitum, ab illis tortus fuit & afflictus. Idipsum euenit Animæ, quam isti Appetituum inimici occupant, ac superant: in primis enim debilitant illam, & excæcant, vt iam dicturi sumus: & confestim sic affectam, cruciant & affligunt; concupiscentiæ molendino illam adstringentes: laquei porrò, quibus illam innectunt, ipsimet sunt Appetitus. Quamobrem misertus Deus eiusmodi hominum, qui tanto cum labore & sumptu, famem ac sitim Appetitus sui in Creaturis explent, hunc in modum eos per Isaiam compellat: *Omnes sitientes, (appetituiq; indulgentes) Venite ad aquas; & qui non habetis argentum* (voluntatis propriæ) *properate, emite, & comedite: venite, emite vinum & lac.* (hoc est pacem & suauitatem spiritus) absque argento voluntatis propriæ, absque vlla commutatione, id est, absque vllo huiusmodi laboris sumptu, qualem ob Appetitus vestros explendos, impenditis. Quare appenditis voluntatis vestræ propriæ argentum, non in panibus (hoc est non in diuino spiritu conquirendo) & laborem Appetituum vestrorum, in eo, quod illos satiare nequit. *Audite audientes me & comedite bonum quod optatis, & delectabitur in crassitudine Anima vestra.* Ad pinguedinem verò seu crassitudinem hanc peruenire, nil aliud est, quam vniuersarum creaturarum gustus seu delectamenta deserere. Creatura si quidem cruciat, spiritus verò diuinus, refocillat. Quare inuitat nos Dominus per S. Matthæum dicens. *Venite ad me omnes* cruciati, afflicti, & onere sollicitudinum appetituumque vestrorum depressi, egredimini ab illis, veniendo ad me, & ego reficiam vos, & inuenietis requiem animabus vestris. quâ vos Appetitus Vestri priuant, cum sint pondus immensum, vt expressit Dauid dicens: *Sicut onus graue grauatæ sunt super me.*

Isa. 55. 1.

Mat. 11. 28

Psal. 37. 5.

CAPVT VIII.

Qua ratione Appetitus obtenebrant Animam, idq; similitudinibus, sacrarumq; literarum authoritatibus confirmatur.

TErtium, quod Animæ inferunt effrenes Appetitus, nocumentum est; cæcitas

citas seu obtenebratio ipsius. Quemadmodum enim exhalationes obnubilant aërem, nec solem splendescere patiuntur; vel sicut speculum halitu infectum, non potest clarè intuêtis faciem in se recipere, vel sicut aqua lutulenta, non bene aspiciêtis vultum exprimit: ad eundē modum Anima Appetitibus suis seruiens, quantū ad intellectum spectat, tenebris est obuoluta nec locum præber, vt vel à rationis naturalis sole, vel à supernaturali DEI sapientia, penetretur ac illustretur. Vnde Regius Propheta Dauid ad hoc propositum loquens ait. *Cōprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem.* Et in eo, in quo Anima secundum intellectum obtenebrescit; secundum voluntatem etiam languet, pigrescit; & secundum memoriam incrassatur: & inepta fit, & à sibi debita operatione deflectit. Cùm. n. istarum potentiarum actiones ab intellectu pendeant: eo impedito, necesse est illas quoq; turbari, ac à debito ordine resilire. Quamobrem dicit Propheta Dauid, *Anima mea turbata est valde.* Quod perinde est ac si dixisset: eam in suis potentijs à debita operatione declinâsse. Quemadmodum enim diximus, nec intellectus in tali statu capax est illustrationis diuinæ sapientiæ percipiendæ, sicut nec tenebris imbutus aër splendoris solis, nec voluntas ad DEVM in seipsa per amorem purum complectendum idonea est, sicut nec speculum halitu tinctum, inspicientium vultum ora commodè referre valet: nec memoria tenebris appetitus obfuscata, apta est ad serenè imbibendam DEI imaginem, quemadmodum etiam aqua cœnosa, faciem se intuentis clarè non repræsentat.

Anima appetitui subdita nec à naturali lumine, nec à supernaturali illustrari potest.

Psa 39.13.

Anima passionibus obnoxia voluntas languet, memoria incrassatur.

Psal.6. 4.

Excæcat prærerea & tenebris insepelit appetitus Animam: nā Appetitus quà appetitus, cæcus omnino est, non. n. ex se ratione respicit: ratio verò est illa, quæ semper itinere recto ducit ac dirigit Animā in suis operationibus. Hinc prouenit, quod quotiescunque Anima Appetitu suo regitur, cæcitatē incurrat: perinde enim est ac si ille, qui rectè videt, ab eo, qui oculis est destitutus duceretur, quod tantum valet, ac si ambo oculis essent orbati. Illud autē quod hinc sequitur id ipsum omnino est, quod Dominus noster apud S. Matth. dixit. *Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.* Parùm profectò prosunt oculi papilioni, si appetitu pulchritudinis lucis stimulatus, veluti infascinatus in ignē insilit. Vnde rectè affirmare possumus de illo, qui appetitu suo allicitur, eum esse instar piscis, lumine piscantiū stupefacti, cui lux illa potiùs tenebras offundit, ne damna à piscatoribus sibi imminentia animaduertat. Quam rem egregiè explicauit Dauid, de huiusmodi loquens: *supercecidit* (inquit) *ignis, & non viderunt solem.* Appetitus quippe est velut ignis, qui calore suo inflammat, splēdore verò oculos perstringit. Idipsum omnino Appetitus in Anima operatur, succendit enim concupiscentiam, & intellectum taliter offuscat, vt illum naturali sua luce perfrui nequaquam patiatur. Offuscationis porrò seu deceptionis causa, est, alterius peregrinæ & distinctæ lucis, inter potentiam visiuam & obiectum interpositio: tunc enim intuitiua facultas allicitur & pascitur luce illâ, quæ intercedit, nec aliā intueri valet. Cum aūt Appetitus tunc temporis adeo Animæ proximus sit, ac in eius conspectu constitutus, impingit miser in hanc primam lucem, illaq; pascitur, sicq; non permittit Animam verâ suâ luce claræ intelligentiæ perfrui, quam etiam minimè aspiciet, antequam appetitus, offuscatio seu falsa lux profligetur. Hinc merito deflenda est quorundam inscitia, qui inordinatis sese onerant vitæ asperitatibus, aliisque multis {loquor nunc

Appetitus omnino ex se cæcus est & anima qua eum,

Matt.15.14

Psal. 57.9.

Quæ sit causa obcæcationis animæ ab appetitibus & quemadmodo id fiat, mirabilis doctrina.

Inscitia quorundā spiritualiū ignorantia qui asperæ

sequitur semper magis excæcatur.

nunc de voluntarijs seu sponte susceptis) parum discretioni conformibus exercitijs, spem suam in illis reponentes, seq; illis solis, absq; mortificationis appetituũ suorum in alijs rebus studio sufficiẽter ad Diuinæ Sapientiæ Vnionem peruenturos arbitrãtes. Verùm aliter res sese habet: haud quaquam. n. eo attingent, nisi omnem adhibeant curam, in istis appetitib. resecandis, si enim huiusmodi homines, saltẽ dimidium laboris sui, quem dictis exercitijs impendunt, in studio mortificationis appetituum collocarent; multo amplius mẽsis vnius interstitio proficerent, quã multis annis, cæteris omnibus exercitamentis. Sicut enim ad hoc, vt terra fructus proferat, labore subigenda est, aliàs inutiles noxiasq; herbas producturа: sic ad hoc vt Anima in via DEI progrediatur, mortificatio appetituum prorsus necessaria est, sine qua (ausim affirmare) nõ plus in vitæ perfectione, DEI ac sui cognitione, vniuersõ etiam conatu adhibito proficiet, ac ille, qui in agro, aratro & stiua nõ subacto, semina spargit. Vnde nec tenebræ, nec animæ inertia seu ruditas euanescent, antequam Appetituum incendium suffocetur.

Sunt enim Appetitus velut cataractæ, aut sicut labeculæ quædam in oculis, quæ antequam abstergantur, visionem præpediunt. Quamobrem contemplatus Dauid talium cæcitatem, quamque Animas suas Appetitibus, immortificatis, à veritatis claritate intuenda præpeditas habeant, & quantum indignetur illis DEVS, in hunc modum eos alloquitur. *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum, sicut viuentes, sic in ira absorbet eos.* Hoc est; priusquam spinæ vestræ, quæ sunt appetitus vestri obdurescant, ac ex mollibus spinis in densa crescẽdo dumeta, euadant, sicq; diuinum intuitum præpediant; sicut interdum viuentibus euenire solet, quorum mortalis vitæ filũ, in ipsius medio multoties succiditur, sic diuina ira eos absorbebit. Illos enim, in quorum Animabus appetitus viuunt, ac vigent, hocq; modo notitiam diuinam interturbant, absorbebit in ira sua; vel in futura vita asperitate pœnarum purgatoriarum; vel certè in præsenti, afflictionibus ac tribulationibus, quas ad ablactandas eas ab appetitib. proprijs illis immittit, vel deniq; mortificatione ipsorum appetituum intercedente: vt hac ratione obstaculum illud, seu medium falsæ Appetitus lucis, quæ inter Deũ nosq; ipsos interponebatur, auferatur, quę etiã nos decipiebat, ac ab illius cognitione præpediebat, sicque serenato intellectus intuitu, strages quã Appetitus animæ intulerãt, reparetur.

Quã pernitiosa sit animæ cæcitas, ex appetitibus orta.

O si hominibus prorsus exploratum esset, quanto lucis diuinæ thesauro hæc illos cæcitas, quam Appetitus proprij inferunt, priuet: & in quot mala ac detrimenta illos quotidie præcipites agat, donec illos omnino mortificent ac abnegent! Nec enim est cur intellectui perspicaci, seu donis, à DEO susceptis fidant, vt existiment, se (si Appetitui vel concupiscentiæ obnoxij sunt) cæcitatis ac tenebrarum labem euasisse, nec pedetentim in deteriora lapsuros. Quis enim vnquam obsecro dixisset, virum adeo sapientia insignem, diuinisque donis refertum, ac erat Salomon ad tantam cæcitatem, & voluntatis teporem deuoluendum, vt in vltima sua ætate, altaria idolis erigeret, illisque cultum diuinum exhiberet? Ad quem miserabilem statum incurrendum, satis illi fuit mulierum amor, & in coërcendis Appetitibus, cordisque sui delectamentis incuria, siquidem ipse ore proprio de se asserit in Ecclesiastico: *Omnia* (inquit) *quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui eis, nec prohibui cor meum, quin omni volu-*

3. Reg. c. 11. 4.

Eccl. 2. 10.

B. Joannis a Cruce
Opera Mystica
NVI
12a

voluptate frueretur. Tantumque effrenis hæc Appetituum licentia in eo valuit, vt licet in vitæ suæ exordijs satis esset prouidus & cautus; quia tamen non eos omninò repudiauit, pedetentim intellectum eius adeò excæcarunt, vt summum illud, quod DEVS illi instillârat sapientiæ lumen, prorsus obtuerent, DEVMque in ipsâ senectute desererent. Quod si huiusmodi nocumenta inferre potuerunt Appetitus homini, qui tantam notitiam adeptus erat, distantiæ boni & mali; quid non in nostra inertia ac stupiditate Appetitus immortificati efficient? siquidem vt Dominus de Niniuitis ad Ionam Prophetam dixit: *Quinesciunt quid sit inter dexteram & sinistram suam.* Quolibet enim & nos momento, malum reputamus bonum, & bonum malum, quæ res etiam nobis protsus innata est. Quid igitur sperandum erit, si innatis nobis tenebris, addatur Appetitus? Nihil profectò aliud quam illud, quod deplorans Isaias dixit. cum ijs loquens, qui suis appetitibus obsequuntur. *Palpauimus sicut cæci parietem, & quasi absq; oculis attrectauimus, impegimus meridie, quasi in tenebris.* Et eò vsque cæcitas nostra deuenit, vt in ipsa meridie impingamus; non aliter ac si in ipsis tenebris versaremur. Hoc siquidem proprium est illi, qui Appetitu excæcatur, quòd in medio etiam veritatis, aceius, quod sibi expediret, cognitionis, constitutus, non plus illam animaduertat, quàm si obscuris tenebris inuolueretur.

Ionæ 4.

Is. 59. 10.

CAPVT IX.

Qualiter Appetitus fœdant Animam, quod similitudinibus & sacrarum literarum authoritatibus comprobatur.

QVantum detrimentum quod Appetitus rebelles Animæ inducunt, est; quod illam fœdant ac commaculant: secundum illud quod Ecclesiasticus prodidit dicens. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Tunc verò quispiam picem tangit, cùm in aliqua Creatura Appetitibus voluntatis suæ satisfacit. In quibus sacræ Scripturæ verbis, animaduertendum est, pici contulisse creaturas Sapientem. Latius quippe discrimen patet inter præstantiam cuius capax est Anima, & illud, quod in omnibus excellit creaturis; quàm sit inter purissimum adamantem seu aurum obrizum, & atram picem. Et quemadmodum adamas vel aurum, si liquatæ pici superponeretur, fœdum profecto & illinitum remaneret, iuxta maiorem vel minorem picis liquefactionem, sic Anima calore Appetitus, quo alicui creatæ rei afficitur, resoluta, illius sibi immunditiam attrahit & maculas. Plus etiam Anima, à cæteris corporeis differt creaturis, quàm lympidissimus liquor, à fœculento cœno. Vnde sicut conspurcaretur huiusmodi liquor luti admixtione; eadem prorsus ratione, sordescit Anima, quæ amore adhæret creaturæ, fit enim illi similis. Et sicut atra fuligo, speciosæ faciei impacta, totam eam deformat; ad eundem modum deformant, & commaculant deordinati Appetitus Animam illis subiectam: quæ si in se spectetur, est pulcherrima, absolutissimaque DEI imago. Quam ob causam deplorans Hieremias turpitudinis stragem, quam deordinati amores Animæ inferunt, primo loco illius pulchritudinem recensет, immediate vero eius deformitatem; dicens. *Candidiores Nazarei eius (scilicet Animæ) niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Saphiro pulchriores. Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis.* Per capillos hoc loco,

Eccl. 13. 1

Quantum Nobilitas anima, excedat omnes corporeas creaturas

Thren. 4. 7.

loco, affectus ac Animæ cogitationes intelligimus, qui in Deum, secundum ordinem ab eo præscriptũ, id est, in ipsum met relati, candidiores sunt niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, & Saphiro pulchriores. His quatuor rebus vniuersa creaturarum corporearũ pulchritudo & præstantia continetur, quas Animæ eiusq; actiones, quæ sunt dictæ Nazaræi & Capilli, superant: quibus ab ordine debito deuiantibus, & ad ea, quæ à Deo minime sunt eis statuta, deflectentibus: hoc est, ad res creatas propendentib. denigratur, vt dixit Hieremias, facies super carbones. Vniuersa itaque hæc, & multò plura pulchritudini Animæ inducunt dãna, deordinati Appetitus. Idq; tantoperè, quod si loquendum esset, ex instituto, de turpi abominabilique formâ, quam Appetitus Animæ inducere possunt, non posse mus rem adeò vermibus immunditijsque scatentem, ac est, illa reperire, aut fœditatem, quæ ei valeret adæquari. Licet enim minimè inficiasire possimus, deordinatam Animam, quantum ad eius naturalem substantiam pertinet, ita perfectam absolutamq, ac à Deo condita est, remanere: quantum tamen ad esse rationale seu rationis spectat, deformis est, immunda, & obscura: omniaq; illa, & his multò ampliora, de quibus locuti sumus, mala incurrit. Adeò vt vnus solus deordinatus Appetitus (vt postmodum dicturi sumus) quamuis nõ versetur circa materiã læthalis peccati, maculet & deturpet Animam, illamq; ineptam efficiat, quominus Deo, antequam Appetitus ille repurgetur, per Vnionem perfectam copuletur. Qualis igitur deformitas erit Animæ illius, quæ totaliter in proprijs passionibus suis deordinata est, a cin manus Appetituum suorum omninò deuenit, quamque longe à diuina puritate distabit? Nullis verbis dignè exprimi potest, nulloque intellectu comprehendi, immunditiarum varietas, quam Appetituum diuersitas Animæ inurit. Si, n explicari posset, appareret profectò res admirabilis, nec minus commiseratione digna, cernere videlicet, qua ratione quilibet Appetitus, secundum suam proprietatem ac intensionis gradum, relinquit cicatricem: suæque turpitudinis ac immunditiæ sedem in Anima, vnusquisq; suo proprio modo, figit. Quemadmodum enim iusti Anima, in vna sola perfectione, quæ est ipsius Animæ rectitudo, innumera ditissimaque bona, nec non multas ac pulchertimas virtutes possidet, quarum vnaquæq; formosa est, & ab alia, distat, secundum multitudinem & discrimen actuum amoris, quos erga Deum exercuit: ad eundem modum deordinata Anima, iuxta Appetituum suorum circa creaturas varietatem, continet etiam in se miserabilem immunditiarum vilitatumque varietatem, qualem in ea dicti Appetitus, depingunt. Hæc immunditiarum varietas, rectè apud Ezechielem figurata est: apud quem scribitur, ostendisse Deum Prophetæ huic in interioribus templi, circumquaque depictos patietes imaginibus reptilium, & abominationibus immundorum animalium. *Et ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptilium, & animalium abominatio, & vniuersa Idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum.* Tunc que Deum Ezechieli dixisse: *Fili hominis, nonne vidisti abominationes pessimas quas isti faciunt hic?* Præcepitque illi Deus, vt interiora magis ingrederetur, maiores eum adhuc dicens, conspecturum abominationes. Dicitque se vidisse ibi mulieres sedentes, ac Adonidem amorum Deum plangentes, *Et ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem.* Insuper cum illi mandasset Deus, vt adhuc interiora

Vnusquisque deordinatus appetitus, secundum suam proprietatẽ & intentionis gradum, relinquit cicatricẽ sua turpitudinis in anima.

Pulchra huius rei similitudo.

Immunditiarum animæ appetitibus subdita varietas.

Ezech. 8. 10.

Ibid. n. 14.

B. Joannis a Cruce
Opera Mystica
NVI
129

riora magis intraret, quò maiores abominationes cerneret, dixit se ibi vidisse viginti quinque viros, dorsa habentes
Ibid. n. 16. contra templum Domini. *Et introduxit me in atrium domus Domini interius: & ecce in ostio templi Domini inter vestibulum, & altare quasi viginti quinque viri dorsa habentes contra templum Domini.* Discrimina reptilium ac animalium immundorum, quæ in primo templi secretiori loco depicta erant, cogitationes sunt, & intellectus res terrenas abiectasque meditantis conceptiones: quæ cum sint tantoperè sempiternis rebus oppositæ, commaculant Animæ templum, quæ huiusmodi rebus intellectum suum, qui est primum Animæ cubiculum, depingit. Mulieres, quæ interius in secundo cubiculo morabantur, plorantes Adonidem, Appetitus sunt, qui in secundâ Animæ potentiâ, quæ est voluntas, versantur: qui veluti plorant, dum illud appetunt, cui voluntas est amore agglutinata: quæ profectò nihil aliud sunt, quàm illa immunda animalia, vermesque deformes in intellectu depicti. Porrò viri, qui in tertio cubiculo morabantur, Phantasiæ sunt ac imaginationes creaturarum, quas asseruat & reuoluit tertia Animæ potentia, quæ est Memoria. De quibus etiam senibus dicitur; eos terga templo obuertisse: quando enim Anima, per istarum potentiarum actus aliquid terreni complexa est, optimè de illa pronunciari potest, eam DEI templo, quod est recta Animæ ratio, dorsum obuertisse, quæ nullam in se creaturam DEO contrariam, admittit. Hucusque dicta sufficiant, ad pernoscendam saltem ex parte turpem Animæ per suos appetitus deordinationē, si enim de vniuersis Vnionis Diuinæ impedimentis, quæ Animæ imperfectiones adferunt, nec non de eorum varietate, singillatim agere vellemus; si etiam damna venialium peccatorum, (quæ sunt multo illis maiora, quæ imperfectiones adducunt) & maximam eorum varietatem recensere; si turpitudinem, quam appetitus mortalis peccati causant (quæ est vniuersalis Animæ fœditas) si maximam illorum differentiam diuersitatemque describere; nunquam tractationi huic finem imponeremus. Id solum ad præsens institutum affirmo, quemlibet minutissimæ etiam imperfectionis Appetitum obscurare, ac perfectam Animæ cum DEO vnionem præpedire.

CAPVT X.

Quemadmodum Appetitus tepefaciunt Animam, eamq; in virtutis exercitio imbecillam reddunt. Quod similitudinibus sacræq; paginæ authoritatibus comprobatur.

QVintum nocumentum, quod Anima ab Appetitibus sustinet, est; quod eam tepefaciunt, debilitātque, ne virtutis iter arripere, ac in eo persistere valeat. Eo siquidem ipso, quod Appetitus robur seu vis in plura diffunditur, imbecillior ille remanet, quàm si vni soli rei integrè adhæsisset: quantoque pluribus inhiat rebus, tanto minor est respectu singularum. Et idcirco asserunt Philosophi, virtutem vnitam fortiorem esse seipsa dispersa. Hinc itaq; manifestè patet, quod si voluntatis Appetitus, aliò extra virtutem diffluat, eum debiliorem omnino, pro assequenda virtute remansurum. Quare Anima, quæ voluntatem diuersis quisquilijs occupauit, est veluti aqua, quæ dum in inferioribus diuersis effluit rimis, ad superiora non conscendit, sicq; nullam affert vtilitatem. Propterea Patriarcha Iacob,

Cur appetitus debilē reddant Animam.

Iacob, filium suum Ruben, aquæ effusæ, eò quod Appetitui suo in quodam crimine indulsisset, comparauit dicens. *Effusus es sicut aqua, non creſcas.* Ac si patentius pronunciasset, quia instar aquæ secundum Appetitus, effusus es, non creſces, seu non proficies in virtutibus. Et quemadmodum aqua calefacta, nisi tegatur, facile calorem amittit; vel sicut aromaticæ species retectæ, & extra inuolucra positæ, fragrantiam odoremque euaporant: ita Anima, quæ vniuersas vires suas, soli amori diuino non applicuit, calorem ac virtutis vigorem amittit. Quam rem optimè assecutus Dauid dicebat. *Fortitudinem meam ad te custodiam*: retrahendo nimirum vim Appetituum meorum, eamque in te solum dirigendo. Præterea, eneruant Animæ robur Appetitus effrenes: sunt enim veluti arbusta & virgulta quædam arboribus adnascentia, quæ earum succum ebibunt, minusque eas fertiles efficiunt. De huiusmodi Animabus loquitur Dominus. *Væ autem prægnantibus, & nutricentibus in illis diebus.* Per grauiditatem hanc ac nutritionem, significari voluit Appetitus; qui nisi retundantur, semper Animæ vires imminuent, incrementumque, in eius perniciem, capient: sicut & creſcentia virgulta, arbori detrimentum inferunt. Quamobrem Dominus dat nobis consilium dicens. *Sint lumbi vestri præcincti.* qui Appetitus hoc loco significant; qui etiam veluti hirudines sunt, quæ venarum sanguinem sugunt, hoc quippe eos appellat nomine Sapiens dum ait. *Sanguisugæ duæ sunt filiæ* (Appetitus videlicet) *dicentes: Affer, affer.* Vnde patet, nullum Appetitus commodum adducere Animæ, immò multis illam priuare bonis: & nisi mortificatione resecentur, non desistunt omnino, antequam idipsum efficiant, quod viperarum filij, suis matribus: qui dum in ventre succreſcunt, matris suæ viscеribus pascuntur, eamque interimunt, hocque pacto ipsius dispendio viuunt. Ad eundem modum immortificati Appetitus, eousque perueniunt, vt Animam mactent, ipsiq; soli in ea viuant, eò quòd eos non priùs ipsa mortificando, interemerit. Ideo Ecclesiasticus dixit. *Auser à me ventris concupiscentias.* Sed iam quòd eò non pertingant, grandis commiserationis spectaculum est cernere, qualem efficiant miseram Animam Appetitus, qui in ea viuunt & vigent, quàm sibiipsi exosam, quàm proximis insipidam & ingratam, quàm erga diuina pigram & tardam. Nec enim tantoperè deprauatus humor reperitur, qui ita æquè hominis pedes obruat, aut ad incedendum prægrauet, aut qui tantam ciborum inappetentiam generet, ac creatarum rerum appetitus Animam deprimit, ac tristem ineptamque ad virtutem sectandam, reddit. Vnde vt plurimùm, idcircò multæ Animæ nullo virtutis gustu tanguntur, nullamque ad eam adipiscendam adhibent curam, quia Appetitus & amores minus puros fouent, nec eos ad Dominum Deum nostrum referunt.

interficiũt animam.

Eccl. 23.6 Quàm miseram efficiant animam Appetitus immortificati.

Cur multæ Animæ virtutis suauitatẽ non percipiunt.

CAPVT XI.

Quæ ratione necessarium sit, ad vnionem diuinam peruenire cupienti Animæ, vniuersis etiam minimis carere Appetitibus, demonstratur.

ARbitror, iam pridem cupere Lectorem percunctari, an ad assequendũ hunc sublimem Perfectionis statum, præcedere debeat vniuersalis mortificatio

Appetituum omnium, siue illi magni sint, siue exigui : an verò satis sit aliquos ex illis abnegare, alijs prætermissis, ijs præsertim, qui parui creduntur momenti ? Videtur quippe res nimis ardua ac dura, posse Animam puritatem, nuditatemque tantam comparare, vt nulli rei voluntate & affectu adhæreſcat. Quæstioni huic primo loco respondetur : esse satis veritati consentaneum, non omnes Appetitus, æquè esse pernicioſos, nec omnes æquali passu (loquor nunc despontaneis) præpedire Animam, Appetitus siquidem naturales, parùm vel nihil auocant Animam ab Vnione Diuina, dum eis consensus minimè præbetur, nec primorum motuum metas prætergrediuntur. Voco hoc loco naturales Appetitus, primosque motus illos, quibus rationalis voluntas, nec ante, nec post vllo sese modo immiscuit: istos enim euellere; ac in præsenti vita omnino mortificare, impossibile est. Nec huiusmodi Appetitus adeò obstant, quin ad Vnionem diuinam perueniri possit; licet, vt dixi, non omnino profligati sint & abnegati : possunt enim illi inesse naturæ, & simul Anima secundùm rationalem spiritum ab ijs esse omninò libera & expedita. Euenire quippe interdum potest, vt Anima sublimi Vnione Quietis in voluntate fruatur, & simul actu huiusmodi Appetitus in sensitiua hominis parte morentur, nullumque sit illis, cum superiori parte, quæ orationi intenta est, commercium. At cæteri omnes Voluntarij Appetitus, siue illi sint mortalium peccatorum, quæ grauiora sunt, siue Venialium, quæ sunt minùs grauia, siue solùm circa imperfectiones, quæ adhuc sunt minores, versentur; euacuari omninò debent, omnibusque illis etiam minimis carere debet Anima, vt istam totalem Vnionem assequi possit.

Non oēs appetitus, eōs animæ pernitiosi.

Appetitus naturales non impediunt Animam ab vnione.

Et quinā sint?

Voluntarij Appetitus, omnes euacuandi; vt ad vnionē cum Deo possit peruenirī.

Cuius rei ea est ratio : nam status huius Diuinæ Vnionis in eo situs est, vt Anima voluntatem suam totaliter in Diuinam voluntatem transformatam habeat : ita vt in omnibus & per omnia, motus eius sit sola Dei voluntas. Hæc enim est causa, ob quam dicimus, in hoc statu vnam voluntatem DEI ex mea DEIque fieri : ita vt DEI voluntas Animæ quoque voluntas sit. Si igitur hæc Anima in aliquam propenderet imperfectionem, quam DEVS respuit ; non transisset, nec transmutata fuisset in DEI voluntatem : siquidem vellet Anima illud, quod DEVS minimè vult. Hinc itaque liquet, quòd vt Anima amore ac voluntate Deo copuletur, debeat priùs omni voluntatis Appetitu etiam minimo carere, & destituta esse. Hoc est, vt voluntas imperfectioni cognitæ aduertenter assensum minimè præbeat, tantaque virtute ac libertate polleat, vt statim ac eam animadúerterit, respuere valeat. Loquor autem de imperfectione cognita, inaduertenter enim, vel inconsideratè, vel quia id non omninò in suâ posítum sit potestate, labetur procul dubio in imperfectiones, & in peccata venialia, nec non in Appetitus naturales, de quibus iam locuti sumus. Et de huiusmodi non adeò spontaneis peccatis scriptum est. *Septies in die cadet iustus, & resurget.* Verum loquendo de Appetitibus voluntarijs, & omninò animaduersis ; quamuis circa minimas etiam res versentur, vt diximus, nisi quicunque tandem ex illis superetur, satis est ad vnionem hanc præpediendam; superetur inquam, & mortificetur habitus seu consuetudo illius: nam actus aliqui, interdum circa res diuersas versantes, non inferunt tantum detrimentum, eò quod à certo habitu non oriuntur; licet etiam istis Anima aliquan-

In quo Vnio cū Deo sita sit.

Omni voluntario appetitu, etiam minimo, carendum ei qui ad Vnionem aspirat.

Qualiter se se gerere debeat Anima, in abnegandis minimis appetitibus.

Prou. 24. 16.

quando caritura sit: eò quòd ab habituali etiam imperfectione proficiscantur. Sed non nulli voluntarij imperfectionum habitus, quos nunquam Anima integrè superat, non solùm Diuinam Vnionem præpediunt, sed etiam perfectionis portum attingere non permittunt. Huiusmodi imperfectiones habituales sunt, exempli gratia; quædam consuetudo multa loquendi, adhæsio quædam licet modica (quam nunquam finit Anima superare velle) erga personam aliquam, vestem, librum, cellam, talem cibi speciem, couersationes quasdam & delectatiunculas gustandi, sciendi, audiendi, & cæteræ his affines. Quælibet istarum imperfectionum, cui Anima affixa sit, cuiusque habitum contraxerit, multò magis illam à progressu virtutum retardat, quã si quotidie multas alias admitteret imperfectiones, etiam maiores; quæ tamen ab aliquâ quotidianâ consuetudine malæ alicuius proprietatis, ortum non ducerent: non enim istæ tantopere impedirent, sicut alicuius rei habitualis adhæsio. Quamdiu enim aliquid huiusmodi, etiam minutissimum in Anima locum habuerit; impossibile est, eam perfectionem adipisci. Quid enim refert, quod auis aliqua subtili sit alligata filo, aut crassiori? licet enim illud tenuissimum sit; tamdiu tamen eo à volatu detinebitur, quam diu illud non infringit. Verum quidem est, tenue filum facilius rumpi; nihilominus tamen licet facillime scindatur, nisi id fiat, impedit volatum. Sicque euenit Animæ, quæ alicui rei affixa est: nam licet maximis fulgeat virtutibus, ad libertatem tamen Vnionis Diuinæ non pertinget. Nam Appetitus, & Animæ alicui rei adhæsio, similis est Echeneidi: de qua dicunt: quod licet exiguus sit piscículus, si alicui naui adhæreſcat, fixam eam adeo detinet, vt non permittat suum iter peragere. Vnde res est non modicæ commiserationis, cernere aliquas Animas, velut naues, diuitijs bonorum operum, spiritualium exercitiorum, virtutum, & quas à Deo recipiunt, gratiarum onustas: quæ quia non habent tantum animi pectorisque, vt aliquam delectatiunculam, amoris, affectus, seu adhæsionis (sunt enim hæc vnum) abrumpant, nunquam portum perfectæ vnionis attingunt: ad quem consequendum, non requirebatur amplius, quam vnico neruoso que volatu, vires exerere, ac illud vitiosæ adhæsionis filum abrumpere, vel certè Appetitus remoram amouere. Res profecto est, (vt dixi) ingenti digna dolore, quod Deus fecerit huiusmodi homines abrumpere funes crassiores affectuum, quibus in peccata ac vanitates ferebantur: & quia nolunt sese ab aliqua puerili ineptia abstrahere, quam illis Deus ad sui amorem vincendum reliquit, quæque non amplius est, quam exiguum quoddam filum, non progrediuntur, neque tantum bonum acquirunt.

Miserũda res videre Animas, virtutibus plenas, ob modicam imperfectionem voluntariam, ad vnionem non peruenire.

Et quod deterius est, ob illam adhæsionem, tantum abest vt proficiant, vt etiam, quantum ad perfectionis materiam spectat, retrocedant; iacturam etiam aliquam eorum patiendo, quæ tantis iam fuerant laboribus consecuti. Exploratum enim est illud, in via spirituali, non progredi vincendo, esse regredi, & lucra ampliora non conquirere, esse adepta amittere. Hoc enim Dominus noster innuere nobis voluit, cum dixit. *Qui non congregat mecum, spargit.* Qui non sollicite prouidet, vt vasis alicuius liquores continentis, minima etiam rimula obstruatur; satis erit illa, vt omnis liquor intus existens, omnino effluat: quemadmodum Ecclesiasticus docuit dicens. *Qui spernit modica, paulatim decidet.*

Ob modicum appetitum immortificatũ, à Perfectione retrocedit.

Matt. xii. 30.

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
NVI
124

Sicut enim idemmet dixit : Ex vna sola scintilla, magnum exurgit incendium : ita & imperfectio vna, satis est ad aliam adducendam, & illa ad alias, sicque nunquã videbitur aliqua Anima in superando Appetitu vno desidiosa, quæ non alijs multis, ex eadem animi imbecillitate ac imperfectione, ex quâ prior ille prodierat, ortis, scateat.

Plures personæ ob modicam imperfectionẽ sub specie boni admissam, ad miserandum deuenire statum.

Vidimus etiam plures personas, quas DEVS suâ gratiâ fortiter, ad magnam à creatis rebus abalienationem ac libertatem promouebat: sed quia sub specie boni, alicuius duntaxat amicitiæ, seu conuersationis adhæsiunculæ, præbuere, locum; hâc viâ pedetentim spiritum gustumque DEI, ac sanctæ solitudinis amisisse, ab illaque lætitia & exercitiorum spiritualium integritate seu stabilitate miserum in modum decidisse, nec substitisse, priusquam omnium iacturam fecissent: & hæc omnia idcircò illis euenisse, quia principium illud gustus, & sensitiui Appetitus, non extinxerunt, seipsos in solitudine intactos, DEO c seruando.

Semper in hoc itinere progrediendum, vt ad eius terminum perueniatur.

Perfectionis itinere, ita semper p ndum est, vt ad eius terminum ta em perueniatur, quod fit; affectus l amores semper præscindendo, non eos fouendo, qui nisi euellantur vniuersi, nunquam quo tenditur, peruenitur. Sicut enim lignum non transformatur in ignem, si vel vnicus ad eius dispositionem requisitus caloris gradus desit: sic non transformatur perfecte Anima in DEVM, ob vnicam, quâ sit imbuta, imperfectionem: quemadmodum postmodum de Nocte Obscura fidei agendo, dicturi sumus, Anima vnicam solum voluntatem habet; & si ista alicui alteri rei sese implicat; vel circa illam aliquomodo se occupat: non remanet libera, integra, sola, ac pura, sicut ad Diuinam transformationem requiritur. Huius rei figuram habemus in libro Iudicum vbi dicitur, venisse Angelum ad filios Israel illisque dixisse: quòd quia homines illos sibi aduersantes minime subegissent, imò cum quibusdam illorum fœdera sanxissent, propterea se illos inter eos reliquisse, vt illis occasio perditionis essent ac ruinarum. *Quamobrem nolui delere eos à facie vestra, vt habeatis hostes, & dij eorum sint vobis in ruinam.* Iudic. 2. 3. Et profectò iusto iudicio id ipsum cum Animabus quorundam agit DEVS, quas ipse ex mundi huius Ægypto eduxit, Gigantesque peccatorum suorum interemit, ac ingentem inimicorum eorum multitudinem, quæ sunt mundanæ, quibus antea implicati erant occasiones, ad nihilum redegit, quæ vniuersa ideò perfecit, vt maiori cum libertate, hanc promissionis terram Vnionis Diuinæ ingrederentur. Quos cum videt fœdus sancire, amicitiamque cum minuscula imperfectionum plebe contrahere, nec ob animi socordiam incuriamque eas penitus profligare, ac abnegare; indignè id fert Diuina eius Maiestas, ac eos in suorum Appetituum potestate deserit, in deterioraque in dies labi permittit.

In libro quoque Iosue rei huius figuram legere est, cum DEVS illi promissionis terram possidere auspicanti in mandatis dedit, vt taliter ciuitatem Iericho demoliretur, nihil vt in ea viuere pateretur; nec virum, nec fœminam, nec infantem, neque senem, nec animalium aliquod: insuper, ne etiam aliquid ex vrbis spolijs vsurparetur, aut appeteretur: vt hinc intelligamus, ad Diuinæ huius vnionis adeptionem, seu introitum, necesse esse quicquid in Anima viuit, siue siue multum illud sit, siue parum, siue exi-

Iosue 6. 21

exiguum, siue grande interire, eamque ab omnium illorum desiderio seu concupiscentia vacuam remanere, animo ab eis tantopere alieno, ac si illa minimè ad eam spectarent, nec ipsa ad illa. Quam rem docuit Apostolus ad Corinthios scribens, ac dicens. *Hoc itaque dico fratres: tempus breue est; reliquum est, vt, &, qui habent vxores, tanquam non habentes sint, & qui flent, tanquam non flentes; & qui emunt, tanquam non possidentes; & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur.* Quæ Apostolus proponit, docens nos, quàm separatam, & ab omni adhæsione alienam oporteat nos habere Animam, si ad DEVM ire velimus.

CAPVT XII.

In quo alteri interrogationi respondetur; cuiusnam modi sint Appetitus illi, qui ad inferenda Animæ superius descripta damna, satis sint, declarando.

LAtus nobis pateret campus, de hac noctis sensus materiâ vberius pertractandi, ita multa dicenda suppetunt, de damnis & nocumentis, quæ Appetitus, Animæ infligunt, non solum explicatis huc vsque modis, sed multis præterea alijs.

Verum quantum ad præsens nostrum institutum attinet, satis sunt iam explanata. Videtur enim sufficienter declaratum esse, quomodo Appetituum mortificatio appelletur Nox, quantique sit momenti hanc ingredi noctem ei, qui ad DEVM peruenire optet: Id solummodò, quod nobis dicendum sese offert antequam modum in eam intrandi tradamus, sicque libro huic finem imponamus, est dubium quoddam ex dictis ortum, quod Lectoris mentem pulsare posset. Primò; an quicunque Appetitus, satis sit ad inferendum Animæ vtrumque malum; Positiuum scilicet & Priuatiuum iam descriptum. Secundo; an quilibet minimus etiam Appetitus cuiuscunque tandem sit speciei, sufficiat ad vniuersa hæc quinque nocumenta simul, Animæ irroganda: an verò aliqui Appetitus vnum inferant damnum, alij alia, quidam nimirum inducant afflictiones & cruciatus, alij defatigationem, tenebras alij &c.

Qualis appetitus priuet Deo animam.

Cui dubitationi respondendo, Dico primo; quod si loquamur de Damno Priuatiuo, de priuatione inquam, quâ Anima priuatur Deo: Appetitus solummodo voluntarius, qui circa læthalis peccati materiam versatur, hoc præualent & efficiunt: illi enim in præsenti vita priuant Animam Diuinâ gratiâ, in futurâ vero gloriâ, quæ in DEI possessione sita est. Secundo loco dico; quod Appetitus, siue sint mortalis peccati, siue in materia peccati venialis voluntarij, siue, qui ad imperfectionum materiam spectant; quilibet illorum satis est ad inducendum Animæ vniuersa hæc Positiua damna, quæ licet sint quodammodo priuatiua, hic vocantur à nobis positiua, nam conuersioni ad creaturam correspondent, vti priuatiuum correspondet auersioni à Deo. Istud tamen discrimen intercedit; quod Appetitus mortalis peccati, totalem cæcitatem, cruciatum, immunditiam, & debilitatẽ &c. in Animam inducunt. Peccati vero venialis, & imperfectionum cognitarum Appetitus, non causant huiusmodi mala, in illo vniuersali ac con-

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
MVI
124

consumato gradu: siquidem non priuant gratiâ, quam Priuationem consequitur totale horum malorum in Anima dominium: mors siquidem Animæ, vita est illorum. Inferunt nihilo secius istorum malorum aliquid, quamuis in gradu remisso, iuxta teporem laxitatemque quam Animæ inuehunt. Ita vt Appetitus ille, qui magis Animam tepidam reddiderit, ampliorem etiam illi cruciatum, cæcitatem, impuritatemque sit allaturus. Verum illud hic obseruandum est; quod licet quilibet Appetitus, vniuersa hæc mala, quæ hic appellamus, Positiua inducat: nonnulli tamen præcipuè & directè quædam causant, nonnulli vero alia, & consequenter ac quasi minus Principaliter cætera. Quâuis enim verum sit, Appetitum immundum vniuersa hæc damna inferre: præcipue tamen & proprie corpus maculat & Animam. Et licet Appetitus auaritiæ cuncta etiam generet; principaliter tamen & directe cruciat & affligit. Appetitus quoque vanæ gloriæ, non minus cæteris omnia hæc infert damna: præcipue tamen & directe inducit tenebras ac cæcitatem. Appetitus etiam gulæ, introducit hæc omnia; singulariter tamen teporem, animique in virtute remissionē. & eodem modo de reliquis Appetitibus Philosophandum est. Ratio vero ob quam quilibet actus Appetitus voluntarij, omnia hæc simul mala Animæ inuehat, est, contrarietas, quâ directe actibus virtutum opponitur, qui in Anima oppositos effectus producunt. Nam quēadmodum vnus virtutis actus, simul ingenerat Animæ suauitatem, pacem, consolationem, lucem, puritatem, & fortitudinem: sic Appetitus vnus deordinatus, cruciamentum, laborem, defatigationem, cæcitatem, imbecillitatemque inducit virtutes maiora capiunt incrementa, dum vnius earum exercitio incumbitur: suo quoque modo vitia ac eorum effectus in Anima crescunt, ad vnius ipsorum augmentū. Et quamuis vniuersa hæc mala, illo quo Appetitui satisfit tempore, minime sentiantur, non enim hoc gustus illius seu delectatio permittit: postmodum tamen, optime ea quæ reliquit mala percipiuntur, Appetitus quippe dum expletur dulcis bonusque apparet: at temporis successu felle amarior eius effectus sentitur. Quod facile diiudicare poterit, qui sese ab eis permittit abduci. Licet non me lateat, reperiri aliquos adeo cæcos, omnique sensu destitutos, qui id nequaquā percipiant: cum enim in Deo non ambulent, non animaduertunt ea, quæ illis DÆVM, seu eius influxum præpediunt.

Diuersitas damnorū, à diuersis appetitibus Animæ illatorum.

Quare quilibet actus appetitus voluntarius, omnia ista dāna Priuatiua & Positiua inferat animæ.

De cæteris naturalibus Appetitibus inuoluntarijs, necnon de cogitationibus, quæ primorum motuum limites non excedunt, de tentationibus quoque alijs, quibus consensus non præbetur, non ago in præsenti: hæc enim omnia nullum ex descriptis malum inferunt Animæ, quamuis enim persona illa, quæ huiusmodi res patitur, ob passionem perturbationemque, quam tunc Appetitus illi inferunt, videatur sibi maculari & cæcari, nequaquam tamen ita est; imo occasionaliter effectus contrarios producunt: quamdiu enim illis resistitur, lucratur Anima fortitudinem, puritatem, lucem, consolationem, & plura alia commoda: iuxta illud quod dixit Dominus noster Diu. Paulo. *Virtus in infirmitate perficitur.* At sponte voliti Appetitus, vniuersa dicta mala, & alia plurima inducunt. Et propterea præcipua spiritualium Magistrorum solicitudo esse debet, vt quemcunque Appetitum eorum, quorum spiritualem curam

Appetitus inuoluntarij primi motus, & tentationes quibus consensus non præbetur, nullum ex dictis detrimentū adducunt Animæ.

Imo occasionaliter contraria malis bona adferunt. 2. Cor. 12. 9.

Quanam debeat esse præcipua cura spiritualium Magistri.

curam gerunt, statim mortificent; priuando illos, & veluti euacuando ab illo, quod appetebant, vt eos hac ratione à tantis miseriis immunes reddant.

CAPVT XIII.

De modo & ratione, qua vti debet Anima ad ingrediendum Noctem istam Sensus, Fide mediante.

RElíquum nunc est, vt aliqua tradamus monita, ad ingrediendum Noctem hanc Sensus. Ad quem finem sciendum est; Animam duobus vt plurimum modis intrare Noctem hanc sensus. Vnus modus est Actiuus, alter verò Passiuus; Actiuus modus ille est, quem Anima exercere potest, & exercet ex sua parte, Diuinæ gratiæ fauore adiuta, ad ingrediendum ineam; de quo modo agemus in sequentibus monitis. Passiuus autem modus ille est, in quo nihil ex se efficit Anima, nec propriâ vtitur industria: sed DEVS mediantibus peculiaribus auxilijs, in ipsa operatur, illâ se ad modum patientis habente, libereque consensum præbente. Et de hoc Passiuo modo agemus in libro Noctis Obscuræ, cùm de Incipientibus tractabimus. Et quoniam ibi, fauente DEO, vltrà nobis danda sunt huiusmodi hominibus consilia & monita, prout requirunt plurimæ imperfectiones, quas homines isti in hoc itinere solent admittere, nõ ero hoc loco fusior, in præbendis multis consilijs, præterquàm quod non est iste adeo proprius huius tractationis locus: solùm enim in præsenti animus est, de causis, cur transitus iste appelletur Nox, & quænam ea sit, quotque eius partes, disserere. Verùm quia videbatur doctrinâ hæc manca & insufficiens, nec vtilitatis tantæ; nisi statim aliqua media seu monita ad Noctem hanc Appetitus exercendam traderemus, volui compendiosum, qui sequitur modum hoc loco subtexre, idipsum facturus in fine cuiuscunque duarum partiũ seu noctis istius causarum, de quibus statim iuuante DEO acturus sum.

Compendiosus efficacissimus q; modus noctem hanc actiuè intrandi.

Instructiones hæ, & monita, quæ sequuntur ad Appetitus nostros superandos, licet compendiosa sint & pauca; arbitror tamen tàm esse proficua ac efficacia, quam breuia & compendiosa: ita vt qui seriò in illis sese exercere voluerit, nullis alijs documentis opus sit habiturus; imò hæc vniuersa alia complectuntur.

Primum monitum vitæ Christi consideratio & imitatio.

Primum monitum est, vt perpetuam sollicitudinem & affectum habeat, Christum omnibus in rebus imitandi, eius vitæ (quam considerare debet, vt illam norit imitari) sese conformando, ac taliter sese in omnibus euentibus gerendo, ac se gessisset ille.

Secundũ, abnegatio gustuum, consolationum &c. & qualiter id fieri debeat.

Secundum vt rem hanc commodè exequi valeat, quemlibet gustum seu consolationem, quæ sensibus sese obtulerit, nisi purè ad DEI gloriam & honorem admittenda esset, reipuat; vacuusque & liber ab illâ, IESV Christi amore remaneat: qui in præsenti vita nullum alium gustum seu delectamentum habuit, aut voluit, quam voluntatem Patris sui adimplere, quam etiam cibum suum appellabat.

Rem exemplis declaremus. Si sese obtulerit delectamentum in audiendis rebus, quæ ad DEI obsequium nullius sunt adiumenti; nec illis oblectari velit, nec eas ad aures admittere: si etiam senserit delectamentum in aliquibus rebus intuendis, quæ non magis illum ad DEVM ducant ac stimulent; delectamentum illud recuser, & ab huiusmodi rebus oculos auertat. Quòd si in loquendo, seu in quacunque

B. Joannis à Cruce Opera Mystica NVI 12a

alia re sim illis gustus, seu delectatio subrepserit, idipsum semper faciat. In omnibus denique sensibus, quantum commodè poterit, eodem Mortificationis & abnegationis vtatur modo. Nam si omninò gustus aliquis percipiendus sit, nec illum commodè euadere possit; sat erit, nolle illo oblectari, licet illum sentiat. Hacque ratione conari debet, sine mora mortificare & euacuare sensus gustu illo: hocque modo quasi in tenebris illos relinquere. Huiusmodi autem studio ac curâ, breui plurimùm proficiet. Ad mortificandas porrò, & ad concordiam reuocandas, quatuor naturales passiones, quæ sunt; Gaudium, Spes. Timor & Dolor (ex quarum consensu & pace, hæc & reliqua alia oriuntur bona) optimum & veluti totale est remedium, quod subsequitur, idque summi etiam meriti, ac grandium causa virtutum. Conetur semper animum suum flectere, non ad facilius, sed ad magis difficile.

Qualiter spiritualis se gerere debeat in delectatione seu gustu què euadere nequit.

Qualiter quatuor naturales animæ passiones mortificeandæ.

Non ad sapidum magis, sed ad id quod insipidius est.

Non ad id quod magis sit iucundum, sed ad id, quod nullam affert iucunditatem.

Non ad id quod consolationem parit, sed potiùs ad id quod afflictionem.

Non ad id quod requiem præbet, sed ad id quod laboriosum est.

Non ad amplius, sed ad minus.

Non ad sublimiora & preciosiora; sed ad viliora, & contemptibiliora.

Non ad id, quod est aliquid velle, sed ad illud, quod est nihil velle.

Non meliora, verùm deteriora inquirere optareque in omnem nuditatem, vacuitatem, ac paupertatem omnium, quæ in mundo sunt propter CHRISTVM ingredi. Expedit autem operationes huiusmodi, ex totis visceribus aggredi, & complecti, voluntatemque ad illas vniuerso studio, ac conatu inducere.

Si enim ex animo opera huiusmodi executioni mandauerit; exiguo valde temporis spatio reperiet in illis vberem deliciarum ac consolationum venam; ita tamen vt cuncta hæc ordinatè discreteque perficiat.

Ea quæ hucusque dicta sunt, si rectè exerceantur, satis sunt ad intrandum in noctem Sensitiuam.

Sed vt doctrina hæc copiosior sit; aliud exercitij genus, quo seriò mortificare Honoris Appetitum (ex quo multi alij Appetitus nascuntur) instruimur, proferemus.

Quæratione Honoris appetitus mortificandus sit?

Primo loco, opera, quæ in suum contemptum vergant, exequi conabitur; vtque alij idem faciant, curabit.

Secundo; ea, quæ illum contemptibilem reddant, verbis proferet; & vt alij idem faciant, studebit.

Tertio; humiliter de seipso sentiet cogitabitque, & vt cæteri idem faciant, peroptabit.

Pro documentorum istorum regularumque coronide, æquum erit hoc loco versus illos, qui in montis imagine, quam in libri huius principio apposuimus, descripti sunt, collocare: quibus continetur doctrina, ad eius vsque verticem, qui est sublimis Vnionis status, conscendendi. Quamuis enim verum sit, eorum doctrinam maximè in spiritualibus ac interioribus locum habere; nihilominus tamen sermo etiam in illis est de perfectionis spiritu, secundum quod sensibus & exterioribus exercitijs subijcitur, quemadmodum videre est in duabus vijs, quæ ad latera semitæ Perfectionis descriptæ sunt: sicque in hoc sensu hoc loco versus istos accipiemus; nempè secundùm sensibilem

Versus, in quibus cõtinetur doctrina ad summitatem vsque mõtis perfectionis, & Vnionis perueniendi.

lem exteriorem que hominis partem, qui tamen versus postmodum in secunda noctis huius parte, in spirituali sensu accipi debebunt.

Versus igitur sunt.

1. VT gustes totum, nolis in aliqua re gustum habere.
2. Vt peruenias ad sciendum totum, nihil in aliqua re scire velis.
3. Vt peruenias ad possidendum totum, nihil in re aliqua possidere velis.
4. Vt peruenias ad hoc vt sis totum, nihil in re aliqua esse velis.
5. Vt peruenias ad id quod non percipis gustu, transire debes per id, quod non percipis gustu.
6. Vt peruenias ad id quod nescis, transire debes per id quod nescis.
7. Vt peruenias ad id quod non possides, transire debes per id quod non possides.
8. Vt peruenias ad id quod non es, trāsire debes per id, quod non es.

Modus non impediendi totum.

1. QVotiescunque in aliqua re fistis, seu te detines, desinis proijcere te in totum.
2. Nam vt venias à toto ad totum, debes te abnegare ex toto in totum.
3. Et quando peruenies ad habendum totum, debes illud habere, nihil volendo.
4. Nam si volueris habere aliquid in toto, non purum habes in DEO tuum thesaurum.

In ista nuditate, reperit spiritus quietem suam ac refocillationem: nihil enim concupiscendo, nihil illum ad superiora impellit: & nihil ad inferiora deprimit: in centro enim humilitatis suæ quiescit: statim autem ac aliquid exoptat, in hoc ipso defatigatur.

CAPVT XIV.

In quo secundus dicti Cantus Versus, elucidatur.

Amoribus anxijs inflammata.

POstquam primum Cantici huius versum, in quo de Nocte sensitiua agitur, explicuimus, & quidnam Nox hæc sensus sit, curq; nox appelletur aperuimus; modum quoq; ac ordinem, qui in eius Actiuo ingressu seruari debet docuimus; consequens nunc iuxta rectum ordinem est, vt de eius proprietatibus ac effectibus, qui sunt prorsus stupendi agamus, quique sequentibus versibus dicti Cantus continentur: quos strictim attingam; quemadmodum in libri Proœmio pollicitus sum, statimque ad secundi libri tractationem descendam, in qua de alia Noctis huius parte, quæ est spiritualis, agitur.

Effectus noctis sensitiua mirabiles.

Ait itaq; Anima, se anxietatibus amoris inflammatam pertransisse, ac per hanc Obscuram Noctem Sensus, ad dilecti vnionem exiuisse. Ad vniuersos siquidem Appetitus superandos, gustusq; ac sapores rerum omnium, quarum amoribus solet voluntas vrgeri ad illis fruendū, abnegādos; requirebatur maior alius ardor alterius melioris amoris, qui non est alius quàm Amor sui sponsi: vt sic vniuersas delicias suas ac robur in ipso collocando, fortitudinem adipisci possit ac constantiam, ad vniuersos alios amores facile respuendos & abnegandos. Nec

Ad superādos Appetitus rerum omnium requiritur maior ardor alterius melioris amoris.

B. Joannis à Cruce
Opera mystica
MVI
12°

solummodò ad superandum Appetituũ sensitiuorum impetum, satis erat sponsi sui amor: sed necesse erat eò inflammari, idque anxiè. Quia solet reuera accidere, vt sensitiua hominis pars, tam vehementi Appetitus impulsu moueatur, & ad obiecta sensibus subiecta attrahatur, vt nisi spiritualis pars alijs maioribus spiritualiũ rerum ardoribus æstuet, nullo possit modo saporem seu gustum materialem seu sensibilem superare, vel noctem hanc sensus intrare, nec tantum habebit animi, vt in obscuro remaneat, priuando se Appetitu rerum omnium.

Quales autem sint huiusmodi amoris anxietates, quotque earum modi, quas Animæ in initijs huius Vnionis viæ patiuntur, quasque diligentias & adinuentiones adhibent, ad domo suâ; quæ propria est voluntas, egrediendum, ac in noctem mortificationis propriorum sensuum ingrediendum; & quàm faciles, imo & dulces hæ anxietates sponsi, faciant illis apparere tribulationes, periculaque noctis huius; non est huius loci discutere, sed nec verbis exprimi possunt. Potiùs enim hæc interius gustanda sunt, & ruminanda, quam scripto exprimenda. Quare ad explicandos reliquos versus, sequenti Capite progrediemur.

CAPVT XV.

In quo reliqui versus dicti Cantus explanantur.

O sortem fortunatam.
Exiui, nec fui obseruata,
Cùm esset iam domus mea tranquillata.

VTitur Metaphora miseri seruitutis status, à quo qui seipsum eripit, magnæ id fœlicitati asscribit; præsertim si nemo è carceris custodibus illum à fuga præpediat. Nam Anima post Originale peccatum, verè est velut captiua, in hoc mortali corpore passionibus, Appetitibusq; naturalibus subdita. A quorũ stricta obsidione, & seruitute exiuisse, æstimat illa *Sortem fortunatam* & adhuc absque eo, quod *Fuerit obseruata*: hoc est, absque eo, quod ab aliquo illorum præpediretur aut detineretur. Nam ad rem hanc perficiendam, profuit illi *nocte obscura exiuisse*, hoc est, per omnium gustuum seu delectationum priuationem, & omnium Appetituum mortificationem, sicuti diximus. Hoc verò fuit: *Cùm esset iam domus eius tranquillata*, cum videlicet sensitiua pars, quæ est omnium Appetituum domicilium, iam ob omnium eorum debellationem, & velut obdormitionem, sit tranquillata. Antequam enim Appetitus, mediante sensitiuæ partis mortificatione sopiantur, ipsaque sensitiua pars sit iam in illis adeò mortificata, vt spiritui non amplius sit contraria; non peruenit Anima ad libertatem veram, per quam dilecti sui vnione fruatur.

Anima post Originale peccatum est velut captiua.

FINIS HVIVS PRIMI LIBRI.

LIBER

LIBER SECVNDVS
ASCENSVS MONTIS CARMELI,
IN QVO, DE PROXIMO VNIONIS Diuinæ medio: Fide videlicet disseritur, nec non de secunda spiritus nocte, quæ secundo Cantu continetur.

CANCION SEGVNDA.

A Escuras y segura,
Por la secreta escala disfraçada,
O dichosa ventura,
A escuras y encelada,
Estando ya mi casa sosegada.

SENSVS.

IN obscuro, & satis tuta
Per secretos gradus, transuestita
O sortem fortunatam,
Intenebris, & benecelata,
Cum iam domus mea esset tranquillata.

CAPVT I.
In quo Cantus hic elucidatur.

CElebrat hoc secundo Cãtu Anima fœlicem, quam cõsecuta est sortem, in spiritu, ab vniuersis spiritualibus imperfectionibus, nec nõ ab appetitibus proprietatis in rebus spiritualibus, spoliando ac denudando. Quæ res eo maioris fuit illi causa fœlicitatis, quo grauiores illi in quietando domicilio isto spiritualis portionis, ac in obscuritatis huius interioris ingressu exhauriendæ erant difficultates: quæ obscuritas nihil aliud est, quam omnium rerum tam sensibus subiectarum, quam spiritualium, spiritualis nuditas, soli viuæ fidei innitendo (de hac enim vt plurimum loquor, cum negotium mihi nunc sit cũ ijs, qui ad perfectionem tendunt) & per eam ad Deum conscendendo. Et idcirco vocatur hoc loco fides & scala, & secreta: Vniuersi siquidem gradus & articuli, quos docet, secreti sunt, omnique sensui ac intellectui absconditi. Et hac ratione remanet Anima in obscuritate, omni naturali luce tam sensus quam intellectus destituta: vniuersasq; naturales ac rationales metas transgreditur, vt per diuinam hanc fidei scalam ascendat, quæ attingit & penetrat etiam profunda Dei. Quam etiam ob causam asserit, Animam exiuisse transuestitam, præseferebat enim & gerebat schema suum seu figuram naturalem transmutatã.

Quidnam sit hac obscuritas, per quam ad vnionẽ diuinam transeũdum est Anima?

Cur fides secreta scala appelletur?

Quid sit exiuisse animam transmutatam.

B. Joannis a Cruce
Opera Mystica
NVI
12

iam in diuinam, ascendendo scilicet per fidem. Et sic figura hæc seu immutata persona erat in causa, ne à temporaneis rebus aut rationalibus, aut etiam ab ipso Dæmone agnosceretur & detineretur.

Nullares anima nocet quamdiu in viua fide incedit.

Nulla siquidem istarum rerum potest illi obesse, quamdiu in hac fide viua incedit, nec istud solum modò fit, sed est etiam anima à Deo abscondita, obuelata, & ab vniuersis Dæmonis decipulis immunis, vt verè incedat (quemadmodum etiá hoc loco cantat) in obscuritate, & occultata, hoc est, Dæmoni, cui fidei lumen, est plusquam tenebræ. Vnde animam, quæ illac ducitur, affirmare possumus incedere tectam Dæmoni & occultatam, sicut postmodum clarius explanabimus. Ideoque asserit exisse se in obscuro & tutâ. Nã qui adeo fœlix fortunatusq; fuerit, vt possit per fidei obscuritatẽ incedere, illamque velut itineris Ducem sequi, expediendo & extricando se ab omnibus naturalibus phantasmatibus, nec non à spiritualibus rationibus, huiusmodi profectò securus tutusque graditur. Quamobrem etiam subiungit, se noctem hanc spiritualem transiuisse. Cum iam esset domus eius tranquillata, pars scilicet seu portio eius rationalis & spiritualis. Cuius etiã partis, quando Anima ad vnionem cum DEO peruenit, pacificatas & quietatas habet potentias seu vires naturales, nec non anxietates, seu impetus sensibus perceptibiles in parte spirituali tranquillatos.

Maior est obscuritas spiritualis noctis quã sensibilis.

Atque hanc ob causam, non dicit hoc loco, se anxietatibus amoris æstuantem exiuisse; quemadmodum in prima sensus nocte, asseruerat.

Nota Ad pacãdam spiritus domũ

Ad intrandum enim sensus noctem, rebusque sensibilibus sese denudandum, anxietates sensibilis amoris requirebantur, vt egressus iste perficeretur, sed ad perficiendam quietationem, seu pacificationem domus spiritus, seu spiritualis partis, solummodo necessaria est potentiarum, & omnium insuper gustuum, & Appetituum spiritualium in fide pura innixio seu affirmatio. Quibus peractis vnitur anima dilecto suo, vnione quadam simplicitatis, puritatis, amoris & similitudinis.

Solùmodo potentiarũ affirmatio requiritur seu in fide pura innixio.

Illud quoque animaduertendum est, quod in prima Cantus parte, dum de sensitiua parte ageretur, dicit anima, se nocte quadam obscurâ exiuisse, hoc verò loco loquendo de spirituali nocte, se in obscuro & tenebris asserit id peregisse, maior enim & densior obscuritas est spiritualis portionis, quemadmodum & ipsa obscuritas maior densiorque est tenebra, quam sit obscuritas noctis. Nam quamuis maximè obscura sit aliqua nox, apparet nihilominus aliquid: verum in ipsismet meris tenebris, nihil omnino videre licet. Vnde in sensus nocte, remanet nihilominus aliqua lux; remanent enim intellectus & ratio quæ non excæcantur. At in nocte hac spirituali, quæ est fides, vniuersum tam sensus quam intellectus lumen euanescit. Et propterea in hoc cantu asserit anima, se in obscuris & tutam iter fecisse, quod minimè in cantu alio affirmarat. Quo enim Anima minus vtitur propria ac innata habilitate seu aptitudine, eo securior ac tutior incedit, eò quod in fide maiores faciat progressus. Et hæc vniuersa fusè copioseque libro præsenti elucidabuntur, in cuius lectione, requiro petoque à lectore benignam attentionem, debent enim in illo res magni momenti, pro spiritus veri vtilitate explanari. Et quamuis dicenda sint aliquo modo obscura, taliter tamen vna doctrina alteri aditum parat, vt existimem omnia tandem optime intellectu percipienda.

Maior est obscuritas spiritualis noctis quã sensibilis.

Quò anima minus vtitur aptitudine sua naturali tutior incedit, maioresq; in fide progressus facit.

CA-

CAPVT II.

De secunda noctis huius quæ est fides, parte seu causa tractationem incipit: duobusq; probat argumentis, noctem hanc, Prima & Tertia noctis huius parte, obscuriorem esse.

NVnc consequenter de secunda noctis huius parte, quæ est fides, disputandum est, quam dicebamus esse, admirabilem illum modum tendendi ad terminum, qui est DEVS, quem etiam (secundum naturæ ordinem loquendo) causam, vel partem noctis huius, respectu animæ esse, asseruimus. Fides enim, quæ inter Deum Animamque intercedit, nocti mediæ comparatur, vnde & affirmare possumus, obscuriorem esse animam prima noctis parte, & quadamtenus tertia. Prima siquidem noctis pars, quæ est sensus, primæ nocti, seu noctis initio æquiparatur: quando videlicet desinunt omnia sensibilia obiecta apparere: quæ tamen non adeò abest à luce, quemadmodum Nox media. Tertia quoque pars noctis, quæ est Aurora, lucidei proxima, minimè est adeo obscura ac nox media, iam enim in eo est statu constituta, vt immediatè solis claritate irradietur. Et hæc noctis pars confertur ipsimet DEO. Quamuis enim certum sit, DEVM adeò esse Animæ obscuram Noctem, ac est fides (naturaliter loquendo) nihilominus tamen, transactis iam hisce tribus noctis partibus, quæ animæ naturaliter sunt Nox, illustrat illam supernaturaliter DEVS, diuinæ suæ claritatis radio, idq; sublimiori quodam, superiori, ac magis experimento perceptibili modo, qui iam est perfectæ vnionis exordium, quæ tertiâ nocte transactâ subsequitur, vnde dici potest, hanc tertiam partem minus esse obscuram.

Est præterea hæc secunda fidei Nox obscuriot primâ, hæc enim ad inferiorem hominis partem, quæ est sensitiua, spectat, & consequenter est exterior magis. Fidei verò Nox ad superiorem hominis portionem, quæ est rationalis pertinet, & consequenter intimior est magisque obscura: spoliat quippe illam rationali luce, vel vt verius dicam, illam excæcat, quare etiam commodè collata est nocti mediæ, quæ est pars noctis intimior & obscurior.

Fidei nox ad superiorem hominis partē non spectat.

Nunc itaque hanc secundam partem noctis, nempè fidem, esse spiritui noctis instar, sicut prior est sensui, ostendere debebemus, nec non quænam illi sint opposita seu contraria, quid etiam Animæ faciendum sit, vt actiuè illam ingredi valeat, immediatè aperiemus. Nam de Passiuo in eam intrandi modo, de eo videlicet, quod in anima operatur Deus, vt eam in illam inducat, suo loco libro scilicet tertio, acturi sumus.

CAPVT III.

Qua ratione fides sit obscura Nox respectu Animæ. Quod rationibus & sacrarum literarum authoritatibus confirmatur.

FIdem docent Theologi esse habitum Animæ certũ & obscurũ; Causa verò cur dicatur, habitus obscurus est, quia inclinat ad credẽdum veritates ab ipsomet Deo reuelatas, quæ omne naturale lumen superant, vniuersumq; humanũ intellectũ excedũt. Hinc est, vt excessiuum hoc fidei lumen,

Cur fidei lumen obscuret Animæ.

lumen, sit respectu Animæ obscura tenebra, id enim quod est maius priuat ac euincit minus, quemadmodum solis splendor, vniuersa alia lumina superat, adeò vt illo radiante, illa non videantur lumina, sicque potentiam nostram visiuam vincit, imò potius illam excæcat, quàm illuminat, eo quod eius lumen est admodum improportionatum, potentiamque visiuam excedens. Eadem ratione fidei lux, ob suum ingentem excessum, & ob modum quo Deus illam impertitur, lumen intellectus nostri superat, quod ex sese ad solam naturalium rerum scientiam protenditur; licet obedientiali facultate seu potentiâ insignitus sit; quoad res supernaturales, quando Domino nostro libuerit eum in supernaturali actu collocare. Vnde nihil intellectus ex seipso, nisi naturali viâ, quæ incipit à sensibus scire valet: ad quem finem etiam phantasmata, & obiectorum species in se vel in suis similitudinibus retinere debet, nec aliter aliquid intelligere poterit. Vt enim Philosophi asserunt; Ab obiecto & potentia paritur notitia. Hinc est quod si cuipiam ea enarrentur, quorum ille nullam vnquam notitiam adeptus sit, nec aliquam ipsorum similitudinem aspexerit, nor amplius illi notitiæ lumen, inde proueniet, quam si nihil de illis narratum fuisset.

Intellectus nostri lumen ad solam naturalium rerum scientiam extenditur, quamuis obedientiali facultate sit præditus respectu supernaturalium.

Exempli gratia, si cuipiam diceretur, in quadam insulâ animal quoddam, quod ipse nunquam vidisset reperiri, nisi ipsi similitudo aliqua animalis illius, quam ipse in alijs animalibus viderit, exprimeretur, non amplius illi notitiæ aut figuræ animalis illius remaneret, quàm antea; licet ei plurima de hoc animali referrentur, sed alio exemplo res hæc patentius clarescet, si cuipiam cœco nato, & qui nullum vnquam colorem intuitus est, color albus, vel rubeus describeretur, licet multi ad hoc adhiberentur sermones, non plus ille caperet, quàm si nihil fuisset dictum, eo quod nunquam huiusmodi colores, vel eorum similitudines, vt posset de illis iudicium ferre, conspexerit: nomina solummodo colorum illorum illi remanerent, quia illa potuit auribus excipere, at colorum forma, figuraque minimè, quia nunquam eam intuitus est. Ad eundem modum (quamuis non omninò similem) fides sese habet respectu animæ: proponit enim nobis res, quas nunquam aut in se, aut in earum similitudinibus, quæ nos absque reuelatione ad earum notitiam perducere possent, conspeximus. Vnde nullam earum naturalis sciétiæ lucem habemus: nulli siquidem sensui sunt proportionata ea, quæ nobis proponit: sed solùm nouimus ea mediante auditu, credendo illis quæ docet, subijciendo & obcæcando lumen nostrum naturale. Vt enim dicit S. Paulus. *Ergo fides ex auditu, auditus vero per verbum Christi.* Fides non est scientia quæ per aliquem sensum ingrediatur, sed animę assensus de ijs, quæ per auditum intrant. Imò fides multo amplius excedit, quàm allata exempla demonstrent. Tantum enim abest, vt efficiat euidentiam aut scientiam, vt etiam (sicut diximus) excedat & superet alias qualescunque notitias ac scientias, vt de illa in contemplatione perfectâ, rectum iudicium ferri possit. Aliæ scientiæ intellectus luce conquiruntur, sed hæc fidei notitia, absque intellectus luce obtinetur: abnegando illam fide mediante, imò luce suâ propriâ obscuratur. Propterea dixit Isaias. *Si non credideritis, non intelligetis.* Manifestè itaque patet, fidem, noctem esse obscuram Animæ respectu: hocque pacto illam illuminare, & quo amplius eam obscurat; eo maius illi sui ipsius lumen impertiri. Nã obcæcãdo præ-

Fides proponit nostri res de quibus nulla naturalis scientia haberi potest.

Rom. 10. 16.

Fides abnegando naturalem lucem intellectus acquiritur.

Is. 7. 9.

præbet lucem; iuxta Isaiæ effatum: Si non credideritis, hoc est, si vosmetipsos non excæcaueritis, non intelligetis; hoc est, carebitis luce & notitiâ eleuatâ & supernaturali. Et sic figuratur fides nube illa, quæ filios Israel ab Ægyptijs, in ipso rubri maris introitu diuidebat. *Et erat* (ait sacer textus) *nubes tenebrosa & illuminans noctem*: Res profecto admiratione digna est, quod cum esset tenebrosa, illuminaret tamen noctem, vt hinc intelligamus, fidē, quæ est obscura & tenebrosa nubes, respectu Animæ (quæ quidem Anima etiam remanet in nocte, cum in noctis præsentiâ, lumine suo naturali excęcata & priuata sit) tenebris suis illuminare, tenebrisq; animæ præbere lucē: vt hoc modo discipulus Magistro similis euadat. Homo.n. qui in tenebris viuit, nō poterat cōuenienti modo illuminari, nisi per aliā tenebrā: secundum illud, quod nos docuit Psalmist. dicēs: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiā* (hoc est) dies qui est Deus in sua æterna fælicitate, vbi iam dies est perennis, cōmunicat & manifestat diuinū suum verbum, quod est filius Angelis ac animabus beatis, quæ iam dies sunt, vt illud pernoscant illoque fruantur. Nox verò quæ in Ecclesia militanti fides est, vbi adhuc nox est, indicat Ecclesiæ scientiam, & consequenter, cuilibet animæ, quæ etiā nox est, cum necdum clarâ beatificâque sapientiâ fruatur, & in fidei prælentiā luce suâ naturali priuata est. Itaque id quod hinc elicere debemus, est, fidem quæ obscura Nox est, illuminare Animam quæ in tenebris versatur: sicque verificatur illud, quod etiam Dauid in alio Psalmo dixit. *Et nox illuminatio mea, in deliciis meis.* Quod perinde est, ac si dixisset: In delicijs puræ contemplationis, & meæ cum Deo vnionis, nox fidei, erit ductor meus. Vt hinc intelligamus, Animam debere in tenebris esse, vt lucem obtineat, hocque iter conficere valeat.

Iudic. 14. d.

Psalm. 3.

Fides licet sit obscura illuminat animam. Psal. 138. 11.

CAPVT IV.

In genere agitur, quo pacto debeat etiam Anima in obscuritate quantum in se est remanere, vt possit commodè per fidem duci ad summam contemplationem.

ARbitror explicatū iam aliquo modo esse, qua ratione fides est nox obscura Animæ, qua etiam ratione debeat anima à sua naturali luce remanere obscurata, illaque priuata, vt hoc modo se sinat à fide duci, ad sublimem vnionis statum.

Verùm vt Anima hac in parte bene suo munere fungi sciat, necessarium nunc erit, obscuritatem hanc, qua imbui debet, minutatim explanare, vt hanc fidei abyssum ingredi possit.

Vt anima per fidem ad vnionē cum Deo deduci possit, debet non solum secundum inferiorem partem, sed etiam secundum superiorē obcæcari.

Et propterea in præsenti capite agam in generali de illa, in sequentibus vero, deo propitio, magis in particulari trademus modum, quem, ne in hac obscuritate oberret, seruare debeat, & qua ratione Ductorem huiusmodi, nempe fidem, non præpediat.

Aio igitur Animam, vt commode per fidē ad hunc sublimē statum deduci possit, nō solum debere in obscuritate remanere, secundum portionem illā, qua creaturas, ac temporanea respicit, quæ inferior est, & sensitiua, de qua iā locuti sumus; sed etiam obcæcari, & obscurari debere, secundum portionē illam, qua Deum, spiritualiaque respicit; quæ portio rationalis est, & superior, de qua in præsenti disputamus. Nam ad hoc vt anima ad supernaturalem transformationem pertingat, certum est, debere eam obscurari, & omne illud, quod naturæ suæ consentaneum est, nempe sen-

B. Joannis à Cruce
Opera mystica
NVI
12

sitiuum, & rationale, transgredi, & trãsilire. Supernaturale enim, significat id, quod naturale transcendit, quare necesse est, naturale inferius remanere. Cum enim vnio hæc & trãsformatio, sensibus, & aptitudini, seu habilitati humanæ, subiecta esse nõ possit, debet anima perfecte, ac spontanee ab omnio eo, quod in eã ingredi, seu illam replere potest, sese vacuã inanemq; reddere; debet inquã ab omni amore, ac propẽsione, quantũ ad illã spectat sese exinanire: Deum enim nemo præpedire potest, quominus in Anima resignata, denudata, ac ad nihilũ redacta, quicquid illi libuerit operetur, efficiatque. Quare ab omnibus taliter sese exinanire debet, vt licet pluribus supernaturalibus donis potiatur, semper tamen veluti denudata abillis, & in obscuris, instar cæci, remaneat, obscuræ fidei innitendo, illam sibi in lucem, ac ductricem eligando, nullo modo figẽdo pedem, aut inhærendo alicui ex rebus illis, quas intelligit, gustat, sentit, aut imaginatur: vniuersa siquidẽ ista tenebræ sunt illã impeditura: fides quoque est supet omnẽ illam intellectionem, gustum, & perceptionem. Et nisi in huiusmodi rebus sese excæcauerit, remãseritque omnino in obscuritate illorum intuitu, ad id quod amplius est nõ peruenier, nempe ad id, quod fides docet. Cæcus nisi omnino totaliter sit talis, nõ facile permittit se à suo ductore dirigi, sed ob modicum illud residuæ lucis, quodlibet iter rectum arbitratur, eo quod aliud cõmodius minime videt, potestque hoc modo ipsum etiã ductorẽ suum in errorem inducere, taliter etenim se gerit, ac si videret, præsertim cum etiam ductori præcipere possit. Ad eundẽ modum Anima, si alicui propriæ notitiæ, gustui, vel sensui nititur, (cum vniuersa hæc licet maxima, & summa, sint valde exigua, & ab eo quod est Deus, dissentanea, & dissimilia, ac proinde ad carpendã viam hãc inepta) facile aut errat, aut retardatur, eò quòd nõ est totaliter obcæcata fide mediante, quæ est vera ductrix ipsius. Hoc enim insinuare voluit S. Paul. cum dixit: *Credere enim oportet accedentẽ ad Deum, quia est:* Ac si diceret; Anima, quæ ad diuinam vnionem aspirat; non debet illuc tendere intelligendo, nec gustui, sensui, vel imaginationi innitendo; sed diuinæ essentiæ perfectionem credendo, quæ à nullo intellectu, appetitu, imaginatione, aut aliquo alio sensu capi, aut attingi potest; vel in ista vita, sicuti est sciti, imo illud, quod in præsenti vita de Deo percipi, intelligi, & degustari potest, licet sublimissimum sit; in immensum ab eo, quod ipse est, & à purâ ipsius possessione distat.

Anima ad vnionẽ diuinam debet tendere non intelligendo, sed credendo.

Et propterea Isaias dixit: *Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te.* Et S. Paulus: *Oculus non vidit, nec auris audiuit; nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum.* Quomodocunque igitur voluerit Animæ perfectè vniri, per gratiam, amoremque perfectum in hac vita illi, cui per gloriam vnienda est in altera, (qui, vt hic S. Paulus dicit, adeo ingens bonum est, vt nec oculus viderit, nec auris audierit, nec in cor hominis mortalis simile quid ascenderit) manifestum est, id fieri debere, obscurando se & priuando omni eo, quod per oculos ingredi potest, & auribus percipi, & imaginatione exprimi, & deniq; corde (quod hoc loco Animã significat) comprehendi. Vnde magnopere præpeditur Anima, ad sublimẽ istum vnionis statum proficiscẽs, quando se alligat, vel innititur; alicui suæ intellectioni, sentimento, imaginationi, iudicio, voluntati, modo, vel cuicumque alteri propriæ rei, ignorando modum auellendi, & denudandi se ab omnibus istis. Vt enim diximus, id ad quod illa per-

Isa. 64. 4.

1. Cor. 2. 9

Magnopere præpeditur Anima ab vnionis adoptione si alicui suæ intellectioni, sui-cio, voluntati &c. sese alligat & innitatur.

git,

git,& aspirat,omnia hæc superat; licet illud supremum sit , & præstantissimum, quod in hac vita sciri,& gustari potest:sicque necessario hæc omnia transcendere debet,& transire ad nõ sciendum.Quamobrem in hoc ad vnionem itinere, relinquere suam propriam viam,est veram ingredi viam,vel vt melius dicam, est ad ipsum illius peruenire terminum ; & suum proprium modum deserere , est in illud, quod nullum habet modũ,nempe in Deũ, intrare.Anima enim,quæ ad hunc statum peruenit,non amplius habet suos modos, neq;illis adhæret,sed nec adhærere potest. Dico non habere modos, intelligendi, vel degustandi,aut sentiendi, licet in se contineat vniuersos modos: illius adinstar,qui nihil habet,& tamen possidet omnia; si enim tantum animi habeat,vt audeat interius,exteriusq; limitatũ suum esse naturale transilire, intrat sine dubio sine limite, in supernaturalia,quæ nullo coarctãtur modo,cùm contineant eminenter,vniuersos modos.Itaq; peruenire huc, est egredi inde,elõgando à se,&abijciendo,quam maxime istos modos,viles,ad sublimissimum istum assequendum. Itaque transiliendo, & transcendendo vniuersa illa , quæ siue spiritualiter,siue sensibiliter scire, & intelligere potest , debet Anima ex vniuersis præcordiis exoptare, peruenire ad illud, quod in præsenti vitâ scire nequit , nec in cor eius ascendere. Et retro à se abijciendo omne illud , quod spiritualiter, vel sensibiliter gustat , & sentit, aut potest in hac vitâ degustare,& sentire : debet ingenti desiderio anhelare ad illud, quod vniuersum gustum , sentimentumque exuperat. Et vt Anima pro hac re remaneat, libera, vacua , & tanti boni capax , nullâ ratione adhærere , sibique attrahere aliquid ex rebus illis debet,quas in se spiritualiter,vel sensibiliter receperit, (vt paulo post dicemus,quando de hac re in particulari tractabimus)multo has minores æstimando, comparatione illarum. Quo enim pluris facit illa siue spiritualia sint , siue non , quæ intelligit, gustat , & imaginatur , tanto amplius ex supremo bono detrahit & aufert, maioremque patitur moram in perueniendo ad illud: & quo minoris facit omne illud, quod habere potest , respectu, seu consideratione summi boni , tanto plus illi addit, pluriſque illud facit , & consequenter tantò plus ad illud accedit. Hocque modo in tenebris , fide mediante, quæ licet obscura sit , admirabilem tamẽ præbet lucẽ,maximopere anima diuinæ vnioni appropinquat. Profectò si Anima aliquid videre, seu intelligere valet, magis excæcaretur , & obfuscaretur circa Deum,quam ille , qui oculis apertis solem splendentem intueretur. Quamobrem in hoc diuinæ vnionis itinere, suas potentias excæcando , lumen debet videre: iuxta illud Saluatoris in Euangelio. *In iudicium ego in hunc mũdum veni; vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant &c.* Quod vt sonat , intelligi debet de isto itinere spirituali , nempe quod Anima illa , quæ in obscuritate fuerit , & se omni sua luce naturali,& propriâ priuauerit,ipsa supernaturaliter videbit ; illa vero quæ alicui suæ luci inniti voluerit, excæcabitur magis,& ampliores in hoc vnionis itinere moras sustinebit. *Ioan. 9. 39*

Vt autẽ minus cõfuse procedamus,existimo necessariũ fore capite sequẽti declarare, quidnam sit istud,quod vnionẽ animæ cũ Deo appellamus:arbitror enim, magnã id allaturum lucẽ ijs,quæ in sequentib.dicturi sum⁹. Vnde iudico expediẽs, Tractationem hãc prosequi,velut huius loci propriã.Licet.n. interrumpatur quodammodo filũ eorũ,de quibus nunc agimus; non

B. Joannis à Cruce Opera Mystica NVII 12

tamen est extra institutum nostrum hæc Tractatio: siquidem ijs ipsis, de quibus disputamus, dabit lucem.

Quare sequens caput erit parenthesis instar: confestim enim nobis ad Tractationem de tribus Animæ potentijs in particulari, in quantum tres Theologicas virtutes respiciunt, & ad hanc secũdam spiritualem noctem spectãt, redeundum erit.

CAPVT V.

Quid sit vnio Animæ cum Deo explicatur, & comparatio seu similitudo quædam proponitur.

EX hucusq; dictis, aliquatenus conijci, & intelligi potest, quidnam illud sit, ꝙ hic vnionẽ cum Deo appellamus, & ideo clarius intelligentur, quæ hoc loco de ea adducemus. Non est in præsenti mens mea explanare in particulari, qualis sit vnio intellectus, & qualis voluntatis; qualis etiã memoriæ, qualis transiens, & qualis permanens in dictis potentijs, & qualis totalis; de his enim postmodum agemus, quæ etiam cõmodius multo percipientur in locis proprijs, quando nimirum de eadem pertractando materiã, præoculis vnum habebimus exemplũ, simul cum intelligentia præsenti, ibi quælibet res percipietur, & animaduertetur, meliusque de illa feretur iudicium. In præsenti solummodo mihi sermo est, de ista vnione totali, & permanenti secundum Animæ substantiam, ac eius potentiarum, quantum ad habitum vnionis spectat; nam quantum ad Actum pertinet, Deo fauente postmodum agemus, & ostendemus, qualiter nec habeamus, sed nec habere in hac vitã possimus vnionem permanentem in potentijs, sed solummodo transeuntem.

Multiplex Animæ vnio cũ Deo.

De quanam vnione in præsenti agatur.

Vt itaque qualisnam sit vnio hæc, de qua agimus, intelligamus, sciendum est, Deum in quacunq; Anima, licet illa sit maximi inter homines peccatoris, manere, & substantialiter esse præsentem. Et hic vnionis modus, vel præsentiæ, (quam possumus appellare naturalis ordinis) semper inter Deum, & vniuersas creaturas reperitur; secundum quem etiam conseruat illis esse, quod habent: ita vt si ab illis secundum istum vnionis, seu præsentiæ modum abesset, statim in nihilum redigerentur; & desinerent esse. Quare cum de vnione Animæ cum Deo loquemur, nequaquam loqui volumus, de huiusmodi Dei præsentia substantiali, quæ semper in omnibus creaturis reperitur, sed de transformatione, & vnione Animæ cum Deo per amorem: quæ tunc solum perficitur, quando interuenit similitudo amoris, inter Deum, & Animam: & idcirco hæc vocabitur vnio similitudinis, sicut illa vnio essentialis, vel substantialis, & illa naturalis, ista supernaturalis, quæ tunc est quando duæ voluntates, Animæ videlicet, & Dei sunt vniformes, nec in vna aliquid reperitur, quod alteri repugnet; sicque quando Anima totaliter ablegauerit à se omne illud, quod repugnat, nec conformatur voluntati diuinæ, remanebit in Deum per amorem transformata.

Ista de qua hic agitur anima cũ Deo vnio, appellari potest vnio similitudinis.

Quod non solum intelligitur de eo, quod actu repugnat, sed etiam de eo quod repugnat secundum habitum, ita vt non solum voluntarij imperfectionum actus, ab Anima debeant abesse, sed etiam illarum habitus. Et quoniam nulla creatura, nullaque illius actio, aut habilitas, pertingere potest ad id quod est Deus; ideo debet denudari Anima ab omni creatura, & ab omnibus actionibus. & habi-

Non solum voluntary imperfectionũ actus abesse debent ab Anima quæ ad vnionẽ cum Deo aspirat, sed etiã illarum habitus.

habilitatibus suis, hoc est, à sua scientiâ, intelligentiâ, gustu, & sentimento: vt hoc modo abiectis omnibus illis, quæ sunt dissimilia & disconuenientia Deo, possit similitudinem Dei recipere, cum iam nihil remaneat in illâ, quod non sit Dei voluntas, & hoc modo in eam transformetur. Hinc est, quòd licet verum sit, Deum, vt diximus, semper inesse Animæ, dando illi suum esse naturale præsentiâ suâ, illudque conseruando: non tamen semper illi communicare esse supernaturale. Hoc enim non communicatur, nisi per amorem, & gratiam, in qua non omnes Animæ viuunt; & illæ quæ viuunt non in æquali gradu: quædam enim plures habẽt, quædam pauciores gradus amoris: vnde illi Animæ magis se communicat Deus, quæ magis in amore excellit, quod nihil aliud est, quàm magis conformem habere voluntatem diuinæ; & quæ totaliter habet illam conformem, & similem, est quoque totaliter vnita, & in Deum supernaturaliter transformata. Quam ob causam, vt iam explicatum est, quantò amplius aliqua Anima vestitur creatura, eiusque habilitate, secundum affectum, & habitum, tantò minus dispositionis habet ad talem vnionem: non enim dat integrè locum Deo, vt illam in esse supernaturale transformet. Debet itaque Anima denudari ab istis contrarietatibus, & dissimilitudinibus naturalibus, vt Deus, qui naturaliter in eâ præsens est, per essentiam illi se supernaturaliter communicet per gratiam. Et hoc indicare voluit D. Ioannes cum dixit: *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* ac si manifestius diceret: illis solummodo dedit potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, hoc est, non ex complexione, & compositione naturali; neque ijs qui ex voluntate carnis, hoc est, ex arbitrio naturalis idoneitatis, & capacitatis, nec minus illis, qui ex viri voluntate nati sunt: (quibus verbis omnigena arbitrãdi, & cõprehendendi per intellectum ratio includitur) nemini istorum potestatem dedit filios Dei perfectè fieri, sed illis dumtaxat, qui ex Deo nati sunt, hoc est, his qui per gratiam renati, præeunte morte veteris hominis, leuant se supra se ad supernaturalia, huiusmodi renascentiam, & filiationem recipiendo, quæ est super omne id, quod excogitari potest. Vt enim idem D. Ioann. alio loco ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei.* i. qui non renascetur in spiritu sancto hoc Dei Regnum, statum videlicet, perfectionis videre non poterit; porro renasci in spiritu sancto perfectè, in hac vita, est animam esse Deo simillimam in puritate, absque mixtura aliqua imperfectionis, & hoc modo poterit fieri pura transformatio, per participationem vnionis, non tamen essentialiter. *Ioan. 3. 5.*

Elegans similitudo qua vnio diuina declaratur.

Vt autem vtrumque clarius percipiatur, placet hanc proponere similitudinem. Percutit solis radius aliquam vitream fenestram; si vitrum aliquibus scatet maculis, vel nubeculis, non poterit illud sol luce suâ illustrare, & totaliter transformare, eo modo quo id efficeret, si vitrum esset pellucidum, ac ab omnib. illis maculis immune: imo tanto minùs illud illustrabit, quantò minus illud fuerit ab illa labe, maculisque denudatum, nec hoc per solem stabit, sed per ipsummet vitrum, ita vt si illud fuerit omnino depuratum ac limpidum, totaliter illud illustraturus transformaturusque sit radius, vt ipsemet radius vitrum videatur, eandemque præbeat lucem, quamuis nihilominus vitrum, licet radio simillimum appareat, verè tamen distinctam habeat naturam.

turam ab ipso radio, possumusq; rectè vitrum illud, radium, vel lucem per participationem appellare. Eodem pacto anima, est vitri instar, quam continuò ferit, vel, vt aptius loquar, in qua perpetuò naturaliter manet, hæc diuina lux essentiæ diuinæ, quemadmodum explicuimus.

Quid sit Deum perfectè amare.

Præbendo itaq; locum anima, hoc est, abijciendo à se omnem maculam, vel labem creaturarum, quod fit habendo voluntatē suam perfectè cum Dei voluntate vnitam, (amare quippè nil aliud est, quam in expoliando, & denudando se propter Deū ab omni eo quod ipse non est laborare) confestim, remanet illustrata, ac in Deum

Animam in Deum transformata videtur ipse Deus.

transformata. Communicat quippè illi Deus esse suum supernaturaliter, vt videatur ipsemet Deus, & ea quæ Deus habet, ipsa quoque habeat; & quando Deus facit hunc supremum fauorem Animæ, eiusmodi fit inter eos vnio, vt vniuersa quæ Dei sunt, & quæ sunt animæ, vnum sint in transformatione participante, & Anima plus Deus tunc apparet, quam Anima; imò est Deus per participationem: quamuis verum sit, illam esse suum naturale ita distinctum, à Diuino esse retinere, sicuti antea licet sit in Deum transformata, quemadmodum etiam vitrum, distinctum suum esse retinet à solis radio, à quo fuit illustratum.

Potissima ad vnionē Diuinam præparatio est puritas & amor.

Ex dictis manifestius patet, dispositionem ad hanc vnionem sicut diximus, non esse proprium animæ intelligere, neque gustare, neque sentire, neque imaginari circa Dei naturam, vel qualemcumq; aliam rem, sed puritatem esse atque amorem, hoc est, perfectam resignationem, ac totalem denudationem propter Deum factam, & sicut non potest haberi transformatio perfecta, nisi perfecta puritas antecedat, ita secundum, puritatis gradum, erit illustratio, illuminatio & vnio Animæ cum Deo, maior vel minor, licet vti dico, non ea futura sit, vndequaque perfecta, si Anima non omninò, & vndequaque fuerit defæcata, & pura. Rem etiam hanc, alià similitudine declarare placet. Erit imago aliqua perfectissima, & singularis excellentiæ, quam docta manus præstantibus, sublimissimisque coloribus depinxit, quorum aliqui adeò tenui sunt Lineâ ducti, vt vix ob eorum subtilitatem, ac præstantiam discerni possint. Imaginem hanc, si inspexit ille, qui minus claros perspicaceisque oculos habet, pauciores in illà præstantias, & subtilitates agnoscet: qui verò puriores oculos habuerit, eo plures imaginis excellentias animaduerteret; quòd si aliquis acutiori, & limpidioti oculo sit præditus, plures etiam imaginis perfectiones contemplabitur, & tandem ille qui clariorem defæcatioremque visiuam habuerit potentiam, plures eius perfectiones, ac subtilitates animaduertet. Imago enim adeò eminet, & excellit, totque videnda in se complectitur, vt licet quisquam plurima illius videndo assequatur, multò tamen adhuc plura stupenda ad videndum, & oblectandum residua illi sint. Eodem modo affirmare possumus; Animas sese cum Deo habere, in hac illustratione, vel transformatione. Licet enim verum sit, Animam secundum suam multam, vel exiguam capacitatem, potuisse ad vnionem peruenire, sed non omnibus id contingit in æquali gradu: hoc enim euenire solet, secundùm quod placuerit Domino, vnicuique fauorem hunc impertiri: res enim hęc fieri solet ad similitudinem modi illius quo Deo fruuntur beati in cælo: quidam enim perfectius illum intuentur, alij verò minus perfectè, & clarè, vniuersi tamen Deum aspiciunt, omnes-

Non omnes anima quæ ad vnionē peruenit æqualem illius gradum adipiscuntur.

Vnio cum Deo similis fruitui gloriæ.

omnesque sunt satisfacti, & iucundi; habent enim expletam capacitatem suam iuxta maius, vel minus meritum.

Quibus vita nondum aeterna aequalis, nequit sua facultate perfrui.

Hinc est, quòd licet reperiantur in præsenti vita aliquæ Animæ, æquali tranquillate, ac pace in suo perfectionis statu perfruentes, sorteque sua vnaquæque contentæ, poterit tamen illarum aliqua, multò pluribus vnionis huius gradibus aliis præminere, & nihilominus æqualiter vnaquæque esse satisfacta, seu contenta, secundùm vniuscuiusque dispositionem, & notitiam, quam de Deo habet. Verum anima illa, quæ tantam puritatem non acquirit, quantam videntur requirere illustrationes, & vocationes diuinæ, nunquam ad veram pacem, satisfactionemq; peruenit; siquidem non est assecuta nuditatem illam, ac vacuitatem potentiarum, quæ ad puram simplicemq; vnionem necessaria est.

CAPVT VI.

In quo demonstratur, tres Theologicas virtutes, tres Animæ potentias perficere debere; & quâ ratione virtutes istæ euacuant illas, ac in tenebris constituunt. Elucidantur ad hoc instituendum duæ authoritates, S. Lucæ vna, Isaiæ altera.

CVm itaq; nunc tradendus nobis, & præscribendus sit modus, tres animæ potentias, intellectum nimirum, memoriam, & voluntatem, in noctem hanc spiritualem introducendi, quæ nox, est medium vnionis diuinæ obtinendæ; necesse est primo loco ostendere in hoc capite, quomodo tres Theologicæ virtutes, Fides, Spes, & Charitas, medijs quibus Anima secundū suas potentias vnitur Deo, eandem efficiunt vacuitatem, ac obscuritatem vnaquæq; in sua potentia, fides in intellectu, spes in memoria, charitas in voluntate. Postmodū verò agemus, quâ ratione perfici debeat Intellectus in fidei tenebra, & quomodo vacuum Memoriæ in spe, quâ etiam ratione debeat Voluntas ingredi carentiam, seu nuditatem omnis affectus, vt ad Deum possit proficisci. Quæ postquam præstiterimus, manifestè constabit, quàm necessarium sit animā, vt tuta itinere hoc gradiatur, per hanc obscuram noctem, innixam tribus istis virtutibus, incedere, quæ illam ab omnibus rebus euacuant, ac illarum intuitu obscuram efficiunt, vt, enim dictum est, Anima non coniungitur Deo, in hac vita mediante intellectione, aut gustu, aut imaginatione, aut quocunque alio sensu; sed solummodo per fidem, secundum Intellectum, per spem, quæ attribui memoriæ potest, (licet illa sedem suam in voluntate habeat) in quantum spes generat, vacuitatem, obliuionemque quarumcunque caducarum, aut temporanearum rerum, reseruando totam Animam summo illi bono, quod sperat, & expectat. Per amorem denique vnitur Deo secundum voluntatem. Vniuersæ hæ tres virtutes, sicut diximus, expoliant, ac exinaniunt potentias. Fides euacuat, & obscurat Intellectum ab omni intellectione: Spes euacuat Memoriam ab omni omnium rerum possessione, seu vsurpatione. Et Charitas euacuat, ac expoliat voluntatem, ab omni amore, & gustu illorum omnium, quæ non sunt Deus. Fides enim (vt patet) ea nobis proponit, quæ intellectu, secundum eius rationem, ac naturale lumen considerato, capi non possunt. Vnde loquendo de illa S. Paulus, dicit eam esse sperandarum substantiam rerum. *Fides est sperandarum substantia rerum.*

Animæ coniungitur Deo per fidem in intellectu, per spē in memoria, & per charitatē in voluntate.

Cur spes attribuatur memoriæ

Ad Hebr. 11. 1.

Et

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
NVI
124

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Et licet intellectus magna cum certitudine, ac firmitate illis assensum præbeat; non sunt tamen eiusmodi res, quæ intellectui pateant, aut ab illo penetrentur: si enim illi manifestæ fierent, non esset amplius fides, quæ licet intellectum efficiat certum, non tamen illum facit clarum, quin potiùs obscurum. Nec ambigere licet, spem quoque constituere memoriam in tenebris, & vacuitate omnium, quæ hinc sunt, & omnium, quæ sunt illinc (hoc est omnium rerum, tàm præsentis vitæ quam futuræ) spes enim semper est illorum, quæ non possidentur; si enim possiderentur, iam non esset spes. Vnde S. Paulus dixit: *Spes quæ videtur, non est spes*: nam quod videt quis, (id est, quod possidet) quomodo speret? Ergo etiam virtus hæc vacuitatem efficit: cum circa illa versetur, quæ non possidentur, non verò circa illa quæ possidentur. Nec minùs Charitas evacuat voluntatem ab omnibus creatis rebus: siquidem nos ad Deum supra omnia amandum, obstringit. Quod nequaquam fieri potest, nisi separando, & auellendo amorem ab omnibus illis, vt in Deo integer collocetur. Et ideo dixit Christus apud S. Lucam: *Qui non renunciat omnibus quæ possidet (voluntate) non potest meus esse discipulus*. Atque ita vniuersæ istæ virtutes collocant Animam in obscuritate, omniumque rerum vacuitate. Notanda, & consideranda est hoc loco parabola illa, quam redemptor noster per S. Lucam protulit; *Amicum debuisse media nocte pergere ad petendos tres panes*; qui tres has virtutes significant. Dixit illos media nocte petijsse, vt intelligamus, Animam in suis potentijs obscuratam, disponi debere, ad perfectionem trium istarum virtutum, illarumque perfectionem in hac Nocte acquirere.

Ad Rom. 8 v. 24.

Luc. 14 v. 33.

Luc. 11. 5.

Capite etiam sexto Isaiæ legimus; duos Seraphinos Prophetam ad latera Domini conspexisse, vnumquemque sex alis instructum: quarum duabus velabant suos pedes; significando hoc modo exinctionem abalienationemque affectuum voluntatis in omnibus rebus, idque solius Dei amore: duabus verò alis velabant facies suas; significando tenebras, & obscuritatem Intellectus coram Deo, alijs verò duabus volabant; vt intelligamus, volatum spei ad ea, quæ non possidentur, eleuatæ supra omne illud, quod extra Deum possideri possit. *Seraphin stabant super illud: sex alæ vni, & sex alæ alteri; duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.*

Isai. 6. 2.

Ad has igitur tres virtutes, inducere debemus tres Animæ potentias; imbuendo Intellectum fide, Memoriam ab omni possessione denudando, & Voluntatem charitate inflammando: istoque modo eas in obscuro collocando, & ab omni eo, quod tribus his virtutibus conforme & consentaneum non fuerit, denudando.

Quid in libro isto intendat Author.

Atq; hæc est Nox illa spiritualis, quam in superioribus diximus Actiuam: Anima enim, quantum in se est facit, vt illam ingrediatur. Et quemadmodum, dum de nocte sensitiua ageremus, præscripsimus modum euacuandi sensitiuas potentias, à suis sensibilibus obiectis, quantum ad Appetitum spectat; vt hac ratione Anima egrederetur à suo termino à quo, & ingrederetur itineris medium, nempe Fidem; sic in hac spirituali Nocte trademus Deo fauente modum, quo spirituales potentiæ euacuentur, & ab omni eo, quod Deus non est, repurgentur; docebimus inquam, quâ ratione remanere debeant, in harum trium virtutum obscuritate, quæ sunt medium, & dispositio ad vniendam Deo Animam. Et in hoc quem tradidi-

NOTA. *Nox actiua, in qua introducitur anima, quænam sit.*

didimus modo, omnis securitas reperitur, tam contra Dæmonis astus, quàm etiam contra proprij amoris, & eorum, qui ex eo nascuntur, ramorum, insidias: qui quidem proprius amor, solet subtilissimè decipere, & spiritualium iter præpedire: eò quòd nesciant sese expoliare, ac denudare, regendo se, ac gubernando secundùm istas tres virtutes; sicque nunquam veram medullam, & puritatem spiritualis boni attingũt, nec adeò recto, ac compendioso itinere, sicut possent, incedunt.

Verùm animaduertendum est, me nunc peculiariter cum ijs loqui, qui iam cœperũt ingredi contemplationis statum: cum incipientibus enim aliquanto fusius hisce de rebus tractandum erit quod fiet, cùm de illorum proprietatibus disputabimus.

CAPVT VII.

In quo ostendit, quam angusta sit via, quæ ducit ad vitam: quamque liberi, ac expediti debeant esse illi, quibus per eam incedendum est. Incipit etiam de Intellectus nuditate agere.

AD agendum nunc de nuditate, ac puritate trium Animæ potẽtiarum, requirebatur profecto scientia maior, spiritusque sublimior eò, quem mihi ineſſe sentio, vt spiritualibus persuadere possem, quàm angusta sit hæc via, quam Saluator noster dixit ducere ad vitam: vt veritate hâc conuicti, non tantoperè admirarentur vacuitatem, ac nuditatem, in qua potentias Animæ in nocte hac relinquere, ac deserere debemus. Ad quem finem, attente pensanda sunt illa verba, quæ apud S. Matthæum Dominus noster legitur dixisse: quæ nos nunc huic obscuræ Nocti, & eleuatæ perfectionis viæ, accommodabimus, & applicabimus. *Quàm angusta inquit porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam; & pauci sunt qui inueniunt eam.* Quo loco alta mente perpendenda est ponderatio illius particulæ *Quam.* Perinde enim est, ac si dixisset. In veritate, est valde angusta, plus etiã quã existimatis. Est præterea animaduertendũ primo dixisse; angustã esse portam, vt hoc modo innueret, quòd ad hoc, vt Anima per istã Christi portã, quæ est viæ huius principium intrẽt, se debeat primo coarctare, voluntatemq; à rebus omnibus sensibilibus, & tẽporaneis, per Dei supra omnia amorẽ denudare, ac alienare. Quę res ad sensus noctẽ pertinet, de qua iam locuti sumus. Et cõtinuò subiungit Dominus, arctam esse viam, videlicet perfectionis: vt seriò inculcaret, quod ad arripiendum perfectionis iter, non solum intrandum sit per angustam portam, abnegando, & euacuando vniuersa, quæ sunt sensui conformia, sed etiam omni proprietati renũci andum, coarctando seipsum, ac pure expediendo ab omnibus quæ spectant ad portionem spiritus. Quamobrem illud, quod de porta angusta dixit, applicare, & attribuere possumus sensitiuæ hominis parti; quod verò de via arcta locutus est, spirituali, & rationali. Porrò in eo quod asserit; paucos esse qui viam hanc inueniunt; obseruanda est paucitatis huius causa, quæ est, quia pauci inueniuntur, qui norint, & velint summam hanc spiritus vacuitatem, & nuditatem ingredi. Hæc enim excelsi Perfectionis mõtis semita, cùm necessariò sursum tendat, & arcta sit; eiusmodi requirit ascendentes, qui nullo sint pondere onusti, quod illos ad inferiora premat; nec aliquod obstaculum patiantur, quod illos à conscẽsu ad superiora remoretur. Et quoniam hæc est negotiatio seu commerciũ, in quo solus Deus quæritur, & acquiritur; ille solus quærendus est, & acquirendus.

Quid faciendum ei qui per angustam Christi portam ingredi velit.

Cur pauci sint qui norint, & velint, summam spiritus nuditatem ingredi.

B. Joannis à Cruce Opera Mystica NVI 12

Non solum ab omnibus illis rebus, quæ creaturas respiciunt vacua esse debet anima ad perfectionem aspirans, sed etiam in vniuersis quæ spiritualia sunt oportet esse annihilatã.

Ex quibus manifestè apparet, non solũ Animam ab omnibus illis, quæ creaturas concernũt, debere esse expeditã, & immunem; verum etiã in vniuersis ijs, quæ spiritus sunt, annihilatã, abalienatã, & absque vllo proprietatis næuo, incedere debere. Quamobrẽ erudiens nos Saluator noster, & veluti in viã hanc introducens, admirabilẽ illam doctrinam apud S. Marcũ protulit, tantò minùs (si audeo dicere) à Spiritualibus viris executioni, per ipsius exercitia datam, quãtò est necessaria magis, & proficua. Quã doctrinã, quoniã tantoperè necessaria est, adeoq; ad institutum nostrum facit, placuit hoc loco referre, ac in spirituali, genuinoque illius sensu explanare. Dicit itaque Dominus. *Si quis vult me sequi, abneget semetipsum, & tollat Crucem suã & sequatur me. Qui enim voluerit animam suã saluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, saluam faciet eam.* O quis dignè verbis exprimere posset, quis par esset exercere, ac degustare id, quod in hac adeò sublimi Saluatoris nostri, de nostri ipsorum abnegatione, doctrina continetur? vt spirituales personæ animaduertere penitusq; pernoscere possent, quàm diuersus illis in hoc itinere in eundus esset modus ab eo, quem multi illorum optimum esse existimãt, quibus videtur, quemlibet recessus & abstractionis modum, & qualemcunq; rerum reformationem ac correctionẽ satis esse. Nõnullis spiritualibus sufficit, sese aliqualiter in virtutibus exercere; qui etiam orationi continuò insistunt, mortificationiq; dãt operam: non tamen illam nuditatem, & paupertatem, vel abnegationem, vel puritatẽ Spiritualem (omnia quippe hæc vnum idemq; sunt) quam nobis hoc loco consuluit Dominus, perueniunt, cuius rei ea est ratio, quia adhuc nutriũt, ac vestiũt naturam suam consolationibus potiùs, quàm illã ab omnibus Spiritualibus blandimentis, ob Dei amorẽ denudent, & abnegent. Existimãt enim isti, satis esse in rebus mũdanis abnegare naturã, nec opus esse annihilare, & repurgare illã à spirituali proprietate. Hinc oritur, quod statim aliquid ex solido isto (quod nihil aliud est, quã annihilatio omnis in Deo suauitatis, in siccitatẽ, insipiditatẽ, & afflictionẽ, quæ est Crux purè spiritualis, & nuditas pauperis spiritus Christi) sese obtulerit; non minus ab eo, quã ab ipsa morte abhorrẽt: solumque requirunt dulcedines, & communicationes delicioſas, ac satietatẽ quãdam in Deo, quæ nullo pacto dici potest sui ipsorũ abnegatio, vel spiritus nuditas, sed potiùs gulositas, seu ingluuies Spiritus. Qua in re efficiuntur spiritualiter inimici Crucis Christi: verus enim Spiritus potius quærit id, quod insipidum est in Deo, quam id quod sapidum: & potius ad patiendum flectitur, quam ad capiendam consolationem: & potius ad carendum omni bono propter Deum, quàm ad illud possidẽdum: ad ariditates potius, & afflictiones, quàm ad cõmunicationes suaues. probè enim nouit, hoc esse Christũ sequi, & semetipsum abnegare: istud verò nihil aliud fortassis esse, quàm seipsum in Deo quærere, quod valde contrariatur amori. Siquidẽ seipsum in Deo quærere, est delicias, blandimentaq; Dei aucupari. At Deũ in se quærere, non solum est omnibus carere velle propter Deum, sed etiam sese ad volendum, & eligendũ propter Christũ, quodcunque maximè insipidũ, siue illud à Deo proficiscatur, siue à mũdo flectere ac inclinare; & hic est verus Dei amor.

Marci 8. 34. Quantam Saluator noster abnegationẽ à suis requirat.

Grauis nonnullorũ Spiritualium in materia mortificationis error.

Qui sint Spiritualiter inimici Crucis Christi.

Verus Spiritus quis sit.

Purè Deũ quærere in quo consistat.

O, quis pro rei dignitate verbis assequi posset, vsquequò vult Deus hanc abnegationẽ peruenire? Illa profectò debet esse veluti quædam mors, & annihilatio, temporalis, naturalis & spiritualis rerum omnium,

Abnegatio hæc seu nuditas, debet esse mortis similis.

omnium, quantum quidem ad voluntatis æstimationē spectat, in quâ morte, vniuersum nostrū lucrum reperitur. Et istud est, quod hoc loco insinuare voluit Saluator noster, dum ait. *Qui voluerit saluare animam suam, perdet eam.* Id est, qui aliquid possidere, vel sibi ipsi quærere voluerit, iste illud amittet, *& qui perdiderit animam suam propter me, ille lucrabitur eam.* Hoc est, ille, qui propter Christum renuntiauerit omnibus illis, quæ voluntas appetere, & degustare potuerit, eligendo, quod magis Cruci cōsentaneum appareat (quam rem idē Dominus apud S. Ioannem vocat, odio habere animam suam) hic illam lucrabitur. Idipsum etiam Maiestas eius, duos illos discipulos, qui dexteram ipsius, siniſtramque sibi deposcebant, edocuit; quando interciso ambitioſę eorum petitionis gloriæ filo, calicem illis, quem ipsemet esset bibiturus, obtulit, veluti rem longè pretiosiorem, & tutiorem in præsenti vita, gaudio, & lætitia, quam poscebant.

Ioan. 12. Qui amat animam suam, perdet eam.

Calix porrò hic nihil est aliud, quàm naturæ propriæ emori, denudando illam, vt possit per hanc angustam semitā incedere, & auellēdo ab omni eo, quod ad illā quoquo modo secundū sensum spectare potest (vt iā diximus) & ab omni eo, quod illā secundum spiritum concernit (vt iam dicturi sumus) ab eius videlicet intellectione, fruitione, sensu; ita vt non solū absque proprietate vlla in vtroq; remaneat, sed vt neq; hoc secūdo, Spirituali scilicet, ad viam angustam ineundā sit implicata, ac præpedita iter enim hoc aliquid aliud, præter abnegationē; & Crucē (quemadmodum innuit Saluator) quæ est baculus, seu scipio, cui innitendum est, non capit; quæ etiam iter hoc maximoperè complanat, & alleniat. Hinc Dominus noster dixit apud S. Matthæum: *Iugum meum suaue est, & onus leue*, quod onus Crux est. Nam si quispiam statuit firmiter, subijcere sese, Crucemque hanc tollere: quæ nihil aliud est, quàm seriò proponere, ac apud se cōstituere, velle reperire, & sustinere tribulationes in rebus omnibus propter Deū, in omnibus profectò illis, magnā inueniet mentis refectionem, ac suauitatē, vt possit ita nudus ab omnibus, nihilq; omniū volēdo, iter istud perficere. At si aliquid possidere cū proprietate aliquâ voluerit; siue id Dei sit, siue alicuius alterius rei iam non amplius nudus incedit, neq; sese in omnibus abnegauit: vnde nec poterit semitam hāc angustā ingredi, nec per eā ascendere.

Matth. 11. v. 30. Iugum meum suaue est, & onus leue.

Cui mortificationis Crux suauis sit & iucunda.

Nota Via ad Deum non in meditationibus multis, aut modis seu gustibus sita est, sed in vnico interna, externaq; abnegationis studio.

Cuperem ego hominibus spiritualibus omninò persuadere, viā hanc ad Deū, nequaquā in considerationibus seu meditationibus multis, neq; in modis, aut gustibus sitā esse (licet hęc incipientibus necessaria sint) sed in vno solo necessario, quod est, vt norint seriò sese, tā in interioribus, quam exterioribus abnegare, exponendo se propter Christum cuicunq; dolori, & in omnibus seipsos annihilando. Si enim fideliter in istis sese exercuerint, omnia illa, & multo plura hic agūtur, atq; reperiūtur. Quod si in hoc abnegationis exercitio fuerit defectus, & negligentia (quod est, summa omniū radixque virtutum) omnes isti alij modi nihil aliud sunt, quam radice prætermissa ramusculos cōsectari, ac proinde in hac via non proficere, licet huiusmodi sublimes habeant considerationes, & communicationes. Verus enim in vita Spirituali progressus non reperitur, nisi in Christi imitatione, qui est via, veritas, & vita, & nemo venit ad Patrem, nisi per ipsum. *Ego sum via, veritas, & vita, nemo venit ad Patrem nisi per me.* Et in alio loco dicitur. *Ego sum ostium: per me si quis introierit, saluabitur.* Quamobrem omnē Spiritum, qui ad Deū ire cupit per dulcedines, cōmoditatesque, & Christū imitari recusat, minimè

Ioan. 14. v. 6. Verus in Spirituali via progressus in Christi imitatione consistit. Ioan. 10. v. 9.

B. Joannis à Cruce Opera Mystica

bonũ iudicarem. Et quoniã asserui, Christũ viam esse, & viam hãc nihil esse aliud, quàm naturæ nostræ mori, non solùm in rebus quæ ad sensus spectant, sed in his quoque quæ ad spiritum; cupio declarare, quonam pacto id ad imitationem Christi fieri debeat: ipse quippe nostrum est exemplar, & lumen.

Nota Quonam pacto ad Christi imitationẽ spiritualiter mori debeamus.

Quantum ad primam partem, sensitiuam scilicet spectat, manifestè constat, Christum toto sacratissimæ vitæ suæ tempore, spiritualiter illi mortuum fuisse, naturaliter verò in morte suâ, vt enim ipsemet dixit; dum viueret, non habuit vbi reclinaret caput: *filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet.* dum verò moreretur, multo minùs.

Matth. 8. 20.

Quantùm verò ad secundam hominis partem spectat; ad mortificationem videlicet, abnegationemque spiritualem & internam, nemini ambigere licet; Christum in ipso mortis suæ articulo derelictum, & quodammodo annihilatum in anima remãsisse: dereliquit quippe eum Pater suus cœlestis absque consolatione vlla, in intimâ ariditate. Quare in Cruce clamauit: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Quæ fuit maxima derelictio, in parte sensitiua, quam vmquam in vita sua habuerat, vnde tunc temporis opus omnium maximum peregit, cuiusmodi totius vitæ suæ decursu, nec operibus alijs stupendis, nec miraculis perfecerat. Quod fuit generis humani reconciliatio, & cùm Deo per gratiam coniunctio. Quæ res eo temporis momento peracta est, quo iste Dominus maximè fuit in omnibus annihilatus; in hominum scilicet æstimatione, ac iudicio: cùm enim cernerent, illum in ligno infami, vitam amittere, potiùs illum irridebant, quàm alicuius momenti reputabant. Idipsum illi in natura euenit; in qua sese quodammodo annihilabat moriendo. Denique annihilabatur respectu protectionis, ac consolationis paternæ: illo siquidem tempore derelictus fuit ab eo, vt purè, & secundùm iustitiæ rigorem exolueret debitum, hominemque sic annihilatus, & velut in nihilum resolutus, Deo copularet. Quare de illo loquens Dauid ait: *Ad nihilum redactus sum & nesciui.* Vt hinc intelligat verus spiritualis, Portæ mysterium, & viæ Christi ad vnionem cum Deo obtinendam, sciatque, quo magis propter Deum sese annihilauerit, secundùm duas has portiones, sensitiuam videlicet, & spiritualem, eò se magis, arctiusque Deo vniendum, tantoque insignius tunc perfecturum opus: quando verò cõsecutus fuerit statum, vt in nihilum redigatur (quod fiet, cùm ad humilitatis abyssum defluxerit) tunc optatissimam celebratum iri vnionem Animæ cum Deo, qui est maximus ac sublimissimus status, ad quẽ in hac mortali vita peruenire possit. Non itaque rei huius summa in refectionibus, gustibus, ac perceptionibus spiritualibus consistit; sed in viua quadam crucis morte, sensitiuâ, & spirituali, interiori, & exteriori.

Matth. 27 v. 46.

Ps. 72. 22. Mysterij Portæ, & viæ Christi, quæ ad Vnionem cum Deo perueniatur.

Quando anima optatissimã cum Deo celebret vnionem.

Non placet prolixiùs hac de re loqui; licet nunquam ab huiusmodi tractatione supersedere cuperem: animaduerto quippe, valdè exiguam IESV Christi notitiam haberi ab ijs, qui se eius amicos arbitrantur; videmus siquidem, illos suas in ipso consolationes, ac gustus studiosè quærere, seipsos nimium amando; non verò amaritudines eius, ac mortes; multum illum diligendo. De huiusmodi mihi hominibus, qui vt dixi, eius se amicos existimant, in præsenti sermo est: nam de illis, qui ab eo longè remoti degunt, hominibus nempe magnæ eruditionis, & temporali potentia conspicuis, cæteriſque id genus, qui in mundo ambitionibus suis dedit

Valde exigua Iesu Christi habetur notitia à plerisq; qui se ipsius amicos arbitrantur.

dediti versantur, verè enunciare possumus; illos nequaquam agnoscere Christum, quorum quidem finis, quantumuis bonus sit, erit nihilominus satis amarus; de his inquam minimè hoc loco mentionem facimus. Ar fiet, dubio procul, illorum mentio in die diuini iudicij: illis enim oportebat primum loqui hoc Dei verbum, tanquam ijs, quos Deus collocauit veluti scopum, & exemplar aliorum; vtpote sublimiori dignitatis gradu, variaque eruditione insignes.

Verum loquamur nunc cum intellectu spiritualis hominis, & eius præsertim, quem Deus gratiâ suâ in contemplationis statu collocauit, (nam vt pluries dictum est, cum hoc nunc peculiariter ago) doceamusque illum, quâ ratione dirigi debeat ad Deum per fidem; & quomodo à cõtrarijs rebus repurgari: sic itineri sese accingendo, vt per arctam istam contemplationis obscuræ semitam ingrediatur.

CAPVT VIII.

Qua ratione nulla Creatura, nullaque notitia, qua intellectum humanum subire possit, proximum vnionis diuinæ medium esse valeat, in communi demonstratur.

ANtequam de proprio, & maximè ad vnionem apto medio, quod est fides, agamus; qua ratione nulla res creata, vel cogitatione concepta, possit intellectui deseruire, tanquam proprium medium vniendi se cum Deo: & quomodo omne illud, quod intellectus cogitatione assequi potest, si illi inhærere voluerit, potius illi sit impedimentõ, quam mediõ, operæ precium erit demonstrare. In præsenti itaque capite, rem hanc in genere probabimus; postmodum vero loquemur de eadem in particulari, ad notitias vniuersas, quas intellectus quocunque, siue interiori, siue exteriori sensu interueniente, recipere potest descendendo: damna præterea & inconuenientia, quæ in intellectum ex notitijs istis redundare possunt, ne in itinere isto, mediõ propriõ quod fides est, innixus, progressum faciat, declarabimus.

Vniuersa media debent esse proportionata fini, aliquam cum ipso similitudinem habendo.

Sciendum itaque est, secundum Philosophorum doctrinam; vniuersa media debere esse proportionata fini, aliquam cum eo conuenientiam & similitudinem habendo: talem videlicet, qualis satis sit, vt per illam possit finis, qui intenditur, adipisci. Exempli gratia: Cupit aliquis ad aliquam Ciuitatem peruenire, omninò illud ei arripiendum est iter, quod sit medium perueniendi ad illam. Similiter ad hoc, vt copuletur & vniatur ignis ligno, necessarium est, vt calor, qui vnionis huius est medium, tot gradibus caloris disponat lignum, vt habeat, maximam cum igne similitudinem proportionemque.

Ad hoc vt intellectus vniatur Deo in hac vitâ illud medium necessariò assumere debet, quod cum Deo proximam habeat similitudinẽ.

Vnde si vellet aliquis disponere lignum, aliquo alio medio præter proprium, qui est calor; verbi gratia aëre, vel aqua, vel terra: impossibile esset, posse lignum igni vniri. Ad eundem modum etiam, vt intellectus, quantum in hac vitâ possibile est, vniatur Deo; necessariò illud debet assumere medium, quod Deo copulat, habetque cum eo proximam similitudinem.

Qua in re illud oculatè animaduertendum est; inter vniuersas creaturas, superiores & inferiores, nullam, quæ cum Deo proximè coniungat, vel cum eius essentia similitudinem habeat, reperiri. Nam licet verum sit; vniuersas illas (vt Theo-

B. Joannis a Cruce
Opera Mystica
NVI
A 2.

logi docent) certam ad Deum relationem habere, ac quoddam eius vestigium esse; quasdam plus, & quasdam minus, secundum maiorem suam vel minorem perfectionem: nihilominus tamen inter illas & Deum, nullus respectus, aut essentialis similitudo reperitur, imò inter illarum essentiam & diuinam, infinita intercedit distantia; & propterea impossibile est, vt intellectus possit perfecte attingere Deum medijs Creaturis, siue illæ cæleſtes sint, siue terrenæ. idque propterea, quia nulla intercedit proportio similitudinis. Vnde loquens Dauid de cæleſtibus Creaturis, ait: *Non est similis tui in Dijs Domine*: appellando Angelos, Animas Sanctas, Deos. In alio etiam loco ait: *Deus in sancto via tua, quis Deus magnus sicut Deus noster?* Ac si dixisset: via ad perueniendum ad te ô Deus, est via sancta; puritas videlicet fidei. Quis enim Deus adeo magnus reperiri potest? hoc est, quis Sanctus adeò gloria sublimis; & quis Angelorum tam excelsus natura, erit adeo grandis, vt possit esse via proportionata ac sufficiens ad perueniendum ad te? Et loquens idem Propheta de cæleſtibus simul & terrenis, ait: *Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longe cognoscit.* Quod perinde est, ac si dixisset: Cum in esse suo Deus excelsus sit, videt & animaduertit, viles & abiectas esse secundum essentiam suam res terrenas, essentiæ suæ sublimi collatas: res autem sublimes, quæ sunt Cæleſtes Creaturæ, videt & cognoscit, longè ab essentia sua distare. Ex quibus consequitur; nullam Creaturam proportionatum medium esse posse, ad Deum perfecte attingendum.

Impossibile est vt Intellectus Deum attingere possit mediâ aliquâ Creaturâ, siue illa cæleſtis sit siue terrestris.

Ps. 85. 8.

Ps. 76. 14.

Ps. 137. 6.

Eodem modo Philosophandum est de omni eo, quod Imaginatio repræsentare potest, & intellectus in hac vitâ capere; nempe, hæc, nec esse, nec esse posse proximum medium ad vnionem diuinam obtinendam. Si enim loquamur de cognitione naturali; nullâ ratione intellectus aliquid percipere potest, nisi illud, quod speciebus ac rerum imaginibus subest, quæ corporeorum sensuum obsequio recipiuntur: quæ tamen corporeæ res, vt iam docuimus, non possunt esse vnionis huius medium, neque ad hunc effectum aliquid conferre potest naturalis aliqua intelligentia.

Quod si sermo sit de supernaturali intelligentiâ; quantum præsentis vitæ fert status, nullam habet intellectus, corporeæ molis carcere septus, dispositionem capacitatemque ad claram Dei notitiam recipiendam. Hæc quippe notitia, non huius mortalis status est: vel enim moriendum est, vel certè illâ carendum. Et propterea dixit Deus Moysi. *Non videbit me homo & viuet.* Quam ob causam S. Ioannes dixit: *Deum nemo vidit vnquam.* Et S. Paulus cum Isaia: *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit.* Et hæc est causa, cur Moyses non fuerit ausus contemplari rubum, cum Deus in eo præsens esset. Probè quippe agnoscebat, se nullâ ratione intellectu suo posse, vt par erat, Deum contemplari: quamuis etiam hoc, ex sublimissimo Dei sensu, quem conceperat oriretur. De Sanctissimo quoque Elia Propheta Patre nostro leginus, quod cum in monte Horeb moraretur, Deusque præsens adesset, faciem suam obuelârit. Quo facto significauit; sese intellectum obcæcâsse, nec fuisse ausum vti instrumento adeo abiecto, in re tam sublimi attingenda: manifestè agnoscendo, quod quicquid con-

Exod. 33. 20.

Ioan. 1. 18. 1. *Cor.* 2. 9. *Isa.* 64. 4. *Act.* 7. 32.

3. *Reg.* 19. 13.

consideraſſet, ac in particulari intelleXiſſet, plurimum id Deo diſſimile, ac ab eo diuerſum futurum. Hinc itaque patet; nullam notitiam, præſentisque vitæ apprehenſionem, poſſe inſtar proximi medij deſeruire, ad excelſam amoris cum Deo vnionem. Quicquid enim intellectus capere, voluntas deguſtare, ac imaginatio repræſentare poteſt, improportionatum admodum diſſimileque Deo eſt, vt iam dictum eſt. Quæ omnia mirum in modum declarauit Iſaias Propheta dicens: *Cui ſimilem feciſtis Deum? aut quam imaginem ponetis ei? nunquid ſculptile conflauit faber, aut aurifex auro figuraui illud, & laminis argenteis argentarius?* Per fabrum, hoc loco accipitur intellectus, ad quem pertinet efformare intelligentias, illaſque à ferro ſpecierum ac phantaſmatum denudare. Per aurificem, intelligitur voluntas, quæ dotata eſt aptitudine recipiendi formas, ac figuras delectationum, quas aurum amoris, quo amat, produxit. Per argentarium, quem hîc dicit, non poſſe effingere Deum argenteis laminis, accipienda eſt Memoria, cum adiunctâ ſibi imaginatione: quarum notitiæ & Imaginationes, quas efformare ac effingere poſſunt, proprie dici queunt ſimiles eſſe argenti lamellis. Quod idem eſt, ac ſi dixiſſet. Nec intellectus ſpeculationibus ac conceptionibus ſuis, Deo aliquid ſimile intelligere capereque poterit; neque voluntas delectamentum ac ſuauitatem aliquam, quæ illi quæ Deus eſt quomodo ſit ſimilis delibare; neque memoria poterit Imaginationi inſerere notitias ac phantaſmata, quæ illum vt in ſe eſt repræſentent. Ergo manifeſtè patet; nullam ex notitijs iſtis, poſſe intellectum immediatè ad Deum dirigere: quinimò ad hoc, vt ad illum pertingat, debere tendere non intelligendo potius, quam volendo intelligere: & potius ſeſe excæcando, ac in tenebris collocando, quàm oculos ad diuinum radium excipiendum, aperiendo. Hinc prouenit, quod contemplatio, per quam intellectus, à Deo illuſtratur, Myſtica Theologia appelletur, quaſi diceretur; Arcana Dei Sapientia: eſt enim ipſimet intellectui, in quo illa recipitur, occulta. S. Dionyſius vocat eam, Radium tenebræ: de qua loquitur Propheta Baruch: *Viam Sapientiæ neſciuerunt, neque commemorati ſunt ſemitas eius.* Perſpicuum itaque eſt; intellectum excæcari debere reſpectu vniuerſarum ſemitarum (id eſt notitiarum) quas aſſequi poteſt, vt Deo vniatur.

Quare cõtemplatio, Myſtica dicatur Theologia.

Baruch. 3. 23.

Intellectus excæcari debet reſpectu vniuerſarũ notitiarũ, quas aſſequi poteſt.

Ariſtoteles Philoſophus docet; quod quemadmodum veſpertilionis oculi ſeſe habent reſpectu Solis, qui omninò illos excæcat, & in tenebris conſtituit: ſic intellectus noſter ſeſe habet, erga id, quod in Deo ſplendidiſſimum eſt, quod nobis omninò obſcuritas eſt & tenebræ. Idem præterea Philoſophus ait: quòd quò res diuinæ in ſe ſunt ſublimiores clarioreſque, eo nobis ignotiores ſunt, & obſcuriores. Quam etiam rem aſſerit Apoſtolus, dicens: quod ſublime eſt Dei, minus eſt hominibus notum. Nec vnquam finis eſſet adducendi authoritates, rationeſque ad comprobandum; nullam dari poſſe eiuſmodi in rebus creatis, quæ poſſunt in intellectum cadere ſcalam, cuius præſidio intellectus peruenire valeat, ad excelſiſſimum hunc Dominum: imò neceſſariò ſciendum eſt; quod ſi intellectus

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
NVI
12

tellectus vti vellet omnibus istis, vel aliqua illarum, velut medio proximo vnionis adipiscendæ; non solum illi obstaculo futuras, verum etiam posse occasionem multorum errorum, deceptionumque in montis huius ascensu ei præbere.

CAPVT IX.

Qua ratione fides sit proximum proportionatumque medium Intellectui humano, vt Anima ad vnionem diuinam valeat peruenire. Quod authoritatibus, diuinarumque scripturarum figuris comprobatur.

EX dictis colligi potest, quod ad hoc, vt intellectus aptus dispositusque ad Diuinam hanc vnionem sit, debeat purus, ac vacuus ab omni eo, quod sensibus subesse potest, remanere: expeditus præterea, liberque ab omni eo, quod clare ac perspicue percipere potest; ita vt intimè sit pacatus & quietus, ac in fide constitutus, quæ sola proximum est & proportionatum medium, vt Anima Deo coniungatur: nullum quippe aliud intercedit discrimen, nisi vt Deus clarè videatur, vel credatur. Nam sicut Deus immensus infinitusque est; ita quoque fides eum nobis proponit infinitum: & sicut in se Trinus est & vnus; ita illum Trinum & vnum credendum fides docet, sicque hoc solo fidei medio, Deus se Animæ in sua diuinâ luce, quæ vniuersum superat intellectum, manifestat. Proinde quò maiori fide anima fuerit prædita, eo Deo magis est vnita: & hoc est quod dicere voluit S. Paulus in auctoritate superius allata, vbi dicit: Accedentem ad Deum oportet credere; hoc est, vt per fidem tendat in illum: quod fieri debet intellectu obcæcato, & in tenebris per fidem solam eleuato; sub istis enim fidei tenebris copulatur intellectui Deus, sub illisque latet iuxta quod asseruit Dauid his verbis. *Et caligo sub pedibus eius, & ascendit super Cherubim, & volauit super pennas ventorum, & posuit tenebras latibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius, tenebrosa aqua, in nubibus aëris.* Psal. 17. 12. In eo quod dicit: Caligo sub pedibus eius, & quod; Posuit tenebras latibulum suum, & quod; Tabernaculum eius sit aqua tenebrosa; fidei obscuritas, sub qua velut occlusus & absconditus Deus manet, designatur. In eo vero quod ait: Et ascendit super Cherubim, & volauit super pennas ventorum; significatur, Deum transuolare ac transcendere omnem intellectum. Cherubim namque idem est, quod intelligentes, seu contemplantes. Pennæ vero ventorum, sublimes delicatasque notitias, & conceptus spiritus significant; quibus omnibus Diuinum eius esse supereminet, quod nulla creatura ex se assequi potest. Cuius rei expressam figuram in sacris litteris legere est: nimirum, quod postquam Salomon templum exædificâsset, descendit Deus in nebulâ, taliterque repleuit templum, vt filij Israel nullo pacto aspicere valerent, tuncque Salomon hæc verba protulit. *Dominus dixit, vt habitaret in nebula.* 3. Reg. 8. 12. Mosi præterea, dum esset in monte, in nebula apparebat, qua ipsemet velabatur. Et tandem, quotiescunque Deus alicui se se singulariter communicabat, in nebula apparebat: sicut patet in Iobo, quo loco scriptura asserit; Deum esse eum ex aëre obscuro ac caliginoso allocutum, respondens autem Iob de turbine dixit. Quæ vniuersæ tenebræ & caligines, fidei obscuritatem Exod. 19. Iob 38. 1. & 40. 1.

Quare fides sit proximum & proportionatū medium Animæ Deo vniendi.

Quo maiori fide Anima fuerit prædita, eo magis est Deo vnita.

ritatem designant, sub quâ latitat Diuinitas, Animæ sese communicans. Quæ communicatio tunc perficietur, quando vt S. Paulus dixit: euacuabitur quod imperfectum est: hæc videlicet fidei tenebra & caligo; & aduenier id quod est perfectum. Diuina nimirum claritas. Cuius rei etiam figuram in Gedeonico bello habemus, in quo de vniuersis militibus legimus, eos manibus lucernas gestâsse, quas tamen non videbant: eò quod vasis essent obtectæ, quibus confractis, confestim lumen effulsit. Dedit tubas in manibus eorum lagenasq; vacuas, ac lampades in medio lagenarum. Ad eundem modum fides, illis vasis adumbrata, in se complectitur Diuinam lucem; hoc est, veritatem illius, quod Deus in se est: quo fidei vase, per mortem caducæque vitæ finem comminuto & confracto, radiabit continuò lux & gloria Diuinitatis. Manifeste itaque patet, quod ad hoc, vt Anima in hac vitâ vniatur Deo, ac illum absque medio participet, debeat prius necessariò vniri tenebræ: in quâ, vt Salomon dixit, promisit se Deus habitaturum. Clarum præterea est, debere prope caliginosum ædem sese collocare, in quo placuit Deo, arcana sua lobo retegere: arripere etiam tenebrosas Gedeonis vrnas, manibusque gestare, (per exercitium operum suæ voluntatis) lucem, quæ est amoris vnio, quamuis obscurè, mediante fide: vt sic statim ac conquassata fuerint vitæ præsentis vasa, videatur Deus facie ad faciem in gloria.

De gradibus diuinæ apprehensionis.

Reliquum nunc est, vt in particulari vniuersas Notitias, intelligentias, apprehensionesque, quas intellectus recipere potest, demonstremus; necnon damna & obstacula, quæ in hoc fidei itinere adferre possunt; & quâ ratione Anima sese in illis gerere debeat, vt potiùs illi sint emolumento, quàm detrimento; siue illæ à sensibus, siue à Spiritu oriantur.

CAPVT X.

In quo vniuersarum apprehensionum ac intelligentiarum, quæ intellectui objici possunt, distinctio affertur.

VT in particulari de commodis & nocumentis, quæ intellectuales notitiæ, apprehensionesque Animæ (quantum ad istud diuinæ vnionis assequendæ, de quo locuti sumus medium, fidem nempe spectat) inferre possunt, agamus; necessarium esse duxi, proponere hoc loco vniuersas, tam naturalis, quàm supernaturalis ordinis apprehensionum species, quæ intellectum subire, ab illoque recipi possunt: vt immediatè illarum ordine seruato, in particulari dirigamus, & veluti manuducamus per illas intellectum, in fidei Noctem & obscuritatem: quod quam breuissimè fieri poterit præstabimus.

Quamobrem sciendum est, duplici viâ posse intellectum notitias & intelligentias rerum comparare: quarum vna est naturalis ordinis, altera verò supernaturalis. Naturalis via, est omne illud, quod intellectus sensuum ministerio, vel certè per se ipsum, ex notitiâ per sensus iam comparatâ, percipere ac intelligere potest, supernaturalis verò, est omne illud, quod intellectui supra capacitatem, & aptitudinem suam naturalem infunditur. Notitiarum istarum supernaturalium, quædam sunt corporeæ, quædam verò spirituales. Corporeæ in

B. Joannis à Cruce Opera Mystica NVI 12°

duplici sunt differentia : Nonnullæ corporalium & exteriorum sensuum adminiculo recipiuntur ; aliæ verò corporalium etiam, sed interiorum sensuum præsidio: sub quibus continetur, quicquid imaginatio percipere, fingere, & fabricare potest. Spirituales quoque notitiæ supernaturales, duplices sunt ; quarum vna est distincta & particularis , seu singularis; altera autem confusa , obscura & vniuersalis. Distincta, & particularis, in quatuor apprehensionum particularium modos, qui spiritui, nullo corporeo sensu mediante communicantur, distinguntur; qui modi sunt: Visiones, Reuelationes, Allocutiones & spiritualia sentimenta. Notitia verò, seu Intelligentia obscura , & generalis, vna sola est, estque contemplatio , quæ in fide, seu per fidem conceditur. In hac collocanda , & constituenda est à nobis Anima: quod præstabimus dirigendo, & manu ducendo illam , per omnes istas particulares notitias, ad hanc de qua loquimur, generalem : auspicabimur autem tractationem hanc, à primi ordinis notitijs, & ab illis Animam denudabimus.

CAPVT XI.

De damno, ac impedimento, quod reperiri potest in apprehensionibus intellectus, per ea, quæ supernaturaliter sensibus corporeis exterioribus repræsentantur; & qualiter Anima in illis sese gerere debeat.

PRimæ Notitiæ, de quibus præcedenti capite locuti sumus, illæ sunt, quæ ad intellectum per naturalem viam spectant. De quibus quoniam libro primo , egimus , vbi induximus Animam in sensus Noctem ; ne verbo quidem hoc loco agemus : ibi enim sufficientem de illis doctrinam tradidimus. Quare in præsenti capite de notitijs , & apprehensionibus illis , quæ ad intellectum per sensuum corporalium exteriorum viam, supernaturaliter pertinent , solummodo agemus: qui sunt : Visus, Auditus, Gustus, Odoratus, & Tactus. In quibus omnibus sensibus , solent spiritualibus viris variæ, repræsentationes & obiecta , supernaturaliter exhiberi. Visui enim repræsentantur alterius vitæ personæ ; aliquorum videlicet Sanctorum & Angelorum , tam bonorum: quàm malorum, & lumina quædam, ac splendores præter ordinarij. *Solent spiritualium viris variæ, & admirabiles conjecturæ, ex quibus exterum corporum sensibus, supernaturaliter conceda.*

Auditu quoque in solita excipiuntur verba ; siue ab illis, quas vident personis prolata, siue non visis ijs, à quibus proferuntur. Odoratu quoque suauissimi interdum, idque sensibiliter, hauriuntur odores; nec constat tunc, vnde illi proficiscantur. Gustu etiam grati percipiuntur sapores. Tactus tandem proportionatas sibi delicias sentit : idque interdum adeo efficaciter , vt videantur vniuersæ corporis medullæ, & ossa exultare, reflorescere, & veluti torrenti illi voluptatis , innatare. Similisque est huiusmodi suauitas ei, quam mystici , Spiritus vnctionem appellant ; quæ ab illo , in membra simplicium , purarumque animarum deriuatur. Hæc porrò sensuum oblectamenta, solent in spirituales viros ex affectu, & deuotione Spiritus sensibili , plùs aut minùs , in quemeunque suo modo promanare. *Nota. Vniuersales sensus quæ exteriorum sensuum instrumenta excessu, aut aliter euitandi, & quando*

Sciendum autem est : quod licet vniuersæ prædictæ res , possint corporeis sensibus per operationem Diuinam obijci : nunquam tamen illis fidendum est, aut vllo modo sunt admittendæ , imò totaliter euitandæ , neque an bonæ sint vel malæ disquirendum. Nam quanto

to magis exteriores sunt, ac corporeæ; tantò minùs certum est, an à Deo proueniant. Magis quippe Deo proprium est spiritui sese communicare, (quâ in re maior securitas, animæque prouentus continetur) quàm sensui: in quo vt plurimum magnum periculum, ac deceptio reperitur: quia in illis sensus corporeus, iudicem se constituit, & arbitrum spiritualium rerum, existimando ita illas sese habere, talesque esse, quales ille, ipsas sentit: cum tamen illæ adeo inter se discrepent, quemadmodum corpus, & Anima, sensus, & ratio. Adeò quippe stupidus, rerumque spiritualium ignarus est corporeus sensus: quemadmodum iumentum aliquod, seu bestia, rationalium. Quamobrem plurimùm fallitur ille, qui res huiusmodi magni facit, magnoque se periculo deceptionis exponit: ad minùs magnum sibi comparat impedimentum, quo minus ad spiritualia tendere possit.

Vniuersæ quippe illæ res corporeæ, sicuti diximus, nullam cum spiritualibus conuenientiam, & proportionem habent. Vnde semper metuendum est, huiusmodi res, à Dæmone potiùs, quàm à Deo promanare: in illis enim, quæ magis sunt exteriora, & corporalia, plus sibi iuris vendicat Dæmon, faciliusque in huiusmodi rebus insidias struere potest, ac decipere, quam in illis, quæ sunt magis interiores. Præterquam quod corporalia hæc obiecta, & formæ, quò magis in se exteriores sunt, tantò minus vtilitatis interiori homini, ac spiritui adferunt: idque ob summam distantiam, ac exiguam proportionem, quæ inter corporalia, & spiritualia intercedit. Licet enim aliquid ex illis, spiritualis feruoris, ac deuotionis reseiet, (ficut semper fit quando à Deo procedunt) multò tamen id minus est, quàm si eædem res, magis spirituales ac interiores fuissent. Quamobrem etiam citiùs faciliusque errorem, præsumptionem, ac vanitatem in animam inuehunt. Cum enim tantopere palpabiles ac materiales sint; maximoperè sensus vrgent, ac excitant: & arbitratur Anima, tantò illas sublimiores esse, & maiores, quantò magis sensibus percipiuntur; sequiturque illas, existimando lucem illam, seu notitiam, esse ducem, & medium eius rei, quam peroptat consequendæ, vnionis videlicet Diuinæ; & quo pluris eiusmodo res facit, eò magis à recto itineris huius tramite, veroque medio, quod est fides, deuiat. Præterea cum anima duertit Anima, huiusmodi res insolitas, ac præterordinarias sibi obuenire; multoties insinuat sese illi secreta quædam sui ipsius æstimatio, se videlicet iam aliquid coram Deo esse: quod tamen humilitati contrarium est. Optimè etiam nouit Cacodæmon ingerere Animæ, arcanam sui ipsius satisfactionem; imò aliquando etiam manifestam: & idcirco multoties offert sensibus huiusmodi obiecta, visui scilicet Sanctorũ imagines, & pulchertrimos splendores; auditui verba satis palliata insusurrat; odoratui bene olentes odores, dulcedines ori, ac tactui delicias: vt hoc modo illectos, in grauia præcipitet mala.

Grauiter errant Animæ, quæ sensibilia ista dona magnificium & sequũtur.

Repræsentationes, & sentimẽta, sensibilia semper sũt repudianda: & cur ita faciendũ?

Quamobrem huiusmodi repræsentationes ac sentimenta, reijcienda sunt semper, ac repudianda. Nam dato causu, aliqua illorum à Deo proficisci; non propterea illis fit aliqua iniuria, neque amittit Anima effectum, emolumentumq; illorum, quod Deus producere volebat, licet Anima illa abijciat, ac recuset. Cuius rei ea est ratio: nam corporalis visio, siue cuiuscunque alterius sensus perceptio (quemadmodum etiam quæcunque

Notanda valde doctrina.

Omnis communicatio

Diuina in ipso quo percipitur momento, primariũ suum producit effectum.

cunque alia, quantumuis intima communicatio) si à Deo originem trahit, in ipso quo apparet seu percipitur momento, primarium suum ad quem destinata est effectum, in spiritu ipso producit: nec præbet locum, vt Anima deliberare ac statuere possit, an rem illam sit acceptatura, an verò repudiatura. Quemadmodum enim Deus, supernaturaliter res illas auspicatur, & inchoat, absque aliquâ actiuâ Animæ industriâ, vel aptitudine: ita absque eiusdem industriâ, cooperatione, seu aptitudine producit in illâ effectum, quem medijs rebus illis intendit: id enim efficitur in spiritu, eo se passiuè solummodò habente; vnde hoc non in eius assensu, vel dissensu positum est, vt effectus producatur, vel non producatur. Quemadmodum si cuipiam nudo injceretur ignis, parum referret, eum aduri nolle: omnino enim ignis, suum sortiretur effectum. Et sic bonæ visiones & repræsentationes adhuc anima illas nolenti primariò, priùs, ac principaliter effectum suũ in Animâ producunt, quam in corpore. Sicut etiam, quæ Dæmone auctore contingunt, etiamsi Anima illis non assentiatur, inquietudinem quandam, turbationem, vel ariditatem, vanitatem quoque, ac præsumptionem in spiritu generant. Quamuis istæ non adeo sint ad nocendum efficaces, quemadmodum diuinæ ad bonum Animæ promouendum: Dæmonis quippe operationes, vix primos motus attingunt, nec ad maiora voluntatem impellere queunt, si illa eas respuat; neque inquietudo, quam Animæ inferunt, multum perdurat, nisi forte exigua illius cautela, aut pusillanimitas in causa sint, vt diutius immorentur.

Omnes supernaturales gratiæ à Deo promanãtes, prius, ac principaliter effectum suum in Animâ producunt, quam in corpore.

Dei damoniique repræsentationum discrimen.

At operationes diuinæ intimas Animæ fibras, medullasque pertranseunt ac effectum suum excitationis, impulsus, ac victricis voluptatis, qua illa ad liberum, ac amorosum in bonum assensum, disponitur, & facilitatur, producunt. Verum quamuis ex Deo nascantur, si Anima huiusmodi sentimentis vel visionibus externis nimis inhæret, atque eas admittere statuit, sex inde oriuntur inconuenientia.

Sex incõmodis incurrit Anima, qua sentimentis visionibus q. externis, erũt à Deo profectis, minus inhæret.

Quorum primum est; Imminutio perfectionis gubernandi se per fidem, siquidem plurimum illi ea, quæ sensuum experimento percipiuntur, detrahunt: fides quippe, vt diximus, superat omnem sensum. Quare nisi Anima ab vniuersis sensuum obiectis, mentis suæ oculos auertat, ab vnionis diuinæ mediô deflecter.

Primũ est fides imminutio.

Secundum incõueniens, quod inde sequitur est; quod spiritum, nisi abnegentur, præpediant, ac retardent. Detinetur siquidem sentimentis, & visionibus sistis Anima, nec ad inuisibilia euolat. Vnde vna ex causis quas Dominus discipulis suis attulit, cur expediret illum abscedere, ad hoc vt Spiritus S. aduenire hæc fuit: quemadmodum etiam post resurrectionem suam, Magdalenam ad suos pedes non admisit, vt firmiores in fide radices ageret.

Secundũ. Spiritus retardatio.

Tertium est; quòd Anima proprietati in huiusmodi rebus, assuescit, nec ad veram resignationem, & Spiritus nuditatem tendit.

Tertium proprietas Spiritus.

Quartum incommodum, quod illarum effectum, ac eum, quẽ in interiori homine spiritum ingenerant, sensim amittit: defigit enim internos oculos in eo, quod in illis sensibile est; quod tamen minus est præcipuum. Vnde nec adeò affluenter, ac copiosè Spiritum, quem producunt, recipit: qui tamen imprimitur, & fouetur magis, vniuersa sensibilia abnegando, quæ plurimùm, à puro Spiritu, distant.

Quartũ effectus illarum iactura.

Quin-

Quintum; quia diuinarum gratiarum, ac fauorum iacturam facit, eo quod illis cum proprietate inhæreat, nec rectè eis vtatur. Cum proprietate autem illas recipere, nec eis ad vtilitatem spiritualem vti, est velle eas sibi ipsi vsurpare, illis occupari, & voluptatem suam in eis captare; ad quem tamen finem, minime à Deo conferuntur. Nec facilè sibi persuadeat, illas à Deo proficisci.

Sextum incommodum est; quod eo ipso, quod eiusmodi res admittere vult, referat Dæmoni aditum, vt alijs similibus eam fallere possit, quas ipse optimè dissimulare, & ita concinnè fingere nouit, vt verisimiles videãtur: quandoquidem potest, vt Apostolus ait, *In Angelum lucis sese transfigurare.* Qua de re fauente Deo, libro 2. noctis Obscuræ, capite de Spirituali Gula, postmodum acturi sumus,

Quapropter expedit Animæ, oculis, vt dici solet clausis, illas respuere, ac repudiare, vndecunque tandem proueniant. Si enim secus faxit, aliquã ansam locumque præberet Dæmoniacis visionibus ac sentimentis, illique ipsi facultatem tantam daret, vt nõ solum diuinarum loco suas pluries sit admissura: verum etiam quæ à Dæmone proficiscuntur, vsque eò, multiplicari possent, & quæ à Deo proueniunt ita cessare, vt omnia tandem in Dæmonem desinerent, & nihil ex Deo remaneret. Quemadmodum pluribus Animabus incautis & exiguæ prudentiæ euenit, quæ adeò pertinaciter confidenterq; istarum rerum receptioni adhæserunt, vt cum illis multum fuerit laborandum, vt ad Deum in fidei puritate redirent: & quod dolendum est, multæ ex ijs nunquam redierunt, adeò altas in eis Dæmon radices posuerat. Quapropter omnibus aditum occludere, & vniuersa formidare consultissimum est. Si enim fugiuntur apparitiones, & sentimenta falsa, euitantur pariter errores, ac deceptiones Dæmonis: si autem fugiuntur, veræ fidei impedimentum amouetur; Spiritus tamen emolumentum ex eis decerpit. Et quemadmodum cum eas admittit Anima, Deus sensim illas subtrahit, eò quod eas sibi vsurpet, non vtendo illis, eo, quo par esset modo, & Dæmon etiam suas ingerit, & auget, præbẽte illis Anima locũ, & assensum; ita quando Anima est in illis resignata, nullaque proprietate eis inhæret; desistit à suis Dæmon, videns nullum se per illas inferre detrimentum: & viceuersa, Deus auget & multiplicat sua dona in Anima illa humili, & ab omni proprietatis labe aliena, & *supra multa eam constituit*; sicuti eum legimus feciſſe, cum seruo in paucis fideli. *Quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.* Quibus in fauoribus, si Anima perstiterit esse fidelis, non desistet profectò Dominus, donec eam extollat, & veluti per gradus quosdam, ad diuinæ vnionis, & transformationis verticem, perducat. Hoc siquidem ordine, & modo, experitur Dominus, & attollit Animam. Primò, exiguæ eius capacitati sese accommodans, visitat eam magis secundum sensum, vt gerendo se illa, quemadmodum decet; vtendo videlicet primis istis buccelis sobriè, ad spirituales solùm vires comparandas, ad ampliores, ac præstantiores cibos illam perducat. Ita vt si ex Dæmone retulerit victoriam in primis istis, transeat ad secundos; quod si etiam in secundis superauerit Dæmonem, transibit ad tertios; & vlterius progrediens, omnes septem mansiones, qui sunt septem amoris gradus transmeabit, donec illam sponsus in cella vinaria perfectæ charitatis suæ, collocet.

Fœlix & fortunata Anima, quæ decertare nouerit aduersus illam Apocalypseos bel-

& sentimentorum siue illa à Deo siue à Dæmone proueniãt, fugat

Matth. 25. 21.

Ordo quẽ seruat Deus in subleuanda anima, qua illi in fauoribus istis recipiendis, fidelis est.

Cant. 2. 4.

Apoc. 2. 19

Fœlix anima, quæ decertare nouit aduersus Apocalypsis bellum septem habentē capita.

bellum, septem habentem capita, septem istis amoris gradibus aduersantia, quibus capitibus, contra quemlibet gradum bellum gerit, & vnoquoque illorum Animā in qualibet istarum Mansionum, (in quibus illa sese exercet, lucrifaciendo quemlibet mansioni illi correspondentem diuini amoris gradum,) impugnat. Dubio procul, si fideliter in quocunque ex illis pugnauerit, viceritque de gradu in gradum, vel de mansione, ad mansionē transire promerebitur, donec perueniat ad postremam; præcisis & amputatis septem bestiæ capitibus, quibus illi crudele bellū inferebat, adeò vt S. Ioannes testetur dicens: *Et est datum illi bellum facere cum Sanctis, & vincere eos:* quemcunque videlicet ex gradibus istis, armis & machinis suis impetendo.

Apoc. 13. 7.

Quorundam spiritualiū deploranda calamitas.

Quamobrem, dolendum est, quod multi prælium hoc spiritualis vitæ contra bestiam ingressi, ne tantum quidem animi habeant, vt primum eius caput præcidant; res mundi huius sensibus subiectas, abnegando, & repudiando. Et iam quod plerique hoc apud se obtineant, & illud amputent, non amputant secundum; hoc est, visiones, & sentimenta sensibilia, de quibus loquimur. Verū id quod maximè dolendum est, quod postquam aliqui, nō solùm primum, & secundū caput, sed etiā tertium, quod ad interiores sensus spectat, (transeundo videlicet à meditationis statu, ad vlteriora) præciderunt; dum spiritus puritatem ingredi deberent, miserabiliter ab ista crudeli bestia superantur, quæ illos denuo aggreditur, adeò vt primum quoque iam olim præcisum caput, resuscitet & assumat; & fiunt posteriora illorum peiora prioribus, in eorum relapsu; *Assumitq; insuper septem spiritus* secum *nequiores se*, qui illis crudelius bellum inferāt. Debet ergo spiritualis homo, abnegare, & repudiare vniuersas apprehensiones, ac delectamenta corporalia, quæ sensibus exterioribus obnoxia sunt, si primum & secūdum bestiæ huius caput abscindere cupit; intrando in viuâ fide, primum ac secundum amoris cubiculum, nullo modo sibi attrahendo, aut sese, intricando, cum ijs, quæ illius sensibus exhibentur: hæc enim sunt illa, quæ maximè noctem hanc spiritualem fidei præpediunt.

Luc. 11. 26.

Quomodo spiritualis

primum & secundum bestiæ caput amputabit.

Liquido itaque constat; visiones istas & apprehensiones sensitiuas nullo pacto esse posse medium vnionis diuinæ; cum nulla illis sit cum Deo proportio, aut similitudo; vnaque ex causis, cur Christus nolebat se à Maria Magdalena tangi, quod tamen, & melius & perfectius existimauit in Apostolo S. Thoma &c. hæc fuit. Quare gratissima res fit Dæmoni, quādo aliqua Anima, reuelationes libenter admittit, estque ad eas procliuis: habet enim tunc egregiam occasionem instillandi suos errores; fideique quantum potuerit derogandi: vt enim diximus, magnam huiusmodi Anima quæ reuelationes has appetit, mentis stupiditatem, ac ignorantiam contrahit; imò aliquando multas tentationes, & ineptias incurrit, fusius aliquantò de his exterioribus apprehensionibus egimus, vt aliquid lucis afferamus ijs, de quibus nobis immediatè tractandum est: verū tot de hac materia dicēda occurrebāt, vt nusquā eorum finis appareret; existimo autem, me rem totā ad compendiū redegisse, dicendo solummodo, vt magno cum studio huiusmodi res respuantur, & nullo modo admittantur, præterquam in aliquo raro euentu, & tunc à persona docta, & spirituali, & experta, debenter rutinati, ac examinati, & ab Anima quasi inuitè admitti.

Apparitiones ipsæ nequeunt esse medium vnionis Diuinæ consequendæ.

Rarò, & cum maturo consilio res ista admittenda.

(*)

CA-

CAPVT XII.

In quo de apprehensionibus Imaginarijs naturalis ordinis disputatur. Docet, quinam ea sint; probatque non posse eas esse medium proportionatum ad Diuinam vnionem acquirendam: quantumcunque obsit, nescire sese ab eis, tempore competenti auellere.

PRiusquam de visionibus Imaginarijs, quæ supernaturaliter interiori sensui, Imaginationi scilicet, & Phantasiæ sese offerunt, disputemus; necessarium est hoc loco (vt ordinatè procedamus) de naturalibus ipsiusmet interioris, corporeique sensus, apprehensionibus agamus: vt hoc modo à minoribus ad maiora, & à magis exterioribus, ad magis interiora procedamus, donec ad intimam recollectionem, vbi Anima vnitur, Deo, perueniamus: quem etiam ordinem hucusque seruauimus. Primo enim loco egimus, de expolianda, seu denudanda Anima, ab apprehensionibus naturalibus exteriorum obiectorum; & consequèter à naturalibus appetituum viribus. Quod primo libro præstitimus, vbi de nocte sensus locuti sumus; immediatè verò cœpimus denudare illam in particulari, ab apprehensionibus exterioribus supernaturalibus, quæ in sensibus exterioribus contingunt (vt antecedenti capite dictum est) vt dirigamus Animam in nocte spiritus, in hoc secundo libro. Nũc itaque primo loco discutiendus occurrit sensus corporalis interior; Imaginatiua scilicet, & Phantasia; ex quibus etiam abradere, & auferre debemus, omnes formas & apprehensiones imaginarias, quæ naturaliter in illis locum habent; & probare, impossibile esse, Animam ad diuinam vnionem peruenire, antequam illarum operationes cessent & intermittantur: cùm non possint esse proprium, ac proximum medium huiusmodi vnionis.

NOTA. Obiectorum, & exercitio.

Sensus internus duplex.

Sciendum itaque est, sensus, de quibus hoc loco particulariter loquimur, esse duos, corporales quidem, & interiores; qui Imaginatio, & Phantasia appellantur, quorũ vnus alteri ordine seruato deseruit: in vno enim illorum, aliquid imperfecti discursus, seu ratiocinationis, licet imperfecto modo reperitur; alius verò sensus, qui est Imaginatio, efformat & effingit imaginem.

Imaginatio & phantasia.

Et qua vtriusque officia.

Quantum verò ad institutum nostrum attinet, idẽ erit nobis de vno loqui, quod, & de alio. Quamobrem, quando non nominabimus vtrosque, sciatur; quod quicquid de vno dixerimus, intelligendum etiam sit de altero, & quod de vtrisque indifferenter loquemur. Hinc igitur est, quod quæcunque sensus isti percipere, & fabricare possunt imaginationes; phantasiæq; dicantur, quæ sunt formæ, sensibus istis (imaginationi videlicet & phantasiæ) cum imagine, & corporis figura repræsentatæ. Quæ imagines & figuræ corporeæ, in duplici possunt esse differẽtia: quædam sunt supernaturales; quæ absq; sensuum istorũ operatione repræsentari possunt, & repræsentantur illis passiuè: quas vocamus visiones imaginarias, supernaturali viâ contingentes; de quibus postmodum acturi sumus. Aliæ sunt naturales, quas operatione suâ actiuâ fabricare in se ipsis possunt, sub formis, figuris & imaginibus: sicque ad istas duas potentias spectat, deseruire meditationi, quæ est actus discursiuus, mediantibus imaginibus, formis, & figuris per dictos sensus fabricatis, & efformatis: vt verbi gratia, imaginari Christum Cruci affixum, vel

Quænam sint visiones Imaginariæ supernaturales?

Naturales Imaginationes quales?

Imaginatio & Phãtasiæ deseruiunt meditationi.

vel columnæ alligatum, vel etiam Deum in maxima maiestate, & throno sublimi, vel imaginari, ac considerare cœlestem gloriam, instar speciosissimæ lucis, & alias quaslescunque res his similes: siue illæ diuinæ sint, siue humanæ, quæ in imaginationem cadere possunt.

Vniuersæ Imaginationes & apprehensiones naturales euacuari ab anima debent vt ad vnionẽ Diuinam possit peruenire, & quare?

Vniuersæ istæ imaginationes, & apprehensiones, euacuari, & eliminari debent ab Anima; ita vt secundum istum sensum, in obscuro, & tenebris remaneat, vt ad vnionem diuinam peruenire valeat: cùm nullam possint habere proportionem proximi medij, respectu Dei; sicut nec res corporeæ, quæ quinque sensibus exterioribus obijciuntur. Huius rei ea est ratio: quia imaginatio, nihil fabricare, imaginariúe potest, præter ea, quæ exterioribus sensibus percepit; oculis, scilicet, vidit, auribus audiuit, &c. vel ad summum componere, & fingere potest, similitudines rerum visarum, auditarum, vel perceptarum; quæ tamen res, non sunt præstantiores illis, quas dictorum sensuum medio, recepit. Licet enim imaginetur gemmea palatia, montesque aureos, eò quod gemmas, & aurum viderit, in veritate tamen, non est amplius vniuersum illud, quam exigui auri, vel vnius gemmæ substantia; licet in imaginatione ordinem, ac modum compositionis artificiosæ sortiatur. Et quoniam creatæ res, vt iam dixi, nullam possunt proportionem habere cum diuina essentia: sequitur, quod omne illud, quod ad illarum similitudinem imaginationi offertur, non possit etiam tanquam medium proximum vnionis cum ea deseruire. Vnde illi, qui imaginantur Deum sub aliqua ex istis figuris, vel instar maximi ignis, vel splendoris, vel cuiuscunque alterius formæ; & existimant, quod aliquid illorum erit ei simile, longè abeo distant. Licet enim incipientibus necessariæ sint considerationes istæ, & formæ, meditationumque modi, vt hac ratione, mediante sensu, amore inflamment Animam, illamque pascant (vt postmodum dicturi sumus) vnde etiam deseruiunt illis ista, tanquam remota media vniendi se cum Deo: per quæ, vt plurimum, transeundum est Animabus, vt perueniant ad terminum, ac spiritualis quietis conclaue. Verumtamen hæc taliter assumi debent, vt per illa transeatur, nec semper in illis persistatur. Hoc quippe modo nunquam ad viæ terminum peruenirent, qui terminus nequaquam est instar remotorum mediorum, nullamque cum illis affinitatem habet. Quemadmodum gradus scalę, nihil commune habent cum termino, seu cubiculo, ad quod conscendendum, sunt medij: etsi ille qui ascendit, non relinqueret post se gradus, donec nullus amplius scandendus remaneret, velletque illorum alicui adhærere; nunquam pertingeret, ac conscenderet ad gratissimam termini planitiem, & conclaue.

Incipientibus necessariæ sunt considerationes imaginariæ, & meditationũ modi, & quæ sit huius rei causa?

Taliter assumi debent meditationis exercitia, vt non sistatur in eis, sed vlterius trãseatur.

Et huius rei notabilis causa.

Vniuersi considerationum gradus relinquendi ei, qui ad Dei vnionem cupit peruenire. Act. 17. 29

Quapropter Anima, quæ in hac vita voluerit ad vnionem summi illius boni, & quietis peruenire, vniuersos considerationum, formarum, notitiarumque gradus pertransire, & transilire debet: cum nulla illis sit similitudo, aut proportio cum termino, ad quem festinant, qui est Deus. Vt etiam S. Paulus in Apostolicis Actis docuit, dicens: *Non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi, sculpturæ artis, & cogitationis hominis, Diuinum esse simile.* Vnde grauiter errant, nonnulli spirituales, qui postquam strenuè sese exercuerunt, & studuerũt meditationibus imaginationibus, formis, ac meditationibus, (sicut par erat facere incipientes) ad Deum quam proxime accedere; cum illos postmodum vult Deus ad bona magis spiritualia interiora, & inuisibilia per-

NOTA.

NOTA.

Grauissimus error multorum spiritualium, meditationis exercita relinquere renuentium, etiãsi à Deo ad spiritualia inuitẽtur.

perducere, & attrahere; priuando iam illos meditationis discursiuę gustu, ac sapore: tergiuersantur ipsi, neque audent, neq; sciunt auellere, & abstrahere sese ab illis palpabilib. modis, quibus assuefacti sunt. Sicque nihilo secius in acquirendis ac retinendis illis laborant, volentes medijs cōsiderationibus, ac circa formas meditationibus, sicuti antea, iter hoc peragere; arbitrantes, semper hoc ita esse debere. Quâ in re plurimum laboris sustinent; parum tamen, aut nihil vtilitatis, seu gustus eliciunt: imò potius tantò amplius augetur, crescitque ariditas, defatigatio, & animæ inquietudo, quanto plus in acquirendo primo illo sapore, seu delectamento laborant, quod iam impossibile est, illo primo modo posse reperire: non enim iam amplius arridet, & placet cibus ille adeò sensibilis palato Animæ (vt iam diximus) sed expetit alium delicatum magis, & interiorem ac minùs sensibilem, qui non consistit in imaginationis labore, sed in quietanda Animâ, permittendo illam in sua pace, ac tranquillitate manere; quæ res est magis spiritualis. Nam quò plus Anima proficit, progrediturque in spiritu; eo magis cessant operationes suarum potentiarum, circa obiecta particularia: tunc enim illa se ponit, seu constituit in vno solo actu generali & puro, atque ita desistunt operari potentiæ, eo modo quo prius tendebant ad illud, quo Anima peruenit. Quemadmodum cessant, & sistunt pedes, postquam iter suum confecerunt; si enim curreretur semper, nunquam perueniretur, & si nihil esset, aliud præter media, vbi, aut quando succederet finis, terminique assecutio & fruitio? Quare res est commiseratione digna, quòd cum Anima istorum vellet manere in pace & tranquillitate interioris quietis, vbi impletur pace, & refectione Diuinâ: ipsi illam inquietant, & per vim ad magis exteriora trahunt, voluntque vt iteriam confectum iterum conficiat, & vt finem ac terminum itineris, in quo iam quiescit, deserat, propter media, quæ ad illum dirigebunt, quæ sunt considerationes. Quæ res fieri non potest absque insigni displicentia, & repugnantia Animæ, quæ vellet in pace illa, velut in suo proprio centro permanere: sicut ille, qui magno cum labore ad locum, in quo quiescit peruenit, non mediocriter affligitur, si compellatur iterum redire ad laborem. Cum autem huiusmodi homines arcanum nouitatis illius ignorent, se esse otiosos, nihilque boni facere imaginantur: quamobrem illi quieti repugnant, nec se pacificari permittunt; sed discurrere, & considerationibus operam dare conantur. Vnde prouenit, quod ariditate & siccitate repleantur; laborando in eliciendo gustu, & sapore, quem illâ viâ non sunt amplius habituri. Imò possumus illis dicere Prouerbium Hispanum *Mientras mas hiela, mas aprieta.* i. Quo gelu intensius est, eo magis stringit. Nam quò pertinacius, & obstinatius illo modo discursuum, ac meditationum procedere nitentur; eò peius cum illis agetur: siquidem tantò amplius euellunt, & extrudunt Animam, à sua pace, & tranquillitate spirituali. Quod nihil aliud est, quàm relinquere maius propter minus; & velle iterum facere, quod iam factum fuit, ac denique retrò reuerti.

ni insistere volētium, licet meditationu fino iam sine posita.

Huiusmodi hominibus dicendum ac commendandum est, vt discant cum attentione, & aduertentiâ amorosâ in Deo, in quiete illa permanere; neque imaginationem eiusque operationes curent: siquidem hoc loco, vt diximus, non operantur potentiæ, sed in illa simplici & suaui aduertentiâ amorosâ, requiescunt. Quòd si interdum aliquid operantur, nequaquam

NOTA. *Quid huiusmodi animabus consulendum, quid esse faciendum?*

id violente, aut cum nimis præmeditato discursu fit; sed cum amoris suauitate, & potius à Deo excitatæ operantur, quam à propria ipsius Animæ aptitudine, seu habilitate: quemadmodum postea amplius rem hanc enodabimus. Hæc nunc sufficiant ad ostendendum, qualiter necessarium sit illis, qui ad vlteriora progredi cupiunt, nosse expedire, seseque extricare ab omnibus istis modis, & operationibus imaginationis, tempore opportuno, quando videlicet id profectus illius, in quo versantur, status exegerit. Vt autem clare pateat, quando & quo tempore id fieri debeat; assignabimus sequenti capite signa, seu indicia quædam, quæ in se vir spiritualis animaduertere debet, vt per illa cognoscat, & intelligat tempus, & oportunitatem, qua libere, & absque formidine, possit prædicto amotosæ attentionis termino vti, iterque discursus, & operationum imaginationis, deserere.

CAPVT XIII.

Proponuntur indicia, quæ in seipso animaduertere debet vir Spiritualis, vt intellectum ab Imaginarijs formis, ac discursibus meditationis, denudare incipiat.

NOTA. *Huius, & duorũ sequentium capitũ doctrinam summi esse momenti & exactissimè ab omnibus orationis*

NE autem hæc, de qua agimus, doctrina obscura confusaque remaneat; conueniens, ac necessarium erit præsenti capite enucleare; quonam potissimum tempore, ac oportunitate, debeat spiritualis vir discursiuæ meditationis, medijs dictis imaginationibus, formis, ac figuris, operationem intermittere, ne forte citius, aut tardius, quam Spiritus requirit, deserantur. Nam sicut expedit suo eas tempore, vt ad Deum tendi possit omittere, ne iter hoc præpediant: sic etiam apprimè necessarium est, dictam meditationem minime ante tempus deserere, ne retrocedatur. Quanquam enim istarum potentiarum apprehensiones, nequaquam tanquam proximum vnionis medium deseruiant ijs, qui iam in via hac sunt proiectiores; deseruiunt tamen velut remotiora media Incipientibus, vt illarum præsidio, disponant, & assuefaciant Spiritum per sensum spiritualibus rebus, & vtea occasione, vniuersas alias formas, vilesque temporalium, sæcularium, ac naturalium rerum imagines euacuent, & abradant. Ad hunc finem, trademus hoc loco aliqua indicia, quæ in se vir spiritualis animaduertere debet, & ex quibus manifeste perspiciet; an dictas potentiarum operationes, illo tempore prætermittere expediat, an vero minime. Tria autem sunt.

studiosis etiã incipientibus perpendãda, & obseruanda.

NOTA. *Quo fine meditationibus insistendum.*

Primum est; cognoscere, se iam non posse amplius meditari, neque Imaginationis opera vti, nec hac in re gustum ac refectionem mentis, sicuti antea percipere: quin potius ariditatem quandam in ijs reperire, in quibus solebat sensum defigere, & succum, ac pastum elicere. Verum quamdiu poterit meditando discurrere, gustumque ac delectationem hac in re percipere, non debet meditationem prætermittere; nisi forte, quando ipsius Anima sese in tranquillitate constituerit: de qua in tertio indicio agetur.

Primum indicium ad meditationẽ deserendam est, nõ posse amplius meditari.

Secundum indicium est: quando animaduertit, nullo se desiderio, ac propensione ferri ad dictam Imaginationem, aut sensum, in alijs particularibus rebus interioribus, vel exterioribus, collocandum, & occupandũ. Nec loquor modo de illius euagatione; quando nimirum, nunc venit; nunc vero abit (Imaginatio enim, etiam magnæ recollectionis tempore, solet esse

Secundũ indicium nullo ferri desiderio ad Imaginationẽ, ita aliqua re delectãdã.

Imaginatio, etiam magnæ recollectionis tempore euagari solet.

esse libera, & vagabunda) sed solummodo, quando nec placet, nec gratum est Animæ, ex industria illam alijs in rebus occupare.

Tertium postremo, idq; reliquis certius actutiusest; quãdo libet, & placet Animæ, solã manere, cum attentione ad Deum amorosa, absq; alia particulari cõsideratione, in quadam interiori pace, quiete, ac requie, absque actibus, & exercitatione, saltem discursiuâ (quæ ex vno in aliud fertur) potentiarum; Memoriæ sc. Intellectus, & Voluntatis: sed solum quod maneat, cum notitia, & aduertentia generali, & amorosa, de qua locuti sumus, absque particulari intelligentiâ.

Tria hæc indicia simul sumpta, ad minus inse animaduertere debet spiritualis vir, vt tuto, secureq; statum meditationis deserere, Contemplationis verò, & spiritus viam ingredi, audeat, & præsumat. Nec ad hoc satis est primum indicium, absque secundo: euenire siquidem posset, vt imaginandi, de rebusque diuinis vt antea meditandi difficultas, seu impossibilitas, ex ipsius distractione modicaque cura oriretur: ob quam causam, debet quoque in se cernere secundum signum; vt nimirum nõ libeat illi, nec vero appetat alijs de rebus peregrinis cogitare. Quando enim ob distractionem, spiritusque teporem, nequit aliquis imaginationem, & sensum in rebus diuinis defigere, & sistere; confestim optat ad alias res diuersas, & differentes, sese cõuertere, illisque immorari: quæ etiam illum permouent, vt res diuinas deserat.

Nec etiam satis est primum, & secundũ indicium in se animaduertere, nisi simul videat & tertium. Quamuis enim cernat, non posse se discurrere, neque de rebus diuinis meditari, neq; etiam libeat illi de alijs diuersis rebus cogitare; posset hoc ex Melancolia promanare, vel aliquo depraua-

uato humore, qui cerebrũ corq; occupat, quique solet producere in sensu suspensionẽ, & impletionem quandã; quæ efficiunt, vt nihil cogiter, nihil velit, nec libeat illi aliquid meditari, sed solũ in illa sapida abalienatione, cupiat permanere. Cõtra quę omnia debet tertium habere indicium; videlicet notitiam, & attentionẽ amorosam, in pace, & tranquillitate interna, sicuti diximus. Quãuis fatendum sit, quod in principijs, quando status iste contemplationis inchoatur, quasi non aduertitur, nec cognoscitur notitia hæc amorosa: quod cõtingit propter duas causas. quarum prima est; quia in suis initijs, solet hæc notitia amorosa, admodum esse subtilis, & delicata, & quasi imperceptibilis. Altera verò causa est; quia cũ Anima fuerit assuefacta alteri meditationis exercitio, quod magis sensibus percipitur, non animaduertit, & quasi non percipit hanc aliam insensibilẽ notitiatẽ, quæ iam est pure spiritualis. Idq; maxime euenire solet, quando ob ignorãtiam noui huius status, non se in eo quietari sinit, conando magis sensibilibus rebus operam dare: quo conatu, licet copiosior sit pax interior, & amorosa, impedit, nec locum præbet, vt illam possit percipere, ac illa frui. Verum quãtò amplius sese disposuerit Anima, seseque quietari, ac pacificari permiserit; maiora in dies eius capiet incrementa, magisque, ac intimius notitiam illam Dei amorosam, ac generalem experimento percipiet, quæ super omnia palatum eius demulcet: producit siquidem in illa pacẽm, requiem, saporem, & absque labore, voluptatẽ. Vt verò, quæ dicta sunt magis dilucida fiant, adducemus sequenti capite causas, & rationes, ex quibus appareat necessitas trium horum indiciorum, vt commodius spiritum dirigamus.

NOTA. *Tertiũ indicium, quod est attentio amorosa, vix ã principio agnosci, idque ob duas valde perpendendas causas.*

Attentionis amorosæ commoda.

B. Joannis à Cruce Opera mystica

CAPVT XIV.

Istorum indiciorum congruentia demonstratur: rationesque necessitatis illorum, quæ circa ea dicta sunt assignantur, quæ ad ulteriorem in spiritu progressum deseruiunt.

QVantum ad primum indicium, de quo locuti sumus attinet, animaduertendum est duas ob causas, quæ in vna quodammodo continentur, debere spiritualem virum, (qui spiritus vitam, quæ est vita cõtemplatiua auspicatur) viam Imaginariam, & meditationis sensibilis quando iam illi est ingrata, nec amplius discurrere valet relinquere. Quarum prima est, quia quodammodo collatum iam est animæ, totum illud spirituale bonum, quod in rebus diuinis inuentum erat meditationis, ac discursus viâ: cuius rei argumentum est, non posse amplius meditari, nec vt solebat discurrere, aut eâ in re gustum aliquem, ac voluptatem nouam, sicut antea reperire: (nondum enim, pro tunc, ad spiritum in rebus illis latentem, degustandum penetrauerat) nam vt plurimum, quotiescunque anima aliquod spirituale bonum de nouo suscipit, suscipit illud degustando, ad minus in spiritu, illo modo, per quem illud suscipit, illique prodest; alioquin prodigio simile esset, si donum illud aliquam illi vtilitatem adferret. Fit enim res hæc ad illius modum, quo dicunt Philosophi, *quod sapit, nutrit.* Quam ob causam dixit Iob. *Nunquid poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum?* & hæc est causa cur non possit meditari, ac discurrere sicut prius; modicus videlicet sapor, & consolatio, quam spiritus hac in re reperit, & exigua inde vtilitas.

NOTA. *Duas ob causas debet meditatio sensibilis omitti quando nequit anima amplius discurrere.*

Quotiescunq; anima aliquod spirituale bonũ de nouo suscipit, suscipit illud degustando in spiritu.

Secunda verò huius rei causa est, quia anima iam hoc tempore spiritum meditationis substantialiter & habitualiter acquisiuit. Nam scopus seu finis meditationis, & discursus circa Diuina est, elicere, & comparare aliquã Dei notitiam & amorem, & quotiescunque anima notitiam hanc elicit, toties producit, & exercet actus: & quemadmodum frequentati actus, in quacunque tandem materiâ habitum in anima generant; sic etiam multi istarum amorosarum notitiarum actus, quos anima discretis vicibus elicuit, vsu consuetudineque ita coniugũtur, seu perpetuantur, vt illarum habitus cõtrahatur. Quam rem solet etiam interdum efficere Deus absque actuum istorum meditationis interuentu (saltim absq; eo quod multi præcesserint) collocando statim animas in contemplatione.

NOTA. *Finis & scopus meditationis quis sit.*

NOTA. *Qua ratione generatur habitus notitiæ amorosæ, seu acquisita cõtemplationis.*

Atque ita, id quod anima intercalatis vicibus antea labore suo meditandi circa notitias particulares eliciebat, eruebatque iam ob vsum, & consuetudinem, versum est ei, in habitum, ac substantiam notitiæ amorosæ, generalis, non sicut antea distinctæ, aut particularis. Quamobrem statim ac sese in oratione constituerit, (instar illius, qui aquam ad bibendum in promptu habet,) suauissimè bibit absque labore; nec indiget amplius præteritarum considerationum formarum, ac figurarum aquæductibus. Taliter vt statim ac in Dei sese præsentia collocauerit, seipsam quoque in actu Notitiæ, confusæ, amorosæ, pacificæ, & quietæ constituat, in qua hausit anima, sapientiam, amorem, & voluptatem. Et hæc est ratio, ob quam sentit anima tantum laborem, & displicentiam, quando pace hâc perfruens, ad meditandum, ac circa notitias particulares discurrendum, compellitur. Euenit quippe tunc illi, veluti sinfanti lac sugenti, ac vberi, pleno

Quatione exercetur acquisitus habitus notitiæ amorosæ.

Anima in hac notitia amorosa, seu contemplatione constituta, hauris sapientiam, amorem, voluptatẽ

pleno adhærenti; eriperetur vber, cogendo illum industriâ suâ ac labore, lac iterum conquirere, & elicere: vel certe veluti si illi, qui cortice alicuius fructus detracto, ipsam eius substantiam degustat; vis fieret, vt degustatum fructum relinqueret, vt iterum idem putamen: quod iam fregerat, auferret, tunc enim nec corticem amplius reperiret, nec fructus medullâ, quam præ manibus habebat, frueretur, similis illi qui prædam quam manibus tenet, spe futuræ, dimittit. Idipsum multi, qui hunc contemplationis statum intrare incipiunt, facere consueuerunt, qui arbitrantes vniuersum hoc negotium in discurrendo, ac particularia per imagines & formas (quæ sunt cortex Spiritus) intelligendo, consistere, dum has particularitates, in illâ substantiali, & amorosâ quiete, in quâ vellet ipsorum anima tunc permanere, nihil clari manifestique intelligendo, non reperiunt; existimant se à recta via aberrasse, tẽpusque inaniter conterere, ac redeunt miseri iterum ad inquirendum imaginis, discursusque sui corticem, quem tamen minime reperiunt, eo quod iam sit sublatus: atque ita nec ipsa substantia fruuntur; nec meditationem inueniunt, seque ipsos affligunt, ac cruciant, retrocedere se, ac perire autumantes. Et reuera ita est, quamuis nõ eo modo quo ipsi arbitrantur, pereunt enim sensibus proprijs, primoque sentiendi, & intelligendi modo: quod nihil aliud est, quam Spiritum, qui illis sensim communicatur, lucrari. Quem Spiritum quo minus ipsi intelligunt, eò amplius intimiusque noctem Spiritus ingrediuntur, de qua hoc libro agimus, per quam etiam transire debent, vt supra omnem scientiam Deo vniantur.

Nota.

Circa secundum indicium, pauca supersunt dicenda: manifeste siquidem patet, necessario non placere in hoc statu animæ, nec gratas esse alias differentes, & mundanas imagines, cum etiam illas, quæ magis illi sunt conformes, & consentaneæ, sicut sunt Diuinæ (vt diximus) ob assignatas iam causas repudiet, & non admittat. Solummodo memoria retinendum est, vt superius adnotauimus, solere in ista recollectione imaginationem ex se ire, & redire, ac euagari; sed id fit inuitâ voluntate, imo inde affligitur, eo quod eius pacem, ac delicias interturbet.

Neque aliquid necessario hoc loco dicendum puto, de tertij indicij ad meditationem relinquendam necessitate, ac congruentia, quod indicium est, notitia, & aduertentia ad Deum amorosa, & generalis: cum iam in primo indicio res hæc sit quadamtenus explanata, & dilucidata, & postmodum ex instituto de ea nobis agendum sit, quando nimirum de notitia ista generali, & confusa suo loco disputabimus, quod erit post vniuersas intellectus apprehensiones particulares.

Verum tamen adducemus nunc, vnam solam rationem, qua manifeste demonstremus, quomodo in euentu quo cõtemplatiuo prætermittenda sit meditationis via, necessarium illi sit, hoc aduertentiæ, amorosæ, ac generalis Dei notitiæ indicium. Est autem hæc ratio, quia si anima tunc temporis, ista notitiâ, vel in Deum assistentia destitueretur, sequeretur nihil illam tunc agere, aut habere: relicta enim meditatione, mediante qua potentijs sensitiuis operatur, anima discurrendo; & carendo etiam contemplatione, quæ est notitia generalis (de qua locuti sumus) in qua anima habet actu potentias suas spirituales occupatas, quæ sunt memoria, intellectus, & voluntas, vnitas iam in hac notitia frequentibus actibus, quasi acquisita, ac in illis susceptra; necessario illi vniuersum circa Deum exercitium deesset, cum anima

B. Joannis a Cruce
Opera mystica
T. 2.

nulla ratione possit operari, nec aliquid in se recipere, nec in eo ad quod operãdo deuenit, perseuerare, nisi per ista duo potentiarum genera, sensitiuarũ nempe, & spiritualium. Nã medijs sensitiuis potentijs, vt diximus, potest illa discurrere, inuestigare, & notitias obiectorum producere: medijs autem spiritualibus potentijs, potest frui notitiarum, in istis potentijs iam receptarum, obiecto, sine eo quod amplius ipsæ laborando, inuestigando, vel discurrendo operentur. Et sic discrimen, quod inter animæ exercitium per potentias sensitiuas, & eiusdem exercitium per potentias intellectiuas intercedit; idem est, quod inter operantẽ, & fruentẽ opere iã perfecto: vel certe illud, quod est inter aliquid recipiẽtẽ; vel fruentẽ rebus iã receptis, vel illud, quod est inter viæ laborẽ & requiẽ, quæ in viæ termino reperitur: deniq; veluti illud quod inter cibos præparantem, vel iã præparatos edentem, & gustãtem. Quod si anima in nullo istorum exercitiorum detineatur, hoc est, nec in meditatione, & discursu, potẽtiarum sensitiuarũ operatione vtatur; nec in contemplatione, & notitia simplici, de qua iã dictum est, rebus iã receptis, & operatione acquisitis, fruatur; sed in vtrisque otiaretur, & vacaret, non esset vnde, vel quomodo posset dici occupata. Est ergo hæc notitia necessaria, ad discursum, & meditationem relinquendã.

Quodnã sit Potentiarũ sensitiuarũ, & Spiritualium exercitiũ. Et quod earum discrimẽ

Anima necessario vni istorũ exercitiorum occupari debet, ne sit otiosa in oratione.

Illud tamen, alta mente hoc loco perpẽdendũ est, notitiã hanc, de qua loquimur, Generalem, esse aliquando adeò subtilem ac delicatam; (præsertim quando ipsa in se est purior, simplicior, perfectior, spiritualior, & intimior) vt anima, quam occupat, minime illam animaduertat, neque percipiat. Hocq; vt dicebamus cõtingere solet, quãdo ipsa in se est serenior, purior, & simplicior; tũc verò temporis eiusmodi est, quando illa purioré animã, & ab alijs intelligentijs, & notitijs partic ularibus, quas intellectus sensusq; vsurpare poterat, alienam, & liberam trãsuerberat & penetrat, & quoniam anima notitijs istis, circa quas intellectus sensusque consuetudinem & aptitudinem se exercendi habet, destituitur; non illas percipit, eo quod solita sua sensibilia deficiant.

Notitia hac generalis, aliquando ita subtilis est vt anima, quæ illa potitur, minimè eã percipiat. Et huius rei causa.

Et hæc est causa, propter quã quo magis notitia hæc defæcatior, perfectior, simpliciorq; est; minus illã intellectus percipit, & obscurior illi apparet. Sicut è contratio cũ notitia hæc minus est pura, & simplex, clarior solidiorque intellectui videtur: eò quod aliquibus intelligibilibus formis vestita, vel permixta ac inuoluta sit, quas magis animaduertere potest intellectus.

Quæres, hac similitudine explicari, ac declarari potest. Si solis radium contemplemur, qui fenestram aliquã ingreditur; videbimus, quod quo magis aër atomis, cæterisque minutijs refertus est; eo radius ille solaris palpabilior, sensibilior, atque serenior sensui visus apparet: & tamen nemini dubium est, tũc temporis radium impuriorem esse, minusque clarum, simplicem ac perfectum; siquidem tot atomis, ac minutijs obuoluitur. Similiter etiã cernimus, quod quo solaris radius, purior ac liberior est ab illis labeculis, & atomis; eo minus palpabilis, purusque oculo materiali apparet; minusque illum percipit, & minus illi visibilis videtur. Quod si omnino totaliterque radius esset depuratus, & à minutissimis quoque atomis, & puluisculis limpidus & liber; omnino videretur oculo imperceptibilis; non reperiret quippe oculus species ad quas terminaretur, cum lux sensibilis ac pura, non adeò propriè visus obiectum sit; sed potius medium, quo visibilia cernit: vnde si visibilia obiecta, quæ radius, vel lux ferire, vel illustrare posset, deessent, minime lux sola, ocu-

Res hæc similitudine aptè explicatur.

oculo perciperetur. Hinc est, quod si solaris radius per vnam ingrederetur fenestram, per aliam verò exiret, nec aliquid corporeum offenderet; videtur quod nihil illius appareret; & nihilominus radius tunc temporis in se purior, & serenior esset, quam cum visibilibus rebus plenus, clarior apparebat, & magis percipiebatur. Idem fermè agitur in oculo animæ, qui eius est intellectus, respectu spiritualis lucis; quem oculum hæc notitia, & lux supernaturalis, de qua loquimur tam purè simpliciterque percutit, adeoque notitia est ab omnibus intelligibilibus formis (quæ sunt obiecta intellectui proportionata;) aliena, & denudata: vt ipse illam nec percipiat, nec animaduertat. Imò aliquando (hoc autem fit, quando ipsa in se purior est) lux ista, tenebram, & obscuritatem intellectui inducit: eo quod abalienet eum, remoueatque ab eo solitas suas formarum, & phantasiarum luces; & tunc optimè sentitur, & animaduertitur huiusmodi tenebra.

Interdum etiam hæc diuina lux tanta vi transuerberat, percutitq; animam, vt nec tenebram percipiat, nec reflectat se ad lucem, nec illi videatur, se aliquid, quod ipsa sciat, siue hinc, siue illinc apprehendere, ac propterea remanet anima veluti oblitione quadam altâ sepulta, neq; vbinam fuerit, aut quid egerit agnoscit, neque aliquod illi tẽpus elapsum esse videtur. Vnde euenire potest, & reuera ita est, vt plures horæ in hac oblitione consumantur, animæ verò quando ad se redit, vix momentum vnum fuisse videatur. Oblitionis porro huius causa est puritas & simplicitas (de qua locuti sumus) notitiæ huius. Quæ occupando, & penetrando animam, sicut ipsa pellucida, & pura est, sic efficit eam simplicem, mundam, & ab vniuersis sensuum, ac memoriæ apprehensionibus, & formis, quibus medijs ipsa prius operabatur, depuratam: hocque modo illã in oblitione relinquit, absque eo quod se ad temporis differentias reflectat. Quamobrem hæc oratio licet sit (vt dixi) prolixa, breuissima apparet Animæ: quia peracta est in intelligentia pura, quæ est breuis illa oratio, de qua dicitur, quod cœlos penetret. Breuis appellatur, quia non percipit nec anima duertit tempus. Penetrat verò cœlos, quia anima, in quadam cœlesti intelligentia vnita est. Sicque notitia hæc relinquit animã quando expergiscitur, cùm effectibus illis, quos in ea produxit, absq; eo, quod ipsa illos dũ fierent persentiret: qui effectus sunt, mentis eleuatio ad cœlestem intelligẽtiam, ac abalienatio & abstractio, ab omnibus rebus, formis, ac figuris earum. Quod sibi euenisse Dauid fatetur, cum in se à simili oblitione rediret, dicens. *Vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Solitarius ait: hoc est, ab omnibus rebus, abstractus, & abalienatus.

Quæ sit oratio breuis penetrans cœlos?

Effectus huius orationis.

Ps. 101. 8

In tecto insuper: hoc est, mente in sublime elata, & hoc modo remanet anima, quasi omniũ rerũ ignara, solum enim Deũ nouit, nec tamen scit, qua id ratione fiat. Sic etiam sponsa, inter effectus, quos in ea somnus hic, oblitioq; produxit, hũc quoque ignorantiæ recenset, dum ait. *Nesciui.* Id est, nescini vnde. Licet (vt dictum est) videatur animæ in hac notitia constitutæ, nihil se prorsus facere, neque se re aliqua esse occupatam, eò, quod sensuum operatione non vtatur: credat tamen sibique persuadeat nequaquam se tempus inutiliter, & otiose consumere. Quamuis enim potentiarum Animæ harmonia, & concentus cesset, ipsius tamen intelligentia, ad eum se modum habet, sicuti exposuimus.

Cant. 6, 11

Et idcirco sapiens sponsa, tacitæ suæ hac

hac de re obiectioni respondit, dicens. Cant. 5. 2. *Ego dormio, & cor meum vigilat:* id est, quamuis dormiam ego secundum id quod naturaliter mihi competit, ab operatione desistendo: meum tamen cor vigilat supernaturaliter, ad notitiam supernaturalem eleuatum. Iudicium itaque ad cognoscendum vtrum anima versetur in hac intelligentia secreta, est, si videat se vltra non appetere cogitare quidquam, siue altum, sit, siue humile.

NOTA. *Nō est omnino necessarium ad hoc vt notitia seu cōtemplatio ista, vere talis sit, hanc obliuionē euenire. Hac obliuio quippe tunc accidit quando ipse Deus particulariter abstrahit Animam, & hoc raro fit.*

Verum animaduertendum est, nullo modo existimari debere notitiam hanc, de qua hoc loco præcipue tractamus, ad hoc vt vere talis sit, debere necessario talem inducere obliuionem: hoc enim solum contingere solet, quando Deus ipse particulariter abstrahit animam; quod non frequenter fieri solet: non semper quippe notitia hæc totam occupat animā. Vt autem huiusmodi sit, quæ ad meditationem, ac discursus relinquendos satis sit, sufficit vt intellectus à quacunque particulari notitia abstractus sit, siue illa temporanea sit, siue spiritualis: & præterea, vt voluntas, ad neutras cogitandas propendeat, vt dictum est. Atque ex hoc indicio agnosci poterit, animam in hac obliuione de qua egimus versari, quando scilicet notitia hæc soli intellectui infunditur, & cōmunicatur. Quando enim voluntati quoque simul conceditur (quod fere semper, siue parum illud sit, siue multum, euenit) bene percipit Anima, si considerare velit, se notitia hac occupari, & detineri, eo quod amoris palato, seu gustu, se in illa versari, animaduertit, non tamen in particulari discernit, quidnam amet. Et idcirco amorosa, ac generalis notitia appellatur: quia quemadmodum generalis est, in intellectu, obscure se illi communicando: sic etiam generalis est in voluntate confuse amorem illi, ac voluptatem communicando; absque eo quod voluntas distincte cognoscat, quidnam amet.

NOTA. *Qualis nā notitia satis sit ad meditationem relinquendā? Fere semper notitia hac cum amore cōiuncta est Cur vocetur notitia Generalis, amorosa, hac contēplatio?*

Hæc nunc sufficiant, ad declarandum, qua ratione necessarium sit animæ, notitia hac occupari: vt possit meditationis, & discursus viam deserere: & vt tuta securaq; reddatur, quod licet illi se otiosam esse, nihilque agere videatur; se tamen bene, ac fructuose esse occupatam: si tamen dicta iam indicia, in se animaduerterit: ex allata quoque similitudine intelligi potest, quomodo non ideo lucem hanc æstimare debet anima, puriorem, sublimiorem, & sereniorem, quia intellectui apprehensibilis magis, & palpabilis repræsentatur, sicut solis radius oculo apparet clarior quando atomis scatet. Cum iuxta Aristotelis, Theologorumque doctrinam manifeste constet, quod quo lux Diuina sublimior, & eleuatior est; eo obscurior sit intellectui nostro.

Quo lux Diuina sublimior, eò intellectui nostro obscurior.

De Diuina hac notitia, tam secundum se considerata, quam secundum effectus, quos in contemplatiuis producit, multa essent dicēda: sed omnia hæc suo reseruamus loco; quoniā nec ea, quę hoc loco adduximus, adeo fuse prolixeque proponere oportebat, nisi forte, ne doctrina hæc cōfusa magis remaneret, quam reuera remanet: quia profecto, ego ipse fateor illā admodum cōfusam remanere. Nam præterq; quod materia hæc sit, de qua raro hoc, quo eā nos hic proponimus modo, siue sermone, siue scripto, agitur: (eo quod illa in se sit præterordinaria, & obscura) accedit etiam rudis meus stylus, & exigua scientia: & sic diffidens posse me ista congruenter explicare: multoties agnosco me nimis prolixum esse & limites qui ad proponendam hoc loco doctrinæ, de qua disputo partem satis erant, transilire. Quam rem fateor me interdum ex industria, ac data opera facere; nam quod vno modo

modo & argumento intelligi nequit, fortasse melius, alio, atque alio percipietur. Præterea, idcirco aliquanto prolixus fum; quia existimo aliquam lucem adferri ijs, quæ postmodum sunt dicenda. Quam etiam ob causam vt hanc doctrinæ partem absoluam, videtur mihi omnino cuidam dubitationi respondendum, quæ circa notitiæ huius continuationem emergere posset, idque capite sequenti succinctè præstabo.

CAPVT XV.

In quo demonstrat, quomodo proficientibus, qui notitiam hanc Generalem contemplationis ingredi incipiunt, expedit interdum discursu, & operatione potentiarum naturalium vti.

CIrca hucusque dicta, posset hæc dubitatio oriri; an Proficientes, illi videlicet, quos Deus in hac supernaturali contemplationis notitia (de qua locuti sumus) collocare incipit; eo ipso quod illa frui incipiant, nunquam an plius meditationis discursus, naturalisque formarum exercitium, resumere debeant? Dubitationi huic respondetur, nullo modo hanc doctrinam sic accipi debere, vt illi, qui incipiunt notitiâ istâ amorosâ, & simplici perfrui, nunquam ampliùs vti debeant meditatione, nec ad eam habendam conari. Nam in istis profectus sui principijs, nec adeò perfectus est in illis notitiæ huius habitus, vt statim ac ipsi voluerint possint actum eius exercere, seu in illo sese constituere; nec ita longe à meditatione recesserunt, vt meditari ac discurrere sicut solebant interdum non valeant, aliquas res nouas, meditatione inueniendo. Quinimo in istis principijs, quando ex allatis indicijs iam cognouerimus animã, minimè quiete illa seu notitia occupatam esse, omninò discursu vti oportebit eam, donec acquirat habitum (de quo iam locuti sumus) aliquo modo perfectum: tunc autem erit habitus iste acquisitus, quando quotiescunque meditari voluerint, confestim se sentiant in ista pacis notitia constitutos, absque eo quod meditari possint, neque voluntatem ad meditandum flectere. Antequam enim eò perueniatur (nimirum ad notitiam istam amorosam habitualem) in isto statu, qui est proficientium, aliquando reperitur vnum, aliquando verò aliud. Ita vt pluries sese inueniat anima in ista amorosâ vel pacifica assistentia, nihil (vt declaratum est) potentijs operando: pluries verò moderato, pacatoque meditationis, & discursus conatu, ad se in ea collocandam, indigebit. Qua pacifica notitia obtenta, nõ discurrit, nec laborat iam potentijs anima, tunc enim verius dici poterit, intelligentiam, & suauitatem in ea quasi passiue se habente, fieri, seu produci; quàm quod ipsamet aliquid operetur; sed solummodo istud illi incumbit, vt attentam cum amore habeat ad Deum animam, nihil percipere, ac videre cupiendo, sed permitrendo se duntaxat à Deo duci: qua in re passiue sese illi communicat ipse Deus; quemadmodum illi qui apertos habet oculos, lux cõmunicatur. Illud solũ necessarium est ad lucem hanc Diuinam simplicius copiosiusque suscipiendam, vt non conetur, neque curet alias magis palpabiles aliarum notitiarum, vel formarum, vel figurarum discursiuas luces, interponere: nam nihil istorum, serenæ illi, & limpidæ luci, simile est. Vnde si illo tempore intelligere, atque considerare res particulares vellet, licet illæ maximè spirituales essent simplicem illam, ac delicatam spiritus lucem, nubeculas istas interponendo, præpediret: Quemadmodum si cui res aliqua ante oculos opponeretur, in quam visus offenderet,

Vnde cognosci possit ab aliquo, habitum perfectum notitiæ amorosæ, seu contemplationis acquisitum fuisse.

NOTA. *In proficientiũ statu, aliquãdo anima in hac sa notitia amorosa cõstitutam reperiet, aliquando verò meditatione adponendum se in ea indigebit.*

Ad copiosius lucem hanc seu notitiam suscipiendam, quid facere debeat anima?

NOTA. *Quæ contemplationis statum assequuntur nonnisi meditationis exercitij mentem deserant, & quare*

B. Joannis a Cruce Opera mystica

deret, proculdubio, & lumen & anteriorem prospectum, & præpediret. Hinc manifestè deducitur, quod statim ac anima expurgationem hãc, & euacuationem ab omnibus formis, & imaginibus apprehẽsibilibus perfecte absoluerit, eam in istâ purâ simpliciq́ue luce remansuram, transformando se in illam in statu perfectionis. Lux quippe hæc, prompta semper, paratáque est ad communicandum se animæ; sed propter formas, & creaturarum velamina, quibus anima tecta, irretitaque est, haud quaquam illi infunditur. Quod si impedimenta hæc, & velamina omnino auferrẽtur (eo quod postea dicemus modo) in pura nuditate, ac spiritus paupertate remanendo; confestim anima iam simplex, & pura, in puram simplicemq́ue sapientiam Diuinã, quæ est Dei filius, transformaretur. Quia deficiente ab anima amore iam sauciata, illo, quod illi naturale est, confestim infunditur ei supernaturaliter, illud, quod Diuinum est: cum Deus nullum relinquat vacuum, quod non impleat.

Statim ac anima sese ab omnibus apprehensibilibus imaginibus perfectè euacuauerit, in pura luce notitiæ istius remanebit.

Lux hæc semper parata est, ad communicandum se animæ.

Nullum Deus reliquit vacuum quod non impleat.

Distat spirjtualis, quando meditari nequit, cùm amorosâ ad Deum aduertentiâ seu attentione, cum intellectus pace permanere, licet illi se otiosum esse videatur. Hoc quippe modo sensim, & valde citò animæ suæ, Diuina requies & pax cum admirandis, & sublimibus Dei notitijs amori Diuino inuolutis, infundetur. Nec sese formis, imaginationibus, meditationibus, vel alicui discursui immisceat: ne inquietet animam, eamque à sua voluptate, ac pace auellat, & ad illud in quo illa tædium auersionemq́ue sentit, compellat. Si autem vt diximus scrupulus aliquis suboriatur, nihil illum agere; animaduertat non exiguam eum rem præstare, animam pacando, eamque in tranquillitate absque vlla operatione

NOTA.

Quid faciendũ spirituali viro quando meditari nequit?

suâ vel appetitu collocando, & conseruando: quod est illud, quod à nobis Dominus noster per Dauid requirit, dicens: *Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus*, hoc est, Discite, & conamini ab omnibus rebus esse vacui, (interius videlicet) & cum magna voluptate videbitis, quoniam ego sum Deus.

Magnum opus efficit anima seipsam pacando, & absque vlla sua operatione vel appetitu attentam Deo exhibendo, & hoc ab ea requirit Deus. Psal. 45.11

CAPVT XVI.

In quo de imaginarijs apprehensionibus, quæ supernaturaliter in phantasia repræsentantur, disputatur. Demonstratur etiam non posse eas deseruire animæ, tanquam medium proximum ad Vnionem cum Deo.

POstquam de apprehensionibus, quas in se anima naturaliter recipere, & circa quas imaginatione phantasiaq́; occupari potest, disputauimus. Rationi consentaneum est, vt de supernaturalibus, quæ Imaginariæ visiones appellantur, hoc loco agamus; quæ quoniam imaginibus, formis, & figuris subditæ sunt, ad hunc quoque interiorem corporeumque sensum spectant, quemadmodum & naturales.

Animaduertendum autem est, nomine hoc visionum imaginariarũ, velle nos intelligere ac compræhendere ea omnia, quæ sub imaginum, formarum, & figurarum vel specierum modis, supernaturaliter imaginationi obijci repræsentarique queunt; idque per species admodum perfectas; & quæ viuacius ac perfectius quàm connaturali sensuum ordine fieri soleat, repræsentant, & mouent.

Quidnam in hac tractatione nomine visionum Imaginariarum intelligatur?

Omnes enim appræhensiones & species, quæ ab vniuersis quinque corporeis sensibus ortæ repræsentantur animæ, im-

in illa naturali via sedem figunt, possunt etiam supernaturali via in eadem habere locum, illique repræsentari absque aliquo exteriorum sensuum præsidio. Iste quippe phantasiæ sensus & memoriæ, est veluti archiuium seu receptaculum quoddam respectu intellectus, in quo vniuersæ formæ & imagines, quas ille efficit intelligibiles, recipiuntur, hocque modo intuetur illas intellectus, & de illis fert iudicium.

Sciendum itaque est, quod quemadmodum quinque exteriores sensus, imagines & species suorum obiectorum, his interioribus sensibus, Phantasiæ scilicet & imaginationi proponunt, & repræsentant: eodem etiam modo (vt diximus) absque exteriorum sensuum interuentu, possunt supernaturaliter eædē imagines, ac species, idque multo viuacius, & perfectius repræsentari. Hocque modo, sub imaginibus istis multoties plura repræsentat Deus animæ, eamque eximia erudit sapiētia, quemadmodum passim in sacris literis videre est, cuiusmodi est illud, quando patefecit Deus gloriam suam sub imagine fumi, qui obtegebat templum. Et iterum patefecit gloriam suam inter Seraphinos, qui alis velabant facies & pedes. Et Ieremiæ, virgam vigilantem. Danieli quoque plurimas visiones, ostendit.

Dæmon quoque visionibus suis apparenter bonis nititur decipere animas: quemadmodum libro tertio Regum videre licet, quando vniuersos Prophetas Achab in errorem induxit, repræsentans illorum Imaginationi, cornua, quibus ventilandos, superandosque Assyrios prædixit, quod tamen mendacium fuisse, exitus comprobauit. Eiusdem farinæ visiones vxoris Pilati, fuerunt, quibus persuadebat ne CHRISTVS morti adderetur, & plures id genus aliæ diuersis in locis.

Visiones Imaginariæ frequentius in via Dei iam prouectis, euenire solent, quàm corporeæ exteriores; nec in quantum sunt imagines, & species distinguuntur ab illis, quæ per exteriores sensus ingrediūtur: verùm quantū ad illarum perfectionem, effectusque, quos producūt attinet, latissimum inter eas discrimen reperitur: delicatiores enim, & subtiliores sunt, & maiores ex ijs in animam effectus promanant, eo quod simul, & supernaturales sint, & supernaturalibus exterioribus, intimiores.

Hoc tamen minime obstat, quin interdum aliquæ ex istis corporalibus exterioribus, maiores effectus producant; fit tandem eo modo, quo Deo communicationem fieri placet: verum loquimur nunc secundùm naturalem ipsarum proprietatem; siquidem magis sunt intimæ. Hic Imaginationis, & Phantasiæ sensus, est ille, in quo vt plurimum cacodæmon suas exerit vires, & aures: cùm sensus iste sit veluti ianua quædam seu introitus animæ; in quo etiam intellectus, veluti in foro aut portu accipit, aut relinquit suarum specierum merces. Et propterea Deus, & etiam Dæmon huc cum imaginibus, & formis suis accurrunt, vt illas intellectui obijciant, ac offerant: quanquam Deus, non hoc solum ad erudiendam animam vtitur medio, cum in eâ substantialiter commoretur, potestque id siue per se, siue per alia media, præstare. Nolo amplius immorari, in adferenda indiciorum doctrina, per quam discerni possit, quænam visiones à Deo sint, quæ verò nequaquam: cū non sit mea mens, hac de re, hoc loco agere: sed solum animus sit, erudire

Visiones Imaginariæ in via Dei prouectioribus, frequentius euenire solent, quam corporeæ exteriores.

Multo excellentiores effectus producunt visiones imaginariæ in anima, quàm externæ corporales, & quare?

In Imaginationis Phantasiaq; sensu, suas vt plurimum Dæmon exerit exercetq; artes, & quæ sit huius rei ratio?

B. Joannis a Cruce Opera Mystica NVI 12

circa illas intellectum, ne sese visionibus bonis implicet, vnioniq; sapientiæ Diuinæ, obstaculum ponat, & ne visionibus falsis decipiatur, & illudatur.

NOTA. *Nullas visiones imaginarias siue à Deo, siue à Dæmone proficiscatur, debet anima admittere, aut illis occupari, & quare?*

Propterea dico & assero, nulli omnium istarum apprehensionum, & imaginariarum visionum, & quarumcunque aliarum, quæ sese sub aliqua forma vel imagine, vel aliqua particulari intelligentia offerunt, siue illæ falsæ sint, & à Dæmone proficiscantur, siue etiam veræ esse, & à Deo promanare, cognoscantur; nulli inquam intellectum sese implicare, aut immiscere debere, nec illis pasci, neque animam debere illas velle admittere, nec in illis sistere; vt possit esse abstracta & expedita, nuda, pura, & absque omni modo, simplex, quemadmodum ad Diuinam vnionē requiritur. Huius rei ratio est: quia omnes istæ formæ, iam enumeratæ, semper in sui apprehensione sub aliquibus modis, & rationibus limitatis repræsentātur: sapiētia autem Diuina, cui intellectus vniri debet, nullum habet modum, aut rationem, nec est aliqua intelligentia distincta, & particulari circumsepta: cum sit omnino tota pura, & simplex. Cùm autem ad hoc, vt duo extrema (cuiusmodi sunt anima, & sapientia Diuina) coniungantur, necessarium sit vt sibi mutuo consentiant, secumque in quodam similitudinis modo conueniant: hinc est, quòd etiam anima, debet esse pura, & simplex; non limitata, nec alicui intelligentiæ particulari alligata; neque aliquo formæ, speciei, aut imaginis limite modificata, seu constricta. Et quoniam Deus nulla forma, aut imagine comprehenditur, nec sub intelligentiam particularem cadit, etiam anima vt vniatur Deo, non debet aliqua forma, vel distincta intelligentia coarctari. Potrò nullam in Deo reperiri formam, aut similitudinem, optimè declarat Spiritus sanctus in Deuteronomio his verbis. *Vocem verborum eius audistis, & formam penitus non vidistis.* Quamuis dicat fuisse ibi tenebras, nubem, & obscuritatem, quæ est notitia obscura, & confusa, de qua locuti sumus, in qua Deo anima copulatur: Et paucis interiectis ait. *Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est Dominus in Horeb de medio ignis.*

Cur anima ad Diuinam vnionē anhelans, tota pura debeat esse ab omni imagine, & simplex?

Deut. 4. 12.

num. 15.

Quod autem non possit anima ad vnionis cum Deo sublimitatem, qualis in hac vita acquiri potest, medijs aliquibus formis, & figuris pertingere, idem Dei spiritus in Libro Numerorum asseruit, quo loco arguens Deus Aaron, & Mariam germanos Mosis, quia contra eum murmurabant, volensque illis declarare, sublimem vnionis, ac amicitiæ mutuæ statum, ad quem Mosem prouexerat, dixit. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum: At non talis seruus meus Moises, qui in omni domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei: & palam, & non per ænigmata & figuras Dominum videt.* Ex quibus verbis manifestè constat, in isto eminenti vnionis amoris statu, nequaquam se Deum communicare animæ medio aliquo visionis imaginariæ, similitudinis, aut figuræ schemate, neque illud reperiri debere: sed ore ad os, hoc est, in pura & nuda Dei essentia, quæ est veluti os Dei in amore, in pura vicissim & nuda essentia Animæ mediante voluntate quæ est os Animæ in Dei amore. Quamobrem vt ad vnionem hanc adeò perfectam peruenire possit; sollicitè debet cauere anima ne visionibus imaginarijs, aut formis, aut figuris, aut particularibus intelligētijs, innitatur: cū illi nequaquā deseruire possint, velut mediū proportionatū & proxi-

Nequit Anima ad Diuinam peruenire vnionem, medijs formis aut figuris.

Num. 12. 6.

Quidnam sit Deum ore ad os loqui?

Quidcauere debeat Anima ad vnionem aspirans?

proximum ad hunc finem: quin potius erunt illi impedimento; ideoque debet eas repudiare, & ne contingant, quantum valuerit, obuiare. Nam si in aliquo euentu admittendæ, æstimandæque essent; id fieri deberet ob vtilitatem, ac fructum, quem in Anima quando veræ sunt producunt: sed ad hæc consequenda, nequaquam necesse est illas admittere: imo vt magis profint, oportet semper illas respuere, & abnegare. Omne siquidem bonum, quod visiones istæ imaginariæ (sicut etiam exteriores corporeæ, de quibus sumus locuti) in Anima producere possunt, est impertiri illi intelligentiam, amorem, vel suauitatem: verum ad effectum istum in ea causandum, non requiritur, vt ipsa Anima velit eas admittere. Nam (sicut etiam superius dictum est) quando offeruntur, imaginariæ, efficiunt statim, vel infundunt in animam intelligentiam, amorem, vel suauitatem, quam vult eas Deus producere: hoc modo suscipit passiue Anima effectum suum excitantem, nec ipsa potest eum præpedire: quemadmodũ etiam nec in eius situm erat potestate, posse & scire illum acquirere, licet antea laborauerit, se ad effectum istum disponendo. Qua in re aliquo modo similis est Anima vitro, quod prohibere non valet, nec solarem radium sese transuerberantem impedire: sed solummodo passiue se habendo, munditia iam dispositum absque aliqua diligentia, & operatione sua, ab illo clarificatur. Sic etiam anima non potest non recipere in se influentias & communicationes illarum figurarum: infusionibus enim supernaturalibus, voluntas negatiua reluctari nequit, permanens in humili, & amorosa resignatione. Quamuis dubio procul impuritas, Animæque imperfectiones, non exiguo sint obstaculo: sicut etiam maculæ in vitro, impediunt claritatem. Ex quibus manifeste apparet, quod quo amplius Anima sese voluntate, & affectu à maculis apprehensionum, imaginum, & figurarum, quibus communicationes spirituales (quas recensuimus) inuoluuntur, denudauerit, & abalienauerit, non solum se communicationibus istis, & bonis quæ producunt, priuat; sed multo melius disponitur, ad illa in maiori copia, claritate, spirituque libertate, & simplicitate suscipienda, explosis repudiatisque vniuersis illis apprehensionibus, quæ sunt cortinæ quædam, & velamina illud, quod in eis magis spirituale est, tegentia, & operientia. Occupant itaque huiusmodi apprehensiones sensum, & spiritum, si illis pasci, ac nutriri voluerit, idque adeo, vt non valeat animæ, simpliciter, & libere Spiritus communicari: dum enim, corticibus illis detinetur, manifeste patet non habere intellectum libertatem recipiendi substantiam, quare si anima admittere illas, magnique pendere vellet, nihil aliud faceret, quam seipsam intricare, & minori, quod in illis continetur bono, eo nimirum, quod ipsa in illis apprehendere & cognoscere potest, esse contentam; quod tandem nihil aliud est, quam illa forma, & imago, & particularis intelligentia. Nam illud, quod in illis præstantius est, spirituale nempe bonum, quod illi infunditur, nescit illa apprehendere, nec intelligere, nec qualiter sit nouit, nec illud poterit verbis exprimere; eò quod pure spirituale sit. Id solummodo, quod de illis nosse potest, minimum est (vt dixi) quod in illis reperitur, secundum suum intelligendi modum, formæ videlicet per sensus, & propterea dico, quod passiue, & sine eo, quod illa vtatur operatione sua intelligendi, nec quod illa vti sciat, communicatur illi spirituale bonum visionum illarum, quod illa nec intelligere, nec imaginari sciret.

B. Joannis a Cruce
Opera Mystica
NVI
124

Quapropter semper sunt oculi Animæ auertendi ab omnibus istis apprehensionibus, quas illa videre, & intelligere distinctè potest, quæ quoniã suam habent cũ cõsensu communionem, minimè stabilitatẽ ac securitatem fidei sortiuntur: verum defigere oculos in eo, quod minime videt, nec ad sensum, sed ad spiritum pertinet, quod etiam nõ cadit sub figuris sensus; est illud, quod animam ad vnionem perducit per fidem, quæ est proprium mediũ. Atq; hoc modo visiones istæ, secundum id, quod in illis substantiale est, proderunt Animæ ad fidem altius imprimendam, quãdo illa didicerit rectè abnegare & respuere id, quod in illis est sensibile, & intelligibile, particulare seu singulare; & quando nouerit, bene illo fine vti, quem Deus in dandis illis intendit; refutando & rerepudiando illas: vt enim de visionibus corporalibus diximus, non idcirco eas communicat Deus, vt illas acceptet anima, illisque affectu hæreat.

A visionibus auertendi mentis oculi, & ad ea, quæ nõ videntur conuertendi.

Quomodo visiones istæ, proderunt Animæ ad fidei incrementum.

Verùm emergit hoc loco dubitatio quædam; estque, si resita se habet, vt Deus tribuat visiones supernaturales animæ, non ad hoc vt eas acceptet, aut illis innitatur, easque æstimet; ad quem ergo finem eas largitur? maximè cum possint esse animæ multorum errorum, ac periculorũ occasio, vel ad minus impedimenta, & obstacula (de quibus loquuti sumus) ne progredi in spiritu possit, adducant, præsertim cum possit Deus, spiritualiter conferre Animæ & in substantia, quidquid illi per sensus, medijs dictis visionibus, & formis sensibilibus, communicat. Huic dubitationi sequenti capite occurremus, quod magni momenti continebit doctrinam, apprimeque (secundum meam opinionem) tam spiritualibus viris, quam ipsorum directoribus necessariam. Docetur quippe ibi modus & finis, quo Deus in illis conferendis vtitur, & intendit: quem quoniam plures ignorant, nec seipsos regere norunt, nec alios per illas ad vnionem dirigere. Arbitrantur enim, quod eo ipso quòd exploratum habeant, eas veras esse, à Deoque proficisci, expediat adhærere illis, & inniti; non considerando quod etiam in istis inueniet anima suum proprietatis, adhæsionis, & impedimentorum, modum, quemadmodum & in rebus mundanis reperire solet; nisi illis nuncium remittere, & eas abnegare norit, sicuti & mundanas. Vnde bonum illis proficuumque esse videtur, visiones admittere, res verò mundanas respuere, istoque modo se & animas, quibus præsunt, magno exponunt periculo & labori, quem subire necesse est, in discernendis veris à falsis. Sed nec Deus requirit ab eis, vt hunc assumant laborem, nec vult vt animas sinceras ac simplices huiusmodi luctæ ac periculo obijciant: cum præmanibus habeant sanam, tutamq; doctrinam, quæ est fides, in qua debent, ad vlteriora progressum facere. Quod tamen fieri nequit, nisi intellectus oculi, omni illi, quod sensui subest & distinctam particularemque intelligentiam parit; occludantur. Licet enim adeò certus indubiusq; esset, S. Petrus. Visionem illam gloriæ, quam in Christi conspexit transfiguratione, fuisse omnis ambiguitatis expertem, postquã tamen illã, fidelibus ad quos scribebat, recensuisset, ad fidem illos dirigendo, dixit: *Et habemus firmiorem Propheticum sermonem* (testimonium Christo perhibentem quam sit hæc visio montis Thabor) *cui benefacitis attendentes, quasi lucerne lucenti in caliginoso loco.* Quã similitudinẽ si considerare volumus, reperiemus ea, doctrinam, quam tradimus, expressam & declaratã. Dicere enim vt fidei, quã docuere Prophetæ attendamus, veluti lucernæ in caligi-

Si Deus nõ vult acceptari visiones ab Anima, cur eas tribuit?

De quibus sequenti capite agendum in ordine ad proposita dubitationem, resolutionem. Multorũ spiritualiũ error circa visiones etiam quæ à Deo.

Non vult Deus vt subeatur labor in discernendis veris à falsis visionibus, sed vt in fide viuatur.

2. Pet. 1. 19

caliginoso loco ; idem est ac dicere, vt in obscuritate remaneamus, occlusis Animæ oculis, vniuersis alijs luminibus , vtque hæc fidei tenebra , quæ etiam est obscura, sola sit illa lux cui innitamur. Si enim luminibus alijs distinctarum manifestarumque intelligentiarum inniti voluerimus, iam non innitimur luci obscuræ, quæ est fides , nec nos illuminat illa , in caliginoso loco, de quo loquitur S. Petrus; qui locus significat intellectum , qui est veluti candelabrum, cui hæc fidei candela imponitur; vnde debet etiam esse obscurus , donec in alia vita illucescat claræ Dei visionis dies , in præsenti vero transformationis, & cum eo vnionis, ad quam anima pergit.

CAPVT XVII.

In quo finis, ac modus, quem Deus in communicando animæ per sensus spiritualibus bonis habere consueuit, declaratur, Dubitationique superius propositæ satis fit.

MUlta dicenda forent circa finem, quem intendit Deus, & modũ, quo in conferendis visionibus istis , ad animam ex suo tepore , ad Diuinam suam vnionem subleuandam, vtitur : qua de re vniuersi spirituales libri agunt; & propterea hæc capite illa tantum adducentur, quæ ad dubitationem nostram enucleandam satis sint: dubitatio porro hæc erat. Si quidem visionibus istis supernaturalibus, tantum periculi , ac impedimenti ne ad viteriora tendatur (vt diximus) subest. cur sapientissimus Deus, & ad amouenda ab animabus impedimenta, & laqueos auertendos tantopere pronus ; cur inquam, visiones huiusmodi illis offert , ac communicat?

Vt propositæ dubitationi respondeamus , supponenda sunt necessario tria principia. Primum est D. Pauli dicentis: *Quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt.* Rom. 13. 1. Secundum est Spir. S. in Sapientiæ libro, vt ait, *Disponit omnia suauiter*, hoc est, Dei sapientia licet ab vno fine ad alium pertingat, id est , ab vno extremo ad aliud extremum, disponit tamen omnia suauiter. Tertium tandem Theologorum est , asserentium: *Deum omnia mouere, secundum eorum modum.* Iuxta hæc itaque principia manifestè patet, quod ad hoc vt Deus moueat animã, illamque à fine seu extremo vilitatis suæ, ad aliũ finẽ , seu extremũ sublimitatis suæ, in diuinâ suâ vnione subleuet, debere hoc ordinatè, & suauiter, & secundum ipsius-met animæ modum, præstare. Cùm autẽ cognitionis ordo, quo vtitur Anima , sit per creatarum rerum formas, ac imagines: & cognitionis ac scientiæ suæ modus , à sensibus dependeat; hinc est, quod ad hoc vt Deus illam ad supremam notitiã subleuet, vt hoc suauiter efficiat, auspicari ab infimo gradu, seu extremo sensuum animæ, debet, vt hac ratione sensim illam, secundum ipsius modum, ad alium vsque sapiẽtiæ suæ spiritualis finem , qui sub sensum non cadit, subleuet. Quam ob causam, erudit illam primo loco per formas, imaginis, & sensibiles vias, siue illæ naturales sint , siue supernaturales , idque facit secundum ipsius intelligendi , ac discurrendi modum, sicque ad summũ Dei Spiritum, dirigit. Et hæc est causa cur illi visiones, & formas imaginarias, cæteraſque alias notitias sensitiuas , & intelligibiles largitur.

Ordo quẽ seruat Deus in educenda Animã ab extremo vtilitatis suæ, ad extremum sublimitatis vnionis Diuinæ.

Causa; ob quã Deus Visiones Imaginarias largitur.

Non quod nollet Deus, confestim & in primo actu , confertre illi spiritus substantiam, si duo extrema humanum videlicet, & Diuinum; sensus, & spiritus, ordinario cursu possent inuicem conspirare, & vno

& vno solo actu coniungi, absque eo quod prius plures alij dispositionum actus præcedant, qui ordinate, & suauiter inter se conueniant, sitq; vnus dispositionis actus, alterius fundamentum, & aliarum dispositionum dispositio: quemadmodum in agentibus naturalibus, primæ dispositiones inseruiunt secundis, secundæ vero tertijs, & sic deinceps. Hocque modo perficit, Deus hominem secundum hominis modum, per viliora, scilicet & exteriora, ad sublimiora, & interiora promouendo.

NOTA. *Deus perficit hominem secundum hominis modum, hoc ordine.*

Quamobrem primo loco perficit sensum eius corporalem, excitando illum ad recte vtendum obiectis naturalibus perfectis exterioribus; sicut est ad sacrum, & concionem audiendam; res sanctas intuendas; appetitum cibi mortificandum: ractum quoque pœnitentijs, ac rigore sancto affligendum. Quando vero iam isti sensus, aliquo modo sunt dispositi, & præparati, consueuit illos amplius perficere, conferendo illis aliquas supernaturales gratias, & delectamenta, ad illos magis in bono stabiliendos, obijciendo illis aliquas supernaturales communicationes, cuiusmodi sunt Sanctorum, vel rerum sacrarum corporales visiones, suauissimi odores, allocutiones, pura singularique suauitate refertæ, quibus rebus roboratur maximopere, stabiliturque sensus in virtutibus, & à malorum obiectorum appetitu abalienatur. Sensus præterea corporei interiores (de quibus hoc loco disputamus) qui sunt imaginatiua, & phantasia, simul etiam perficiuntur ab eo, & bono, medijs considerationibus, meditationibus, sanctisque discursibus, assuefiunt; eo modo quo in illas id cadere potest: omnibusque istis modis instruit ac docet Spiritum. Postquam autem isti quoque sensus, exercitio naturali satis fuerint dispositi ac præparati, solet Deus illuminare, & veluti amplius illos spiritualizare aliquibus supernaturalibus visionibus, quas hic imaginarias dicimus, ex quibus simul (sicuti diximus) magnam Spiritus percipit vtilitatem: qui etiam tam visionibus exterioribus corporalibus, quam istis interioribus, pedetentim efformatur, ruditatem que suam seu scabriciem, deponit. Atque hoc paulo gradatim Deus, animam ad magis interiora deducit: non quod omnino ordinem hunc secundum prius, & posterius adeo stricte, sicut hic descripsimus, seruare necesse sit; præbet quippe Deus interdum, vnum atque altero, sicuti è re Animæ esse animaduertit, & sicuti illi placet gratiam, fauoremque ei exhibere: at ordinarius modus seu cursus est his, quæ diximus, consentaneus. Hoc itaque modo ordinarie loquendo instruit & erudit Deus Animam, ac spiritualem efficit, incipiendo communicare illi Spiritum à rebus exterioribus, palpabilibus, sensuique conformibus, secundum animæ paruitatem, & capacitatem exiguam: vt mediante illo sensibilium rerum cortice; quæ ex sese bonæ sunt, producat Spiritus exerceatque particulares actus; torque veluti buccellas spiritualium communicationum suscipiat, vt spiritualium rerum habitum acquirat, ac contrahat, & vsque ad magis substantialia spiritus, qui ab omnibus sensibus remotus est, & alienus, pertingat: ad quem, sicuti diximus, non potest peruenire Anima, nisi pedetentim secundum suum modum, id est, per sensum, cui semper fuit affixa: vnde iuxta mensuram ac modum, quo magis spiritui, cum Deo agendo, accedit, fitque vicinior, magis etiam seipsam euacuat, & denudat à sensuum vijs, quæ sunt, discursus, meditationes, & imaginationes. Quare cum ad perfectam cum Deo in Spiritu conuersationé ac consuetudinem peruenerit; debet ne-

Quomodo Deus ordinarie loquendo, Animam efficit spiritualem.

cessario

ceſſario iam euacuaſſe & abieciſſe quidquid de Deo rebuſque diuinis, ſub ſenſum cadebat. Quemadmodum quò magis quæpiam res, extremorum vni adhæret, eò magis ab alio remotior fit; quando vero iam perfectiſſime illi inhæſerit, perfecte etiã ab altero extremo ſeiungetur. Quã ob cauſam vulgato illo ſpirituali adagio, dicitur, *Guſtato ſpiritu deſipit omnis caro*, hoc eſt deguſtata perfecte Spiritus dulcedine, ac voluptate, vniuerſa caro redditur inſulſa, hoc eſt, non amplius arrident, mulcentq; palatum cordis, cuncta ſolatia, ac itinera ſenſibilia: quibus etiam verbis, omnis ſenſuum circa ſpiritualia operatio, comprehenditur. Eſtque res omnino manifeſta: nam ſi eſt ſpiritus, iam ſenſibus non ſubeſt: ſi autem tale eſt, quod à ſenſu percipi, & comprehendi poſſit, iam non eſt purus Spiritus. Quo enim amplius ex eo ſenſus, & naturalis apprehenſio, capere poteſt; eo minus Spiritus, & ſupernaturalitatis in ſe continet.

Quamobrem ſpiritualis vir iam perfectionẽ adeptus, nihili facit ſenſum, nec illo mediante aliquid percipit, nec illius miniſterio, in ijs præſertim, quæ ad Deum ſunt, vtitur, quemadmodum faciebat prius, antequam Spiritus cepiſſet incrementa. Et hoc eſt, quod S. Paulus ad Corinthios ſcribens, ſignificauit dicens: *Cum eſſem paruulus loquebar vt paruulus, ſapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus: Quando autem factus ſum vir, euacuaui, quæ erant paruuli*; Iam in ſuperioribus declaratum eſt, res ad ſenſum ſpectantes, cognitionemque, quam per illum elicere poteſt anima, exercitium eſſe paruulorum. Si itaque vellet anima ſemper illis inhærere, nec ab illis aliquando diuelli, ſemper eſſet puer paruulus, ſemperque loqueretur de Deo ſicut paruulus, ſaperet vt paruulus & cogitaret de Deo vt paruulus: adhærendo quippe cortici ſenſus, qui eſt paruulus, nunquam ad ſubſtantiam ſpiritus, qui eſt vir perfectus, perueniret. Quare non debet velle anima dictas reuelationes admittere, vt in ſpiritu creſcat, quamuis illi Deus eas offerat: quemadmodum infans, vt ſubſtantiali magis ſolidoque cibo aſſueſcat, debet neceſſario ab vberibus diuelli. Ergo dicet aliquis oportebit animam quando eſt paruula velle illas acceptare, quando verò fuerit grandior, tunc reſpuere, ſicut etiam infans neceſſe eſt vt admittere velit vbera ad hoc vt nutriatur, ac poſſit cum creuerit, illa deſerere. Reſpondeo quantum ad meditationem, & naturalem diſcurſum, per quem anima incipit inquirere Deum, attinet, verum eſſe, non debere illam, relinquere, ſenſus vbera, vt nutriri poſſit, donec perueniat ad tempus oportunum, quo illa deſerere poſſit: hoc vero tempus eſt, quando Deus conſtituit iam animam in commercio magis ſpirituali, contemplatione videlicet; qua de re iam tradidimus doctrinam cap. 11. libri huius. Verum quando ſunt viſiones imaginariæ, vel aliæ ſupernaturales apprehenſiones, quæ ſub ſenſum ſine liberi arbitrij conſenſu, cadere poſſunt: dico & aſſero quod quocunque tempore, & quacunque occaſione, ſiue homo ſit in ſtatu perfecto, ſiue in ſtatu minus perfecto cõtigerint, licet conſtet eas à Deo promanare, nunquam debet illas Anima optare, neque nimium ſe illis occupare, idque ob duas cauſas.

Dubium ex dictis ortum.

Duas ob cauſas in omni ſtatu non debet anima viſiones imaginarias optare. Etiamſi conſtet eas à Deo proficiſci, nec ſeſe illis nimis occupare.

Prima eſt, quia vt diximus, paſſiue in anima ſuum producunt effectum, abſque eo quod poſſit illum præpedire, quamuis aliquid valeat ad impediendum viſionis modum; & conſequenter, ille ſecundus effectus, quem productura erat in Anima viſio, multo copioſius illi communicatur, ſecundum ſubſtantiam, licet hoc eo modo non fiat. In reſpuendis enim & cum

humilitate, & timore repudiandis rebus istis, nulla imperfectio, nullaq; proprietas reperitur, imò potius libertas, & vacuitas, quæ sunt optimæ ad vnionem cum Deo dispositiones.

Inanis est labor, quo fatigantur multi, in discernendis veris à falsis visionibus.

Secunda causa est, vt periculum & laborem euadant, qui in dignoscendis malis visionibus à bonis reperitur; & in discernendo inter Angelum lucis, & tenebrarum: quâ in re nulla est vtilitas, sed solum temporis iactura, rebusque huiusmodi præpeditur, & implicatur Anima; occasionibusq; multarum imperfectionum exponitur: & à progressu vlteriori retardatur, dum eam spirituales Magistri nõ collocant in eo quod ad rem facit, expediendo, & euacuando illam ab apprehensionum, & intelligentiarum particularium minutijs, sicut dictum est de visionibus corporalibus, & imaginarijs, de quibus iam agimus, pluraque postmodum dicentur. Quâ in re fidem mihi adhiberi vellem, quod nisi Dominus naturali animæ capacitati sese accommodans, eam secundum eius modum ad se ducere vellet (vti diximus) minimè quantum est ex sua parte, illi spiritus sui copiam per aquæductus adeò arctos, ac sunt formæ, figuræ, & particulares intelligentiæ, quibus medijs eam veluti, quibusdam micis pascit & nutrit, communicaret. Et propterea dixit Dauid. *Mittit cristallum suam* (id est, sapientiam animabus) *sicut buccellas.* Quod profecto cõmiseratione, ac dolore dignum est: quod cum Anima capacitate quasi infinita polleat; pascatur, nutriaturque sensus buccellis, ob exiguum ipsius Spiritum, & indispositionem & inhabilitatem sensualem. Quamobrem etiam S. Paulus non mediocriter affligebatur exiguâ hâc dispositione, & capacitate ad spiritum recipiendum, cum diceret. *Et ego fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus:*

Quoniam Deus quantum in se est, per formas & figuras Spiritum suũ communicaret Animæ, nisi se modica ipsius capacitati accommodare vellet.

Es. 147. 17

1. Cor. 3. 2.

Tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi: non escam: nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis; adhuc enim carnales estis.

Reliquum itaque nunc est, vt illud perspectum exploratumque sit, Animam nullo modo debere mentis suæ oculos conuertere & defigere in cortice illo figurarum ac obiectorum, quæ illi intuenda supernaturaliter sensuum exteriorum ministerio obijciuntur, vt sunt cum locutiones, ac verba infusurrãtur auribus, vel Sanctorum Visiones ac splendores formosissimi offeruntur oculis, odores naribus, sapores suauitatesque palato, aliæque voluptates tactui, quæ ex spiritu promanare cõsueuerunt. Sed neque oculi conijciendi sunt, in quascunque interioris sensus visiones, cuiusmodi sunt Imaginariæ interiores: imo repudiatis ac abnegatis omnibus istis, solummodo collimandi sunt oculi, in medullam illam boni Spiritus, quem producunt, omne adhibendo studium ad eum in bonorum operum exercitio conseruãdum, ad praxim etiam reducendo omne illud, quod ad Dei obsequium spectat, idque purè ac nudè, & nullam habendo rationem repræsentationum illarum, neque ad illas sese reflectendo; nullam denique sensibilem voluptatem ac gustum requirendo.

De hac materia dictorum, conclusio.

In visionibus & ijs solum conuertendi oculi, in medullam Spiritus boni, quam producũt.

Atque isto modo, illud solum ex rebus istis elicitur, quod Deus vult, & per illas intendit, spiritus, videlicet, deuotionis: nõ enim aliam ob causam finemque primarium illa impertitur: hac præterea ratione prætermittitur, ac respuitur illud, quod etiam prætermitteret ille, minimeq; concederet, si bonum, quod intendit in Spiritu percipi, absque eo posset, scilicet absque exercitio & sensuum apprehensione.

CA-

CAPVT XVIII.

De damnis, quæ nonnulli Spiritualis vitæ magistri, animabus inferre possunt, eò quòd non recta eas ratione methodoque in dictis Visionibus regant. Et præterea, quomodo illis, licet à Deo sint falli, ac decipi possint.

NOn valemus in hac Visionum materiâ adeò breuitati studere, ac cuperemus; ob multa quæ de illis dicenda occurrunt. Quamobrẽ licet quãtum ad rei substantiã de ijs, quæ hucspectabãt, & ex quibus spiritualis vir erudiri potuit, qualiter seseinDictis visionibus gerere debeat, satis dictum est: Magistro quoque, qui eum dirigit præscriptus sit modus, quo eum in illis regere debeat; non videtur tamen supervacaneum futurum, si generalem doctrinam, ad magis singularem, & particularem redigamus; maioremq; facẽ ad dignoscendum damnum, quod ex visionibus istis, licet eæ à Deo promanent, (si in credendis illis nimis sint faciles) tam spiritualibus animabus, quàm earum magistris, nascitur, præferamus. Causa verò, quæ me ad hæc fusius nunc prosequenda permouit est, exigua discretio quàm ego (vt mihi videtur) animaduerti, in quibusdam spiritualibus Magistris. Qui eò quod dictas apprehensiones supernaturales bonas esse, ac à Deo proficisci agnoscebant, nimium illis fidebant, seseque tutos, ac securos in ijs arbitrantes, tãsibiipsis quã animabus, quibus gubernandis præerãt, plurimorũ errorum causa fuerunt, & magnam tandem confusionẽ pudoremq; incurrerunt, ac illud Christi Domini in illis impletum est. *Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.*

Non eos casuros dixit, sed iam cadere: non enim necessarius est erroris manifesti lapsus, seu casus vt cadant: nam hoc solum, quod est velle & audere alium per hanc visionum viam ducere, iam error est: vnde saltem in istum labuntur, & cadunt: Et primo loco cadunt in errorem nonnulli, qui in animabus, quæ huiusmodi visiones habent, gubernandis, tali vtuntur modo, seu methodo; vt vel illas aberrare faciant, vel illis eas implicent, intricentque, vel non illas per humilitatis viam ducant; illisque vt magnas res faciant, ac oculos in illis detineant, indulgent: quod est in causa, ne puri, perfectique spiritus fidei itinere gradiantur: nec illas in fide fundant & roborant dum maximi illas res faciunt.

Quibus rebus tacitè illis significant ac persuadent magni sexes illas pendere, & consequenter ipsi etiam illas magnipendunt: remanentque hoc modo Animæ in illis apprehensionibus constitutæ, nec in fide stabilitæ, nec ab illis rebus vacuæ, nudæ, & auulsæ, vt ad celsitudinem obscuræ fidei euolare valeant. Et hæc omnia ex illo de rebus istis Magistri tractandi, ac loquendi modo, quem in eo Anima conspicit, proficiscuntur. Nescio quippe qua ratione facillime adhæret & affricatur existimatio, & quædam satisfactio rerum illarum (nec contrarium in suâ situm est potestate) quæ oculos à fidei abysso, diuertit. Facilitatis verò huius causa fortassis est, quòd Anima plurimum rebus istis detineatur, & occupetur. Cum enim huiusmodi res, ad sensum pertineant, ad quem natura prona est, & præterea apprehensione rerum illarum distinctarum, & sensibilium inescata ac disposita sit; satis est vt in suo Confessore, vel in aliâ personâ aliquam rerum illarum æstimationem, & ponderationem

Nota. Varij & graues Magistrorum spiritualium circa Visiones, errores.

Cauti debent esse Magistri, ne verbis significent, magni se res istas facere si animabus nocere nolint.

Cur facile Anima magni pendat, Visiones istas imaginarias.

Propter anormalã Magistrorum spiritualium malitiam, multi deceptionem patiuntur cum animabus valentibus, in gratiis lapsis pereunt Matth. 15. 14.

B. Joannis à Cruce Opera Mystica NVI 12

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Multa nascuntur imperfectiones ex rerū istarū magni pensione.

animaduertat ; vt non solum anima illas magni faciat;sed vt auidius (quamuis hoc ipsa non animaduertat) suauiusque pascatur illis ac nutriatur appetitus , & ampliusad eas procliuis reddatur,vehementiusque illas sibi attrahat. Hinc ad minus multæ nascuntur imperfectiones : non enim Anima iam adeo manet humilis , existimando illud aliquid esse seque aliquid boni habere , & à Deo se in precio haberi,sicque læta viuit,& aliquantum de seipsa satisfacta , quod contra humilitatem est. Confestim etiam Dæmon auget ista occulte, nec misera Anima hoc animaduertit , simul etiam illi inserit quandam opinionem , & æstimationem aliorum , si habent, vel non habent eiusmodi res,vel si sunt tales,vel non sunt:quæ omnia sanctæ simplicitati , ac solitudini spirituali, aduersantur:à quibus damnis , ideo quia in fide non proficiunt, nō sunt liberi.Præterea, etiamsi adeo palpabilia non incurrant damna , ac hic descripsimus:incurrunt tamen quædam alia eiusdem generis, subtiliora , & Deo magis exosa;eo quod misera Anima, in nuditate non viuat. Verum ab istorum tractatione nunc supersedendum est, donec nobis de spirituali gula , alijsque sex vitijs agendum erit : quo loco , Deo propitio,adferentur multa de subtilibus , & delicatis huiusmodi maculis : quæ spiritui adhæresunt; eo quod nesciant,spirituales Magistri , eum in nuditate dirigere. Hoc loco duntaxat modum ac methodū, qua nonnulli magistri in animabus deducendis vtuntur, trademus, & quomodo non recte ea dirigantur ac gubernentur Animæ, ostendemus. Et profecto scire peroptarem hanc , quam optime dilucidare : sentio enim quam res hæc sit explicatu difficilis , declarare nempe, qua ratione discipuli Spiritus , secrete occulteque conformis Magistri sui spiritui reddatur : videtur enim non posse commode explicari vnum, nisi explicetur pariter,& alterum. Cum enim res hæ spirituales sint;mutuo sese respiciunt , & sibi consentiunt.

Mirabilis modus spiritualis Magistri, æstimationem suam de visionibus &c. discipuli animo imprimit.

Videtur mihi (necaliter res se habet) quod si spiritualis vitæ Pater ad reuelationum spiritum ita fuerit procliuis , vt illas magni pendat,in illisque complacentiam, & satisfactionem sentiat ; non poterit (licet hoc ille minime aduertat) non imprimere spiritui discipuli, illam ipsam earum satisfactionem , & existimationem, nisi forte discipulus maiori quam ille perfectione polleat : & quamuis polleat, si sub eius spirituali cura diutius perstiterit , insigne poterit illi adferre detrimentum. Ex illa namque pronitate, & gustu, quo spiritualis Pater , ad huiusmodi visiones fertur , gignitur in eo quidam æstimationis modus : qui nisi summo studio occultetur, non potest aliqua sui indicia sentimentaq; alteri personæ non patefacere : quod si alia persona, eundem pronitatis ad reuelationes spiritum sortita sit , non poterit meo iudicio non communicari vtrinque magna apprehensio ac istarum rerum æstimatio.

Verum non agamus hac de re cum tanto rigore,nec adeo subtile texamus filum, sed loquamur in casu , quod confessarius (siue ad reuelationum spiritum sit pronus siue non)minime ea præditus est prudentia & circumspectione, quæ ad extricandam animā,denudandumque , ab istis rebus discipuli sui appetitum, necessaria est: quin potius de hisce rebus cū eo sermonē libenter miscet, & præcipuā conferentiæ spiritus partē(sicut diximus)in visionib. istis cōstituit,præbendo illi indicia, quibus visiones bonas à malis dignoscat. Licet enim hæc nosse bonū sit,non est tamē cur

anima

anima laborihuic, solicitudini, & periculo exponatur: nisi forte in aliquo raro euentu, & ineuitabili necessitate, vt dictum est: cum per exiguam istarum rerum æstimationem illarumq; abnegationem, euadantur, & euitentur vniuersa hæc, fiatque in hoc casu, quod fieri debet. Nec hic negotiū istud sistit, verumetiā ipsimet spirituales Patres quando animaduertunt dictas Animas huiusmodi Diuinis donis insignitas esse, exigunt ab eis vt petant reuelari sibi à Deo tales, vel tales res, ad seipsos, vel ad alios spectātes: simplicesq; animæ illis obediunt, arbitrantes licitum esse ea velle, hac via seu modo cognoscere.

Existimāt enim quod quoniā vult Deus reuelare aliquid, aut supernaturaliter dicere, sicut ipse vult, aut ob quem illi finem placet, licere ac permissum esse velle, vt nobis aliqua reuelet, imò hoc ipsum ab eo precibus flagitare. Quod si cōtingat vt ad illorū preces illud reuelet Deus, sumunt animum, maioriq; cum securitate idipsum in alijs occasionibus faciunt: & arbitrātur Deo istū cum illo agendi modū esse gratum, cū tamen reuera nequaquā illi sit acceptus, nec secum hoc modo agi velit. Cū autem ipsi illi cum Deo agendi & conuersandi modo nimiū afficiantur, vehemēter illis imprimitur, & voluntas naturaliter illi adhæret, & assentitur: cum enim naturaliter modus iste gratus illis sit, naturaliter etiam sese huic modo intelligēdi accommodant; & in illis rebus, quas ex reuelatione asserunt, multoties errant, & decipiuntur; deprehenduntque non illis res sicuti ex reuelatione intellexerant succedere; vnde & mirantur; ac suboriuntur confestim illis dubia, an à Deo fuerint, an verò minimè, cùm non eo, quo arbitrabantur modo, eas euenire animaduertant. Persuaserant prius sibi ipsi, duo hæc. Primo reuelationes illas à Deo processisse, siquidem tantopere ipsis imprimerentur, & insedissent: & tamen prouenire hoc potuit ex naturæ ad reuelationes propensione, quæ impressionem seu adhæsionem illam efficiebat, vti diximus. Secundo existimabant, quod quoniam à Deo promanassent; debuisse eo succedere, & adimpleri modo, quo ipsi cogitarant. Qua in re magna latet deceptio; reuelationes quippe & locutiones Diuinæ non semper eo succedunt modo, quo homines illas intelligunt, nec prout ipsæ in se sonant. Vnde nequaquam illis securè fidendum est, nec adhibenda omnino fides; etiamsi constet Dei esse reuelationes, dicta, siue responsa. Licet enim ipsæ secundum se, & in se certæ sint, & veræ, non semper necesse est vt huiusmodi sint secundum nostrum intelligendi modum. Quam rem sequenti capite comprobabimus. Dicemus etiam postmodū, quod quamuis aliquando supernaturaliter respondeat Deus ijs, quæ ab eo requiruntur; non tamen hoc gratum illi est: & quomodo interdum licet respondeat, id ægrè, molesteque fert.

Reuelationes locutionesque Dei, non semper eo euenium modo, quo homines illas intelligunt.

CAPVT XIX.

In quo declaratur & comprobatur, quod licet visiones ac loquutiones à Deo prouenientes, in se ipsis veræ sint, possumus tamen ijs decipi. Ostenditur hoc aliquibus sacræ Scripturæ authoritatibus.

DVas ob causas, superius diximus, Visiones ac loquutiones Dei, quamuis semper in se veræ certæque sint; non semper tamen huiusmodi esse, nostro intelligendi modo. Prima est ob nostri illas intelligendi modi defectum, & imperfectionem. Altera, ob illas quibus nituntur causas, seu fundamenta, cum sæpe sint

Reuelationes Diuinæ licet in se veræ, non semper tamen huiusmodi sunt nostro intelligendi modo.

Primo propter imperfectionem nostri eas intelligendi modi. Secundo, quia comminatoria interdum sunt & conditionata.

comminatoriæ, & veluti conditionatæ: verbi gratia, si res hæc non fuerit correcta, vel si illud fiet, licet termini, seu loquutionis verba, vt sonant, absoluta sint, & sine cõditione: vtraq; hæc aliquibus diuinarũ literarũ authoritatibus confirmabimus.

Solet profundissimus DEVS in suis locutionibus, alios in mente habere conceptus, plurimum ab illo sensu in quo à nobis accipi solent, discrepant.

Quantum ad primum attinet, manifestum est non semper eas esse, nec semper succedere, sicuti nostro intelligendi modo, earum verba sonant. Huius rei est ratio, quia cùm DEVS immensus sit, & profundissimus, solet in suis Prophetijs, Locutionibus & reuelationibus, habere in mente alios conceptus intelligentiasque, plurimum ab illo sensu, in quo vulgo à nobis accipi solent, discrepantes: cùm tamen ipsæ tanto sint in se veriores, ac certiores, quanto minus nobis huiusmodi esse apparent. Quod in Sacris literis passim videre est, vbi pluribus antiquis hominibus, multæ Prophetiæ Deique loquutiones, nequaquam eo eueniebant modo, quo ipsi sperabant; eò quod aliter illas, suoque intelligerent modo, & secundum sensum nimis literalem. Quæ res ex sequentibus authoritatibus manifestè apparebit.

Gen. 15. 7. 8.

In libro Geneseos dixit Deus Abrahæ, postquam illum in Chananæorum regionem perduxisset, *Terram hanc tibi dabo*: cum autem idem pluries repetijsset, & Abrahã iam consensuisset, nec tamen vnquã regionem illam ei cõtulisset; cũ DEVS iterũ idipsum illi dixisset: respondit Abraham, quo indicio, agnoscam ego, eam à me possidendam? Tuncque primum reuelauit illi Deus, non ipsum in persona sua, sed eius filios, post quadringentos annos, eam esse possessuros. Ex quibus verbis, Abraham perfectè & integrè promissionem illam diuinam intellexit; quæ in se ipsa verissima erat: dando quippe Deus terram illam eius filijs, ipsius amore & intuitu, perinde erat, ac si ipsimet eam contulisset: Et sic Abraham, secundum suum intelligendi modum fuit deceptus. Quare si ipse tunc aliquid secundum suum illam prophetiam intelligendi modum, egisset, aut fuisset operatus, plurimum aberrare potuisset: cùm nondum esset illud tempus, quo adimpleri debebat, & qui eum, nõ possessa terra, quam ei à Deo dandam, & ei promissam audissent, mortem oppetere conspexissent; dubio procul rubore suffusi, eam falsam credidissent.

Iacobo postmodum eius nepoti (quem Ioseph filius suus, in Ægyptum ob Cananitidis famem euocauerat) cùm in itinere esset, apparuit DEVS, dixitque noli timere Iacob: *Ego descendam tecum illuc: & ego inde adducam te reuertentem.* Quod tamen minimè ita euenit, sicut nostro intelligendi modo, verba ista significant, nemini dubium est, sanctum senem Iacob in Ægypto extremum clausisse diem, nec inde viuum recessisse: huius rei causa erat, quia diuinum illud promissum, in suis erat filijs adimplendum, quos post multos annos inde eruit, ipsemet eos in itinere deducens. Ex quo clarè patet, quod quicunque promissionis huius Dei factæ Iacob conscius fuisset, potuisset veluti certissimam rem credere, quod quemadmodum Iacob ex Dei mandato, & fauore Ægyptum viuens fuerat ingressus; eodem modo infallibiliter viuum inde egressurum, cum idem fuerit promissionis modus & forma, qua ei egressionem adiutoriumque suum fuerat pollicitus: falleretur tamen, & obstupesceret, cernens illum in Ægypto emori, nec promissionem diuinam, vt sperabatur adimpletam. Atque ita cum diuinum promissum in se fuerit verissimum, multi tamen circa eius intelligentiam, decipi, fallique potuissent. *Gen. 46. 4.*

In

In libro quoque Iudicum legimus, quòd cùm vniuersæ Israeliticæ tribus in vnum conuenissent, vt tribum Benjamin debellarent, quoddaḿque crimen ab eius tribus hominibus, perpetratum, seuerè punirent; eò quod illis Deus belli ducem designasset, tam erant de victoria certi, vt postquam fuissent in prælio superati, & viginti duo eorum millia cæsa; vehementer obstupuerint: & in Dei præsentia constituti, amaras totâ illâ die lachrymas fuderint, eò quod illius cædis causam ignorarent, victoriaḿque à suis staturam partibus, omninò sibi persuasissent. Cuḿque interrogassent Deum, an iterum essent pugnaturi nec ne? Respondit, pugnarent omnino. Qui cùm iam vice illa securi, certíque essent de victoriâ; magno cum impetu ac ferocitate hostes aggressi sunt, fueruntque secundo victi, decem & octo millibus suorum amissis, vnde summâ sunt verecundia confusione-que plane obruti, nesciendo quid amplius facere debuissent, cùm viderent quòd ex Dei mandato ineundo prælium, semper tamen victi ac superati recederẽt, præsertim cùm aduersarios suos tantopere, & numero & viribus excederent: illorum enim, qui de tribu Benjamin erant, non erant amplius quam viginti quinq; millia & 700 viri, ipsorum vero quadringenta millia: Atque hoc modo secundum suum intelligendi modum decipiebantur, cum dicta Diuina nihil falsitatis & deceptionis continerent: non enim ipse illos victoria potituros dixerat, sed solum modo vt præliarentur in mandatis dederat: istis enim cladibus voluit Deus, quãdam eorum incuriam ac præsumptionẽ in quã incurrerãt punire, hocq; modo ipsos humiliare. At quãdo ad vltimum dixit eos victoriã consecuturos, non aliter euenit, ingenti enim animo prælium ingressi, victoriam retulerunt. Hoc itaque modo & alijsque multis decipi solẽt animæ circa reuelationes & locutiones Diuinas, eò quod illarũ intelligentiam secundum litteram & corticem, accipiant. Nam (sicuti iam declaratum est) principalis finis seu intentio Dei in huiusmodi rebus est, verbis exprimere, ac impertiri illis spiritum ibi latentem, & inclusum, qui difficulter intelligi potest. Qui spiritus multo copiosior est, litteræ cortice, valdeque præordinarius, & litteræ metas excedens. Atque ita qui sese locutionis Diuinæ verbis, vel formæ, vel figuræ apprehẽsibili visionis alligauerit, non poterit non in graues labi errores, & non mediocriter postmodum erubescendum illi erit, eò quòd in illis secundum sensum sese gubernarit, nec spiritui locum in nuditate sensus præbuerit. Vt enim dicit Sanctus Paulus, *Littera occidit, spiritus autem viuificat.* Quam ob causam in hoc euentu, respui & repudiari debet literalis sensus, & in fidei obscuritate permanendum, quæ est spiritus, qui à sensu comprehendi nequit. Quam ob causam plures filiorum Israel, quia Prophetarum dicta & oracula nimis ad literam accipiebant, intelligebantque non illis vt ipsi sperabant, succedebant; vnde & parui illas faciebant, neque illis amplius fidem adhibebant, adeò vt inter eos veluti publicum quoddam prouerbium inoleuisset, quo deridebant & aspernabãtur Prophetias. Quâ de re conqueritur Isaias, huiusmodi prouerbium recensendo istis verbis: *Quem docebit scientiam? & quem intelligere faciet auditum?* id est, quem faciet percipere prophetias, & verba sua? *ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus: Quia* (hoc est, omnes de prophetijs dicunt) *manda remãda, manda, remanda, expecta, reexpecta, expecta, reexpecta, modicum ibi, modicum ibi. In loquelæ enim labij, & lingua altera loquetur ad populum istum.*

Præcipua Dei intentio in visionibus & Reuelationibus conferendis est, spiritum in illis latentem significare & tribuere.

2. Cor. 3. 6

NOTA. *Respui debet literalis Reuelationũ sensus, & in Fidei obscuritate ambulandum, si decipi nolimus.*

Isa. 28. 9.

istum. Quo loco manifeste Isaias declarat, solitos eos fuisse deridere Prophetias, dicereque per sarcasmum, prouerbiũ istud, expecta, reexpecta, significando nunquam Prophetias adimpleri; eo quod ipsi alligati essent literæ, quæ est lac paruulorũ: ac sensui suo adhærerent, qui est velut vbera, quæ magnitudini scientiæ spiritus, repugnant, & contradicunt, ob hoc dicit; Quem nam æterna sapiẽtia suas prophetias edocebit? ET cui doctrinę suæ, propalabit intelligentiam? Certè solummodo, ablactatis à corticis litteræ lacte, & ab vberibus sensuum suorum auulsis. Idcirco itaque huiusmodi homines minimè prophetias capiunt, quia hoc corticis, ac literæ lac auidè consectantur, & istis sensuum suorum vberibus inhærent, vnde & dicunt: *manda, remanda, expecta, reexpecta, &c.* Doctrinam quippe oris Dei, & non doctrinam oris ipsorum, aliaque longe diuersa lingua, ab eorum lingua, loquetur illis Dominus.

Quinam sint Reuelationum Diuinarũ capaces.

Non debẽt in Prophetijs locutionibusq; diuinis, noster sensus loquendiq; modus cõsiderari si, errare nolimus.

Quamobrem non debet considerari in Prophetiis locutionibusque diuinis, noster sensus aut noster loquendi modus, cùm certum sit, longe diuersam esse, Dei linguam secundum spiritum, à sensu nostro, multumque eam difficilem, & à nostro intelligendi modo plurimum differentem. Idque tantopere, vt Hieremias licet esset Dei Propheta, considerando diuinarum locutionum conceptus, & sensus tantopere à communi hominum sensu discrepantes, videretur quodammodo in illis hallucinari, & veluti Israelitici populi partes agens ad Dominum dixit. *Heu, heu, Domine Deus, ergone decepisti populum istum, & Hierusalem dicens, Pax erit vobis: & ecce peruenit gladius vsque ad animam?* Porro pax, quam pollicebatur Deus, erat illa, quæ inter ipsum, humanumque genus Messiæ interuentu, quem illis missurus erat, concilianda fuerat; ipsi autem diuina promissa, de temporanea pace intelligebant: & propterea quoties bella ac tribulationes imminebant, arbitrabantur se à Deo decipi, siquidem contraria ijs, quæ expectabant, & sperabant ipsis eueniebant, vnde & conquerebantur, vt etiam ait Hieremias. Expectauimus pacem dicebant, & nullum pacis bonum apparet. Atque ita impossibile erat ipsos non decipi, cum soli literali sensui inhærendo, secundum eum, suas actiones moderarentur. Quis enim obsecro mentis confusionem non incurret, quis non aberrabit, si sensui literali tenaciter inhærere voluerit in Prophetia illa, quam Dauid de Christo Domino in toto septuagesimo 1. Psal. protulit & præsertim vbi ait: *Dominabitur à mari vsq; ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.* Et alio loco, vbi dicit. *Liberabit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adiutor?* Si videat & consideret illum humiliter natum, in paupertate summa viuentem, & miserrime morientem, & non solum dum viueret vniuersæ terræ non dominantem: sed etiam vilissimis hominibus se subijcientem, donec sub Pontij Pilati potestate moreretur? Et quod non solum discipulos suos pauperes, de manu potentium temporaliter non liberauerit, sed etiam illos propter nomen suum persecutionem pati, occidique permiserit? Qui error confusioque idcirco fuisset secuta, quia istæ Prophetiæ de Christo spiritualiter accipi & intelligi debebant, secundum quem sensum erant verissimæ. Christus enim non solum totius terræ Dominus erat, sed etiam cæli; si quidem erat Deus: pauperes vero, qui illum secuturi erant, non solũ debebat redimere & liberare ex Dæmonis potestate, qui erat ille Potens, sed etiam eos Regni cælorum hæredes debebat efficere. Quare lo-

Ier. 4. 10.

Ps. 71. 8.

quebatur Deus in hoc Psalmo secundum id, quod præcipuum erat in Christo, & sequacibus eius, videlicet de regno æterno, libertate æternâ: ipsi verò secundum suum intelligendi modum de eo, quod in Christo minus erat præcipuum, quodque Deus parui facit, intelligebant, de dominatione videlicet temporali, & de libertate temporali, quod coram Deo nec regnum est, nec libertas. Quamobrem illi vilitate litteræ excæcati, nec spiritum, & veritatem eius intelligentes, Deo suo & Domino vitam abstulerunt, sicut S. Paulus his verbis expressit. *Qui enim habitabant Hierusalem, & Principes eius hunc ignorantes, & voces Prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, iudicantes impleuerunt.* Et eo vsq; hæc difficultas diuina eloquia intelligendi, sicut congruebat, peruenit, vt ipsimet eius discipuli, qui cum eo fuerant conuersati, fuerint decepti: huiusmodi erãt illi duo, qui post eius mortem ad Castellum Emmaus mœsti, & diffisi, pergebant dicẽtes: *Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel.* Intelligendo etiam ipsi, de hac redemptione, & tẽporali dominio accipi debere. Quibus apparens Christus eos veluti insipientes, durosque corde ad credendum ea, quæ Prophetæ edixerant, reprehendit. Immò illo ipso tempore, quo cœlos erat ascensurus, adeò aliqui erant rudes, vt ex eo percunctarentur: *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Multa spiritus sanctus proferre facit, quæ ille in alio sensu lõge ab eo, quem homines intelligũt diuerso accipere solet, quemadmodum videre licet in eo, quod dici voluit à Caipha de Christo: *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat: hoc autem non dixit à semetipso:* ille quidem qui hæc proferebat, vno ea intelligebat fine: Spiritus verò sanctus alio plurimum ab eo distante.

Ex quibus euidenter constat, quod etiã si locutiones, reuelationesque à Deo proficiscantur, non possumus illis tuto & secure confidere; quia facillimè in nostro illas intelligendi modo falli, ac decipi possumus. Diuina siquidem effata, abyssus sunt, & spiritus profunditas: & velle illa ad ea, quæ de ipsis capimus, sensusque noster percipere valet, coarctare, & veluti limitibus circumscribere idem est, ac velle aërem & atomum, qui sese obijcit, manu constringere, aër enim euanescit, & manus remanet inanis.

Qualiter spiritualis Magister sese gerere debeat cũ anima supernaturales apprehensiones habẽte.

Quamobrem spiritualis Magister conari, & laborare debet, ne discipuli sui spiritus in magnificiendis, quibuscunq; supernaturalibus apprehensionibus coarctetur, quæ nihil sunt aliud, quam quidam atomi, seu minutiæ spiritus, quibus solis si intẽdere ac studere voluerit, ab omni spiritu inanis remanebit. Quare remouendo eum ab omnibus visionibus & locutionibus; doceat illũ, qua ratione manere debeat in libertate ac fidei tenebra, in qua spiritus copia; & consequenter sapientia ac propria diuinarum locutionum intelligentia suscipiuntur. Impossibile quippe est, vt homo nisi spiritualis sit, de rebus diuinis iudicium ferre possit, imò nec eas mediocriter intelligere: tunc verò homo non est spiritualis, quando de illis secundum sensum litteralem decernit & iudicat. Atque ita licet illæ, sensu illo obtectæ obijciantur, minimè illas intelligit, quemadmodum docuit S. Paulus: *Animalis homo, non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest illa intelligere:* quia spirituales sunt; *Spiritualis autem iudicat omnia.* Animalis homo hoc loco intelligitur ille, qui solo verborũ vtitur sensu: spiritualis verò, qui nequaquam se illi alligat, nec secundum eum regitur. Vnde temerarium est præsumere cum Deo medijs

1. Cor. 2. 14.

Temerarium est

Velle eum Deo medijs supernaturalibus apprehẽsionibus agere.

supernaturalibus apprehẽsionibus agere, data, conceſſaq; ad hoc ſenſui facultate.

Quæ res vt liquidius conſter, placet eã aliquot exemplis hoc loco dilucidare.

Supponamus, aliquam perſonam ſanctitate inſignẽ afflictione vehementi premi, eò quod ab inimicis ſuis perſecutionẽ patiatur, Deumq; illi reſpondere. *Ego te ab omnibus illis eliberabo.* Prophetia hæc veriſſima eſſe poteſt, & nihilominus inimici eius prævaleant, eumq; interficiant, vnde, qui illam temporaliter intellexiſſet, illuſus deceptuſq; remãſiſſet, potuit enim Deus de verâ præcipuaq; libertate ac victoriâ, quæ eſt ſalus æterna, fuiſſe loquutus: per quam anima libera remanet, ac hoſtiũ omnium debellatrix, multo verius & ſublimius quã ſi præſentis vitæ tempore, ab eis fuiſſet eliberata. Vnde Prophetia hæc multo verior & copioſior eſſet, quã potuiſſet homo intellectu capere, ſi eam in præſenti vita adimplendam cogitaſſet; ſemper enim Deus verbis ſuis magis præcipuum, magiſq; vtilem ſenſum intendit ac ſignificat: homo verò poteſt illa ſuo modo, ac ad ſuũ propoſitum de minus præcipuo ſenſu intelligere, hocq; modo falli. Quemadmodum in illa Dauidis de Chriſto prophetiâ videmus, vbi dicitur: *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos*: Quo loco loquitur Deus de principali perfectaque dominatione quæ ſempiterna eſt, quæ etiam prophetia iam eſt adimpleta: non verò de minus principali, quæ eſt temporanea, quæ in vniuerſa Chriſti mortali vita, minimè effectum ſortita eſt. *Pſal. 2. 9.*

Idem alio exemplo declaremus. Flagrat aliqua anima ardenti martyrij deſiderio. Reſpondet reuelatque Deus, *Tu martyriũ ſubibis*: ac confert illi ſimul interius gaudium, & ſpem ita omnino futurum, & nihilominus iſte abſque martyrio mortali vita excedet: promiſſio tamen diuina vera fuit. Quare ergo haudquaquam ita adimpleta eſt? Eo quod ſecundum principalem ac eſſentialem ſui partem adimplenda ſit: dabitur enim illi charitas, præmiumque eſſentiale martyris, ac efficietur martyr amoris, imò & prolixum patietur variarũ afflictionum martyrium, quarum diuturnitas morte ipſa grauior erit, & moleſtior: hocque modo confertur in rei veritate animæ, quod ipſa tantopere, optabat, & quod ei fuerat promiſſum. Id enim, quod in illo deſiderio magis præcipuum erat, non erat illud mortis genus: ſed voluntas præſtandi Deo illud martyrij obſequium, & martyris erga illum amorem exercẽdi. Illud quippe mortis genus, nullius exſe valoris eſt abſque amicitia diuina: amorem autem hunc & eius exercitium martyriſque præmium perfectè Dominus animæ alijs medijs conferre poteſt. Taliter vt quamuis martyris inſtar mortem non oppetat, valdè tamen iucunda & ſatisfacta remanet anima, ſe ea, quæ optauerat, obtinuiſſe. Huiuſmodi quippe deſideria & id genus alia, quando ex viuo oriuntur amore, licet non illo adimpleantur modo, quo illa ſibi imaginantur ac intelligũt animæ: adimplentur tamen alio multoque præſtantiori modo, maiorique cum Dei honore, quam ipſæ poſtulare ſciuiſſent: vnde dicit Dauid. *Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus*: In Prouerbijs quoque diuina dicit ſapientia. *Deſiderium ſuum iuſtis dabitur.* Ex his itaque animaduertere licet, multos ſanctos plura in particulari propter Deum deſideraſſe, nec tamen in hac vita eorum ſatisfactum fuiſſe optaſſe: nullo tamen licet ambigere modo, quod cum hæc deſideria, & iuſta fuerint, & vera, perfectiſſime illis in alia vita ſatisfactũ fuiſſe, quod cum reuera ita ſit, veriſſimum etiam erat Dei in hac vita illis factum promiſſum dicentis: deſiderio veſtro *Pſal. 9. 17.* *Pro. 10. 24.*

sto satis fiet, licet hoc non illo fuerit modo, quo ipsi arbitrabantur.

Isto itaq; multisque alijs præterea modis, locutiones & visiones diuinæ possunt esse veræ & certæ: & nos nihilo secius illis possumus decipi, eo quod excelsa præcipuaq; proposita, & sublimes, quos in illis Deus intendit sensus, haudquaquã intelligere capereq; noscamus. Quamobrem sapiens & securum consilium est, vt spirituales magistri prudenter studeãt animas ab huiusmodi supernaturalibus rebus abducere, assuefaciendo illas, sicuti diximus, puritati spiritus in fide obscura, quæ est medium vnionis consequendæ.

Imperfectio.

CAPVT XX.

In quo sacrarum litterarum testimonijs comprobatur, dicta verbaque diuina, licet semper sint vera, non tamen semper esse in proprijs suis causis certa, & infallibilia.

OPeræ pretium erit secundã nunc stabilire causam, ob quam visiones & verba diuina, quãuis in se semper sint vera, non tamen semper quantum ad nos spectat, sint certa. Hoc autem fit propter causas & motiua, quibus illæ veluti fundamento nituntur: quare euentura omninò adimplendaque credi debent, quãdiu perseuerauerit illud, quod Deum mouet (verbi gratia) ad puniendum. Vt si dixisset Deus: post anni vnius decursum, huiusmodi plaga Regnum hoc feriam: causa porrò, & fundamentum comminationis huius, est peccatum quoddam, quod in regno illo contra Deum patratur. Quod si peccatum illud interim intermitteretur, aut certè variaretur, posset etiã eius punitio prætermitti, aut variari: comminatio tamẽ vera fuit, actuali enim culpæ innitebatur, quæ nisi fuisset intermissa, dubio procul cõminatio suũ fuisset sortita effectum: & istæ sunt minæ, vel reuelationes comminatoriæ, vel conditionatæ. Huiusmodi rem in vrbe Niniue eueniſſe legimus, vbi iussit Deus Ionæ Prophetæ, vt comminationem istam nomine suo denunciaret: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* Quæ tamen comminatio minimè fuit executioni data, cessauit enim eius causa, peccata nẽpe, succedente confestim ipsorum pœnitentiâ, quam nisi egissent, dubio procul perijssent. Legimus similiter in libro tertio Regum, quod cũ Rex Achab scelus quoddam ingens admisisset, comminatus est Deus graue supplicium (nunciante illi rem hanc Sancto Patre nostro Elia) tam ipsimet, quam eius domui, ac vniuerso regno: & quia Achab vehementi dolore stimulatus, scidit vestimenta sua, cilicioque se induit, ieiunauit, substrato sacco somnum cepit, humiliatus denique mœstusque incessit; confestim per eundem Prophetam iussit illi hæc verba annunciari. *Quia humiliatus est mei causa Achab, non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filij sui inferam malum domui suæ.* Quo loco animaduertere licet, quod quia Achab conuersus, & mutatus fuit, comminatio quoque & sententia diuina desijt. Ex quibus ad nostrum propositum conijcere possumus, quod licet Deus alicui animæ reuelauerit vel assertiuè dixerit, quamcunque tandem rem bonam, siue malam ad ipsammet animam, vel etiam ad alias spectantem: poterit hoc plus vel minus variari, vel omninò auferri iuxta mutationem, seu variationem affectus illius animæ, vel causæ, ad quam collimabat & respiciebat Deus: hocque modo poterit non adimpleri sicuti sperabatur, & multoties nemo rei huius causã, præter ipsum Deũ agnoscet. Multa enim Deus dicere, docere, & polliceri solet,

Locutiones conditionatæ.

Ion. 3. 4.

3. Reg 21 19. & 28.

non vt pro illo intelligantur tempore, aut earũ possessio capiatur: sed vt sequentibus annis intelligantur, quãdo nimirum illorum lucem, ac notitiã habere oportebit, vel quando illorum effectus iam subsequi debet, sicuti Christum Dominũ cum suis
Io. 14. 16. feciſſe discipulis animaduertimus, quibus plures parabolas, sententiasq; proferebat quarum mysteria, ac in illis absconditam sapientiam, haud intellexerunt, donec tẽpus prædicandi hanc sapientiã affulsisset; quod fuit quãdo super illos venit Spiritus sanctus, quem ipse Dominus prædixerat, manifestaturum illis vniuersa, quæ vitæ suæ tempore illis disseruerat. Loquẽs etiã
Io. 12. 16. S. Ioannes de illo Christi Hierosolymam ingressu ait: *Hæc non cognouerunt discipuli eius primum, sed quando glorificatus est Iesus, tunc recordati sunt, quia hæc erant scripta de eo.* Atque ita multæ res, particulares admodum, & singulares, diuinitus geri possunt, ac fieri in anima, quas nec illa, nec qui illam regit,
2. Reg. 2. nisi suo tempore intelligant. In libro quo-
30. & 31. que Regum legimus, quod iratus Deus Heli, sacerdoti Israelitico ob filiorũ ipsius peccata, quæ non puniebat; inter alia verba, quæ illi per Samuelem dici fecit, erant etiam sapientia: *Loquẽs locutus sum vt domus tua, & domus Patris tui ministraret in conspectu meo vsque in sempiternum, nunc autem absit hoc à me, sed quicunque honorauerit me glorificabo eum.* Cum enim officium hoc sacerdotale in danda Deo gloria, & honore fundaretur; & propter istum finem pollicitus fuerit Deus sacerdotium Patri suo vsque in sempiternum, si ille debito suo satisfeciſſet; cum autẽ diuini honoris zelus in Heli defeciſſet, quia (vt ipsemet Deus conquestus fuerat) magis filios suos, quam Deum honorabat, dissimulando illorum peccata nec eos ignominia notaret: defecit etiã eius promissio, quæ futura erat æterna, si perpetuus fuisset quoq; illorũ zelus rectèque ac legitimè Deo fuissent famulati. Quapropter nõ est cur existimemus, quod quia diuina effata ac reuelationes in se veræ sint; infallibiliter ita euenire debeant, sicuti ipsa verba sonant: præsertim quando Deo ipso sic disponente, causis humanis, quæ mutari, variari, alterarique possunt, sunt annexæ. Quando autẽ hoc ita sit; Deus ipse nouit, non enim semper rem hanc reuelat: sed profert sententiam, vel reuelationem exhiber, & conditionem interdum silentio premit: quemadmodũ contigit Niniuitis, quibus absolutè ac determinatè prædixit, eos interituros elapsis
Ioan. 3. 5. diebus quadraginta. Aliquando verò etiã conditionem aperit, sicut fecit Roboam
3. Reg. 11. 38. dicens: *Si ambulaueris in vijs meis custodiens mandata mea, & præcepta mea, sicut fecit Dauid seruus meus; ero tecum, & ædificabo tibi domum fidelem, quomodo ædificaui Dauid domum, &c.* Verùm siue Deus conditionem manifestauerit, siue non; non possumus tuti, securique omnino esse de illarum intelligentia; nulla quippe ratione veritates diuinas, occultas ac multitudinem sensuũ, qui in effatis, verbisq; ipsius continentur, comprehendere possumus. Manet ipse super cœlos, loquiturque in via æternitatis; nos verò obcæcati serpimus reptamusq; super terrã, nec arcana eius attingere valemus. *Arcana Dei intellectu difficilia.* Et propterea sapientem dixisse arbitror: *Deus in cœlo & tu super terram, idcirco sint pauci sermones tui.* Sed dices fortasse: si diuina dicta & reuelationes capere, & intelligere minimè debemus, neque nos huic rei immiscere; cur nobis Deus ista communicat? Iam superius dixi quamcunque rem suo tempore esse intelligendam, idq; eo ordine, quo disposuerit, qui dixit, ille autem intelliget, quem ipse intelligere decreuerit; & manifestè postmodum apparebit, ita fieri & non aliter debuisse; nihil quippe absq; causa, & veritate efficit Deus. Propterea- *Si in reuelationibus diuinis decipi nolimus, eo ordine & tempore futura intelligere debemus, quo Deus ipse disposuit.*

terea firmiter credatur, neminẽ comprehẽdere posse, nec assequi intellectu plenitudinẽ, & amplitudinem dictorum, & rerum diuinarum; nec determinate iudiciũ ferre, de illo, quod prima fronte videtur, ablq; euidenti grauiter errandi, magnæq; confusionis periculo. Probè rem hanc exploratam habebant Prophetæ, quibus diuini verbi prædicatio concredita fuit, quibus molestum & grauè videbatur, annunciare reuelationes & prophetias populo: nam sicuti diximus, multa ex illis quæ prophetabant, nequaq̃ eo ad literam euenire modo cernebant, quo populo futurũ prædixerant; quod in causa erat, vt grauiter ab eo contemnerentur ac irriderentur: ita vt
Ierem. 7 dixerit Ierem. *Factus sum in derisum tota die, cũ subsannant me. Quia iam olim loquor vociferans iniquitatẽ, & vastitatẽ clamito: & factus est mihi sermo Domini in opprobrium, & in derisum tota die. Et dixi, non recordabor eius, neq; loquar vltra in nomine illius.* Quæ verba quamuis Propheta sanctus cũ resignatione, & personam hominis infirmi vias & secreta Dei sustinere non valentis præse ferens, protulerit; egregiè tamen ijs expressit discrimen inter adimpletionẽ dictorum Dei, & inter cõmunem & vulgarem litteræ sonum, ac sensum: siquidẽ prophetas diuinos veluti illusores deridebant & æstimabant & ipsimet propter prophetias tanta taliaq; sustinebant, vt dixerit idẽ Ieremias alio in loco: *Formido, & laqueus, facta est nobis vaticinatio, & contritio spiritus.* Nullam præterea aliã ob causam Ionas aufugit, cum illum Dñs ad destructionem Niniuæ prædicandã destinasset, nisi quia veritatẽ diuinorum eloquiorum minimè caperet, nec eorum sensum perfectè assequeretur. Quare ne eum deriderẽt, cum eius prædictio minimè adimpleta fuisset, fugiebat, ne prophetare cõpelleretur, quã ob causam etiam totos quadraginta dies extra vrbem præstolatus est, vt videret an prædictio diuina suũ sortiretur effectum: cumq; haudquaquã res succederet, tantopere sese afflixit, vt ad Deum dixerit. *Obsecro Domine nunquid non hoc est verbum meum cum adhuc essem in terra mea, propter hoc præoccupaui vt fugerem in Tharsis, &c.* subitatusque sanctus Propheta, petijt à Deo vt eum ex hac vitâ tolleret: Non est igitur cur miremur aliquas res, quas Deus animab. interdum loquitur & reuelat, non ita quomodo ipsæ illas intelligunt, succedere. Supposito. n. quod Deus animæ promittat, vel hoc aut illud bonum siue malum, siue ad illã ipsam, siue ad aliã personam spectans repræsentet: si illud alicui certo effectui vel obsequio, vel culpæ, quã anima illa vel alia persona tunc Deo faciunt nititur: & in illo affectu obsequio, &c. sicut diximus perseueraueriut; dubio procul adimplebitur: non tamen propterea certum est, eo quo sonat modo adimplendum esse, siquidem perseuerantia incerta est. Quare non est cur reuelationi huic fidamus, nec in eius nos intelligentiâ fundemus, sed solummodo in fide.

CAPVT XXI.

In quo demonstratur, qua ratione licet interdum Deus ad interrogata respondeat, minimè tamen hic cum eo agendi modus illi placeat. Probatur etiam quod licet aliquando condescendat & responsum præbeat, plurimes tamen ob id indignatur.

SPiritualium nonnulli vti diximus, nimium effecti securi nec curiositatẽ suã, cui aliquando seruiunt, dum aliquâ supernaturali viâ noscere conãtur, sicut par esset animaduertentes, arbitrantur, quod quia interdum ad eorũ preces instãtes respondet Deus: illum esse præclarum secũ agendi & tractandi modum, nec mediocriter illi gratum: cum tamẽ in rei veritate, quãuis eis respondeat Deus, haudquaquã ta-

B. Joannis à Cruce Opera Mystica NVI 120

NOTA. *Cur Deus ægrè ferat quando homines aliquid ab eo supernaturali via, scire volunt.*

men ille cum eo agendi modus laude dignus sit, minimeq; ipsi Deo acceptus: imò potius illi displicet, neq; solumodo displicet, sed etiã multoties idcirco irascitur, & rem hanc fert ægerrimè. Rei huius hæc ratio assignari potest, nam nullum creaturã eos limites; quos Deus ad ipsius gubernationem naturaliter præscripsit tãtilitie decet. Homini autem ad eum regendum rationales & naturales metas posuit, non ergo ei expedit illas transgredi: velle autẽ inuestagare, & indagare aliqd via supernaturali, iam est assignatos terminos transilire: non est ergo res hæc sanctitati conformis, neq; expediens: ergo nec Deo placet, neq; illi est accepta. Dices: quandoquidẽ Deo hoc ingratũ est, cur interdum respondet? In primis dico: aliquãdo Cacodæmonem respondere. At quando respondet ipsemet Deus: asserо id ob infirmitatem, ac debilitatẽ animæ fieri, quæ illo itinere gradari peroptat. Ne si nõ fuerit exaudita, affligatur, & retrocedat: vel ne Deum sibi iratum atbitretur, grandemq; tentationẽ incurrat: vel certè id facit ob alios, quos ipse Deus nouit fines, in illius animæ debilitate fundatos, ex quibus illi respõdere, illaq; condescendere via, expedite animaduertit. Quemadmodum etiã (vt diximus) cum multis debilibus ac delicatis animab. sese gerere consueuit, cõcedendo illis in oratione gustus & suauitates admodũ sensibiles: sed non id propterea fit, quia hoc ipsemet ita fieri velit, aut quia iste cum eo agendi ac tractandi modus & via illi arrideat; sed vnicuiq; dona sua secundum eius modum largitur, sicut dictum est. Deus enim est veluti fons, ex quo vnusquisq; haurit, iuxta vasis quod adfert capacitatẽ: permittitq; interdum animã illã per istos prætorordinatios canales haurire: sed non sequitur inde expediẽs esse, velle per illos aquã excipere: hoc n. ad ipsummet spectat

Cur ergo Deus aliquando ad interrogata respondet, si se interrogari ægrè fert?

Aliquãdo non Deus, sed Dæmon respondet.

Deum, qui illã quomodo, quando, & cui, & quã ob causam ipse voluerit, absq; illo recipiẽtis studio, & petitione, præbere poteſt. Atq; isto modo (vt diximus) aliquãdo annuit desiderio precibusq; aliquarum animarum, quas quoniã bonæ sunt, & simplices exaudire vult, ne eas contristet: verũ nequaquãid propterea facit, quia illi modus iste agẽdi gratus sit. Quæ res similitudine hac clarius percipi poterit. Appositа sunt alicuius Patrisfamilias mẽsæ plura variaq; ciborum fercula, ex quib. quædã sunt alijs præstãtiora: petit ab eo paruulus eius filius vnius ferculi, non quidẽ melioris, sed illius in quod primo loco impingit partẽ: propterea autem ex illo petit, quia illi dulcius sapit, quã alterius ferculi cibus, cum autẽ eius pater animaduertat quod licet illi meliorẽ cibum apponeret, non illum sit accepturus, sed solummodo illum quẽ postulat: & quod nullus alius præter illũ palato eius arrideat: ne inconsolatus puer, & absq; cibo remaneat, concedit illi tristis, eum, quẽ postulauit. Quemadmodũ videmus cum filijs Israel fecisse Deum, cum ab eo Regem postularunt, inuitus. n. eum illis concessit, eo quod minimè illis expediret, quamobrẽ Samueli dixit. *Audi vocẽ populi huius, regemq; quẽ à te petunt illis concede: non enim te abiecerunt sed me, ne regnẽ super eos.* 1.Reg.8.7

Ad eundẽ prorsus modum aliquibus animab. sese accommodat Deus, cõcedendo eis non id, quod illis melius & vtilius foret: idcirco quia nolunt ipsæ, neq; sciunt, nisi illa pergere via. Quod si aliquando tenuitudines, & suauitates spiritus vel sensus obtinent (vt diximus) propterea illis hæc Deus elargitur, quia non sunt benè dispositæ ad capiendum fortiorem ac solidiorẽ tribulationum crucis filij sui cibum, quem ille præ omnib. alijs vellet illis porrigere, & ab illis peti. Quamquam nosse velle aliqua supernaturali via, multo deterius esse iudico,

NOTA. *Cur Deus aliquando animarũ desiderijs sese accommodet, suauitates ei spirituales fundendo.*

1.Pet.10. 11.

iudico, quam alios spirituales in sensu gustus requirere. Non enim video quâ ratione anima quæ ista optat à peccato ad minus veniali possit excusari, licet illa ob fines optimos hæc faciat, & constituta sit in statu perfectionis: & eandem sententiam de illo pronuncio, qui huiusmodi res inquirere, & indagare iubet, vel etiã ad eandem rem assensum præbet. Nulla siquidẽ huiusmodi rerum necessitas apparet, cum naturalis ratio, lex & doctrina Euangelica nobis suppetant, per quæ sufficienter regi gubernarique anima potest, nec talis difficultas aut necessitas occurrit, cui istis medijs obuiam iri, idque cum magnâ Dei voluptate ac animarum emolumento nequeat. Tantique rationis naturalis Euangelicæq; Doctrinæ lumen æstimare, adeoque illis adhærere debemus, vt licet nunc (siue hoc volentibus nobis fieret, siue inuitis) aliqua nobis supernaturaliter verba dicerentur, illud solum, quod in illis rationi & legi Euangelicæ consentaneum fuerit, acceptare debeamus. Quinimò tunc multo amplius illa cõsiderare, trutinareq; oportet, quã si nulla præcessisset reuelatio: Cacodæmon siquidẽ multa vera, & futura ac rationi conformia profert, vt fallat.

Vnde in omnib. nostris necessitatibus, tribulationibus, ac difficultatibus, nullum nobis melius tutiusq; medium restat, quã oratio & spes Deum nobis per media, quæ illi placuerit, prouisurum. Istud nobis cõsilium diuinæ litteræ præbent, in quib. legimus quod cum Rex Iosaphat summa quadã afflictione à maximâ hostium multitudine circumseptus premeretur, ad orationem se conferens dixit Deo. *Cum ignoremus quid agere debeamus: hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te*, id est, quandoquidẽ media desunt, nec suggerit ratio modum necessitatibus prospiciendi: hoc solum nobis residuum est, vt ad te oculos eleuemus, vt tu ipse nobis prouideas, sicuti tibi melius placuerit.

Quod autem Deus (quamuis huiusmodi inquisitionibus nonnunquam det responsum) propterea tamen indignetur (licet ex hucusque allatis constet) expedit nihilominus aliquibus S. Scrip. testimonijs idem confirmare. Primo regum libro legimus, quod cum cuperet Saul Samuelem Prophetam iam vita functum secum verba facere, apparuisse quidem illi dictum Prophetam, sed iratum illi propterea Dominum fuisse: confestim .n. increpauit eum Samuel, eo quod rem huiusmodi attentare præsumpsisset, dicens. *Quare inquietasti me, vt suscitarer?* Notum est præterea, quod non propterea quia annuerat Deus postulatis filiorum Israel quando perierunt carnes, idcirco non fuerit eis vehementer iratus: statim enim cœlitus immisit eis ignem ad præsumptionem puniendam, sicuti in Numerorum libro legimus, & recenset Dauid dicens: *Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum: & ira Dei ascendit super eos.* In libro præterea Numeror. legere est, quod nõ ideò non indignatus fuerit Deus Balaam prophetæ à Balac Madianitarum Rege euocato, quia illuc ipso præcipiente Deo perexisset; desiderauerat .n. ille eo ire, idque precibus à Deo flagitauerat: vnde & tendẽte eò illuc, apparuit illi Angelus, euaginato ense, & ipsum interimere voluit, dixitq; illi. *Peruersa est via tua, mihiq; contraria.* Hoc itaq; modo, multisque alijs conniuet Deus, sed iratus, appetitibus nostris: cuius rei plurima suppetunt in S. Script. testimonia & exempla: verum non est cur ea, in re adeò manifesta adducamus. Illud solum modo dico asseroq; rem esse periculosiorẽ quã vt sciã dicere, velleq; cũ Deo huiusmodi vijs ac modis agere: & eum, qui secus fecerit, in multos lapsurum errores & grandẽ, rebus istis ad dictum hominem, confusionem

1. Reg. 28. 15.

1. Par. 10. 13. & 14.

Ps. 77. 31.

Nu. 22. 32

Imitatur Dæmon diuinos fauores, vt fallat.

nem, tuborem q; multoties perpessurum. Quam meam doctrinam ille, qui hæc magnipendere voluerit: tandem experimento comprobabit. Nam præter difficultatẽ, quæ in non errando circa loquutiones ac visiones diuinas reperitur, ordinariè loquendo multæ ex illis à Dæmone proficiscuntur: nam communiter loquendo etiam Dæmon ijsdem agendi conuersandique modis vtitur cum anima, quibus vtitur Deus, proponitque illi res adeo verosimiles illis quas communicat Deus, & se se velut lupus inter pecudes ouinâ pelle tectus ingerit, vt vix possit agnosci. Cum enim multa proferat vera, rationique conformia, & quæ certo eueniunt: facillimè decipi possunt animæ & sibi persuadere, quod quoniã verè, & adamussim contingunt ea, quæ prædixerat, non possint illa nisi à Deo promanare: ignorant enim facillimum esse Dæmoni tã perspicaci lumine naturali prædito, multa, quæ fuerunt, vel futura sunt, in suis cognoscere causis, vnde & multa futura diuinat, cum enim Dæmon adeò viuax lumen naturale habeat, potest etiã ex tali causa, talem effectum colligere, quamuis nõ ita semper succedat, si quidẽ vniuersa à diuinâ pendent voluntate. Rem exemplo declaremus. Agnoscit Dæmon ex dispositionibus terræ & aëris soliſque situ & influentijs, taliter res esse præparatas, & dispositas, quod aduenientẽ certo tẽpore necessario erunt elementa disposita ad inficiẽdos homines lue pestiferâ, cognoscetque in quibus illa regionibus plus vigebit, in quibus verò minus. Ea pestem, in sua causa cognitã. Quid igitur mirum, si reuelando dæmon istam rem alicui animæ, dicendo q; illi: post vnum annum, vel dimidium annum grassabitur pestis: quid inquã mirum, ita in rei veritate euenire? atq; hæc est dæmonis prophetia. Ad eundẽ modũ cognoscere & explorare potest terræ motum, animaduertendo reconditos sinus terræ repleri ventis: prædicereque: Tali tẽpore terra motib. quatietur insolitis: quæ tamẽ est notitia naturalis. Possunt præterea euentus particulares diuinâ prouidentiam concernentes, aliquâ coniecturatione, quæ prouidẽtia iustissimè circa bona vel mala filiorum hominũ sese prodit. Agnoscit etenim potest via ordinaria talem vel talem personam, talem vel talem ciuitatem, vel aliam tem quampiam, ad talem vel talem peruenire necessitatẽ, vel ad tale vel tale punctũ, quod Deus secundum suã iustitiã debeat adesse, & accurrere secundum causæ exigentiã, ac inxta eius meritũ, vel præmium, vel pœnã infligere, dicig; tunc poterit: Tali vel tali tẽpore consequeris à Deo hoc vel illud, vel faciet Deus huiusmodi rẽ, vel eueniet hoc, &c. Rem hãc indicauit S. Iudith Holoferni: quando vt persuaderet illi filios Israel certò fore euertendos, prius recẽsuit, plurimas eorum miserias & peccata quæ cõmittebant, & mox intulit. *Ergo quoniã hæc faciunt, certum est quod in perditionẽ dabuntur.* Quod nihil est aliud, quam cognoscere pœnam in causa. Perinde siquidẽ hoc est, ac dicere. Huiusmodi flagitia, taliq à Deo, qui iustissimus est, promerentur supplicia. Et quemadmodum diuina ait Sapientia. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Potest autem Dæmon non solum isto discursu hæc explorata habere, sed etiam multiplici, qua pollet experientia, cum Deum viderit multa his similia facientem, potestq; hæc prædicere, & aliquando rem vti est attingere, S. quoque Tobias, ex cognitione causæ perspectam habuit ciuitatis Niniuæ vindictam, vnde & suum filium prænouit dicens: *Nunc ergo fili audi me, & nolite manere hic, sed quacunque die sepelieritis Matrem vestram, ex eo dirigite gressus vestros, vt exeatis hinc. Video enim quod iniquitas eius finem dabit*: ac si dixisset. Ego perspicuè animad-

Iudith 11. 12.

Sap. 11.17.

Tob. 14.6.

animaduerto, suam ipsius malitiam, punitionis eius causam futuram, eamque omnino destruendam. Quæ poterat etiam Dæmon sanctusque Tobias non solum ex Ciuitatis depratiuatione conijcere; verumetiam ex experientia quam habebant; animaduertêdo Deum ob mundi scelera homines diluuij aquis deleuisse, Sodomitas etiam, qui cœlesti igne interierant; quamuis etiam nequaquam negandum sit Tobiam, diuino hæc spiritu cognouisse. Potest etiam agnoscere Dæmon, Petrum verbi gratia, non posse secundum naturæ cursum nisi tot annos vitam producere & hoc ipsum prædicere: atque eodem ritu multa multis modis vaticinari, qui quoniã intricatissimi sunt & subtilissimi, enumerari non possunt. A quibus omnibus non potest immunis effici anima, nisi ab vniuersis reuelationibus, visionibus & loquutionibus abhorrendo, easque deuitando.

Quamobrem iustissimè iratcitur illis Deus qui eas admittunt: scit enim temerarium esse, velle tanto se periculo obijcere; magnamque hac in re latere præsumptionem, curiositatem, superbiæ ramum, radicem & fundamentum vanæ gloriæ, diuinarum rerum contemptum; multaque præterea alia mala, in quæ plures incurrerunt, qui tantopere Deum, ad iracundiam prouocarũt. vt consulto permiserit illos Deus aberrare, decipi, ac Spiritum eorum obtenebrari, & à rectè ordinatâ vitâ deflectere, locum illorum phantasijs, & vanitatibus, præbendo: sicuti ait Isaias. *Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis.* Quod clarè loquendo nihil aliud significat, quàm Spiritum contrario modo res intelligendi. Quæ verba ad nostrum propositum loquitur Isaias, loquitur etenim de illis, qui res futuras supernaturali viâ inuestigare satagebant. Propterea que ait, quod Dominus miscuit in medio eorum spiritũ, contrario modo res intelligendi; non quod positiuè & re ipsa voluerit illis Deus dare spiritum erroris; sed quia illi ea perscrutari aggressi sunt, quæ naturaliter assequi nequiuerunt. Ob eamque rem indignatus permisit illos aberrare, non communicando illis lumen suum ad ea pernoscenda, quæ ipsos indagare nolebat. Vnde etiã dicit Isaias, miscuisse ipsum Deum spiritum illum permissiuè. Atque hoc pacto Deus est in causa illius damni, causa videlicet priuatiua, quæ in auferenda luce sua ac fauore consistit, ex qua re infallibiliter sequitur deceptio. Et hoc modo præbet Deus facultatem Dæmoni, vt excæcet ac decipiat multos, eorum hoc peccatis & præsumptione promerentibus: quapropter potest hoc efficere Dæmon, & re ipsa efficit, dum huiusmodi animæ fidem illi accommodant, & spiritum bonum arbitrantur; soletque interdum res hæc eo vsque deuenire, vt licet iam manifestè illis pateat, sintque omnino persuasi spiritum illum minime bonum esse; nulla ratione possint ab hac deceptione emergere: eò quòd in intimis animæ fibris insertum habeant, permittente DEO spiritum, res è conuerso intelligendi, cuiusmodi erat ille, quem Prophetis Regis Achab contigisse legimus, quando permisit Deus illos mendacij spiritu decipi, dando ad hunc effectum, facultatem Dæmoni, dicendo illi. *Decipies, & praualebis egredere & fac ita.* Tantumque apud Regem, & apud Prophetas ad eos fallendos potuit Dæmon, vt Prophetæ Micheę, qui veritatem illis, valde contrariam aliorum Prophetarum prædictionibus, prophetabat fidem dare noluerint, idque propterea, quia permisit eos DEVS excæcari, eò quod proprietatis affectu illis,

3. *Reg* 22. 22.

quæ cupiebant, adhærerent, volendo vt sibi eueniret, & vt Deus responderet iuxta appetitus ac desideria sua, & hæc erant media, dispositionesque certissimæ ad hoc vt Deus consulto eos obcæcari ac decipi permitteret. Sic enim nomine Dei prædixit Ezechiel contra illum loquendo, qui supernaturali via res secundum vanitatem & curiositatem spiritus sui cognoscere vult; dicens. *Cum venerit ad Prophetam vt interroget per eum me: ego Dominus respondebo ei per me: & ponam faciem meam super hominem illum. Et Propheta cum errauerit, ego Dominus decepi Prophetam illum.* Quod intelligi debet Deum ista facturum non alio modo, sed gratiam, fauoremq; suum duntaxat subtrahendo, vt decipiatur: hoc enim significat. *Ego Dominus respondebo ei per me*, scilicet iratus: Quod nihil est aliud, quam gratia, & fauore suo hominem illum priuare vnde infallibiliter sequetur deceptio, ob Dei derelictionem. Tunc autem accurrit Dæmon ad respondendum, secundũ gustum, ac appetitum hominis illius, cui cum huiusmodi res vehementer placeant, responsa etiam, & communicationes dæmonis voluntati eius sunt conformes, hocque modo seplurimum decipi patitur. Ezech. 14. 9.

Videmur aliquo modo à proposita in capitis huius inscriptione tractatione deuiasse, promiseramus enim demonstrare, qua ratione licet Deus postulatis respondeat, interdum tamen irascatur. Verum si ea, quæ dicta sunt rectè considerentur, omnia huc tendunt, & nostram propositionem confirmant: ex omnibus siquidem constat, non esse Deo gratum, vt huiusmodi visiones requirantur, cùm præbeat locum, vt tot modis homines decipiantur.

(::)

CAPVT XXII.

In quo dubium quoddam examinatur, cur modo in lege noua non sit permissum, aliquid à Deo supernaturali via scisitari, quemadmodum in antiquo fœdere licitum erat? Est hæc tractatio aliquatenus iucunda, ad Sanctæ fidei nostræ arcana intelligenda. Probatur institutum S. Pauli testimonio, quod ad rem hanc dilucidatur.

DVm proposito nobis operi insudamus, emergũt nobis dubia noua, vnde nec ita accelerare possumus, sicuti cuperemus. Quemadmodũ enim ipsi dubia hæc mouemus, sic ad ea dissoluenda tenemur, vt propositę doctrinę veritas semper maneat perspicua, roburq; illæsum. Id tamen huiusmodi dubia commodi adfetũt, quod licet nos tantillum remorentur; ampliori tamen doctrinæ, ac instituti nostri perspicuitati inseruiunt, & huiusmodi erit præsens dubium.

Capite præcedenti docuimus minime voluntatis esse diuinæ, vt animæ supernaturali viâ notitias distinctas visionum, locutionum, &c. ambiant ac desiderent. Ex alia vero parte exploratum est, huiusmodi cum Deo agendi modũ sub antiquo fœdere in vsu fuisse ac licuisse, neq; solum fuisse permissum, verum etiam ab ipsomet Deo præceptum, ita vt si aliquando non vterentur isto modo, Deus illos acriter argueret, sicuti videre est in Isaia vbi reprehendit Deus filios Israel eò quod non cõsulto prius illo descendere in Ægyptũ cogitabant. *Qui ambulatis vt descendatis in Ægyptum, & os meum non interrogastis.* In Iosue quoque libro legimus, quod cum ijdẽ filij Israel à Gabaonitis decepti fuissent; rei huius

Sub antiquo fœdere, non fuit licitũ erat supernaturali viâ consulere DEVM, sed etiam ab eo id fuit præceptum. Isa. 30. 2. Ios. 9. 14.

huius causam innuit ibi Spiritus sanctus, his verbis. *Susceperunt de cibarijs eorum, & os Dominum non interrogauerunt.* Vnde in sacris literis animaduertimus, semper Moysen Dauidem Regem, cæteroſque Israeliticos Reges, necnon Sacerdotes, & antiquos Prophetas, de suis bellis ac necessitatibus Dominum consuluisse; Deumq; responsa dedisse, & illos fuisse allocutum, neque tamen propterea illis succensuisse, rectequehac in re se gerebat, & si secus fecissent à rectitudine deflexissent & male fecissent: & hæc quidem ita in rei veritate se habent. Cur igitur nunc, sub lege noua & gratiæ, non etiam licitum erit, sicuti antea fuit?

Dubitationi huic isto modo occurrendum est, præcipuam causam, ob quam in antiqua lege licitæ erãt, quæ fiebant Deo interrogationes, & cur necessariũ erat, vt Prophetæ & Sacerdotes, visiones ac Reuelationes à Deo requirerent hanc fuisse; quia nõdum tunc temporis adeò fundata erat fides, neq; lex Euãgelica stabilita, vnde necessarium erat vt à Deo de rebus scisciterentur, & vt Deus iam verbis, iã visionibus & reuelationibus iã, figuris & similitudinibus, iam denique multis alijs significationum modis eis loqueretur. Omne enim illud, quod respondebat, loquebatur, & reuelebat, nostræ sacræ fidei arcana erant, vel certe res ad eã spectantes, vel ad eã directæ; cum fidei mysteria nequaquã sint hominum, sed oris ipsiusmet Dei, & quæ ipse proprio suo ore protulit, & ob hoc (vt diximus) necessariũ erat, vt ipsum os Dei interrogarent, propterea q; quãdo id facere prætermittebant, arguebat eos, responsis quippe suis dirigebat eos in rebus & euentibus ipsorum ad fidẽ, quã adhuc ipsi ignorabant. At nunc quãdo fides in Christũ est fundata, & Lex Euangelica in statu gratiæ promulgata, non est vnde necesse sit eum illo modo interrogare, nec est cur ipse sicut tunc loquatur, & respondeat. Dando quippe nobis, sicuti dedit filium suum, qui est vnicum solumq; ipsius verbũ, omnia nobis simul vnaq; vice hoc suo vnico verbo loquutus est, & reuelauit. Et hic est genuinus autoritatis illius sensuus qua nititur S. Paulus persuadere Hebræis, vt à prioribus illis antiquæ legis Moysis cũ Deo agẽdi, tractandiq; modis abscedant, & oculos ad CHRISTVM solũ conuertant, dicens. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: nouissimè, diebus istis, loquutus est nobis in filio:* Quibus verbis docet Apostolus, tot tantaque dixisse Deum hoc suo verbo, vt nihil iam amplius optandum supersit, id enim, quod antea per partes loquebatur Prophetis, iã nobis totum in ipso dixit, ipsum nobis totũ dando, id est, filiũ suum. Quãobrem ille, qui nunc vellet aliquid à Deo scisciatari, vel visionem aliquã, aut reuelationem ab eo postulare, videretur iniuriã Deo illaturus, nõ defigendo omnino suos oculos in Christũ, nullamq; aliam rem aut notitiam requirendo. Potest etenim illi Deus hoc modo respondere. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Iam omnia loquutus sum per verbum meum: ad illum solum tuos conijce oculos, in ipso siquidem vniuersa iam tibi dixi, cunctaque reuelaui: imò multò plura in eo reperies, quam desiderare aut petere possis, cur tu locutiones, visiones aut reuelationes particulares exigis, cum si ad illum oculos attollere volueris, sis in ipso reperturus vniuersa. Ipse siquidem est totum verbum meum, & responsum. Ipse est tota mea Visio, & Reuelatio, quam dixi, respondi, manifestaui, & reuelaui, dando ipsum vobis in fratrem, Magistum, socium, pretium

Et pulcherrima huius rei causa adfertur.

Hebr. 1. 1.

Dando nobis Deus filium suũ & verbũ suũ, omnia nobis dedit, & dixit, ita vt nihil optãdũ supersit.

Pulcherrima introductio Patris æterni loquentis cũ homine, reuelationes desiderante. Matth. 12. 6.

& præmium. Iam ego vnà cum sancto meo spiritu in illum descendi in Monte Thabor, dixique. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Non est cur nouos doctrinæ ac responsionum modos, requiras, si enim loquebar antea, id erat Christum promittendo, si verò aliquid scisitabantur ex me, dirigebantur interrogationes illæ ad postulandum & sperandum Christum, in quo vniuersa bona reperturi erant: (quemadmodum nunc omnis Euangelistarum Apostolorumque doctrina, hoc declarat.) At qui nunc, illo me interrogaret modo, vellet que me secum loqui aut aliquid à me sibi reuelari; esset hoc ac si quodammodo non sibi esset satisfactum in Christo, & per Christum, grauemque dilecto filio meo iniuriam irrogaret: cùm enim illum habeas, quid à me petere possis, prorsus non reperies, nec reuelationes, visionesque requires, tu tantum illum attentè contemplare: & iam tibi omnia quæ petis & multo plura in illo collocata & dicta experieris. Si aliquod tibi à me consolationis verbum dici cupis; considera filium meum mihi obedientissimum, meique amore tantopere afflictum; & percipies quod tibi respondeat huiusmodi verba: si aliqua tibi arcana, casusque reuelari ac manifestari peroptas; ad illum solummodo collima oculos, & secretissima mysteria, sapientiam immensam, ac Dei mirabilia, quæ in ipso sunt obserata, reperies, sicut meus dicit Apostolus. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei abscondit.* Qui sapientiæ thesauri, multo tibi erunt sublimiores, dulciores & vtiliores, rebus ijs, quas nosse anhelas. Propterea enim, idem gloriabatur Apostolus: *Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi IESVM Christum, & hunc Crucifixum.* Quod si alias etiam diuinas reuelationes visionesque corporales desideraueris, contemplare illum humanâ vestitum carne, & plus in eo, quàm speras & cogitas, reperies, dicente eodem Paulo Apostolo. *In Christo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.*

Math 17. num. 6.

Grauem filio Dei irrogat iniuriã, qui nunc reuelationes requirit.

Col. 2. 3.

2 Cor. 2. 2.

Col. 2. num. 9.

Non expedit itaque neque licet interrogare Deum illo modo, nec est necesse vt loquatur ipse, aut respõdeat: cum enim fuerit in Christo loquutus, nihil amplius exoptari potest. Et qui temporibus istis supernaturali præterordinariâ viâ aliquid addiscere & percipere vellet; illud esset veluti velle DEVM defectus arguere, quasi non nobis omnia in filio suo sufficienter dedisset, vt dictum est. Quamuis enim fide suppositâ, illique indubiè assentiendo, huiusmodi res percipiat; est nihilominus curiositas quædam minorem arguens fidem. Quapropter non est, quod huiusmodi homines curiosi, aliquam doctrinam vel aliam quampiam rem supernaturali viâ expectent. Eadem quippe horâ, quâ CHRISTVS in Cruce expirans dixit. *Consummatum est*, non solum isti cùm Deo agendi modi, sunt finiti, sed etiam vniuersæ antiquæ legis ceremoniæ & ritus. Et sic in omnibus Christi, eius Ecclesiæ, ac ministrorum ipsius doctrinam, sequi debemus, hacque viâ omnibus nostris ignorantijs, ac infirmitatibus spiritualibus remedia quærere: pro omnibus, siquidem de necessitatibus hoc modo faciendo, copiosam medicinam reperiemus, à quo itinere si quis deflexerit, seque ab eo separauerit, non solum curiositatis maculam contrahit, sed etiam nimium est audax & præsumptuosus. neque enim aliquid supernaturali viâ credi debet, nisi illud doctrinæ Christi Dei & hominis, ac eius ministrorum fuerit cõsentaneum. Idq; adeò,

Statim ac Christus Dominus in cruce dixit. Consummatũ est, finiti omnes cũ Deo viâ supernaturaliter ordinariâ ægdi modi. Ioan. 19. 30.

Nota. Christi Ecclesiæ, & ministrorũ ipsius doctrinam sequẽdo, pro omnibus nostris ignorantijs & necessitatibus remedia reperiemus. Nihil supernaturali viâ reuelatum credi debet, nisi Christi ministrorumq; eius doctrina, fuerit conformè. Gal. 1. 8.

vt

Gal. 1. vt dixerit S. Paulus: *Sed licet Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam, quod Euangelizauimus vobis anatema sit.* Vnde sequitur, quod quoniam verissimum certissimumque est, in illis, quæ Christus nos docuit nobis perstistendum esse & cætera omnia esse nihil, neque fidem illis, nisi doctrinæ huic conformia sint, habendam; cassolabore, ac conatu eum atteri, quisquis nunc cum Deo secundum antiquæ legis modum, agere cupit. Præsertim cum non cuicunque illius temporis homini, aliquid à Deo sciscitari, liceret, nec ille omnibus passim responsa daret, sed solis sacerdotibus & Prophetis, ex quorum ore plebs legem discere debebat, & doctrinam: atque ita si quispiam aliquid à Deo nosse cupiebat, per sacerdotem vel Prophetam illud interrogabat; non verò per seipsum. Quod si Dauid per seipsum aliquoties Deum interrogauit, ideo hoc fecit, quia Propheta erat, neque id absque sacerdotali veste faciebat, quomodo illum primo libro Regum seciſſe legimus, vbi dixit Abiathar sacerdoti, *Applica Ephod*, quod erat præcipua vestis sacerdotalis: sicque Deum consuluit. Sed aliâs per Prophetam Natan, & per alias Prophetas, consulebat Dominum: Et quod ex ore istorum Prophetarum & sacerdotum audiebant, à Deo promanasse credere debebant, non autem, quia ita ipsis videretur. Atque ita, quæ tunc dicebat DEVS nullius erant roboris apud eos ad fidem integram conciliandam, nisi illa Prophetarum ac sacerdotum ore comprobarentur. Tantopere siquidem placet Deo vt hominis directio ab alio illi simili dependeat homine; vt omnino velit ne rebus, quas nobis supernaturaliter communicat, integram præstemus fidem, neque nobis illæ magnam ac securam vim faciant, antequam per istum, humanum oris alterius hominis aquæductum, pertranseat. Quare quotiescunque dicit, vel reuelat aliquid animæ, facit hoc imprimendo illi, inclinationem & propensionem quandam, ad res illas, ijs quibus expedit aperiendas: & donec istud fiat, non solet integram satisfactionem præbere Animæ, sed vult vt illam accipiat homo, ab alio simili sibi homine, quem Deus suo loco constituit. Vnde in libro Iudicum idipsum Gedeoni Duci euenisse cernimus, cui cum multoties dixisset DEVS, eum de Madianitis victoriam reportaturum, erat nihilominus anceps & pusillanimis, permittente Deo hanc in eo debilitatem, donec ex ore hominum, idipsum audisset, quod à DEO audierat. Res autem hoc modo acta est, cum animaduertisset illum Dominus animo concidisse, dixit illi. *Surge & descende in castra, & cum audieris, quid loquantur, tunc confortabuntur manus tuæ, & securior ad Hostium castra descendes.* Res prorsus ita successit: audito siquidem Madianitæ vnius somnio, quod ille alteri recensebat, se videlicet in somnis vidisse Madianitas à Gedeone superandos: maximos Gedeon sumpsit Spiritus, hostemq; magno & alacri animo aggressus, debellauit. Ex quo apparet noluisse Deum vt de suâ reuelatione securus esset, priusquam idipsum ex ore percepisset humano. Sed multo maiori dignum est admiratione, quod in eadem materia contigit Moysi, quem cum multis propositis rationibus iussisset DEVS, vt ad liberandos filios Israel proficiscceretur, visionemque suam miraculis virgæ in serpentem versæ, & manus leprâ infectæ, confirmasset; adeò se cunctabundum, debilem, ac ambiguum in hoc itinere exhibuit, vt licet ob hoc iratus fuerit Dominus, nunquam tamen perfecta fide negotium hoc aggredi ausus fuerit, donec illi adderet DEVS animum per fratrem suum Aaronem dicens:

Nota. Humanis Deus ita vult hominem ab alio quolibet informari, nec vult vt rebus sibi supernaturaliter reuelatis integram adhibeant fidem.

Iudi. 7. 10

Mirabile huius veritatis in Moyse exemplum.

Exo. 4. 14. & 15. *Aaron frater tuus Leuites, scio quod eloquens sit: ecce ipse egredietur in occursum tuum, vidensque te, lætabitur corde: loquere ad eum, & pone verba mea in ore eius, & ego ero in ore tuo, & in ore illius.* Quibus auditis Moses, confestim spe consilij, quod à suo fratre accepturus erat, resumpsit animam.

NOTA. *Humilis animæ proprium est, nõ præsumere solã cũ Deo agere, nec tutam se credere, nisi humano adhibito cõsilio, quod etiã Deus ipse ab ea requirit.* Matth. 18. 25.

Est quippe humilis Animæ proprium vt non præsumat sola cum Deo agere, nec tuta vel satisfacta omnino esse possit, absq; directione & consilio humano, & hoc etiam requirit ipse Dominus: illis quippe, qui ad tractandum de aliqua veritate simul cõueniunt, ipse se ad eam dilucidandam, & in illis stabiliendam adiungit, quẽadmodum se facturum Mosi & Aaroni inuicem conuenientibus promisit, vtriusque ore loquendo. Propterea quoq; in Euangelio dixit: *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo* (ad cõsiderandum quid ad maiorem gloriam honoremque meum expediat) *ibi sum in medio eorum*: illustrando videlicet, & in eorum cordibus diuinas stabiliendo veritates. Sed oculate perpendendũ est, minimè dixisse: vbi fuerit vnus solus, ego ibi adsũ, sed vbi ad minus fuerint duo, vt hinc cognosceremus, nolle Deum vt aliquis per se solus credat, & existimet veras esse gratias, quas à Deo recipit, neq; in illis mentem suam stabiliat, vel nimis absque cõsilio & gubernatione Ecclesiæ vel Ministrorum eius adhæreat, nam in corde illius qui solus est, minime dilucidabit aut confirmabit veritatem Deus, vnde frigidus ac debilis remanebit. Hinc est illud, quod amplificat Ecclesiastes dicens: *Væ soli, quia cum ceciderit non habet subleuantem se: & si dormierint duo: fouebuntur mutuo* (calore scilicet Dei, qui in medio eorum est) Vnus quomodo calefiet? (id est quomodo non frigidus in rebus diuinis remanebit.) Et si quispiam præualuerit contra vnum (Dæmon videlicet, qui contra illos præualet, qui soli seipsos in rebus diuinis regere volunt, nec ab aliquo accipere consilium) duo resistunt ei, discipulus videlicet & spiritualis Magister, qui inuicem conueniunt, ad cognoscendam & operè adimplendam veritatem. Et donec hoc fiat, vt plurimum ille, qui solus est se tepidum debilemq; in illa experitur, licet ab ipso Deo pluries eam audierit. Idq; adeò, quod licet S. Paulus multo tempore prædicarit Euangelium, quod ille se non ab hominibus, sed ab ipso Deo audiuisse affirmat; nulla ratione quiescere ac securus esse potuerit antequam illud cum S. Petro, cæterisque Apostolis contulisset dicens: *Ne forte in vacuum currerẽ, aut cucurrissem.* Ex quo loco manifestè patet, nequaquam tutum esse ijs fidere rebus, quas Deus videtur reuelare; nisi eo quo præscribimus modo & ordine. Supposito etenim, quod animæ certò constet à Deo reuelationẽ processisse, sicuti S. Paulo cõstabat Euangelij sui certitudo (siquidem iam illud annunciare cœperat) potest tamẽ homo in exequenda illa, rebusq; ad eam spectantibus aberrare. Licet enim Deus rem vnã dicat, non semper tamen dicit alteram: & multoties dicit rem, non tamen modum eã faciendi. Nam vt plurimum, quidquid industria & cõsilio humano consequi possumus, minime ille facit aut dicit quãuis ad intimã suam familiaritatẽ multo tempore admiserit Animã. Quam rem egregiè S. Paulus agnoscebat; siquidẽ (vti diximus) licet optimè à Deo sibi reuelatum Euangelium nosset, se tamẽ ad illud cũ cæteris Apostolis conferendũ, & examinandum contulit. Idipsum etiam clarè in Exodo patet, legitur enim ibi q quamuis Deus tanta cum familiaritate cũ Mose ageret; nunquã tamen consilium illud, adeò salubre præbuerit quod socer ipsius Ietro dedit, vt videlicet alios deligeret iudices, qui illi opem ferrent, ne populus

Gal. 2.

NOTA. *Vt plurimũ, quidquid cõsilio humano cõsequi possumus, minimè Deum facere, & dicere, & hanc legẽ seruat Deus, etiam cum animabus, quas ad intimam admisit familiaritatem.* Exod. 18. 21.

In corde illius, qui solus est, hoc est, qui sua cum alijs non communicat, minimè dilucidabit cõfirmabitq; Deus veritatem. Eccl. 4. 10

las à mane vsq; ad vesperã iudicia præstolaretur. *Prouide autẽ de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas &c. qui iudicent populum omni tempore.* Quod consilium approbauit Deus, nec tamen illud ei suggesserat: erat enim huiusmodi res, quæ iudicio & consilio humano obtineri poterat. Eodem modo vniuersa, quæ circa visiones ac locutiones Dei occurrere possunt, quibus iudicium & consilium humanum prospicere potest; non solet illa reuelare Deus, semper enim vult, vt quantum fieri potest, consilio iudicioq; humano vtamur, præterquã in fidei rebus, quæ omne iudicium ac rationẽ superant; quamuis minime rationi repugnent. quãobrem nemo sibi persuadeat, quod quia certus & securus sit Deum, & Sanctos cum eo familiariter multis in rebus agere, eo ipso debeant illi manifestare defectus, quos in quacunque re habet, si possit alitndè illos agnoscere. Quare caute admodum agendum est, minimeque fidendum: nam (sicut in Actis Apostolorum legimus) licet S. Petrus Princeps esset Ecclesiæ, & qui à Deo immediate instrueba-
tur, in quadam tamen Cæremonia, qua inter gentes vtebatur, errabat, Deus tamen silebat: donec S. Paulus corriperet illum,
Gal. 2. sicut ipsemet asserit dicens: *Sed cum vidissem, quod non rectè ambularent, ad veritatem Euangelij: dixi Cephæ coram omnibus, si tu cum Iudæus sis gentiliter viuis, & non Iudaicè, quomodo Gentes cogis iudaizare?* Nec Deus defectus huius per seipsum Petrum admonuit, eò quod esset res in cuius notitiam via ordinaria, deuenire poterat.

Quamobrem multorum cum quibus in hac vita familiariter conuersatus fuerat, & quos multa luce virtuteque dotauerat, defectus, & peccata in die Iudicij puniet, quia in alijs rebus ad quas se faciendas obligari nouerant, fuerunt negligentes, illi, quæ eis cum Deo intercedebat, familiaritati, confisi. Vnde (sicut Christus Dominus noster in Euangelio ait) tunc illi obstupescent & dicent, *Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? dicitque Dominus tum, se illis respõsurum dicendo: discedite à me, qui operamini iniquitatem, quia nunquam noui vos.* Matth. 7. 22. Ex horum numero erat Propheta Balaã, & alij ei similes, cum quibus licet loqueretur Deus, non tamen ei erant accepti, eò quod essent peccatores. Ad eundem etiam modum corripiet Dominus electos amicos suos, cum quibus hic familiariter fuit, conuersatus, de defectibus ac negligentijs quas cõmiserunt, de quibus nõ oportebat eos ab ipsomet Deo admoneri: si quidem eos per legem, naturalemque rationem sibi datam admonuerit.

Quicquid Anima supernaturaliter euenerit, debet illud confestim sincere, & cum omni veritate, Magistro suo Spirituali aperire.

Tractationi itaque huic quantum ad rem hanc spectat finẽ imponẽdo, ex dictis elicio, quamcunq; rem, quam anima quacunque, tandẽ supernaturali via recipiat; dilucide, sincere, & cum omni veritate debere, cõtinuo magistro suo spirituali patefacere & aperire. Quamuis enim nihil referre videatur, huiusmodi res manifestare, neq; tempus hac in re inutiliter consumere, cum repudiãdo huiusmodi res nihilioq; eas faciendo (sicuti docuimus) remaneat anima tuta & secura (præsertim quando sunt Visiones vel Reuelationes, vel aliæ supernaturales communicationes, quæ vel sunt manifestæ, vel parum refert an huiusmodi sint, vel non sint) nihilominus est admodum necessarium (quamuis animæ contrarium videatur) vniuersa patefacere, Idque ob tres causas.

Huius rei causa.

Prima est, quia sicut diximus multa cõmunicat Deus, quorũ effectũ, vim, lucẽ & securitatẽ non omnino in anima cõfirmat stabi-

stabilitque, donec vt dictum est de ijs agatur & tractetur cum illo, quem Deus constituit spiritualem iudicem Animæ illius, qui etiam potestatem habet ligandi illam & soluendi, resque eius approbandi & reprobandi, quemadmodum hoc auctoritatibus scripturæ superius adductis comprobauimus, & quotidiano etiam experimento comperimus, videndo humiles animas, quæ huiusmodi fauores suscipiunt, postquam de illis, cum quibus debent egerunt, cum noua quadam satisfactione, robore, luce ac securitate remanere. In tantum vt aliquibus videatur quod antequam ista communicent, nec animo suo imprimantur, nec sua illa reputent, postquam verò ea manifestauerint, veluti denuo illa recipiant, atque in ijs confirmentur.

Secunda causa est, quia vt plurimum indiget Anima doctrinâ & instructione, de rebus illis, quæ ei eueniunt, vt possit illâ viâ ad nuditatem spiritualemque paupertatem, quæ est nox obscura dirigi. Si enim hæc doctrina illi deesset, supposito etiam quod Anima nollit huiusmodi res admittere; imperceptibiliter in viâ spirituali ruditatem quandam ignorantiamq; contrahet, & ad viam sensuum pedetentim declinabit.

Tertia causa est. Quia ad humilem animæ subiectionem & mortificationem fouendam, expedit vniuersa detegere, quâ uis ea nihili fieri debeant; nec ipsa illa æstimet. Reperire quippe est nonnullas Animas, quæ magnam sentiunt repugnantiã, in huiusmodi rebus dicẽdis, eò quòd nullas esse iudicent, neque sciant, quâ ratione illas sint accepturæ, quodque de illis iudicium laturæ iliæ personæ, cum quibus agendum est: quod est exiguæ humilitatis indicium eamque ipsam ob causam, oporteat sese ad illas propalãdas subijcere.

Exiguæ humilitatis indiciũ est, difficilẽ esse in aperiendis, spirituali Patri arcanis suis.

Aliæ verò sunt, quas maximopere pudet res huiusce modi detegere, ne illa, quæ sanctorum sunt propria habere videantur; vel alias ob causas, propter quas vehementer in istis rebus aperiendis affliguntur; ideoque videtur illis nihil subesse causæ, ad ista narranda, cum ipsæ nihili eas faciant: propter eandem tamen causam omnino expedit vt sese mortificent, & ista enarrent, donec iam omnino humiles, faciles, promptæque euadant, & postmodum ea semper non grauatè enuncient.

Verum circa ea, quæ dicta sunt animaduertendum est: non ex eo quod tam multum commendauimus vt res istiusmodi repellantur, & ne Confessarij cum Animabus de illis colloquia instituant, nõ inquam, propterea debent Patres spirituales alienos, se ab illis ostendere, nec vsque adeò repellere, & irridere, vt sese cohibendi, & ne illa manifestare audeant, præbeant occasionem, atque ita grauiter ferant, vt non pauca incommoda subeant, si ad illa manifestanda aditus præcludatur. Vt enim docuimus, solent ista esse medium, quod si sunt medium & modus, quo Deus ducit huiusmodi animas: non est cur illi irascamur, aut illum admiremur, aut occasionem scandali inde arripiamus: quin potius cum insigni benignitate tranquillitateque agendum est cum eis: addendo ipsis animum, & vt ea manifestent modeste inuitando, imo si oportuerit, præceptoillas adigendo, tanta, enim intercedere solet in narrandis rebus istis difficultas, vt istis medijs omnino, vti necesse sit. Sollicite etiam studeant, eos in fide dirigere, suauiterque ab omnibus illis supernaturalibus rebus oculos deflectere, præbendo illis doctrinam; quomodo ab illis denudare debeant spiritum, & appetitum, vt progredi valeant: hancque doctrinam faciant eos altâ mente recondere, pretiosius esse coram

Non debet spiritualis Pater ijs aspera & tristia exhibere animabus supernaturalia dona habentibus, ne ab eis propalandis deterreantur.

Diuina patientia Animam in fide dirigenda. & suauiter à supernaturalibus denudanda.

coram Deo opus vnum, vel voluntatis actum in charitate factum, omnibus, quas cælitus obtinere possunt Visionibus & Reuelationibus; & quâ ratione multæ animæ, quæ nihil horum sunt vnquam experiæ, absque vllâ comparatione in sublimiori sunt sanctitatis gradu alijs, quæ multa huiusmodi dona recipiunt.

CAPVT XXIII.

In quo de apprehensionibus intellectus, quæ via merè Spirituali contingunt, agere incipit. Et quidnam ea sint declarat.

ETiamsi doctrina, quam de apprehensionibus intellectus, quæ sensuum via fiunt tradidimus, si ea, quæ de ijs tractanda essent inspiciamus, aliqua ratione breuior cõpendiosiorque remaneat, nolui tamen hac in re fusior esse, cum etiam ad satisfaciendum proposito mihi in hoc opere scopo, ad expediendum videlicet intellectum, & denudandum ab istis apprehensionibus, ac dirigendũ in fidei nocte, potius me prolixiorẽ fuisse existimẽ. Quãobrem auspicabimur modo tractationem de quatuor intellectus apprensionibus, quas octauo capite merè spirituales diximus, quæ sunt Visiones, Reuelationes, Locutiones & spiritualia sentimenta, quas merè spirituales nuncupamus, quia non corporeorũ imaginariarumq; instar, intellectui humano sensuum corporalium via, communicantur; sed absque vllo alicuius exterioris vel interioris sensus medio, clarè ac distincte supernaturali viâ intellectui imprimuntur, eò se passiuè solummodo habente, hoc est nullo Animæ actu & operatione ad minus actiua & quasi propria intercueniente.

Sciendum itaque est, lato modo & vniuersaliter loquendo, omnes istas quatuor apprehensiones, Visiones animæ appellari posse, cum etiam intelligere Animæ, videre intuerique dicatur. Et quoniam vniuersæ apprehensiones istæ, sunt intellectui intelligibiles, spiritualiter visibiles nuncupantur. Vnde etiam intelligentiæ, quas de illis format intellectus, intellectuales visiones dici possunt. Cum enim vniuersa obiecta, cæterorum sensuum (cuiusmodi sunt quidquid videri, audiri, odorari, gustari tangique potest) sint intellectus obiecta, quatenus veritati vel falsitati subsunt, hinc etiam fit, quòd quemadmodum in oculis corporeis, omne illud quod est corporaliter visibile, visionem corporalem producit; sic oculis spiritualibus Animæ, intellectui videlicet, quidquid intelligibile est, spiritualẽ visionẽ generat: siquidem vti diximus, rem aliquam intelligere, est illã videre. Quamobrem generaliter loquendo, quatuor istæ apprehensiones appellare possumus visiones, quod alijs sensibus nequaquam competit; vnus enim sensus minime alterius sensus obiecti, in quantum tale, capax est. Sed quoniam apprehensiones istæ, obijciuntur Animæ, secundum modum, quo alijs sensibus repræsentãtur; hinc est quod proprie specificeq; loquendo, illud quod recipit intellectus, per modum vidẽdi (valet quippe spirituales res intueri, quemadmodum corporeus oculus res corporeas) visionem appellamus: & illud, quod recipit, quasi discendo, nouasque res intelligẽdo, Reuelationem dicimus: quod autem audiendi modo excipit, Loquutionem vocamus: & ea, quæ secundum cæterorum sensuum modum experitur & percipit sicuti est quædam suauis spiritualis odoris intelligentia: & quædam degustatio saporis spiritualis, necnon voluptatis delectationisque spiritualis, qua frui potest

Omnes istæ quatuor apprehensiones, lato modo visiones appellari possunt.

supernaturaliter Anima; sentimenta spiritualia appellamus. Ex omnibus istis elicit intellectus, intelligentiam seu Visionē (sicuti diximus) sine vlla formæ, imaginis, vel imaginariæ figuræ, vel naturalis Phantasiæ, vnde illam possit eruere; apprehensione: sed immediatè huiusmodi res communicantur Animæ, operatione, medijsque supernaturalibus.

Ab istis itaque (sicuti à cæteris corporalibus & imaginarijs apprehensionibus fecimus) expedit etiam nobis hoc loco extricare intellectum introducendo dirigēdoque eum per Noctem spiritualem fidei ad diuinam & substantialem cum Deo vnionem, ne fortè huiusmodi rebus efficiatur intellectus rudior, implicatiorq; ac sic solitudinis & nuditatis ab omnibus rebus iter illi præpediatur, quod ad hunc finem requiritur. Suppositio enim, apprehensiones istas multo esse nobiliores, vtiliores, tutioresque corporeis & imaginarijs, cum iam sint interiores mereque spirituales, & quas minus Dæmon attingere valet, communicatur siquidem per illas purius subtiliusque animæ Deus absque aliqua saltem actiua ac propria operatione ipsius, vel etiā imaginationis: nihilominus tamen, non solum posset sese intellectus ad dictum iter peragendū huiusmodi rebus irretire, & implicare, sed etiam posset grauiter decipi, ob modicam suam circumspectionem.

Apprehēsiones istæ multo sunt nobiliores, vtiliores & tutiores corporeis, & imaginarijs, & quare?

Et quamuis possemus aliqua ratione tractationem hanc de istis quatuor apprehēsionum modis coniunctim simulq; absoluere; cōmune ac vniuersale de illis præbendo consilium, quod etiā de cæteris damus, vt videlicet nec quærantur, nec desiderentur; nihilo secius, quia occasione oblata aliquā doctrinā & lucem ad id cōmodius faciendum adferemus, & aliqua puncta ad illas spectantia tractabimus, expedit de vnaquaque illarum in particulari agere; vnde de primis, quæ sunt Visiones spirituales, vel intellectuales loquemur.

Vniuersale consilium omnibus istis apprehensionib. deseruiēs, vt nec quærantur, nec desiderentur.

CAPVT XXIV.

In quo de duobus modis Visionum intellectualium, quæ Supernaturali via contingunt disseritur.

LOquendo in præsenti propriè de illis, quæ sunt spirituales Visiones, absq; alicuius sensus corporei interuentu, dico, duos visionum modos obijci posse intellectui. Quædā sunt corporearum substātiarum, aliæ verò substantiarum separatarū, vel incorporearum. Corporeæ, circa vniuersas res materiales, quæ sunt in cælo & in terra versantur, quas Anima, quadā luce à Deo deriuata interueniente, videre potest in qua vniuersas res absentes, quæ sunt siue in cælo, siue in terra, intueri licet.

Intellectuales visiones quædam sunt corporearū substātiarum, quædam verò substantiarum incorporearum.

Aliæ verò Visiones, quæ sunt substantiarū incorporearū, aliud quoddā sublimius lumen requirunt: vnde etiam Visiones istæ substantiarum incorporearum, sicuti sunt Angelorum & animarū, minime sunt frequentes, nec huius vitę propriæ, multo autem minus Essentiæ Diuinæ Visio, quæ est comprehensorum propria, nisi forte per modum transeuntis hoc donum alicui concedatur, Deo dispensante, vel conseruante vitam, & conditionem naturalē, ab illius vsura spiritum nonnunquam abstrahendo: prout in Apostolo S. Paulo potuit euenire, ipso dicente se vidisse arcana in tertio cœlo, id est, quod fuerit raptus vt illa cerneret, quæ non licet homini loqui: *Siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit.* Ex quo liquet eum viam naturalem per raptum deseruisse, Deo ipso modum operante. Hinc etiam vbi probabiliter creditur quod Essentiam suā

2. Cor. 12. n. 3.

Deus

Deus Moysi manifestauerit, ei dixisse legitur: *Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec transeam*: ne, scilicet, cum transiret, tantam gloriã sustinere non valens, interiret. Qui transitus nil aliud erat quã sese illi videndũ præbere, per modum transeuntis, protegendo dextera sua vitam Moysis naturalẽ. Cæterum visiones istæ adeò substantiales, cuiusmodi fuerunt Visio Diui Pauli, Moysis, & Eliæ Parentis nostri, cum ad ostium speluncæ cooperuit pallio vultum suum, ad sibilum Auræ tenuis Dei, per modum transeuntis contingunt, idque rarissimè & vix vnquam, & admodum paucis; hoc enim solum illis præstat, qui sunt fortes Spiritus Ecclesiæ, & Legis Dei, sicuti fuere tres viri commemorati.

Attamen licet prædictæ Visiones de lege ordinaria nequeant videri in præsenti vita, nudè, & clarè; possunt tamen percipi in ipsa substantia Animæ, mediante notitia quadam amorosa, vna cum suauissimis attactibus, & amplexibus spectantibus ad genus illud sentimentorum spiritualium, de quibus postmodum Deo auxiliante acturi sumus: eò siquidem calamus nostet vergit, ac dirigitur, ad diuinam scilicet coniunctionem, & vnionem animæ cum Dei substantia describendam, quod fiet cum de Intelligentia mystica, & confusa seu obscura, adhuc explicanda tractabimus: quo loco dicturi sumus, quemadmodum Deus media hac amorosa, & obscura Notitia, coniungitur animæ in gradu eminenti, atque diuino: Hæc siquidem notitia obscura & suauis, quæ est Fides, ita deseruit in præsenti vita ad vnionem diuinam, sicuti lumen gloriæ in vita beata deseruit vt medium ad claram Dei Visionem.

Agamus iam, de Visionibus substantiarum corporearum, quæ spiritualiter in Anima recipiuntur, suntq; in modo, Corporeis Visionibus similes. Sicut enim oculi vidẽt corporeas res, media luce naturali; ita Anima intellectu, luce supernaturaliter deriuata mediante (de qua iã sumus locuti) easdem illas res naturales & alias, quas Deus vult, interius videt, solumq; in modo videndi discrimen est, nam Spirituales vel intellectuales, clarius ac subtilius multò, eueniunt corporalibus. Quãdo.n. placet Deo, hunc exhibere Animæ fauorem, communicat ei supernaturalem illã lucem (de qua sumus loquuti) in qua clarissimè facillimeq; res, quas Deus vult, siue illæ in cælo sint, siue in terra, cõspicit, nullum adferente impedimẽtum absentia vel præsentia illarum. Fitq; hoc, veluti si aperiretur quædam lucidissima porta, per quã Anima intercalatè videret, similitudinem quandam coruscationis, quando nimirum illa in aliqua nocte obscura subitaneè res illustrat, facirq; dilucidè ac distinctè apparere: confestimq; iterum eas in tenebris & obscuritate deserit, quamuis formæ, & figuræ rerum visarum, in Phantasia remaneant, quæ omnia longè perfectius in Anima peraguntur. Interdum enim adeo impressa manent ea, quæ spiritu vidit in luce illa, vt quotiescunq; illustrata à Deo, attendit, eodẽ modo in se illa videat vti prius: sicut in speculo videntur formæ in illo repræsentatæ, quotiescunque speculum aspicitur: adeò vt formæ illæ rerum visarum, nunquam deinceps ab anima omnino recedant, esto nonnunquam fiant aliquanto remotiores.

Effectus porro, quos huiusmodi Visiones in Anima producunt, sunt, Quies, Illuminatio, Lætitia ad normam gloriæ, suauitas, puritas, & amor, humilitas, pronitas, seu eleuatio Spiritus ad Deum, euenitque hoc aliquando

quando plus, aliquando minus, aliquando plus vnius, aliquando verò plus alterius; iuxta mensuram spiritus recipientis, vel quemadmodum DEVS voluerit.

Potest Dæmon similes fingere visiones.

Potest etiam Cacodæmon similes visiones in Anima mediante aliquo naturali lumine efficere, vtpote Phantasiæ operâ, in qua spirituali suggestione clarificat, malignus spiritus, obiecta, siue illa sint præsentia, siue absentia. Vnde super illũ S. Matthæi locũ, vbi Euangelista dicit ostendisse Christo dæmonẽ vniuersa mundi regna, & gloriam eorũ *ostendit ei omnia regna mũdi.* asserunt nõnulli Doctores hoc factũ fuisse suggestione intelligibili, nam impossibile erat efficere, vt oculis corporeis omnia mundi regna, eorumque gloriam cernere posset. Verũ inter istas visiones, quas obijcit Dæmon & illas, quæ ex DEO oriũtur, latissimum discrimen intercedit. Effectus quippe, quos dæmoniacæ producũt in Anima, nequaquã sunt illorum instar, quos bonæ ingenerant: imò ariditatẽ siccitatẽque spiritus in tractando cũ Deo, & propensionẽ ad propriã suiipsius æstimationem inducunt & inclinant ad illas libẽter admittendas, & magni illas faciẽdas, nulloq; modo teneritudinem humilitatis, diuiniq; amoris relinquunt, sed neq; formæ visionũ istarum cũ suaui illa ac iucũda claritate insculpũtur, & imprimũtur Animæ, sicuti aliarũ: neq; tamdiu durãt, imò quãtocius abolentur, & veluti ab Animâ, abraduntur, nisi forte magni illas faciat Anima, tunc enim ipsa earũ æstimatio, id efficit, vt naturaliter illarũ sit memor, verũ id sit nimis aridè ac insipide, neq; illũ amoris humilitatisque effectum, quem visiones bonæ, cum illarũ recordatur, producunt.

Matth. 4. 8.

Quos S. Tho. refert 3. p. q. 41. art. 2. ad 3.

Discrimen inter Dei dæmoniisq; visiones.

Visiones istæ in quantũ sunt creaturarũ, cùm quibus nullam Deus conuenientiam proportionemq; essentialẽ habet; nõ possunt intellectui esse vsui, & inseruire pro medio proximo vnionis cũ DEO. Quamobrem expedit Animæ negatiuè se in illis habere (sicuti & in cæteris, de quibus sumus loquuti) vt possit progressum facere per proximũ mediũ (quod est fides) incedendo; vnde etiam non debet Anima visionum illarũ formas, quæ in ea remanẽt, impressæ veluti in archiuio vel thesauro quodã recondere & asseruare, neq; debet velle illis inniti: hoc enim nihil aliud esset, quàm velle formis illis, imaginibus & personis, quæ circa interiora versantur occupari, nec per omniũ rerũ abnegationẽ ad Deũ tẽdere. Dato enim casu, quòd formæ illæ semper ibi repræsentarẽtur; non tamẽ illã nimis præpedirent, si Anima nihil illas curet. Licet enim verùm sit formarũ istarũ memoriã stimulare animã ad aliquem Dei amorẽ contemplationemq; ue: multo tamen amplius vrget & erigit pura fides, & obscura nuditas ab omnibus istis, nesciente Anima qua id ratione fiat, aut vnde procedat. Vnde eueniet, inflãmari Animã anxietatibus amoris Dei purissimi, nec tamen illa nouit vnde illæ promanarint, aut ex quo sint ortæ fundamento. Reuera tamen nihil aliud fuit, nisi quod sicut fides altiores miſit radices & copiosius animæ infusa mediante illa vacuitate, tenebra, & omnium rerũ nuditate seu spirituali paupertate (omnia enim hæc vnam rẽ solam appellare licet) ita etiam simul coniunctimque radicata fuit & affluentius Animæ infusa Diuina charitas. Vnde quo amplius sese obscurare, & ab omnibus interioribus, exterioribusq; rebus, quas potest recipere, euacuare, & annihilare voluerit Anima, eò copiosior ipsi fides, Amor, & spes, infunditur. Amorem tñ istũ aliquando non percipit Anima, nec cõprehendit. Idq; eã ob causã, quia Amor iste, nequaquã residet aut subiectatur in sensu cũ teneritudine, sed in Anima cũ fortitudine & efficac-

Qualiter debeat se Anima circa visiones istas gerere.

Nota.

Cum augetur in Anima fides, augetur etiam Diuina Charitas.

efficacia, maiorem quàm antea addens ad gerendas res animum, quamuis etiam redundet interdum & in sensum, seque tenerum ac dulcem demonstret.

Quamobrem ad obtinendum amorem illum, lætitiam & gaudium, quod huiusmodi visiones in Animâ producunt; necessarium est vt insigni prædita sit animi fortitudine, & mortificatione ad volendum omnique studio conandum semetipsam denudare, euacuare & in obscuro ab omnibus collocare, & ad amorem illum ac gaudium in eo, quod non videt, nec sentit, sed nec videre sentireque in hac vitâ potest, in DEO videlicet, qui est incomprehensibilis & super omnia, fundandum & stabiliendum: & propterea oportet nos ad illum pergere, per omnium rerum abnegationem. Aliter enim, supposito etiam Animam adeò esse sagacem, humilem & fortem, vt eam non valeat dæmon visionibus istis decipere, nec (vt facere consueuit) in aliquam præsumptionem præcipitare: non faciet tamen progressus ad vlteriora, eò quòd nuditati spirituali paupertatique spiritus, & vacuitati in fide, quæ requiruntur, (sicuti dictum est) ad vnionem Animæ cum DEO, obstaculum ponit. Et quoniam eadem doctrina, quam decimo nono & vigesimo capite de visionibus & apprehensionibus supernaturalibus sensus tradidimus, istis etiam visionibus applicati deseruireq; potest, non ero prolixior, nec tempus in eâ dilatanda, consumam.

CAPVT XXV.

In quo de Reuelationibus disputatur, quidnam ea sint declaratur, & quædam earum diuisio proponitur.

SEcundum propositum nobis ordinem tractandum nobis iam est, de secundo spiritualiũ apprehensionũ modo, quẽ Reuelationes superius appellauimus, quarum nonnullæ ad Prophetiæ spiritũ propriè pertinent. Circa quod sciendum est primo loco, Reuelationem nihil esse aliud, quàm alicuius occultæ veritatis detectionem, vel arcani alicuius, aut mysterij manifestationem. Vt si exempli causa aperiret DEVS alicui Animæ, rem aliquam vt illa in se est, declarando intellectui veritatem ipsius; vel aliquas res, quas fecisset ipse, vel facit, vel facere disponit, manifestaret. Et secundum hanc doctrinam, asserere possumus in duplici differentia Reuelationes reperiri: quædam sunt retectiones veritatum intellectui factæ, quæ propriæ intellectuales notitiæ, vel certè intelligentiæ appellantur, quædam verò manifestationes sunt arcanorũ, & hæ magis propriè quam istæ aliæ, dicuntur Reuelationes. Priores enim non possunt in rigore vocari Reuelationes; illæ siquidem in eo consistunt, vt DEVS cognoscere faciat Animam veritates nudas, non solum ad res temporales spectãtes, sed etiam ad spirituales, apertè & manifestè illi eas demonstrando. De quibus sub Reuelationum nomine tractare volui, primo ob magnam illarum inter se propinquitatem & colligationẽ, secundo ne tot distinctionũ nomina multiplicarẽ.

Quidnam sit Reuelatio?

Reuelationes in duplici reperiuntur differẽtiâ.

His itaque suppositis, optime nunc possumus Reuelationes in duo apprehensionum genera distinguere, quorum vnum intellectuales notitias nuncupabimus, aliud verò secretorum arcanorumq; DEI Mysteriorum manifestationem; de quibus duobus capitibus, quam breuissimè fieri poterit tractabimus, in proximè sequenti de intellectualibus notitijs agendo.

(·)

CAPVT XXVI.

In quo de intelligentijs nudarum veritatum in intellectu disseritur, docet eas in duplici esse differentia, & qua ratione se debeat in illis gerere Anima

AD propriè appositeq; de hac nudarum veritatum Intelligentia, quæ intellectui confertur, loquendum, requirebatur profecto vt ipsemet Deus artiperet manum, calamumq; dirigeret. Scire siquidem te opto dilecte Lector vniuersam superare eloquentiam id, quod huiusmodi Intelligentiæ in se ipsis sunt pro Anima. Sed quoniam ego non ago de illis hoc loco ex professo, sed solummodo ad instruendam ac dirigendam in illis Animam ad Diuinam vnionem; æqui boniq; consulatur, si de illis compendiosè & modificatè, quantum ad propositum nostrum satis erit, disseramus.

Hic visionum modus, vel vt aptius loquar, notitiarum nudatum veritatum, est admodum ab eo diuersus, de quo vigesimo secundo capite fumus locuti, non enim eo ritu fiunt, quo corporeæ res ab intellectu conspiciuntur, sed modus hic in hoc situs est, vt intelligantur ac videantur intellectu veritates Diuinæ, siue veritates de rebus, vel super rebus, quæ sunt, fuerunt, & erunt. Quod est spiritui Prophetico admodū conforme & consentaneum, quem admodū fortasse postmodū explicabimus. Hinc notandum est istud notitiarum genus, in duas species distingui. Quarum quædam eueniunt Animæ circa Creatorem, aliæ verò circa creaturas versantur, vti diximus. Et quamuis ambæ persuaues sint animæ, voluptas tamen, quam illi adferunt Diuinæ; tantopere excellit, vt nihil possit reperiri cui conferri possint, neque verba suppetant, quibus dignè possint exprimi. Sunt quippe ipsiusmet Dei notitiæ & ipsiusmet Dei delitiæ, cui vt ait Dauid, nihil simile; *Non est qui similis sit tibi.* Psal. 39. Contingunt enim huiusmodi notiæ directè circa ipsū Deum, sublimissimè sentiendo de aliquo ipsius attributo, nunc de eius omnipotentia, nunc de fortitudine, nunc de Bonitate, Dulcedine, &c. & quotiescunque hæc intelligentia percipitur, inserit ingeneratque Animæ idipsum quod percipit seu sentit. In quātum enim est pura contemplatio, aduertit anima impossibile esse aliquid de eo effari, nisi forte aliquibus terminis ac locutionibus generieis & vniuersalibus, in quas deliciarum bonorumq; copia, quam ibi percipit, Animam ista patientem facit prorumpere, non ita tamen vt per illa perfectè intelligi possit id, quod ibi Anima sensit & degustauit. Vnde Dauid istorum aliquid expertus, verbis solummodo communibus generieisque illa declarauit dicens. Psal. 18. *Iudicia Domini vera*: hoc est, ea quæ nos iudicamus & sentimus de DEO, & de virtutibus ac attributis eius in ipso experimur, vera sunt. *Iustificata in semetipsis: desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & fauum.* Exod. 34. De Mose 6. quoque legimus, quod in sublimissima quadam notitia, quam illi de se in transitu quodam impertijt DEVS; id quod sentiebat communibus duntaxat verbis exposuit, transeunte enim Domino per eum in notitia illa magno cum impetu solo stratus, dixit. *Dominator Domine Deus, misericors, & clemens, patiens & multæ miserationis, ac verax. Qui custodis misericordiam in millia.* Vnde apparet, quod cum nequiret Moyses id quod in DEO vna sola notitia cognouerat,

Duæ istarum notitiarū seu intelligentiarum species.

notuerat, manifestare, expressit illud, & omnibus illis verbis eructauit. Et quamuis dum notitijs istis fruitur Anima, soleat interdum in aliqua verba prorumpere, optimè tamen animaduertit, nihil se ex ijs quæ sensit, expressisse, videt enim nullo ea apto nomine explicari posse. Quare S. Paulus sublimi illa notitia DEI potitus, non est conatus verbis illam propalare, sed tantum non licere de ea homini loqui dixit.

Diuinæ istæ notitiæ, quæ circa DEVM versantur, nunquam sunt de rebus particularibus. In quantum enim circa supremum Principium occupantur, non possunt in particulari verbis effetri, nisi forte se se extenderet, hæc cognitio ad aliquam aliam veritatem DEO minorem, quæ aliqua ratione explicari possit, sed notitiæ illæ Generales, nullo modo.

Istas verò sublimes amorosasque notitias nulla consequi valet Anima, nisi, quæ iam ad vnionem cum DEO proiecta est; cum ipsæ ad vnionem iam pertineant: nam in quodam attactu, qui inter Animam & veritatem Diuinam fit, consistunt, quare ipsemet DEVS est ille, qui ibi percipitur & degustatur: & quamuis non ita clarè manifesteque, sicut in gloria, nihilo secius tamen adeò sublimis excelsusque est attactus notitiæ & suauitatis, vt intimas quasque animæ medullas peruadat & penetret: neque potest ibi dæmon se se interponere, neque simile quid comminisci (nihil quippe simile, cuique conferri valeat reperitur) nec demum similem suauitatem ac voluptatem infundere: notitiæ siquidem illæ Diuinam aliquo modo essentiam, & vitam æternam sapiunt. Dæmon autem nullo pacto, rem tantopere eminentem fingere potest. Posset nihilominus veluti similia aliqua, apparenter obtrudere, repræsentando Animæ, magnitudines quasdam & satietates, repletionesque admodum sensibiles, omnem mouendo lapidem vt persuadeat Animæ, illud vere ipsum esse DEVM; non tamen facere potest, vt hæc ipsius commenta intima Animæ penetralia peruadant, illamque renouent, & subitaneo amore inflamment, quemadmodum solent diuinæ.

Nec ille Dæmon fingere valet.

Reperiuntur enim quædam ex istis notitiæ & tactus, quos DEVS in ipsa Animæ substantia perficit; qui taliter illam locupletant & ditant, vt non solum vnus illorum, ad auferendas vna vice imperfectiones aliquas, quas ipsa toto vitæ suæ decursu eliminare nequiuerat, satis sit; sed etiam eam virtutibus ac donis Diuinis affatim repleat. Sunt verò tactus isti adeò suaues, adeoque intima voluptate perfundunt Animam, vt vnico illorum, vniuersos totius vitæ suæ labores & dolores, licet illi essent innumeri, abundè remuneratos arbitretur: redditurque inde tantopere magnanima, & propter DEVM multa patiendi auida, vt singulariter affligatur quotiescunque se non multa pati animaduertit.

Ad sublimes istas notitias nequit Anima cooperatione aliqua sua vel imaginatione pertingere: vt enim diximus, sunt illæ super omnia ista; vnde etiam absque habilitate aptitudineque Animæ efficit illas DEVS in ipsa. Hinc est, quod nonnunquam cum minus illa cogitat, minusque eos exoptat, consueuit DEVS istos diuinos tactus illi concedere, per quos in ea quasdam reminiscentias seu commonefactiones DEI efficit. Et istæ interdum subitaneè in ea producuntur, reducente sibi in memoriam Anima res aliquas, interdum etiam minimas. Sunt autem tantopere efficaces, atque sensibiles, vt ali-

Ad sublimes istas notitias nequit anima aliqua sua cooperatione pertingere.

Quanta sit istorum attactuum efficacia?

aliquando nõ solum Animam, sed ipsum etiam corpus, faciant contremiscere. Aliàs verò in spiritu admodum tranquillo absque tremore vllo, cum sublimi quodam voluptatis & suauitatis sensu, ac spiritus refocillatione, eueniunt.

Aliquando etiam in verbo aliquo, vel dicto vel audito, siue illud sit ex sacris literis, siue aliunde depromptum contingunt; non tamen eiusdem semper sunt efficaciæ & suauitatis, multoties enim in valde remisso gradu contingunt: verùm licet maxime sint remissi, maioris certè valoris æstimationisq; est vnica commonefactio tactusque huiusmodi à DEO Animæ concessus, quàm plures aliæ creaturarum ac operum DEI notitiæ ac considerationes.

Qualiter se anima in notitijs istis gerere debeat?

Quoniam vero notitiæ istæ subitaneè ac derepente (sicuti diximus) & absque liberi arbitrij assensu tribuuntur Animæ, non est, quod illas adipisci conetur vel non conetur, sed se humilem resignatamque circa illas, exhibeat. DEVS enim opus suum, quomodo & qualiter illi placuerit; perficiet. In istis porro notitijs, non dico vt se habeat Anima, negatiuè, quemadmodum in cæteris apprehẽsionibus: nam (sicuti hoc loco diximus) ipsæ sunt vnionis pars, ad quam dirigimus Animam. Ad quem etiam vnionis Diuinæ consequendum finem, docuimus illam se à cæteris omnibus notitijs denudare, ac abstrahere. Præstantissimum verò medium ad obtinendos à DEO huiusmodi tactus & notitias debet esse Humilitas, & DEI amore pati cum resignatione, & sine omni retributionis intuitu. Huiusmodi siquidẽ fauores non conceduntur Animabus proprietarijs, proueniunt enim ex singulari admodum dilectione DEI erga Animam, cum etiam reciprocè diligat eum Anima purissimo Amore, nulloq; commodi proprij respectu permixto. Et hoc est illud quod DEI filius significare voluit per S. Ioannem quando dixit. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligã eum, & manifestabo ei me ipsum.* Quibus verbis notitiæ tactusque (de quibus loquimur) quos DEVS Animæ se in veritate diligenti exhibet, & manifestat, continentur. Ioa. 14. 21.

NOTA. *In notitijs istis non se debet anima negatiue habere.*

Præstantissimum medium ad Tactus istos Diuinos obtinendos.

Huiusmodi Diuini fauores nõ conceduntur animab. proprietarijs.

Secundus notitiarũ visionumque modus.

Secundus modus, veritatum videlicet interiorum, plurimum ab eo, de quo disputauimus, differt, eò quod circa ea, quæ DEO sunt inferiora, versetur. In isto notitiarum modo, veritatis rerum vt in se sunt cognitio, necnon eorum, quæ inter homines, aguntur & eueniunt; continetur. Est autem huiusmodi naturæ hæc cognitio, quod quando confertur Animæ istarum veritatum notitia, adeò illæ in intimis eius imprimuntur, absque eò quod aliquis quidpiam ei dixerit; vt licet contrarium dici asseriq; audiat, nullo pacto interiorem assensum illi præbere valeat, licet etiam sibi ipsi vim inferat ad contrarijs assentiendum: intuetur enim & cognoscit aliquid aliud spiritus ipsius, in eo, quod illi spiritualiter fuit repræsentatum, estque ei perinde ac si illud clarè cerneret; potestque res hæc ad Spiritum Prophetiæ, vel ad illam gratiam quam S. Paulus *Donum discretionis Spirituũ.* appellat, reduci. Quamuis autem adeò certò & indubitate constet illud Animæ (vti diximus) non potest tamen non sequi id, quòd spiritualis eius Magister iusserit, etiamsi illud plurimum illi, quod ipsa percipit & sentit, repugnet, vt possit hac ratione dirigi Anima in fide ad vnionem Diuinam, ad quam potius tendere debet, credendo quàm intelligendo. 1. Cor. 12.

Earum proprietas.

Extant vtriusque rei liquida manifestaque in Diuinis literis testimonia. De particulari etenim cognitione, quæ de rebus haberi potest, hæc protulit verba Sapiẽs.

Ipse

Sap. 7. 17. *Ipse enim dedit mihi horum, quæ sunt scientiam veram, vt sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium & consummationem, & medietatem temporum, vicissitudinum, permutationes, & commutationes temporum, annos cursus & stellarū dispositiones, naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorū, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum, & quæcunque sunt absconsa & improuisa didici. Omnium enim artifex docuit me Sapientia.* Quamuis autem ista omnium rerum notitia, quam se hoc loco à Deo accepisse fatetur Sapiens, generalis fuerit & infusa; eodem tamen testimonio vniuersæ notitiæ, quas particulariter Animabus Deus via supernaturali, quando ipse voluerit, infundit, sufficiēter comprobantur. Non quod illis largiatur Deus generalem sciētiæ habitum, quemadmodum rerum, quas recensuimus, largitus est Salomoni, sed manifestando illis interdum veritates nonnullas, quarumcunque rerum istarum, quas hic Sapiens enumerat.

Quamquam verum sit, Dominum nostrum infundere etiā pluribus animabus, multarum rerum habitus, nunquam tamē adeò vniuersales sicut Salomoni, sed sunt habitus isti, secundum differentiā illā donorum, quæ S. Paulus recensēt, & quæ 1. Cor. 12. 1 diuidit Deus prout vult, inter quæ numerat *Sapientiam, Scientiam, Fidem, Prophetiam, Spirituum discretionem, intelligentiam Linguarum, declarationem Sermonum.* Quæ vniuersæ notitiæ dona sunt infusa, quæ gratis confert Deus cui voluerit, sicuti ea sanctis Prophetis & Apostolis, & alijs Sanctis largitur.

Verùm id quod nunc asserimus est, præter istas gratias gratis datas, solere personas perfectas vel certè illas, quæ iam in via perfectionis progressum faciunt, crebrò admodum & ordinariè illustrari præsentiumque vel etiam absentium rerum notitiā habere: quas mediante luce quam in spiritu iam illuminato purgato recipiunt, agnoscūt. Qua de re intelligere & explicare illa Prouerbiorū verba possumus, scilicet. *Quomodo in aquis resplendet vultus prospicientium, sic corda hominū manifesta sunt prudentibus.* illis scilicet, qui adepti iā sunt sapientiam sanctorum: quam hic sacræ literæ Prudentiam appellant. Ad eundē quoque modum huiusmodi illuminati spiritus, alias etiam interdum res agnoscunt, licet non quandocunq; illis libuerit: hoc enim eorum duntaxat est, qui huius notitiæ habitum consecuti sunt; sed nec isti semper agnoscunt omnia, hoc siquidem fit, sicuti placuerit Deo fauorem illis impendere. Prou. 27. 19

Homines Spiritum purgatum adepti, facile agnoscant, quæ in aliorum cordibus geruntur, & quare?

Sciendum tamen est, homines istos, qui spiritum purgatum adepti sunt, multo facilius (quamuis quidam plus cæteris) cognoscere ea, quæ in cordibus spirituque interiori aliorum geruntur, inclinationes quoq; & talenta eorum, & hoc ex indicijs externis, licet interdum minimis, exempli gratia ex verbis, nutibus, alijsque demonstrationibus. Quemadmodum enim Dæmon istud idcirco præualet, quia spiritus est: ita etiā hoc ipsum potest spiritualis homo iuxta Apostoli dictum, *Spiritualis autem iudicat omnia*: Et iterum, *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda DEI.* Vnde etiamsi, secundum naturæ ordinem nequeant spirituales homines aliorum cogitationes interioraque agnoscere; per supernaturalem tamen illustrationem, ex indicijs optimè ea possunt perspecta habere. Et licet in cognitione ex indicijs deducta multoties possint decipi, pluries tamen veritatem attingunt. Neutri tamen horum fidendum est; dæmon siquidem (sicut iam dicturi sumus) solet se rebus istis maximopere magnaque cum 1. Cor. 2. 15 *Ibidem.*

Huiusmodi de alienis factis & cogitationibus notitia, reijci semper & reprobari debet, &c.

subtilitate immiscere ac interponere: quâobrem repudiari, & reijci semper debent huiusmodi intelligentiæ vel notitiæ.

Quod autem eorum, quæ ab hominibus geruntur, & quæ illis contingunt, possint spirituales etiam absentes notitiâ habere, probatur libri quarti Regum testimonio, vbi cum Giezi minister *Nostri Patris Sancti ELISAEI* celare vellet pecuniam quandam à Naaman Syro acceptam dixit ELISÆVS. *Nonne cor meum in præsenti erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tui?* Quod fit, spiritu res intuendo, ac si in præsentiarum agerentur. Idem etiam ex eodem libro demonstratur, vbi de eodem Prophera legitur; quod cognoscens quidquid Syriæ Rex cum suis Principibus in secreto recessu loqueretur, nunciabat illud Israelitico Regi: quamobrem cassa irritaque ipsius consilia euadebant; adeò vt animaduertens Rex Syriæ vniuersa sua consilia Regi Israel patere, dixerit suis. *Quare non indicatis mihi, quis proditor mei sit apud Regem Israel?* Tuncque illi vnus seruorum eius dixit. *Nequaquam Domine mi Rex, sed ELISAEVS Propheta, qui est in Israel, indicat Regi Israel omnia verba, quæcunque locutus fueris in conclaui tuo.*

4. Reg. 5. 26.

4. Reg. 6. 11.

Vtraque notitiarum istarum euenit etiam Animæ passiuè sese habenti, & absque vlla ipsius cooperatione. Continget quippe, quod manente Anima valde à cogitatione alicuius rei aliena; obijciatur illi in spiritu viua eorum, quæ audit legitq; intelligentia, clatior etiâ & manifestior multo, quam ipsa verba sonant: interdum etiam hoc accidit, licet verba ipsa minime intelligat, & ne quidem si Latina sint an non sciat; repræsentatur tamen ei, eorũ notitia verbis non intellectis.

Multa dicenda occurrunt de fraudibus & deceptionibus, quas potest dæmon machinari, & de facto machinatur in hoc notitiarum ac intelligentiarum modo, incredibiles profecto & occultissimi sunt laquei & deceptiones, quibus hic vtitur: in quantum videlicet suggestionibus suis repræsentare Animæ multas intellectuales notitias potest, vtendo ad hunc finem sensibus corporeis; adeoque illas vehementer imprimit, vt omninò aliter se rem non habere appareat: & nisi humilis ac circumspecta fuerit Anima, mille illi dubio procul, ingeret & persuadebit mendacia. Dæmonis siquidem suggestio, magnam interdum vim facit animæ, tunc maximè, cum aliquatenus de debilitate sensus participat, in quo dæmon cum tanta efficacia, vi, persuasione, stabilitateque notitiam imprimit; vt multa tunc oratione & violentia ad illam expellendam indigeat anima. Solet enim aliquando falso & magna cum claritate aliena peccata, nec non deprauatas conscientias & animas manifestare, totumque hoc facit, vt illas infamet & excitet in eis desiderium illa propalandi, vt sic multa committantur peccata, zelum etiam in Anima accendit, illique persuadet hæc omnia ad hunc fieri finem, vt ista Deo precibus commendentur. Nam licet ambigere nõ liceat, Deum interdum animabus sanctis proximorum suorum necessitates repræsentare, vt ipsi eas illi commendent, vel aliquod illis remedium adferant, quemadmodum legimus manifestasse Hieremiæ infirmitatem Prophetæ Baruch, ad hoc, vt illi circa eã doctrinam instructionemque præberet; plurimis tamen vicibus facit hoc dæmon, idque falso vt alios peccati infamet, vel illos affligat, quæ res multis nobis experimentis constat. Alijs quoq; vicibus, alias inserit & imprimit notitias, inducitq; ad credendum eas.

In hac secunda notitiarum modo occultissime laqueos tendit dæmon.

Nisi humilis cautaque fuerit Anima, multa illi dæmon persuadebit mendacia.

Aliena peccata solet dæmon falso reuelare, zelumq; plurimum excitare, vt multa committantur peccata.

Hier. 45. 2.

Vni-

Vniuersæ notitiæ istæ siue proficiscantur à Deo, siue non, exiguam admodum adferre possunt Animæ vtilitatem, quantum spectat ad eam in itinere ad Deũ promouendam, si præsertim Anima illis vti & inhærére voluerit, imò nisi adsit sollicitudo, curaque illas abnegandi, non præpedient duntaxat illam, sed graue etiam dãnum adferrent & in multos præcipitabũt errores. Omnia siquidem inconuenientia & pericula, quæ reperiri posse docuimus in supernaturalibus apprehensionibus, de quibus hucusque egimus, & multo plura, inistis quoque inueniri possunt. Quapropter non ero hoc loco in ijs prosequendis fusior, cùm in præteritis sufficientẽ præbuerimus doctrinã; supereſt, vt serio admoneamus, vt magna cura diligentiaque abnegentur, desiderando ad Deũ pergere potius per ignorãtiam; semperq; suo Cõfessario vel spirituali Magistro omniũ ratio reddatur, & fideliter illi semper & in omnibus obtemperetur. Porro Magister admodum leui passu Animam per eas faciat transire, efficiatq; ne illis immoretur aut inhæreat, cum nullius illi sint momẽti ad suum ad Vnionem iter peragendum: cum vti monuimus, rerum istarum, quæ passiuè Animæ tribuuntur, semper remaneat in ea effectus, quem Deus voluerit. Vnde non iudico aliquid referre, vt hoc loco recenseamus effectum, quem veræ producunt notitiæ, quem etiam malæ & falsæ: hoc enim esset in vanum defatigare lectorem, & nunquam hanc tractationem absoluere: effectus siquidem istarum non prosunt ad compẽdiosam reduci doctrinam. Cum enim notitiæ istæ multæ sint, & admodum variæ, etiam tales sunt, earũ effectus. Datoque, bonas semper bonos effectus, ad bonumq; finẽ destinatos producere, malas verò itidem malos, & ad finem improbum; satis dicendo dumtaxat, vt abnegentur, & quomodo id fieri debeat, de hac materia dictum est.

CAPVT XXVII.

In quo de secundo Reuelationum genere, detectione videlicet vel manifestatione arcanorum, & occultorum mysteriorum agitur. Docetur etiam, quanam ratione vsui esse ad Vnionem cum Deo, & qua ratione illam prapedire possint, & qualiter dæmon hac in parte grauiter decipere potest.

SEcundum Reuelationũ genus dicebamus esse arcanorũ, & occultorũ mysteriorũ manifestationẽ. Hæc itaq; dupliciter cõtingere potest. Primus modus circa Deum vt in se est, versatur: & in hoc, reuelatio mysterij *Trinitatis Sanctissimæ*, Deique vnitatis continetur. Secundus verò circa id, quod est DEVS in operibus suis, occupatur: & in hoc, cæteri sanctæ nostræ Catholicæ fidei articuli, nec non propositiones veritatum, quæ ex illis explicitè deduci elicique possunt comprehenduntur. Sub quibus propositionibus, magna multitudo Propheticarum reuelationum, promissionum, comminationumq; diuinarum, & aliarum rerum, quæ futuræ erant, & adhuc sunt futuræ, continetur. Possumus præterea ad hunc secundum reuelationum modum, alios plures particulares euentus reducere, quos ordinariè reuelat DEVS, tam circa totum mundum, in genere, quam etiam in particulari circa Regna, Prouincias, Status, familias, personas deniq; singulares. Quarum rerum abundè nobis suppetunt in sacris literis exempla, præsertim in Prophetarũ omnium scriptis, in quibus omnes isti reuelationum modi repetiuntur. Quæ cum manifesta obuiaque sint, nolo in ijs huc

Hæc arcanorũ manifestatio dupliciter euenire potest.

conuehendis diutius immorari; illud solùm dico Reuelationes istas non verbis solum, sermonibusque exprimi & propalari, sed etiam multifariam multisq; modis à DEO promanare; interdum solis verbis; nonnunquam solis signis, figuris, imaginibus, vel solis similitudinibus: aliquando etiam vtroque modo, & verbis scilicet & signis, sicuti etiam videre licet apud Prophetas, præsertim verò in vniuerso Apocalypseos libro, in quo non solum cuncta Reuelationum genera, de quibus sumus loquuti, sed etiam modi & diuersiates earum, quas hoc loco descripsimus, reperiuntur.

Reuelationes has, quæ in secundo ipsarum modo continentur, hoc quoque tempore largitur Deus, cui voluerit; consueuit quippe aliquibus personis, eorum vitæ terminum pate facere; vel quas passuri sunt tribulationes; quid etiam tali vel tali personæ, tali vel tali Regno immineat sitq; euenturum. Imò etiam mysteriorum fidei nostræ veritates aperire, & spiritui (interueniente peculiari lumine & ponderatione) elucidare solet; licet hoc non appelletur propriè reuelatio; cum iam sit reuelatum: sed potius est rerum iam reuelatarum manifestatio & dilucidatio.

Loquendo itaque de illis, quas Reuelationes nuncupamus (non enim in præsenti de iam reuelatis differo, cuiusmodi sunt fidei mysteria) dico posse dæmonem non leuiter illis sese artesque suas interponere & immiscere. Cùm enim huius generis reuelationes vt plurimum medijs verbis, figuris, & similitudinibus &c. eueniant, oprimè dæmon tantundem simulare potest: si tamen primo vel secundo, de quo hoc loco agimus reuelationum modo, in quantum fidei nostræ arcana concernit; noui vel diuersi aliquid nobis reuelaretur: nulla illi ratione assentiri debemus. Ita enim S. Paulus docuit dicens. *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit*: Quamobrem nullo modo admitti debet, quidquid denuo reuelaretur Animæ ad fidem spectans, præterquam quod istud expeditei, tum ob cautelam necessariam, ne forte reuelationum istarum occasione, alias admittat simul varietates, tum etiam ob Animæ puritatem, quam oportet ei in fide habere. Sed in captiuitatem redigendo intellectum, simpliciter innitatur & adhæreat doctrinæ Ecclesiæ & fidei eius, quæ vt asserit S. Paulus, per auditum ingreditur: *Fides ex auditu*: nec facile leuiterque accommodet fidem aut intellectum, huiusmodi rebus denuo reuelatis, si falli decipiq; nolit. Cacodæmon siquidem, vt decipiat & mendacia obtrudat: primo veritatibus rebusque verisimilibus inescat animam; vt eam securam beneque persuasam reddat: facitque hoc sutoris instar, qui primo loco inserit corio rigidam setam, quâ postmodum molle intrabit filum, quod nullo pacto penetrare corium posset, nisi præuia seta. Quain re maxima adhibenda est circumspectio, quamuis enim verum certumque esset, nullum dictæ deceptionis imminere periculum, plurimum tamen expedit animæ nolle intellectu percipere res claras & manifestas, vt purum ac illibatum fidei meritum tueatur: vtque per istam intellectus noctem, ad vnionis diuinæ lucem, valeat peruenire.

Rom. 10. 10. & 17.

Quibus artibus decipiat dæmon.

Gala. 1.

Tantique momenti est oculis intellectus occlusis, præteritarum prophetiarum veritatibus, in quacunque Reuelatione noua inhærere, vt licet S. Petrus filij DEI gloriam in monte Thabor fuerit intuitus; nihilominus tamen

2. Pet. 1. 19.

hæc

hæc protulerit verba. *Habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes*, id est, Licet veriſſima fuerit Viſio, quam de Chriſto in monte Thabor habuimus; firmior tamen certiorq; est Propheticus ſermo, nobis reuelatus, cui innitendo rectè facitis.

Quod ſi ex cauſis & rationibus iam adductis manifeſte conuincitur, minime cõueniens eſſe præbere aditum, oculoſque in reuelationes nouas, quæ circa fidei propoſitiones contingunt curioſe conijcere, quantò magis neceſſarium erit, nullo admittere modo, nullamque adhibere fidem reuelationibus illis, quæ ſunt de rebus diuerſis & differentibus, in quibus perſuadendis imprimendiſque ordinarie tantum dæmon conatum adhibet, vt veluti impoſſibile iudicem, non plurib⁹ illarum decipi eum, qui non illas reſpuit ac repudiat: tanta eſt veritatis earum apparentia, tamque eas vehementer imprimit inimicus: tot enim evaceruat conglobatque apparentias, & credibilitatis earum conuenientias, adeòque firmiter eas ſenſui & imaginationi inſculpit, vt miſeræ animæ omnino ita euenturum videatur: adeoque perſuaſam reddit Animam: vt niſi illa inſigni ſit prædita humilitate, vix à concepta opinione diuelli, vixque ſibi contrarium perſuaderi, patiatur.

Propterea pura, ſimplex, cauta humiliſque Anima repugnare debet, reſpuere & abijcere reuelationes aliaſque Viſiones: nulla ſiquidem neceſſitas eas volendi & admittendi apparet, quin imò recuſare repudiareque illas oportet, vt ad vnionem amoris iri poſſit. Hoc enim ſignificare voluit Salomon cum dixit: *Quid neceſſe eſt homini maiora ſe quærere?* ac ſi patentius dixiſſet: nulla ſuppetit neceſſitas ad Perfectionem aſſequendam, ſupernaturalia, ſupernaturali, ac præterordinaria via exoptandi, & res, quæ capacitatem ipſius ſuperant, requirendi. Et quia difficultatibus & obiectionibus, quæ doctrinæ huic contrariari poſſent, capite decimo nono & vigeſimo libri huius ſatisfactum eſt; ablegando illuc Lectorem, ab ampliori de iſtis Reuelationibus tractatione deſiſto: Cum ſatis ſuperque ſit monuiſſe, expedire Animam prudenter ab omnibus illis cauere, vt pura & abſq; errore, per fidei noctem, ad diuinam vnionem valeat proficiſci.

CAPVT XXVIII.

In quo de interioribus Loquutionibus, quæ ſupernaturaliter Spiritui euenire poſſunt, agitur. Quotque modis contingant, deſcribitur.

NEceſſe eſt prudentem Lectorem, ſemper meminiſſe intentionis finiſque, quę ego mihi in hoc libro propoſui: qui nullus alius eſt, quã abſq; errore, & offendiculo vllo, animã per vniuerſas naturales & ſupernaturales ipſius apprehenſiones in fidei puritate ad Vnionẽ cum Deo, dirigere ac deducere. Vt hinc intelligat, q̃ licet doctrinam, quam de Animæ apprehenſionibus trado, non adeò minutatim, multiſque allatis diuiſionibus proſequar, ſicuti fortaſſis requireret intellectus, non tamen nimis breuis aut inſufficiens hac in parte remaneo, ſi quidem exiſtimo de omnibus ſufficientia me tradere monita, lucemque ac documenta, ad hoc vt ſciat anima, qualiter prudenter ſe in omnibus ſuis, tam internis, quam externis caſibus gerere debeat, vt ad anteriora progredi valeat, præbere. Et hæc potiſſimum cauſa eſt, cur tam compendioſe apprehenſiones Prophetiarum abſoluerim, quemadmodum etiam in reliquis feci. Cum tamen

Sæpe præ oculis habendum, quæ ſit authoris intentio in hoc libro.

multa circa quamlibet illarum, secundum discrimina modosque earum dicenda occurrerent; eiusmodi enim sunt, vt iudicem nunquã posse integram illarum notitiam haberi: quare satis mihi est, quod (vt mihi videtur) abundè illarum substantia explicata sit, doctrinaque & cautela pro illis, & pro omnibus alijs, ipsis similibus, quæ animæ contingere possent, necessaria, tradita. Idipsum etiã circa tertium apprehensionum modum præstabo, quem dicebamus esse supernaturales loquutiones absque vllo corporei sensus interuentu, spiritualibus personis fieri solitas: quæ licet multiplices sint: omnes tamen ad has tres reduci posse arbitror, videlicet ad loquutiones seu verba successiua, formalia & substantialia. Successiua appello, verba quædam & rationes, quas spiritus pro, in seipso receptus seu collectus, consueuit secum ipse efformare & ratiocinari. Formalia sunt quædam verba distincta, & efformata, quæ spiritus non iam à seipso, sed ab aliquâ aliâ persona aliquando recollectus, aliquando verò minimè, suscipit. Substantialia sunt quædam alia verba, quæ etiam formaliter spiritui fiunt, interdum recollecto, interdum verò nequaquam, quæ verba in intimis Animæ substantiam illam & virtutem, quam significant, producunt. De quibus omnibus hic ordine suo disseremus.

CAPVT XXIX.

In quo de primo verborum genere, quæ interdum Spiritus recollectus in se efformare solet, disputatur. Eorum causa assignatur, commodaque & incommoda, quæ ex illis emergere possunt, adducuntur.

Quæ ratione verba successiua formentur.

QVotiescunque accidunt hæc successiua verba, id fieri solet, cum spiritus introuersus est, & alicui considerationi admodum intentus, & veluti absorptus, & circa eandem, de qua meditatur materiam, ipsemet Spiritus vnum ex alio deducendo, verba rationesque admodum appositas efformat, facitque hoc cum tanta facilitate & distinctione; necnon circa materiam illã res adeò sibi ignotas ratiocinando detegit, vt omnino illi videatur non esse se illum, qui hæc facit, sed aliam personam, quæ interius illum alloquitur, vel illi respondet, eumque erudit: Et vt verum fatear, magna subest causa hæc cogitandi, & suspicandi: ipsemet enim secum colloquitur, sibique respondet quemadmodum vna persona cum alia loqueretur: & aliquo modo ita est. Quãuis enim ipsemet Spiritus sit ille, qui hæc efficit, Spiritus tamen sanctus multoties fert opem illi, ad efformandos producendosque illos conceptus, verba & rationes, veritati consentaneas. Vnde & illa pronunciat ac dicit sibi ipsi ac si esset distincta persona. Cum enim intellectus vnitus tunc, & agglutinatus sit veritati illius rei, quam considerat, & Spiritus Diuinus sit etiam illi coniunctus; hinc prouenit, vt communicando hoc modo intellectus cum spiritu diuino, veritate illa mediante, efformet simul interius & successiuè cæteras veritates, quæ ad illam rem, quam mente versabat, pertinent, aperiente tamen ostium, lumenque præbente Spiritu S. vero Doctore. Hic siquidem est vnus, ex modis illis, quibus docet Spiritus sanctus. Hocque modo illuminatus & instructus ab hoc magistro intellectus, veritates illas penetrando, efformat simul illa effata seu dicta, super veritatibus aliunde sibi communicatis. Ita vt merito dicere possimus. *Vocem, vocem esse Iacob, manus autem manus Esau.* Nec vnquam credere sibique persuadere poterit, qui huiusmodi res percipit; hoc

Spir. S. solet aliis successiua verba inserere.

Gen. 27. 22.

hoc se modo res habere, sed verba dicta-
que illa, alterius etiam esse personæ. Igno-
rat enim quanta facilitate valet intellectus
sibi ipsi formare verba, super conce-
ptibus, & veritatibus etiam ab alia perso-
na sibi communicatis.

Et licet verum sit illi communicationi
ac illustrationi intellectus nullam, natu-
ra sua, subesse falsitatem & deceptionem;
potest nihilominus subesse, imò sæpenu-
mero subest formalibus verbis, rationi-
busque quas super illis intellectus format.
Cum enim lux illa, quæ ei confertur, inter-
dum sit admodum delicata, & spiritualis,
ita vt non attingat intellectus perfectam
illius cognitionem, ipse verò sit ille, qui
(sicuti diximus) ex seipso rationes effor-
mat; hinc est, vt crebro formet illas à
veritate alienas, aliquando autem vero-
similes, vel imperfectas. Cum enim à
principio veritatis filum arripuerit, sta-
timque ex suo addat habilitatem, vel po-
tius ruditatem, & inertiam vilis, & abie-
cti intellectus sui; facile illi est, varias res
secundum capacitatem suam comminisci,
idque taliter, ac si aliqua persona loquere-
tur. Noui ego personam quandam, cui
cum huiusmodi successiuæ fierent loquu-
tiones, inter alias verissimas & substantia-
les, quæ de sacratissimo Eucharistiæ Sa-
cramento formabat, inueniebantur non-
nullæ, admodum erroneæ.

Et non mediocriter admiror id, quod
nostris istis contingit temporibus: quod
scilicet quamcunque vulgaris Anima,
quæ vix modicum quid meditationis,
adepta est: si aliquas ex istis percipiat
loquutiones, alicuius introuersionis tem-
pore, confestim illas velut à Deo pro-
fectas æstimat & appellat, atque ita esse
certo supponit, dicendo. Dixit mihi Deus:
Respondit mihi Deus, cum tamen ali-
ter se res habeat; ipsæque (vti diximus)
vt plurimum sibi eas dicant. Desiderium
præterea, & amor, quo erga res huiusmo-
di in spiritu flagrant; efficit, vt sibi ipsi il-
la respondeant, & Deum sibi ea dicere, ac
respondere arbitrentur. Hinc in magna
huiusmodi homines ruunt deliramenta:
nisi potenter sese coerceant, & is, qui illa-
rum spiritualem curam gerit, eis persua-
deat, istiusmodi discursuum abnegationē.
Plus enim ex discursibus istis, ineptarum
subtilitatum, ac impuritatis eliciunt ani-
mæ, quam humilitatis mortificationisque
Spiritus, dum magnā se iam rem adeptos
esse, Deumque sibi fuisse loquutum existi-
mant, cum tamen paulò plus nihilo fuerit,
aut nihil, aut minus nihilo. Quid enim
quæso, aut quale esse potest illud, quod hu-
militatem, charitatem, mortificationem,
simplicitatem sanctam, silentiumque non
ingenerat? Quamobrem dico posse rem
hanc magno esse obstaculo, ne ad vnionē
diuinā possit peruenīri, nō mediocriter. n.
animā ista magnificientem, à fidei abysso
abducunt, in quo debet intellectus obscu-
rus pmanere, & obscuratus per amorē tē-
dere in fide; non autē per rationes multas.

Qualiter spiritualis Magister cum huiusmodi animabus sese gerere debeat.

Quod si obijcias, cur priuari debeat in-
tellectus veritatibus illis, in quibus à Spi-
ritu Dei illuminatur, atque adeo à ma-
ligno Spiritu oriri non possunt? Respon-
deo & aio, Spiritum sanctum illuminare
intellectum recollectum, illuminare au-
tem iuxta modum recollectionis eius;
Cum autem nullam maiorē recollectionē
possit reperire intellectus ea, quæ inue-
nitur in fide, in nulla alia re illuminabit
eum magis Spiritus sanctus, sicut in fide.
Quanto enim purior exactiorque fuerit
Anima in perfectione fidei viuæ, tanto
plus etiam charitatis infusæ à Deo con-
sequitur, quò verò plus charitatis ob-
tinet, eò amplius illustratur à Deo, ma-
ioraque ipsius dona adipiscitur. Et

Magni momenti circa prædicta dubium. Et eius solutio.

quam-

quamuis non diffitear in illa veritatum illustratione, aliquam animæ conferri lucem: tantum tamen, quantum ad eius qualitatem attinet, differt ab ea luce, quæ à fide absque clara intelligentia promanat, quantum nobilissimum preciosissimumq; aurum, à vilissimo metallo, quod verò, spectat ad copiam ac affluentiam lucis, ita hæc fidei illam superat, sicut excedit mare, aquæ stillam. Priori namque modo confertur Animæ, vnius, duarum aut trium veritatum sapientia: hoc verò posteriori, communicatur illi generaliter Dei sapientia, quæ est Dei filius, vna simplici vniuersalique notitia, quæ tribuitur Animæ in fide. Quod si dicas vtrumque bonum esse, nec vnum impedire aliud, Respondeo impedire plurimum, si illud magni-penderit Anima. Hoc enim nihil est aliud, quàm occupari iam rebus claris paruique momenti, quæ satis sunt ad impediendam communicationem abyssi fidei, in qua secretè ac supernaturaliter erudit Deus Animam, illamque (ipsa modum ignorante) virtutibus, ac donis sublimem efficit. Vtilitas porro quam communicatio illa successiua efficere debet, nequaquam sequi debet, defigendo in ea, magno cum studio intellectum: hoc quippe modo potius eam à se diuerteret, & abigeret, iuxta illud, quod in Canticis dicit Animæ Sapientia: *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt*, id est, longe à te recedere, meque sublimius eleuare; sed debet simpliciter ac sincerè, & nullo intellectus conatu in illis, quæ supernaturaliter communicantur perscrutandis adhibito, voluntatem cum amore, Deo applicare: amore si quidem mediante, illa bona communicantur, atque hoc modo copiosius quam antea conferuntur, si enim rebus istis, quæ supernaturaliter ac passiuè tribuuntur animæ, sese actiuo modo intellectus, vel aliarum potentiarum habilitas, industriaque interponere voluerit, nequaquam naturalis ipsarum modus & ruditas res tam sublimes attinget; vnde necessario illas suo modo contrahet coarctabitque, & consequenter eas variabit, ac diuersas reddet; sicque necessario, errandi se periculo exponet; rationesque illas ex proprij iudicij arbitrio formabit, quod iam non erit supernaturale, nec illi simile: sed valde naturale, ac vile.

Mira fidei præstãtia, & immẽsitas.

Per fidei lucem cõmunicatur anima Diuina Sapientia.

Qualiter sese gerere debeat anima in cõmunicationibus Diuinis? Cant. 6. 4.

Verùm reperiuntur nonnulli intellectus, adeò viuaces, & acuti, quod statim ac sese intra se recipiunt, alicui considerationi vacantes, naturaliter magnaque cum facilitate dum conceptibus discursiuis intendunt, conceptus suos in dicta verba rationesque admodum viuas efformant, ealque Dei esse arbitrantur; cum tamen non proueniant, nisi ab ipso intellectu, qui si aliquo modo ab operatione sensuum fuerit liberior, solo naturali lumine, absque aliqua supernaturali ope vniuersa hæc præstare potest, & his multo maiora. Et res hæc valde ordinarie occurrit, multique seipsos fallunt, existimando magnam ac sublimem se adeptos orationem, Deique communicationem, & ea, quæ illis in hac sua introuersione occurrunt, vel scribunt, vel conscribi faciunt: & crebro euenit, vniuersa illa nihil prorsus esse, nullamque alicuius virtutis substantiam continere & ad nihil aliud deseruire, quam vt vanitatis ac superbiæ ansam præbeant. Nota.

Istiusmodi homines discant ista spernere, voluntatemque suam in fortitudine amoris humilis, & serio bonorum operum exercitio fundare, imitentur etiam in patiendo filij Dei vitam, seipsos in omnibus mortificando; hæc siquidem est via ad omne spirituale bonum perueniendi, non autem multi interiores discursus. Nota. *Qualiter sese gerere debeant huius modi homines.*

Successiuis istis interioribus verbis non

mediocriter seſe immiſcet, ac inſinuat dæmon, in ijs præſertim, qui ad ea proni ſunt, illiſq; addicti. Quo enim tempore recollectionem internam inchoant, conſueuit dæmon copioſam illis digreſſionum materiam, offerre, efformando per ſuggeſtionem intellectui conceptus & verba, hocq; modo ſenſim, & ſubtiliſſimè præcipitat, decipitque eos rebus veroſimilibus. Hoc pacto communicare ſe illis ſolet, qui aliquod cum eo pactum, ſiue tacitum, ſiue expreſſum inierunt. Eodemque modo ſe quibuſdam hæreticis præſertim verò Hæreſiarchis communicat, informando, & imbuendo eorum intellectum conceptibus, rationibus ſubtilibus admodum, falſis tamen, & erroneis.

Ex dictis hucuſque patet, Locutiones iſtas ſucceſſiuas à tribus in intellectu cauſis promanare poſſe, nempe à ſpiritu Diuino, qui illum mouet illuſtratque: à naturali lumine ipſiuſmet intellectus, & à Dæmone, qui illi per ſuggeſtionem loqui poteſt. Iam verò adferre nunc ſigna indiciaq; ad dignoſcendum quando ab vnâ cauſâ, quando verò ab alterâ proficiſcuntur, operoſum difficileque eſſet, præſertim talia, quæ integrè & perfectè rem hanc demonſtrent. Nonnulla tamen generalia aſſignari poſſunt, ſunt autem iſta: Quando in verbis conceptibuſque amat anima, & ſimul amorem, cum humilitate & erga Deum reuerentiâ percipit, ſignum eſt adeſſe ibi Spiritum ſanctum, qui quoties aliquos concedit fauores, hiſce eos inuoluit tegumentis. Quando verò à ſolius intellectus perſpicacis lumine procedunt, ipſe tunc cuncta efficit abſque vllâ virtutum operatione (licet poſſit naturaliter voluntas amare, in notitiâ lumineque cognitarum veritatum illarum) meditatione verò tranſactâ, remanet arida voluntas, quamuis nec ad vanitatem, neque ad malum procliuis; niſi forte dæmon poſtmodum eam de iſtis tentet; quod tamè ſecus accidit in verbis illis, quæ à bono ſpiritu originem traxerunt, illis enim tranſactis, remanet vt plurimum voluntas Deo bene affecta & ad bonum propenſa: quamuis etiã interdum voluntas poſſit remanere arida, licet ſpiritus boni cõmunicatio præceſſerit, ita Deo ad vtilitatem animæ diſponente. Nonnunquam etiam non adeò experietur Anima operationes, vel motiones virtutum illarum, quamuis illud bonum fuerit, quo perfruita eſt; & idcirco arduum eſſe dixi, agnoſcere interdum diſcrimen, quod inter eas verſatur, ob varietatẽ effectuum, quos diuerſis vicibus relinquunt, verum iſti, quos inſinuauimus, ſunt communiores, quamuis aliquando copioſius deriuentur, aliquando verò minus. Illæ etiam, quæ Dæmonis ſunt, aliquando ſunt cognitu difficiles: licet enim vt plurimum reddant voluntatẽ in Dei amore remiſſam ſiccamque, & animum ad vanitatem, æſtimationẽ vel propriam complacentiã propenſum; nihiloſecius tamen inſtillant, aliquando animæ falſam quandam humilitatem, & voluntati affectum feruidum, in proprio fundatum amore, vt interdum opus ſit hominem valde eſſe ſpiritualem, vt eius fraudes queat agnoſcere. Quod idcirco dæmon facit, vt melius latere poſſit; qui etiam optimè nouit ſentimentis illis, quæ excitat, lachrymas prouocare; vt valeat imprimere Animæ affectiones amoreſque, quos ipſe intendit. Semper tamen nititur ipſorum mouere voluntatem, quo interiores illas cõmunicationes magnifaciãt, vt ſeſe illis dedant, & in illis, quæ non ſunt virtutis exercitia; quin potius occaſio faciendi iacturam virtutum iam acquiſitarum, Animam detineant.

Dæmonis allocutiones cognitu difficiles.

Si locutionibus iſtis decipi nolimus debemus eas parui facere.

Reliquũ eſt, vt hac neceſſariâ, circumſpectione & cautelâ, in vtriſque vtamur

si decipi, aut certè à destinato cursu præpediri nolimus; nimirum vt non magni ea faciamus, sed in id duntaxat toto incumbamus pectore, vt fortiter efficaciterque voluntatem nostram ad DEVM dirigere, legem eius, ac sancta consilia perfectè adimplere noscamus, hæc quippe est sapientia sanctorum, sitque nobis satis nosse mysteria & veritates cum ea simplicitate ac veritate, cum qua nobis ab Ecclesia proponuntur, hoc enim ad voluntatem summopere inflammandam sufficit; nec nos profunditatibus, curiositatibusque alijs inuestigandis occupemus, in quibus periculum abesse, prodigij instar est. Ad hoc namq; propositum S. Paulus ait, *Non plus sapere quam oportet sapere.* Et hæc quantum ad successiua verba spectat, dixisse satis sit.

NOTA. *Mirabile compendiũ acquirendæ sanctitatis.*

CAPVT XXX.

De interioribus verbis, quæ spiritui, supernaturali via formaliter fiunt, disseritur. Admonetur etiam Anima damni, quod ea possunt inferre: & necessaria datur instructio, ad cautè circumspecteque in illis, ne decipiatur, agendum.

SEcundum interiorum verborum genus, sunt verba formalia: quæ interdum via supernaturali spiritui, absque alicuius sensus interuentu, dicuntur; & hoc siue spiritus sit collectus, siue non. Dixi ea formalia, formaliter enim percipit spiritus ea ab alio proferri, absque vlla sua operatione. Quam etiam ob causam plurimum ab illis, de quibus immediate egimus, differunt; non enim ideò duntaxat diuersa sunt, quia abiq; aliqua spiritus actione cõtingunt, sicuti euenit in alijs, verum etiam quia (vt dictum est) interdum accidunt sine spiritus recollectione, imò nihil minus quam ea, quæ dicuntur, spiritu cogitante. Quod tamen secus in prioribus illis successiuis contingit, semper enim ea, circa illa, de quibus tunc cogitatur, versantur. Hæc de quibus nunc agimus verba interdum sunt apprime formata, interdum verò non adeò: multoties quippe sunt conceptuũ instar, per quos aliquid illiam respondendo; iam aliquo alio modo spiritui ipsius loquendo, dicitur. In his aliquando, vnum solum percipitur verbum, aliquando duo, vel etiam plura; interdum sunt successiua sicuti præterita; solet enim diutius protrahi, vel doctrinã præbendo, vel de aliqua re cum anima cõferendo; omnia tamen absq; vlla spiritus actione fiunt, eoque modo cuncta percipiuntur, ac si vna persona cum alia loqueretur. Quemadmodum legimus euenisse Danieli, qui ait, quod Angelus secum loquebatur: *& locutus est mihi Gabriel, dixitq; &c.* quod formaliter & successiue fiebat loquendo in suo spiritu, illumque instruendo, sicut etiam ibi dixit Angelus: se ad eum docendum venisse.

Quæ sint verba formalia? Et eorum ab alijs verbis discrimen.

Dan. 9.

Verba hæc, cum non sunt plus quam formalia, modicum in Anima effectum relinquunt. Vt plurimum enim ad docendum duntaxat, vel in aliqua re præbendam lucem deseruiunt, quem effectum vt consequantur, minimè necessarium est, vt alium efficatiorem producant præter eũ, ad quem destinata sunt, finem. Hunc verò docendi & illuminandi effectum, quando à Deo proueniunt, semper producunt in Anima, efficiunt enim illam promptam, & dilucidam in eo, quod illi iubetur, vel de quo eruditur. Quamuis aliquando nõ tollant ab anima repugnantiã & difficultatẽ, quin potius solet illã anima maiorem sentire: quod propter maiorẽ eruditionẽ, humi-

Verbiu quandoq; sunt duntaxat formalia, modicũ in Anima effectum producũt.

humilitatē & bonum animæ facit Deus. Hanc autē repugnantiā, tunc vt plurimum permittit Deus, quando illi res aliquas ad honotē ipsius animæ & præeminentiam attinentes, vel certe vnde excellentia aliqua posset illi obuenire, præcipit, in rebus sute humilationis, & vilitatis maioré facilitatem ac promptitudinem ei præbet. Vnde in Exodo legimus, quod cum Moysi præcepisset Deus vt ad Pharaonē iret, populumq; suum in libertatē assereret; tantā habuit ostenditque repugnantiā, vt fuerit necesse tertiò illi idem imperare, & signa demonstrare, quæ tamen vniuersa nō profuerunt, donec illi Deus Aaronem socium honorisque consortem assignasset. Secus verò contingere solet quando verba & cōmunicationes à Dæmone proueniunt: qui in rebus honorificis maiorisque momenti facilitatē & promptitudinē ingerit, in rebus autē humilibus, repugnantiā. Tantopere quippe abhorret Deus Animam ad honores & dignitates propensam, vt etiā tunc quando ipse ei mandat, ad illas aspirare, & eas illi confert, nolit eam esse ad eas pronam, & imperandi cupidā. Et per hanc etiā promptitudinem, quam cōmuniter in his formalibus verbis confert Deus Animæ, formalia hæc verba ab istis alijs successiuis differunt: quæ non adeò mouent spiritum sicut hæc, neq; tantam conferunt promptitudinem, eò quòd ista sint magis formalia, & in quæ minus ex suo sese intellectus immiscet: hoc tamen non obstat, quo minus aliquando copiosiorem producant effectum aliqua verba successiua ob magnā, quæ interdum accidit diuini spiritus, cum humano cōmunicationem, sed in modo magna reperitur distantia. In istis formalibus verbis, nō est cur ambigat anima, an ipsa ea proferat, manifeste enim animaduertit, quod non præsertim cū illa, quæ illi dicta sunt, haudquaquam mente versabat: quod si etiā de illis rebus cogitasset, euidēter ac distinctè cognoscit illud sibi aliunde prouenire.

Etiā istæ formalia verba non debet anima magnipendere, si decipi nolit.

Vniuersa hæc formalia verba non debet anima magnipendere, sicut & successiua. Nam præterquam quod occupabit detinebitque spiritum in eo, quod nō est legitimum & proximum medium vnionis cū Deo, quod fides est, commodissime posset à Dæmone decipi. Vix enim interdū discerni poterit, quænā à bono, quænā verò à maligno spiritu proferātur. Cum enim hæc formalia verba, sicuti diximus, exiguū faciant effectum, vix discerni queunt per effectus. Nam illa, quæ profert dæmon, nonnunquam sensibiliorem efficaciam in imperfectis producunt, quam ista alia à bono spiritu prodeuntia in spiritualibus personis. Neq; confestim ea, quæ verbis istis dicuntur, executioni danda sunt, siue boni, siue maligni spiritus sint. Nunquam tamen committi debet, quin Confessario prudenti, vel certè personæ doctæ & discretæ cuncta aperiantur, vt ab eo instructio possit haberi; ad quem etiam spectabit statuere, quid hac in re agendum sit, cuius consilium sequendo cum resignatione, & indifferētia se habeat in illis. Quod si huiusmodi personam experientia conspicuam reperire nō valeat, præstat eo, quod tutum substantialeq; continent, in emolumentum propriū conuerso; floccipendendo cætera, ea nemini manifestare: facile enim aliquas offendet personas, quæ potius destruant Animam, quàm eam ædificent. Nō enim quilibet aptus est gubernationi ac directioni Animarū, cum tanti sit momenti, vel rectè sese gerere, vel certe, in adeò graui negotio, aberrare.

Non sunt confestim exequēda, seu matterum adhibendum consilium.

Quid faciendum est si consiliū personæ doctæ & expertæ haberi nō possit.

Illud autē præ oculis semper habendum est, vt nunquā aliquid anima arbitrio suo aggrediatur, nec ea, quæ verbis illis exprimuntur absque multa prudentia ac

consilio admittat. In hac siquidem materia subtiles mirabilesq; deceptiones accidere solent, ita vt impossibile existimem animam, quæ non fuerit huiusmodi rerum inimica, non posse in multis earum nõ decipi, siue parum siue multum. Et quia de periculis istis & deceptionibus, necnon de necessariâ in illis circumspectione ex professo Cap. 17. 18. 19. & 20. libri huius egimus, non ero hoc loco diffusior. Illud solum dico, præstantissimam securissimamq; in hâc materiâ doctrinam esse, nihili illa pendere, etiamsi maximum quid esse appareant: sed in omnibus sese iuxta rectam rationem gerere, & iuxta id quod iam nos Ecclesia edocuit, quotidieque docet.

Si anima decipi nolit, debet esse rerum istarum inimica.

CAPVT XXXI.

In quo de substantialibus verbis, quæ interius spiritui fiunt, agitur, assignatur etiam inter illa & formalia discrimen, & commoda, quæ in se continent, exponuntur: quamque resignatè ac reuerenter se in illis gerere debeat Anima, edocetur.

TErtium interiorum verborum genus diximus esse verba substantialia, quæ licet etiam formalia sint, eò quod formaliter admodum imprimantur animæ; in hoc tamen differunt, quia substantiale verbum effectum viuum, substantialemque in animâ producit, quod autem formale duntaxat est, non item. Itaque licet certum sit omne substantiale verbum esse etiam formale: non tamen propterea omne formale verbum substantiale est; sed solummodo illud, quod (sicuti superius diximus) verè realiterque illud imprimit Animæ, quod significat. Vt si Dominus noster formaliter diceret animæ sis bona; illico substantialiter foret bona, vel si diceret dilige me: cõfestim in se amoris substantiam haberet & sentiret, qui est verus Dei amor: vel si metu consternatæ diceret: noli metuere; magnum continuo animi robur, & tranquillitatem sentiret. Namq; effata & diuina Verba, (vt Sapiens ait) potestatis plena sunt: *Et sermo illius potestate plenus est.* vnde & substantialiter efficiunt illud in Anima, quod sonant. Hoc quippe illud est, quod Dauid significare voluit verbis illis: *Ecce dabit voci suæ, vocem virtutis.* Atque hoc modo reipsa egit cum Abraham: quando illi dixit: *Ambula coram me, & esto perfectus.* Et statim fuit perfectus; semperque coram Deo circumspecte ambulabat. Et hæc est verborum ipsius in Euangelio potentia, quibus infirmos curabat, & mortuos, duntaxat imperando, ad vitam reuocabat. Et eiusmodi substantialia verba, nonnullis animabus loquitur, quæ tanti sunt momenti & valoris, vt vita sint virtusque animæ, & bonum eius incomparabile: plus enim vnicum illi verbum huiusmodi prodest, quam totum illud, quod vitæ suæ decursu peregit anima.

Discrimẽ inter formalia & substantialia verba.

Quid sit substantiale verbũ.

Substantialia verba efficiũt in anima, quod sonant. Eccl. 8. 4. Psal. 67.

Quantum ad hæc verba attinet, nihil est quod agat anima, aut ex seipsa tunc velit nec conetur, sed humilem se duntaxat, & resignatam illis exhibeat, liberum suum assensum Deo præbendo: Nec est cur ea respuat, aut vereatur, aut in exequendis ijs, quæ præscribunt laboret, Dæus enim ipse istis substantialibus verbis idipsum in ea, & cum eâ operatur, quod secus in formalibus & successiuis accidit. Nec est (vt dixi) quod hic reijcere conetur: effectus quippe eorum, substantiatus, vt sic dicam, diuinisque bonis refertus in Anima manet; quem quoniam passiue recipit.

Verba hæc substantialia, necessariò efficiunt.

cipit, vniuersus eius conatus minor est: nec est quod aliquam deceptionem vereatur: nam neque intellectus, neque cacodæmon sese immiscere huic rei queunt, nec malignus iste spiritus ad efficiendum passiuè substantialem effectum, in aliqua Anima, ita vt illi effectum verbique sui habitum imprimat; potens est: quamuis animas spontaneo ipsarum pacto sibi traditas manendo in eis velut dominus, possit per suggestionem ad effectus extremæ malitiæ permouere. Cum enim tales animæ voluntaria nequitia essent illi vnitæ, nullo negotio posset illas dæmon ad dictos effectus impellere. Nã experientia ipsa teste videmus, magnã eum animabus etiã probis multis in rebus per suggestionem vim inferre, non mediocrem efficaciam suggestionibus istis suis imprimẽdo, quas si non ita essent probæ, multo maiori cum impetu posset inuadere. Effectus tamen ne verisimiles quidem istis, de quibus fumus loquuti effectibus, bonis, imprimere potest: nulla enim comparatio esse potest verborum ipsius, cum Diuinis, omnia Dæmonis verba sunt, ac si non essent verbis collata Diuinis, nec effectus illorum aliquid est, comparatione ad effectus Diuinorum. Nam idcirco dixit Deus per Ieremiam: *Quid paleis ad triticum? numquid non verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petram?* Et sic substantialia ista verba promouent plurimum iuuantque animam ad vnionem cũ Deo: & quo interiora magis fuerint, magis etiam substantialia sunt, plusque vtilitatis adducunt Animæ. Fœlix fortunataque anima quam DEVS tali verbo fuerit allocutus. *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.*

(*)

CAPVT XXXII.

In quo de apprehensionibus, quas intellectus, ab interioribus sentimentis, quæ supernaturaliter in anima efficiuntur, recipit, agitur; illorum causa assignatur, & qua ratione se debeat anima in illis gerere, ne viam Diuinæ vnionis impediat; præscribitur.

CONsequens est, vt nunc de quarto postremoq; intellectualium apprehensionũ modo seu genere disseramus, quas dicebamus in intellectum deriuari posse à quibusdam spiritualibus sentimentis, quæ multoties in Anima spiritualis hominis supernaturaliter efficiuntur, quas etiam inter distinctas intellectus apprehensiones recensuimus.

Hæc spiritualia sentimenta bifariam eueniunt.

Spiritualia hæc sentimenta distincta, duobus modis contingere possunt. Primi modi sunt, sentimenta in voluntatis affectu. Secundi verò, sentimenta sunt, quæ licet in voluntate quoque sedem habeant; quia tamen intentissima, sublimissima, profundissima ac secretissima sunt, non videntur illam attingere, sed in ipsa Animæ substantia perficiuntur. Vtraque multifariam eueniunt. Primi modi, quotiescunque à Deo sunt, sublimissima sunt: Verùm secundi modi sentimenta prorsus sunt eminentissima, summæque vtilitatis.

Sentimentorũ istorũ origo est prorsus ignota.

Quorum originem & causam, à qua promanant, bonaque opera, propter quæ Deus sublimes adeò fauores tribuit, nec Animã ipsa, nec qui illius curam gerit cognoscere & intelligere queunt: non enim à quibuscunque operibus, quę anima peragere possit, nec à considerationibus meditationibusq; ipsius dependent; licet huiusmodi res sint bonę dispositiones ad illa

obtinenda, largitur illa Deus cui vult, & ob quam causam illi placet. Contingit quippe personam aliquam in multis operibus bonis sese exercuisse, nec tamen huiusmodi tactus ab eo impetrare, è contra verò, alteram, quæ pauciora multo edidit opera, affatim illos eosque sublimissimos obtinere. Vnde nec est necesse vt anima actu spiritualibus rebus vacet, & occupetur (licet multo satius sit ad illa suscipiēda eis vacare) vt Deus tactus istos tribuat, ex quibus anima dicta sentimenta haurit, multoties tamen nihil minus, quam de illis anima cogitat. Tactus isti quidam sunt distincti citoque transeuntes; alij verò non adeò sunt distincti, & amplius durant.

Sentimenta hæc, in quantum sunt sentimenta (secundum quod de illis hoc loco solummodo agimus) nequaquam ad intellectum spectant; sed ad voluntatem; quamobrem etiam non differo de ijs hoc loco ex professo, donec de nocte obscura purgationeque voluntatis ab affectionibus suis libro tertio disputemus. Sed quoniam crebro, imò vt plurimum deriuatur ex illis in intellectum expressior perceptibiliorque apprehensio, notitia ac intelligentia, operæ pretium est, aliquā hoc loco illarum ob istum solum finem mentionem facere.

Sciendum itaque est ex omnibus istis sentimentis siue illa à Diuinis tactibus repentinis subitaneisque, siue à successiuis ac durabilioribus oriantur; multoties (vt dixi) resultare, & redundare intellectum, apprehensionem notitiæ, vel intelligentiæ; quod nihil esse solet aliud, quam sublimissimus quidā dulcissimus intellectui Dei sensus, cui nullo modo nomē imponi potest. sicuti nec sentimento, à quo redūdat. Huiusmodi autem notitiæ, interdum vno, interdū verò alio modo cōtinguntur: aliquādo magis sublimes sunt & claræ, aliquando verò minus, secundum quod etiam sunt tactus diuini, qui sentimenta producunt, ex quibus notitiæ istæ proficiscuntur, ac iuxta illorum puritatem.

Intelligunt ea ista passiua anima recipiunt.

Non est cur hoc loco multis vtamur verbis ad circumspectum reddendum, dirigendumque per notitias istas, in fide ad vnionem cum Deo intellectum. Cum enim dicta sentimenta passiuè in Anima efficiantur, sine eo quod ipsa effectiuè aliquid ex sua parte ad ea recipienda concurrat, ita etiam notitiæ ex illis resilientes passiuè in intellectu, quem Philosophi passibilem dicunt, absque eo quod aliquid ex se operetur, recipiuntur.

Quamobrem intellectus se gerere debeat in istis sentimentis.

Quamobrem ad non errandum in hac parte, nec illorum commoda præpediendum, nihil etiam intellectus in illis conari moliriq; debet, sed sese passiuè exhibeat, voluntatem ad liberum & gratum assensum flectendo, & capacitatem suam naturalem nequaquam intermiscendo. Vt enim in successiuis verbis euenire docuimus, facillimè nulloque negotio actiuitate ac operatione sua disturbabit & in nihilum rediget notitias illas delicatas, quæ sunt quædam sapidæ dulcesque intelligentiæ supernaturales, quas naturalis capacitas non attingit, neq; illas operando comprehendere potest, sed duntaxat recipiendo. Vnde nec ad eas obtinendas conari debet, ne forte conatu isto excitatus intellectus, ex seipso notitias alias efformare moliatur; & ne dæmoni illo temporis puncto, ad varias alias falsasque ingerendas, aditus aperiatur. Quod ipse egregiè medijs dictis sentimentis præstare potest, adhibitis ad hoc corporeis sensibus. Quapropter resignatè, humiliter passiueque se in illis gerat, cum enim passiuè illa à Deo recipiat: ipse quoque ea illi largietur cum illi placuerit, humilem illam & abs-

& absq; proprietate vlla animaduertendo. Atq; hoc modo non impediet in se vtilitatem profecto maximam, quam notitiæ istæ in ordine ad vnionem diuinã patiũt: siquidẽ vniuersi tactus isti sunt tactus vnionis, quæ passiuè in anima efficitur.

Nota. Nota. Vniuersa doctrina, quæ libro hoc de totali abstractione, & contemplatione passiua allata est, in qua permittit se à Deo duci anima per omnium creatarum rerũ obliuionem, imaginumque & figurarum nuditatem, detinendo ac occupando se simplici intuitu in suprema veritate defixo; non solum accipienda & intelligenda est de actu illo perfectissimæ contemplationis, cuius sublimem & omnimodè supernaturalem quietem, etiam filiæ Ierusalem, boni videlicet discursus & meditationes, si illis eo tempore anima insistere vellet, præpedirent: verùm etiam pro toto illo tempore intelligenda est, quo dominus noster iam dictam simplicem, generalem & amorosam aduertentiam seu attentionem impertitur, vel certe anima gratiæ diuinæ auxilijs adiuta, se ipsam in illa collocauerit ac constituerit. Tunc enim temporis semper conandum & laborãdum est, vt in quiete intellectus permaneat, nullas alias formas, figuras notitiasque particulares intermiscendo, nisi forte hoc cursim admodum fiat, & cum valde exiguo studio, nam hoc faciendum est, cum quadam amoris suauitate ad se amplius inflammandum. Cæterum extra hoc tempus in omnibus suis exercitijs, & operibus vti debet memoriarum ac bonarum meditationum adminiculis, idque eo modo & medio, quo maiorem deuotionem & vtilitatem senserit, singularissimè verò vti debet memoria & meditatione vitæ, passionis & mortis Domini nostri Iesu Christi, vt actiones suas, exercitia & vitam, illi valeat conformare.

Conclusio Libri.

Et hæc satis sint, vt huic materiæ de apprehensionibus supernaturalibus intellectus finem inponamus, quantum ad deducendum dirigendumq; per illas intellectum in fide ad diuinam vnionem attinet. Arbitror autem, satis me de illis dixisse; quidquid enim Animæ circa intellectum acciderit, reperiet doctrinam cautelamque pro illis necessariam, in allatis iam diuisionibus. Et licet aliquando aliquid à Deo diuersum ac discrepans emergat, vt in nulla ex allatis distinctionibus comprehẽdatur (quamuis existimem nullam futuram intelligentiam, quæ non possit ad aliquã ex quatuor distinctarum notitiarum modis reuocari) potest tamen doctrina cautelaque pro illa ex ijs, quæ de alijs similitudinem cum quatuor illis notitijs habentibus dicta sunt, elici. Atque ita ad Tertium Librũ gradum faciemus, in quo Deo fauente de purgatione spirituali ac interiori voluntatis, eius videlicet interiorum affectuum (quam hoc loco actiuam noctem appellamus) verba faciemus. Prudentem ergo Lectorem amanter oratum volo, vt benigno ac sincero animo hæc perlegat, si enim iste desit, ex quacunque sublimissima etiam ac perfectissima doctrina minime decerpitur vtilitas illa, quam in se continet, neque etiam tanti illa fit, quantum promereretur; quanto magis doctrina hoc meo rudi stilo exarata, quem in multis admodum imperfectum non diffiteor.

(··)

Nota.

SECVNDI LIBRI FINIS.

LIBER

LIBER TERTIVS,
IN QVO DE PVRGATIONE, ET Actiua memoriæ voluntatisque Nocte disseritur.

INSTRVITVR ETIAM ANIMA, QVA ratione sese circa duarum istarum potentiarum actus gerere debeat, vt ad Vnionem diuinam, possit peruenire.

Argumentum.

POSTQVAM iam primam Animæ potentiam, quæ intellectus est, in vniuersis apprehensionibus suis per primam Theologicam virtutem; quæ est Fides, instruximus; vt secundum istam potẽtiam, fidei puritate mediante vniri Deo Anima possit; reliquum nunc est, vt idem in cæteris duabus Animæ potentijs, memoria videlicet & voluntate faciamus; illas quoq; in proprijs ipsarum actibus purificando, vt etiam secundum duas istas potentias vniatur Deo Anima in Spe ac Charitate perfecta. Quæ omnia cõpendiose hoc tertio libro præstabo: postquã enim intellectũ qui est obiectorũ omniũ quę ad istas potẽtias deriuantur receptaculũ, expediuimus: (quo facto magnã itineris partem ad ea, quæ dicenda supersunt, cõfecimus) minime necessariũ est, nos in istis potentijs discutiendis adeò esse diffusos: nam regulariter loquendo, si vir spiritualis bene instruat intellectum in Fide, iuxta traditam sibi doctrinam, debet etiam, obiter, & in transitu instruere alias duas potentias, duabus alijs virtutibus, quandoquidem vnius operationes, ab aliarum operationibus dependẽt. Sed vt propositum nobis ordinem methodumque seruemus, & melius dicenda percipiantur, necessarium erit, vt de propria tractationis huius materia disseramus; quare oportebit hoc loco, vt de cuiusque potentiæ actibus, & primo loco de ijs, quæ ad memoriam spectant, pertractemus, distinctionem eorum, hoc loco adducendo, quæ ad institutum nostrum satis sit. Quam ex obiectorum eius distinctione, quæ in triplici sunt differentia: Naturalia scilicet & Supernaturalia imaginaria, & spiritualia, petere poterimus: quibus obiectis, tres notitiarum modi memoriæ correspondent, sunt enim notitiæ istæ, naturales & supernaturales; imaginatiæ & spirituales. De quibus iuuante Deo hoc loco agemus, incipiendo à naturalibus notitijs, quæ circa obiecta magis exteriora versantur & immediatè post, de affectibus voluntatis disputabimus, quibus absolutis huic tertio, de nocte Actiua spirituali, libro, finem imponemus.

Distinctio notitiarũ memoriæ, de quibus hoc libro agendum.

CAPVT

CAPVT I.

In quo de naturalibus memoriæ apprehensionibus agitur: moduſque eam euacuandi: vt Anima ſecundum iſtam potentiam DEO poßit vniri, præſcribitur.

Librorum ſequentium ſcopus præ oculis habendus, ſi nouus ille Lector euitare deſiderat errores.

NEceſſe eſt Lectorē in quolibet iſtorum librorum, propoſitum nobis in ijs finem præ oculis habere, aliter enim multa illi in eorum lectione poterunt dubia ſuboriri, quemadmodum etiam nunc de ijs, quæ de intellectu nuper diximus, & de memoria voluntateque poſtmodum ſumus dicturi, ambigere poterit. Conſiderando quippe qua ratione in nihilum potentias in earum operationibus redigimus, fortaſſis iudicabit, potius nos viam ſpiritualis exercitij demoliri, quam illam conſtruere; quod reuera ita eſſet, ſi mens, intentioque noſtra eſſet, non inſtruere hoc loco niſi Incipientes, quibus expedit medijs apprehenſionibus iſtis diſcurſiuis, & apprehenſibilibus ſeſe diſponere & coaptare. Verum longe aliter ſe res habet, præbemus enim hic doctrinam ad vlteriùs in contemplatione ad vnionem Diuinam progrediendum, ad quem finem vniuerſa hæc media exercitiaque potentiarum ſenſitiua relinqui debent, & ſilere, vt ipſe DEVS ex ſuo operetur, perficiatque in Anima vnionem Diuinam: & propterea expedit hac ratione ac methodo extricare, euacuare, naturaliqueſuo iure potētias ac earum operationes priuare, vt hoc modo præparetur locus, quatenus adimpleri & illuſtrari ſupernaturalibus poſſint: ſiquidem exigua earū capacitas adeò ſublime negotium attingere non valet, quin potius, niſi longe ablegetur illud præpedit, ac retardat. Cum autem verum ſit (vt eſt veriſſimum) debere Animam potius cognoſcere Deum per id, quod non eſt, quam per id quod eſt: vt ad illum pergere poſſit; neceſſariū omnino eſt nullo admittere modo, ſed abnegare quidquid ex omnibus ſuis apprehēſionibus, ſiue naturalibus ſiue ſupernaturalibus abnegari poteſt. Quam ob cauſam idem nunc cū memoria faciemus ex proprijs naturalibus limitibus eam educendo, & ſupra ſeipſam (hoc eſt) ſuper omnē diſtinctam notitiam poſſeſſionemq; apprehenſibilem, ad ſublimem ſpem incomprehenſibilis Dei, illam ſubleuando.

Anima potius debet cognoſcere Deum per id quod non eſt.

Quidnam ſit de memoria tractandum.

Incipiendo itaque à naturalibus notijs dico, naturales memoriæ notitias eſſe omnes illas, quas ex quinq; ſenſuum corporalium obiectis, viſu, videlicet, auditu, odoratu, guſtu & tactu, poteſt efformare; omnes præterea his ſimiles, quas ipſa fabricare & formare potuerit. Ab omnibus iſtis notitijs & formis denudari, euacuarique debet, & conari abolere & extirpare imaginariam illarum apprehenſionem; ita vt nulla ſuperſit illarum notitia impreſſa, ſicque remanet quantum fieri potuerit denudata, oblita, ab omnibuſque auulſa, ac ſi nihil iſtarum rerum percepiſſet. Nec aliter fieri poteſt, ſed ab omnibus formis annihilari, & exinaniri memoriam oportet, ſi Deo vniri debeat. Hoc enim nequaquam fieri poteſt niſi ſe totaliter ab omnibus formis, quæ Deus non ſunt, ſeparet, ſiquidem vti diximus in nocte intellectus, ſub nullam formam, aut notitiam diſtinctam cadit Deus. Cum autem quemadmodum Redemptor noſter docet, *Nemo poßit duobus dominis ſeruire*: non poterit memoria perfecte Deo & formis ſimul notitijſque diſtinctis copulari.

Quænam ſint naturales memoriæ notitiæ.

Ab omnibus iſtis notitijs denudari debet memoria, ſi Deo vniri velit.

Matth. 6. 24.

Qualis remaneat memoria, Deo vnita.

Cum autem Deus nullam eiusmodi formam, aut imaginem habeat, quæ à memoria comprehendi possit, hinc est quod quando Deo est vnita (sicut quotidiano experimento compertum est) quasi sine forma & sine figura, amissa iam imaginatione, remanet summo bono in maxima obliuione, nullius rei recordando, immersa & agglutinata. Vnio quippe illa diuina euacuat eam à Phantasia, & quodammodo vniuersas ex ea formas & & notitias euertit, & ad supernaturalia subleuat, adeò illam omnium rerum oblitam relinquens, vt postmodum magnam sibi debeat inferre vim, vt alicuius rei possit reminisci. Talisque est interdum hæc memoriæ obliuio, & imaginationis suspensio (propter memoriæ cum DEO vnionem) vt non modicum effluat temporis, nec tamen illud percipiat, nec quid id temporis egerit, noscat; imo verò eò quod tunc temporis imaginatiua suspensa sit, quamuis dolor inferatur corpori, illum non sentit; absque imaginatione enim nullum datur vestigium sensus, quia reuera non est. Vt autem Deus vnionem hanc perfectam efficiat, necesse est memoriam (vt iam diximus) ab omnibus apprehensibilibus notitijs & eiusmodi suspensionibus separare. Illud tamen animaduertendum est, huiusmodi de quibus loquuti sumus suspensiones & abalienationes minimè hoc modo in perfectis contingere, eò quod ipsi iam perfecta vnione perfruantur, suspensiones autem ad vnionis exordia spectant.

Obliuiones seu suspensiones ista memoriæ, non sunt perfectorũ, sed ad vnionis exordia spectant.

Magni momenti dubium proponitur.

Obijcies fortassis: recte quidem se ita habere. Hinc tamen destructionem naturalis vsus, cursusque potentiarum sequi, & proinde doctrina hac supposita, remansurum hominẽ bruti instar, omnium oblitum, & quod deterius est, sine rationis discursu, absque necessitatum operationumque naturalium memoria: Deum autem nequaquam destruere naturam, sed potius illam perficere, ex hac verò doctrina necessario illius destructionem sequi, obliuiscitur enim homo moralium, rationaliumque vt illa operetur, naturalium etiam vt illa exerceat, omnium enim horũ oblitus est, cũ notitijs & formis, quæ sunt reminiscentiæ media, non attendat.

Propositi dubitationis resolutio.

Obiectioni huic in hunc modum occurro & aio, quod quò amplius memoria Deo conũgitur, eo notitias distinctas deperdit, donec illas amittat, hoc est, illarum penitus obliuiscatur, quod tunc accidit, cũ anima perfectè attingit statum, siue essentiam vnionis. Itaq; initio dum hoc fit, nequit anima non versari in magna obliuione rerum, quandoquidem formarum, & notitiarum etiam obliuiscitur. Inde quod externa ista procedit cũ notabili iniuria, & neglectu sui ipsius, oblita cibi ac potus, si aliquid fecit, vel facere intermisit: si vidit, aut nõ vidit; si ab alijs aliquid dictum est, vel non: idque propter immersionem memoriæ in Deum. At postquam vnionis habitum adepta est, qui summum quoddam bonum est, nõ patitur isto modo has obliuiones in ijs, quæ rationem moralem, naturalemque concernunt. Quin potius in conuenientibus ac necessarijs operationibus, multo maiori perfectione prædita est. Tametsi illas exerceat ministerio formarum, & notitiarũ memoriæ à Deo peculiari quodammodo excitatarum; nam vti dixi, cum habitus vnionis adest, qui est status supernaturalis, memoria cæteræque potentiæ in suis naturalibus operationibus deficiunt, & à limite suo connaturali, ad Dei terminum, qui supernaturalis est transmigrant, quare cum memoria in Deum transformata sit, minime illi adhærent, neque imprimuntur operationes siquidem memoriæ cæterarumque potentiarum, in hoc statu sunt quasi diuinæ,

Operationes memoriæ, & cæterarum potentiarũ in vnionis statu, sunt quasi diuinæ, & quare?

ne, occupatis iã à Deo velut absoluto Domino potentijs, per earum in se transformationẽ: vnde & ipse est, qui illis præcipit, diuinoq; modo iuxta diuinum suum spiritum, & voluntatẽ mouet. Vt enim inquit Apost. Paul. *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est:* ideoq; operationes animæ totaliter vnitæ, sunt spiritus diuini, ac consequẽter diuinæ.

Hinc etiam prouenit, quod huiusmodi animarum opera sunt talia, qualia esse debent, suntq; rationi consentanea, nõ verò qualia esse non deberẽt. Spiritus enim Dei facit illas scire, quod sciendum est; quod verò ignorandum, ignorare, eorũ recordari, quorum meminisse debent; eorum vero obliuisci, quorum expedit obliuisci, facit illud amare, quod est amandum, non amare vero id, quod Deus non est, & sic ordinatie primi motus potentiarum huiusmodi animarum sunt velut diuini: nec mirandum est quod tales sint, siquidem in esse diuinum sunt transformatæ. Harum operationum animæ nonnulla adducam exempla, quorum primum sit: Rogat quis aliũ, qui in hoc statu versatur, vt preces ad deum effundat pro se: is minime recordabitur pro illo orare per formam, seu notitiã aliq̃ relictã in memoria ex petitione illius: sed si opus fuerit vt oretur pro illo (quod tunc erit quãdo Deus preces pro tali persona fusas acceptare voluerit) huius voluntatẽ mouebit, desideriumq; orandi præstabit: si verò non placent Deo preces illæ, etiamsi ad orandũ conetur sibi inferre vim, nec orabit, nec orandi voluntatẽ habebit. Imo interdum desiderium pro his orandi immittet, quos neq; nouit, neq; de illis vllq̃ audiuit. Quod inde prouenit, qa Deus peculiari quadã ratione mouet potẽtias istarum Animarum (vti iam dixi) ad operationes illas cõgruentes exercendas, iuxta voluntatẽ & ordinationẽ diuinam. Vnde harum animarũ opera, & orationes semper sortiuntur effectũ suũ. Huiusmodi fuere orationes, & opera Deip. gloriosæ, quæ cũ ab initio ad hunc sublimẽ statũ fuisset euecta, nunq̃ in anima sua habuit alicuius rei creatæ formã impressam, quæ eã, vel minimũ à Deo distraheret, neq; ab illa aliquando ad operandum, eò quod à S.S. iugiter moueretur. Exemplũ 2. Accurrere quis debet ad negotiũ aliquod necessariũ præfixo tẽpore tractandũ, cuius nõ recordabitur per formã aliquã, quin imo, nesciens quomodo id fiat, imprimetur animæ per excitationẽ Memoriæ prædictã, quãdo & quomodo illud sit faciendũ; idq; infallibiliter, & absq; vllo defectu. Neq; in his rebus tantũ Spirit. S. eas illuminat, sed etiã in pluribus, quæ eueniunt, & euenturæ sunt, & in multis casibus, etiamsi absentes sint, licet interim ignorent, qua ratione id sciant. Cæterum hoc illis prouenit à diuina sapientia: ex eo .n. quod huiusmodi animæ studeant nihil scire, neq; apprehendere potentijs, id quod eas præpedire posset, omnia generatim faciunt, prout in mentis descriptione tradidimus: iuxta illud Sapiẽtis: *Omnium enim artifex docuit me sapientia.*

Sap. 7. 21. An valeat anima ita euacuare memoriã ab omnib. formis, vt ad statum adeo eminentẽ possit peruenire.

Sed fortassis obijcies non posse animam euacuare, priuareque tantopere memoriã formis ac phantasijs vt ad statũ adeo eminentẽ pertingere possit? Duo .n. sese offerunt obstacula & difficultates, vires ac habilitatẽ humanã superãtes, ablegare videlicet & exuere id, quod naturale est, & attingere vniriq; ei, quod supernaturale est, quod etiã longe est difficilius: Et vt verum fatear, solis naturæ viribus habilitateq; id assequi, profecto impossibile est; dico itaque verũ esse, à Deo subleuari debere animã ad statũ istũ supernaturalẽ: sed etiã debere illã quantũ in se est, sese ad hoc disponere & accommodare, quod optime cum eo, q̃ ei Deus præbet adiumento, præstare potest. Vnde etiam quando ipsa in hanc abnegationem formarumque vacuitatem ingreditur; collocat eam Deus, &

NOTA. *Potest & debet Anima se ipsã ad statum istũ sublimem cum Dei auxilio disponere, quod si ipsa faciat, collocat eam Deus in vnionis possessione.*

quasi intromittit in vnionis possessionem; & hæc operatur in ea DEVS passiuè (quemadmodum, si DEO placuerit dicturi sumus in nocte passiua Animæ) atque ita quando DEO placitum fuerit, iuxta dispositionis ipsius modum, conferet illi integre habitum vnionis perfectæ. Effectus porrò Diuinos, quos in Anima vnio perfecta producit, tam ex parte intellectus, quam etiam ex parte memoriæ & voluntatis, minimè eos in ista nocte & purgatione actiua recensemus: per hanc enim solam non perficitur diuina vnio, sed agemus de ijs in nocte passiua, qua mediante, fit coniunctio animæ cum Deo.

Per solam noctem & purgationem potentiarum actiuam nō perficitur vnio Diuina.

NOTA. *Quemadmodū tenere debeat memoria, vt se ipsam in ista nocte seu purgatione actiuè constituat?*

In ista memoriæ purgatione solum hic necessarium præscribo modum, quo memoria, quantum est ex sua parte se ipsam actiue in ista nocte & purgatione constituat; modus porrò huiusmodi est, vt spiritualis persona hac vt plurimum & ordinariè cautela vtatur: vt nullius rei quam viderit, audierit, olfecerit, gustauerit, vel tetigerit, notitiam in memoria veluti in receptaculo, thesauro, vel archiuis recondat, aut in aliqua illarum sese detineat, sed eas transire sinat, remaneatque in sancta obliuione, nullam super illas reflexionem faciendo, nisi forte quando ad aliquem bonum pium que discursum, vel meditationem fuerit necessaria.

NOTA. *Nunquā obliuioni danda est sacratissima humanitas Christi.*

Hoc autem studium obliuiscendi ac relinquendi notitias & figuras; nunquam de Christo eiusque sacratissima humanitate intelligi debet. Licet enim interdum in contemplationis culmine, & simplici Diuinitatis intuitu sacratissimæ huius humanitatis non recordetur Anima, eo quod propria sua manu sublenauerit DEVS spiritum, ad istam quasi confusam, & valde supernaturalem notitiam; verum ex industria dataque opera illius obliuiisci nullo pacto ac nulla ratione expedit: siquidem eius intuitus, amorosaque meditatio ad omne bonum promouebit, illiusque adminiculo facilius vnionis fastigium conscendet. Clarum est enim, quod quamuis aliæ visibiles & corporeæ res obliuione sepeliri debeant, eo quod vnionem præpediāt, nequaquā tamen in hoc numero reponendus est ille, qui ob remedium nostrum homo factus est, qui est veritas, ostium, via & Dux ad omnia bona. Hac ergo veritate præsuppositā, in omnibus alijs rebus nitatur ad quandam abstractionem ac obliuionem totalem, ita vt quantum fieri possit, nulla notitia aut figura rerum creatarum, in memoria remaneat, ac si in rerum natura non essent, relinquendo Deo memoriam liberam & expeditam, & quodammodo in sancta obliuione amissam. Quod si hic iterum exoriantur dubia & obiectiones, quæ in superioribus circa intellectum occurrerunt: nihil videlicet agi, temporisque fieri iacturam ac sese spiritualibus bonis, quæ anima per viam memoriæ recipere potest, hominem priuare dico, plura iam esse hoc loco allata: pro istorum dubiorum resolutione, ibi etiam omnibus responsum esse, & propterea non est cur hic amplius immoremur.

Amorosa de Christo meditatio, omne spirituale bonum promouet, & per illam facilius fastigium ēxtemplationis conscendit anima.

NOTA. *Quamuis non statim fructus huius exercitij obliuionis appareat, non tamen est ab eo desistendū, nam tempore opportuno, ad-*

Illud duntaxat animaduertendum est, quod licet per aliquod tempus, vtilitas huius suspensionis notitiarum, & formarum non percipiatur; non propterea defatigari, & in hoc studio deficere debere, spirituale: non enim prætermittet DEVS quin tempore suo accurrat, propter bonum autem adeò grande adipiscendum, necessarium est multa patienter, & cum spe pati, & sustinere.

Et erit Deus

Et quamuis verum sit vix reperiri Animam, quæ in omnibus omnique tempore moueatur à Deo, ita perpetua fruendo vnione, vt potentiæ ipsius Diuino semper moueantur modo; inueniuntur tamen animæ, quæ valde ordinariè adeo in suis operationibus mouentur, neque ipsæ sunt, quæ se mouent in illo sensu, quo loquitur S. Paulus: quod nimirum filij Dei, illi scilicet, qui sunt vniti, transformatique in eum *Spiritu Dei aguntur*. Hoc est ad Diuina in suis potentijs opera peragenda, mouentur. Nec mirum operationes esse Diuinas, cùm vnio Animæ sit etiam diuina.

CAPVT II.

In quo enumerantur tria detrimenta quæ incurrit Anima, quamdiu non manet in tenebris quoad notitias, & digressiones memoriæ, proponit hoc loco primum donum.

TRibus nocumentis ac inconuenientibus obnoxius est spiritualis homo, si adhuc naturalibus memoriæ notitijs, vt ad Deum pergat, vti voluerit, quorum duo sunt positiua, vnum verò priuatiuum. Primum nocumentum se tenet ex parte rerum mundanarum, secundum ex parte Dæmonis: tertium verò, quod est priuatiuum, nihil aliud est, quam impedimentum & obstaculum, quod notitiæ istæ adferunt tendentibus ad diuinam vnionem.

Primum, quod à rebus mundanis originem trahit: est multis damnis subditum esse, medijs notitijs ac discursibus, exempli gra. falsitatibus, imperfectionibus, appetitibus, iudicij, temporis amissioni & alijs pluribus, quæ multas animę inuehunt impuritates. Quod autē necessario multis debeat falsitatibus irretiri, qui locum præbet notitijs & discursibus, manifestum est: multoties enim verum, falsum illi apparebit, & certum, dubium & è contra, vix enim veritatem vnam radicitus exploratam habere possumus. A quibus omnibus malis liber euadit, si obscurauerit memoriam circa omnes discursus, & notitias. *Multis falsitatib. obnoxius est, qui locum præbet notitijs naturalibus memoriæ.*

Imperfectiones verò ad singulos passus occurrunt memoriæ in ijs, quæ audiuit, vidit, olfecit, tetigit, & gustauit, quibus in rebus aliquam illi affectionem iam doloris, iam timoris, iam odij, spei vanæ, inanis gaudij, gloriæ vanæ, adhærere necesse est, quæ omnia ad minus imperfectiones sunt, & interdum peccata venialia manifesta. Hæc autem vniuersa puritatem perfectam, & simplicissimam cum Deo vnionem impediunt. *Multas etiam imperfectiones admittit.*

Quod autem etiam appetitus ex notitijs istis generentur, perspicue etiam patet; ex dictis enim notitijs ac discursibus naturaliter oriuntur: & solummodo velle discursum notitiamque habere, potest esse esca appetitus. *Nascitur ex notitijs istis appetitus.*

Quod etiam à iudicijs tentari debeat perspicuum est: non enim potest non impingere in bona malaque aliena, in quo euentu, interdum malum bonum apparet, & bonum malum. Quæ vniuersa mala neminem arbitror euasurum, nisi obcæcando, & obscurando memoriam, quo ad omnia. *Iudicia item.*

Quod si obijcias, optime posse hominem vniuersa hæc quando occurrerint, superare: Respondeo id esse omnino impossibile, si notitias magnipendat; notitijs enim istis, mille ineptiæ sese ingerunt, & quædam earum tam subtiles sunt & delicatæ, vt, ne aduertente quidem anima, aliquid illi de suo affricent & aspergant, quemadmodum pix rei illi, quã

attingit. Respondeo præterea: commodius vna vice vnoque impetu, vniuersa euinci, memoriam in omnibus abnegando.

Sed obijcies adhuc, licet ita se res habeant, multis tamen pijs cogitationibus & considerationibus de Deo priuari animam, quæ multum illi vtilitatis conferunt, vt diuinos consequatur fauores. Respondeo, & dico illud, quod pure fuerit Deus, & iuuerit promouerit que notitiam illam confusam vniuersalem puram, & simplicem, nullo modo relinqui debere: sed illud tantum, quod in imagine, formâ, figurâ, vel similitudine alicuius creaturæ, memoriam detinet. Loquendo autem de purgatione istâ actiuâ memoriæ dico, ad hoc vt Deus suos concedat fauores, maxime prodesse animæ puritatem, quæ in eo sita est, vt nullo amore creaturæ, vel rei transitoriæ, aut efficaci, fortique aduertentiæ illius adhæreat; ex quibus tamen existimo, multa, ob imperfectionem propriam potentiarum in suis operationibus, adhærsura. Quamobrem consultius erit addiscere modum collocandi ac constituendi potentias in silentio & quiete, ad hoc vt loquatur Deus; nam (sicut diximus) ad statum hunc adipiscendum naturales operationes deficere debent: quod fit, quando (sicut Propheta ait) peruenit anima secundum istas potentias in solitudinem, & loquitur illi ad cor Deus. *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.*

Maximè prodest animæ ad diuinos fauores cõsequendos puritas, & in quo ea consistat?

Magni momenti consilium.

Osee 2.14.

Quod si nihilominus instes, & dicas, nihil boni obuenturum animæ, nisi consideret memoria, & ad Deum sese reflectat: imò multas eam passuram euagationes ac tepores. Respondeo tibi: impossibile esse aliquid mali, aut distractiones, vel alias ineptias, vel vitia ingredi memoriam, si illa se ab omnibus rebus præsentis vitæ simul, & futuræ abstrahat & recolligat, neque enim patet aditus, per quem ingredi possint, cum mala ista semper ob memoriæ euagationem irrepant. Hæc certè euenirent, si cælestium rerum considerationibus, & discursibus, occlusis ianuis, illas rebus terrenis reseraremus: verum nos hoc loco omnibus ijs rebus, quæ vnionem diuinam præpedire queunt, vel distractiones inuehere, illas occludimus ac obstruimus, & memoriam ad hoc inducimus, vt quieta & muta permaneat, & vt auditus spiritus solummodo sit in silentio attentus, dicendo cum Propheta: *Loquere Domine quia audit seruus tuus.* Huiusmodi dotibus ornatam suam sponsam volebat sponsus in Canticis dicens. *Soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus,* id est, occlusus omnibus rebus, quæ illum ingredi possunt: maneat itaque hortus animæ clausus, absque sollicitudine & pænâ; nam ille, qui ad discipulos ingressus est corporaliter ianuis clausis, suamque illis pacem impertijt, nescientibus eis, nec cogitantibus, id fieri posse; ingredietur etiam spiritualiter animam sine eo, quod ipsa modum sciat, vel certe ei cooperetur, dummodo anima potentiarum ianuas, memoriæ videlicet, intellectus & voluntatis, omnibus apprehensionibus occlusas retineat, & ipse Dominus replebit illas pace, *declinando super illam* (sicut per Prophetam ait) *fluuium pacis*, atque ita liberabit eam ab omni metu, suspicionibus, turbationibus ac tenebris, quæ illam formidare faciebant ne forte iam perijsset, aut perditionis itinere grederetur. Interea solicite operam det orationi, & in nuditate ac vacuitate rerum omnium præstoletur, non enim bonum eius tardabit.

Qualis vacuitas desideretur in potentijs animæ, vt diuina fauores consequatur.

1. Reg. 3. 10.

Cant. 4. 11.

Ioan. 20. 19.

Cum ingressus esset ianuis clausis ad discipulos suos, & dixit eis pacem vobis, & dixit: Pax vobis &c.

Isa. 66. 12.

CA-

CAPVT III.

De secundo detrimento, quod ex parte dæmonis, per naturales memoriæ apprehensiones animæ, contingere potest.

SEcundum detrimentum positiuum quod anima medijs notitijs memoriæ pati potest, se habet ex parte dæmonis, qui multum sibi iuris per hoc medium vsurpat in animam. Potest siquidem adaugere formas, & illis fœdare animam, superbiâ, auaritiâ, inuidiâ, irâ &c. Suscitare etiam iniustum odium, vanum amorem, multisque alijs decipere modis. Præterea solet ipse adeo res Phantasiæ imprimere, vt res falsæ videantur veræ, & veræ falsæ. Postremo vniuersæ fraudes, & damna, quæ contra animam molitur dæmon, per formas ac notitias memoriæ ingrediuntur. Quod si anima in omnibus illis sese obscurauerit, & in earum obliuione ad nihilum redegerit, obstruet totaliter huic dæmoniaco damno aditum ab omnibusque istis rebus libera euadet, quod certe ingens bonum est. Nihil quippe contra animam prævalet dæmon, nisi medijs operationibus, potentiarum ipsius, præsertim vero formarum specierumque adminiculis: ab illis enim, quasi omnes reliquæ aliarum potentiarum operationes pendent. Vnde si memoria sese in illis annihilauerit, nihil prorsus prævalet dæmon: nihil enim reperit, per quod attrahere possit animam, si autem nihil inuenerit, nihil potest.

Optarem ego, vt spirituales viri tandem perfecte animaduerterent, quanta nocumenta animabus illorum inferant dæmones, mediâ memoriâ, quando illa vti assuescunt: quantas tristitias, & afflictiones, quot gaudia vana, tam circa ea, quæ de Deo cogitant, quam etiam circa res mundanas in eis excitant, quantas etiam impuritates in spiritu radicatas illis relinquunt, diuertendo maximopere illas à suprema recollectione, quæ in hoc sita est, vt tota anima secundum suas potentias in solo incomprehensibili bono collocetur, & ab omnibus rebus apprehensibilibus abstrahatur. Quæ res (licet tantum bonum ex vacuitate ista minime sequeretur, sicut est in Deo sese collocare) ob id solum quia est causa, multas pœnas, afflictiones, & tristitias effugiendi (præter imperfectiones, & peccata, quæ hoc modo euadit) maximum certe bonum est.

NOTA. *In quo suprema animæ recollectio consistat.*

Apprehensiones istæ memoriæ, morale animæ bonum præpediunt, spirituali vero bono eam priuant.

CAPVT IV.

De tertio detrimento, quod in animam per memoriæ notitias distinctas, & naturales redundat.

TErtium detrimentum, quod in animâ apprehensionũ naturalium memoriæ viâ resultat, est priuatiuum. Possunt enim apprehensiones istæ morale bonum eius præpedire, spirituali vero priuare. Et vt primo loco ostendam qualiter apprehensiones istæ morale bonum animæ præpediant; sciendum est, morale animæ bonum in passionibus coërcendis, appetitibusq; deordinatis frænandis positum esse, ex quo sequitur in anima tranquillitas, pax, quies, quæ ad morale bonũ pertinent. Habenas porrò istas ac frænum non potest serio, fundateq; obtinere anima, nisi obliuione sepeliat, & à se ableget illa, ex quibus affectus oriuntur, nunquam enim aliunde animæ turbationes

NOTA. *Omnes animæ turbationes à solis memoriæ apprehensionibus oriuntur.*

tiones proficiscuntur, nisi à memoriæ apprehensionibus; obliuioni quippe traditis rebus omnibus, nihil est quod pacem turbet aut moueat appetitus, vt enim commune habet proloquium, quod oculus non vidit, cor non concupiscit. Huius veritatis quolibet momento experimentum capimus: videmus enim quod quotiescunque anima, rem aliquam cogitatione versat, mouetur semper & immutatur parum vel multum re illa, secundum quòd illam apprehendit: si res quam cogitat molesta fuerit & onerosa; tristitiam vel odium elicit; si verò grata, & iucunda, gaudium & desiderium. Vnde necessariò oriri debet postmodum turbatio in illius apprehensionis mutatione: nunc itaque lætabitur, nũc mœrore tabescet, nunc odio, nunc amore inflammabitur; nec semper in eodem statu & temperamento (qui tamen effectus est tranquillitatis moralis) poterit permanere: nisi cum omnium rerum obliuisci conatur. Aperte itaque constat, notitias istas non mediocriter in anima virtutum moralium bonum præpedire.

Quod autem implicata memoria spirituale bonum impediat, manifestè ex dictis demonstratur. Anima siquidem perturbata & bonorum moralium fundamento carens, non est in quantum talis, spiritualis boni capax, quod nequaquam infunditur & imprimitur, nisi in animam attemperatam, moderatam, & tranquillam. Quod si præterea anima arripit, magnique facit apprehensiones memoriæ; cum non valeat intenta esse nisi vni rei, si sese occupet detineatq; rebus apprehensibilibus (quales sunt memoriæ notitiæ) impossibile est eam liberam ac expeditam, pro incomprehensibili bono, qui est Deus remanere. Nam (sicuti dictum est) vt anima ad Deum pergat, potius tendere debet non comprehendendo, quàm comprehendendo: debetque mutabile & comprehensibile pro immutabili, in comprehensibilique permutari.

CAPVT V.

De commodis, quæ in animam ex obliuione & vacuitate cogitationum & notitiarum omnium, quæ naturaliter circa memoriam haberi possunt, resultant.

EX recensitis damnis, quibus apprehensiones memoriæ afficiunt animam, possumus etiam conijcere emolumenta ipsis contraria, quæ ex obliuione, & vacuitate earum consequuntur. Si quidem iuxta Philosophorum effatum: contrariorum eadem est doctrina.

Primo enim loco tranquillitate ac pace animi perfruitur, cùm turbatione & alteratione ex cogitationibus & notitijs memoriæ ortis careat, & consequéter, quod est amplius, puritate conscientiæ, & animæ gaudet. Quibus rebus magnam sibi dispositionem comparat ad humanam diuinamque sapientiam, & virtutes acquirendas. *Primum emolumentum earum quæ memoriæ eruntur.*

Secundo loco, à multis suggestionibus, tentationibus, impulsibusque dæmonis fit immunis, quæ ille omnia cogitationum, & notitiarum præsidio Animæ ingerit, facitque illam saltim in multas impuritates labi, & etiam, sicut diximus, in peccata iuxta dictum Dauid: *Cogitauerunt, & locuti sunt nequitiam.* Vnde sublatis è medio cogitationibus, non habet dæmon, quo spiritum aggrediatur. *Secundum commodum.* *Psal.*

Tertium commodum est, quod media ista obliuione, & ab omnibus rebus abstractione adipiscitur Anima dispositionem, vt à Spiritu sancto moueatur & eruditur: *Tertium commodum.*

diatur: qui vt Sapiens ait. *Aufert se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu.* Verum etiam si nullum aliud maius commodum consequeretur homo, quam à pœnis & turbationibus, quas obliuione ista, & vacuitate memoriæ euadit, liberum esse, magnum hoc profecto esset illius lucrũ, & insigne bonum. Præsertim cùm perturbationes, & afflictiones, quæ propter res, casusque aduersos in Animam deriuãtur, nihil omnino ad pacandos ac diminuendos ipsosmet casus deseruiant, imò potius vt plurimum non solum istis casibus, sed etiãipsi animæ obsint. Quam ob causam dixit Dauid: *Verum tamen in imagine pertransit homo; sed & frustra conturbatur.* Manifestũ quippe est, semper vanum esse turbari, cùm hoc nullam vnquã vtilitatem adducat. Atque ita licet totus labatur, corruatq; mundus, & omnia contrario modo eueniant, vanum est turbari. Potius enim hoc illis obest quam prodest, cuncta verò cum tranquilla & pacifica æquanimitate sustinere, non solum confert animæ ad plura bona cõsequenda, verum etiã vt congruentius de ipsismet aduersitatib. iudicium ferri possit, remediumque competens eis adhiberi.

Quare probe cognoscens Salomon dãnum, & vtilitatem huius rei, dixit: *Cognoui quod non esset melius nisi lætari, & facere bene in vita sua.* Significare volens, in omnibus casibus quantumuis aduersis, potius nos lætaridebere, quã turbari, ne maioris boni, tranquillitatis, videlicet, animi, ac pacis, in omnibus rebus aduersis, & prosperis (cuius ope æquanimiter vtrasque sustinemus) iacturam faciamus. Quam tranquillitatem nunquam admitteret homo, si nõ modo obliuisceretur notitiarum, cogitationesq; relegaret; verum etiam si ab omni occasione, audiendi, videndi, & conuertendi, quantũ in se esset, sese elongaret, & abstraheret. Quandoquidem natura nostra, adeò prona & lubrica est, vt quãtumuis sit bene assueta, & exercitata, vix possit per memoriam in aliquid huiusmodi non impingere, quod animum pace tranquillitateque perfruentem, ac omnium oblitũ, non turbet vel alterer. Ideo enim dixit Ieremias: *Memoria memor ero, & tabescet in me Anima mea.* Hier. 3. 20

CAPVT VI.

In quo de secundo genere apprehensionum memoriæ, imaginarijs videlicet, & supernaturalibus notitijs disseritur.

QVanquam in primo apprehẽsionum naturaliumgenere sufficientẽ tradiderimus doctrinam pro imaginarijs, etiã naturalis ordinis; expediebat tamen hanc diuisionẽ adferre, propter alias formas, ac notitias, quas in se fouet & conseruat memoria, quæ rerum sunt supernaturalium, cuiusmodi sunt visiones, reuelationes, locutiones, & sentimenta, quæ via supernaturali cõtingunt. Quarum omnium retũ, postquã illas experta est anima, solent interdum in memoria, vel phantasia admodum viuæ & efficaciter impressæ imagines, formæ vel figuræ remanere. Pro qua re est etiam necessarium aliqua præbere monita, ne memoria illis sese implicet, sintq; illi obstaculo ad Dei vnionem, in spe pura & integra, obtinendam. Dico itaque vt anima bonum hoc adipiscatur, nunquã debere cã ita sese super res claras, & distinctas, quas fuerit experta supernaturali via reflectere, vt rerum illarum formas, notitias, & figuras in se conseruet. Illud enim semper nobis præsupponendum est, quod anima quo auidius arripit aliquam apprehensionem naturalem, vel supernaturalem distinctã, & claram; eò minus capa-

citatis, & dispositionis in se habet ad intrādum, in fidei abyssum, in quo cætera omnia absorbentur. Nam (sicuti iam explicauimus) nulla forma vel notitia supernaturalis, quæ memoriæ obijci possit est Deus, nec vllam cum Deo proportionem habet, nec potest esse proximum medium vnionis: ab omni autem eo, quod non est Deus, euacuari debet anima, vt ad Deum tendat: ergo etiam memoria ab omnibus istis formis, & notitijs sese expedire debet, vt vniatur Deo, modo quodam spei perfectæ, ac mysticæ; Omnis quippe possessio, spei contraria est. *Quæ* (sicut ait S. Paulus) *eorum est, quæ non possidentur: est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentiū.* Vnde quanto magis memoria se expoliat, & possessione priuat, tanto plus spei istius habet: & quo plus spei adepta est, tanto amplius huius vnionis cum Deo particeps est.

Ab omni eo quod nō est Deus euacuari debet anima, vt ad Deum tēdat.

Heb. 11. 1.

Quantum enim ad Deum spectat, quò plus Anima sperat, eò amplius obtinet: tunc autem amplius sperat, quando (sicut dixi) se magis omni possessione denudat: quando autem perfecte sese omni possessione priuauerit, perfecte etiam habebit possessionem Dei, qualis in hac vita in vnione diuina obtineri potest. Verum multæ reperiuntur animæ, quæ sapore dulcedineque memoriæ in notitijs carere recusant, & idcirco ad summam possessionem, integramque dulcedinem non pertingunt: *nam qui non renunciat omnibus quæ possidet, nequit esse Christi discipulus.*

Secundum euacuationis memoriæ mēsuram confertur ei vnio diuina.

CAPVT VII.

De damnis, quæ notitiæ supernaturalium rerum inferre possunt animæ, si sese super illas reflectat. Eorum numerus proponitur, & hoc loco de primo agitur.

QVinque damnorum generibus subiacet spiritualis, si sibi attrahit, seque per reflexionem ad notitias istas ac formas, quæ illi imprimuntur rerum, quas supernaturaliter experitur, conuertit.

Primum est quia multoties fallitur, vnum pro alio accipiendo.

Secundum, quia est in occasione proxima in præsumptionem, vanitatemque collabendi.

Tertium, quia magnam habet dæmon ansam, ad eum medijs apprehensionibus istis decipiendum.

Quartum est, quia vnionem cum Deo in spe præpediunt.

Quintum, quia vt plurimum abiectè de Deo sentire, & iudicare faciunt.

Varijs deijciuntur, qui admittunt supernaturales sese reflexiones, & quare.

Quantum ad primum nocumenti genus spectat, clare illud patet. Si nempe spiritualis homo ad dictas notitias formasque sese reflectat, multoties illum in suo de illis iudicio decipiendum. Cum enim nemo perfectè scire possit res, quæ naturaliter in sua imaginatione fiunt, nec certum integrumque de illis formare iudicium; multò minus illud ferre poterit de supernaturalibus rebus, quæ nostram excedunt capacitatem & raro eueniunt. Vnde pluries diuinas esse res arbitrabitur, quæ tamen phantasiæ ipsius opus erunt. Interdum etiam ea, quæ à DEO promanant, à Dæmone proficisci credet, quæ verò à Dæmone, tanquam diuina complectetur. Creberrimeque remanebunt ipsi formæ & notitiæ vehementer impressæ bonorum vel malorum alienorum, vel etiam propriorum, & aliæ eiusdem generis figuræ illi olim repræsentatæ, quas certissimas ac verissimas arbitrabitur, erunt tamen mera mendacia, & falsitates.

Aliquando etiam veræ certæque erunt,

runt, illas tamen falsas autumabit: quamuis hoc mihi tutius videatur; solet quippe id ab humilitate proficisci. Et dato casu illum circa earum veritatem non aberrare: falli tamen poterit in illarum qualitate, existimationeque, iudicando id quod parum est, multum esse, quod autem reuera multum, parum. Circa qualitatem etiam illarum decipi potest, existimando illud, quod in imaginatione fouet, esse talem vel talem rem, & tamen non erit nisi talis, vel talis. *Ponentes* vt dicit Isaias, *tenebras lucem, & lucem tenebras: amarum in dulce & dulce in amarum.* Postremo iam quod in vna re non fallatur, prodigio simile erit si non decipiatur in alia: licet enim nolit determinatum de illis iudicium ferre, satis est, quod illud applicet aliquo modo, eas magnificiendo, vt ad minus passiue resulteri illi aliquod damnum, etsi non huius generis, de quo nunc agimus, saltem aliquod ex quatuor mox recensendis.

Idergo, quod spirituali homini faciendum est, ne in istud labatur damnum, ne inquam circa proprium iudicium suũ decipiatur est, nolle applicare iudicium ad inuestigandum quidnam illud sit, quod habet ac sentit: vel certe qualis nam erit talis, vel talis visio, notitia, aut sentimentum: sed neque ista nosse deslideret, neque magnipendat, nisi vt Patri suo spirituali illa recensere possit, vt ab eo instruatur, qualiter memoriam ab illis apprehensionibus debeat exinanire; vel quidnam in aliquo euentu, cum hac ipsa nuditate, agere magis expediat. Siquidem quidquid ipsæ in se sint, nequeunt illum tantum ad amorem diuinum promouere, quantum minimus actus viuæ fidei, & spei, qui in vacuitate omnium istorum exercetur.

Isa. 5.20

Nota.

CAPVT VIII.

De secundo detrimentorum genere; periculo videlicet in propriam labendi æstimationem, & præsumptionem vanam.

SVpernaturales memoriæ apprehensiones iam explicatæ, spiritualibus etiam viris non mediocris sunt occasio, si illas magnificiant, in præsumptionem aliquam, vel vanitatem incurrendi. Nam quemadmodum ille, qui nihil horum experitur, plurimum ab huius vitij præcipitio abest, cum nihil in se vnde præsumat animaduertat; ita è contra ille, qui istis fruitur, insignem præ manibus occasionem habet existimandi se iam aliquid esse; si quidem communicationibus illis supernaturalibus reficitur. Licet enim non inficier posse eum Deo illa attribuere, illique referre gratias, se indignum reputando; his tamen minime obstantibus, quædam occulta satisfactio, illiusque supernaturalis communicationis, ac sui ipsius æstimatio in spiritu remanere solet, ex quibus inperceptibiliter magna solet spiritualis superbia oriri. Quod ipsi optimè agnoscere possunt, ex displicentia, quæ illis subrepit, & animi alienatione, quam sentiunt ab ijs, qui eorum spiritum minime laudant, neque res illas, quas ipsi experiuntur magnificiunt, necnon ex afflictione, quam sentiunt dum alijs easdem res, vel etiam præstantiores euenire cogitant, vel audiunt. Quæ omnia ex occulta æstimatione & superbia prodeunt, illi tamen haudquaquam animaduertunt, illa se vsquequaque infectos. Arbi-

Inperceptibiliter spiritualis superbia subrepere solet.

Vnde hæc superbia cognosci possit?

trantur quippe certum cognitionis miseriæ suæ modum, satis esse, cum hac tamen cognitione, occulta simul æstimatione ac satisfactione sui ipsorum, pleni permanentes: magis sibi in proprio suo spiritu bonisque complacentes, quam in alieno, sicut Pharisæus, qui Deo referebat gratias, quia non esset sicut cæteri hominum, & quod talibus & talibus virtutibus esset insignis, vnde miser sibi ipsi complacebat, & præsumebat: *Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri homines, iniusti &c. Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium, quæ possideo &c.* Et quamuis huiusmodi homines formaliter ista non pronuncient sicut Pharisæus iste, habitualiter tamen in spiritu cogitationes huiusmodi glisciunt. Imo aliqui ad tantam delabuntur superbiam, vt dæmone ipso deteriores sint. Cùm enim apprehensiones aliquas, sentimentaque deuota ac suauia, secundum ipsorum iudicium à Deo prodeuntia, in seipsis animaduertant, iam tantopere sibi complacent, vt se Deo admodum vicinos existiment: illos autem, qui ijs carent valde remotos, eosque Pharisæi instar spernant.

Luc. 18. 11.

Ad pestiferum hoc damnum adeò diuinis oculis execrabile euadendum, duo præ oculis habere debent. Quorum primum est, virtutem minime in istis apprehensionibus, & sentimentis diuinis, licet sublimissima sint, consistere, neque in aliqua alia re istis simili, quam experiri possint: imò potius vice versa in eo, quod in seipso non percipitur, hoc est in humilitate magna, suique ipsius ac omnium rerum suarum contemptu in anima intime impresso: & in eo, vt inde voluptatē percipiant, quando id ipsum alij sentient, nihili in alieno corde fieri exoptando. Secundo animaduertere debent vniuersas visiones, reuelationes, & cælestia sentimenta, & quidquid aliud maius illis excogitare voluerint, nequaquam tanti esse valoris precijque, ac minimus humilitatis actus, quæ charitatis effectus producit, quæ non sua magni pendit, non ea quærit, non cogitat malum, nisi de se ipsa, nullum bonum sibi ipsi ad scribit, sed tantum cæteris. Secundum istam itaque veritatem expedit ne apprehensiones istæ supernaturales eos inflent, aut nimium eorum oculos post se rapiant, sed illarum obliuisci studeant, vt liberi euadant & expediti.

In quonā vera virtus consistat?

humilitatis actus, omnibus etiā subli. missimis reuelatio. nibus, & sentimentis.

NOTA. *Maioris pretij est animus*

CAPVT IX.

De tertio damno, quod redundare potest in animam, ex parte Dæmonis per apprehensiones imaginarias memoriæ.

EX omnibus superius dictis optimè colligi & intelligi potest, quanta damna immineant Animæ ex parte dæmonis, per istas supernaturales apprehensiones: Non solum enim potest repræsentare memoriæ & phantasiæ plures formas, & notitias falsas, quæ tamen bonæ veræq; appareant, imprimēdo illas per suggestionem spiritui ac sensui magna cum efficacia & certitudine, ita vt videatur animæ, non posse aliter se rem habere, sed ita omnino esse sicut illi imprimuntur; cum enim transfiguret se in Angelum lucis, apparet animæ lucis instar: sed etiam in veritatibus, quæ à Deo proueniunt, multifariam illam tentare potest, commouendo inordinatè appetitus & affectus, nunc spirituales, nunc sensitiuos circa illas. Si enim huiusmodi apprehensiones palato animæ arrideant, facillimum est Dæmoni augere appetitus, & affectus, & in gulam spiritualem aliaque detrimenta præ-

præcipitare. Vt autem istud commodius efficere possit, solet ipse gustum ac suauitatem sensui circa ipsa smetres Diuinas instillare & infundere, vt anima illo sapore inescata, delectatione excæcetur, & oculos potius ad saporem conuertat, quam ad amorem (ad minus iam non tantū ad amorem) pluriſque faciat apprehensionem, quam nuditatem & vacuitatem, quæ in fide, spe & Dei amore reperitur; & hinc pedetentim illam decipit, suas illi falsitates nullo negotio, persuadendo. Animæ quippe obcæcatæ falsitas, iam non videtur falsitas, & malum non videtur malum: tenebræ enim lux illi videntur, & lux tenebræ, & inde in mille stultitias ruit, & quod vinum fuerat, tam in naturalibus quam etiam in moralibus, & spiritualibus iam in acetum versum est. Quæ omnia idcirco eueniunt illi, quia ab initio non abnegauit illarum supernaturalium rerum delectationem, à qua, quia à principio est exigua, vel non adeò nociua, non magnopere sibi cauet Anima, permittitque illam hærere, & veluti granum sinapis in arborem grandem excrescere. Parus enim error (vt vulgo dicunt) in principio, magnus est in fine.

Quamobrem ad damnum istud, quod Dæmon inferre potest euitandum, summopere expedit animæ, nolle huiusmodi rebus oblectari: quia certissimè sensim taliguſtu excæcabitur, & cadet: siquidem gustus delectatio, & suauitas natura sua inertem rudemque faciunt animam, illamque exoculant, sicuti hoc significauit Dauid quando dixit, *Forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in delitijs meis*: ac si patentius dixisset, forsitan in delitijs meis tenebræ obcæcabunt me, & noctem pro luce habebo.

CAPVT X.

De quarto detrimento, quod ex supernaturalibus apprehensionibus distinctis memoriæ in animam resultare potest, vnionem videlicet impedire.

DE quarto isto detrimento pauca hoc loco dicenda occurrunt, eò quod multa de eo passim hoc libro dicta sint, in quo demonstrauimus, qualiter ad hoc vt anima Deo in spe vniatur, omni possessioni memoriæ nūcium remittere debeat: vt enim spes perfecte integreque feratur in Deum, nihil in memoria supersse debet quod non sit Deus, cum autem (sicuti etiā diximus) nūlla forma, figura, aut imago siue naturalis siue supernaturalis, quæ in memoriam cadere possit, Deus sit, nec illi similis secundum quod docuit Dauid dicens: *Non est similis tui in Dijs Domine*: hinc euenit, quod si memoria aliquid horū arripere & attrahere sibi voluerit, obstaculū Deo ponat. Primo, quia se implicat: secūdo, quia quo plus possessionis habet, eo minus perfectionis spei sortitur. Necessārium ergo est animam denudatam, formarumq; & notitiarum distinctarum supernaturalium rerum oblitam remanere, ne vnioni, cum Deo secundum memoriam in spe perfecta, obicem ponat. *Psal. 85. 8.*

CAPVT XI.

De quinto damno, quod anima per formas & apprehensiones imaginarias supernaturales incurrere potest, quod est abiecte ac improprie de Deo sentire & iudicare.

NOn minus pernitiosum animæ est quintum damnū quod in illam redundat ex eo, quod velit in memoria imaginatiuæ:

ginatiua prædictas formas, & rerum, quæ illi supernaturaliter conferuntur imagines, retinere & asseruare: præsertim si illas tanquam Diuinæ vnionis mediũ assumere velit. Facillimum enim est de Essentia sublimitateque Dei minus digne & alte iudicare, quã incomprehensibilitati eius cõueniens sit. Quamuis enim ratio, ac iudicium nõ eliciat expressum conceptum, Deum esse similem alicui illarum rerum; nihilo seciustamen ipsamet apprehensionum illarum magnipensio efficit, vt anima non adeò excelsè iudicet, sentiatque de Deo sicut fides docet, quæ Deum proponit nobis incomparabilem, & incomprehensibilem. Præterquam quod enim totum, quod hic anima in creatura reponit, à Deo aufert, naturaliter in intimis eius media æstimatione rerum illarum apprehensibilium, fit quasi quædam cõparatio illarum cum Deo, quæ non permittit iudicare vel sentire de Deo adeò excelsè sicut deberet. Nam sicuti dictum est, vniuersæ creaturæ, siue terrenæ siue cœlestes; & vniuersæ formæ, & imagines distinctæ naturales & supernaturales, quę potentijs obijci possunt, etiamsi sublimissimæ illę sint; nullam comparationem aut proportionem cum esse Diuino habent: ipse siquidem nulli generi aut speciei subest. Anima autem in hac vita incapax est clarè, distincteque recipiendi nisi illud, quod aliquo genere vel specie comprehenditur. Idcirco enim S. Ioannes dicit. *Deum nemo vidit vnquam*: Et Isaias ait, in cor hominis minimè ascendisse, quid sit Deus *Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te*. Mosi quoque dixit Dominus: *Non enim videbit me homo, & viuet*. Qui ergo implet & occupat memoriam, & reliquas animæ potentias rebus illis, quas ipsæ comprehendere possunt; Deum magnipendere nequit, nec de illo vt par esset sentire. Explicemus hoc vili quadam cõparatione: manifestũ est quod quo aliquis pluris fecerit famulos Regis, plusque eis illorum consideratione occupauerit, minoris pro eo tempore Regem facturum, minusque maiestatem ipsius contemplaturum; licet enim appretiatio hæc formaliter & distinctè in intellectu non reperiatur, in ipso tamen opere, seu actu reperitur: quò enim plus famulis tribuit, eò amplius eorum Domino subtrahit, & tunc temporis nequaquam is de Rege excelsè sentiret, siquidem famuli aliquid viderentur ei, præsente Rege. Eodem modo euenit animæ cum Deo suo, quando dictas res magnipendit. Quamuis comparatio hæc sit admodum vilis: nam (sicuti diximus) Deus diuersæ & alterius essentiæ est ab omnibus suis creaturis, qua in immensum vniuersas illas excedit. Quamobrem vniuersas illas præterire opotter, in nullaque illarum forma debet anima oculos defigere, vt illos ad Deum collimare valeat per fidem & spem perfectam. Vnde illi, qui non modo magnifaciunt apprehensiones illas, sed etiam Deum alicui illarum arbitrantur similem, earumque præsidio se ad vnionem cum Deo tendere posse opinantur, in graui iam versantur errore, nec tantopere fidei lumine in intellectu vtuntur; quo medio hæc potentia Deo copulatur: sed neque in spei sublimitate incrementa capient, cuius interuentu (sicuti diximus) memoria Deo coniungitur, quod fieri debet, ab omni re imaginaria se ipsam separando.

Fides proponit nobis Deum incomparabilem, & incomprehensibilẽ.

Ioan. 1. 18.

Isa. 64. 4.

Exod. 33. 20.

NOTA.

CAPVT XII.

De vtilitatibus, quas elicit anima separando à se Imaginatiuas apprehensiones. Respondetur etiam cuidam obiectioni, & quædam differentia, quæ inter apprehensiones imaginarias naturales, & supernaturales reperiuntur, demonstratur.

Com-

COmmoda & vtilitates, quæ in euacuanda ab Imaginarijs formis imaginatiua reperiuntur, satis liquido ex quinque iam recensitis damnis constant, quæ in animam, si illas amplecti retinereque voluerit, deriuantur, sicut etiam de naturalibus formis ante monuimus. Verum præter dicta commoda suppetunt aliæ vtilitates ad requiem ac tranquillitatem spiritus admodum cõferentes. Nam vt præteream naturaliter quiete hac spiritum frui, quamdiu ab imaginibus & formis liber est, immunis quoq; est à cura & sollicitudine inuestigandi, an bonæ sint, vel malæ, & qualiter sese gerere debeat in vtrisque; insuper fit liber à labore & temporis iactura quam subire oportebat, cum spiritualibus magistris; requirendo ab eis, vt bonæne sint an malæ, istius vel alterius generis decernant, nihil enim istorum nosse oportet; cum nulli rerum istarum inniti ac inhærere debeat, sed illas in sensu explicato abnegare. Atque hac ratione tempus viresque animæ quas in hisce rebus cõsumere debebat, in alio meliori & vtiliori exercitio occupare potest, nempe in exercitio voluntatis erga Deum, & in studio quærendi nuditatem & paupertatem spiritualem, & sensitiuam; quæ consistit in seria voluntate, ac deliberatione omni adminiculo & fulcimento consolatorio, & apprehensiuo, tam interiori quam exteriori carendi. Quæ omnia egregiè exercentur, si opter & conetur sese ab istis formis auellere, siquidem tam ingens inde commodum consequetur, ac est Deo viciniorem fieri, qui omni imagine, forma ac figura caret, idque eo amplius obtinebit, quo magis se ab vniuersis formis, imaginibus & figuris abalienauerit.

Verum fortasse obijcies, cur igitur plurium spiritualium consilium est, vt studeant & conentur animæ, in suam conuertere vtilitatem communicationes sentimentaque Diuina: & vt cupiant aliquid à Deo recipere, quo sic habere possint quod illi offerant, nisi enim ipse nobis dederit, nihil illi retribuemus. Præterea S. Paulum dicere. *Spiritum nolite extinguere.* Et spõsum spõsæ: *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuũ.* quę res apprehensionẽ aliquam significant. Omnia autem hæc (secundum superius allatam doctrinam) tantum abest vt sint desideranda & requirenda, sed etiamsi offerantur & præbeantur à Deo, sint respuenda & reijcienda. Nemini autem ambigere licet, quod quoniam Deus ea largitur, ob finem optimum hoc faciat, bonumque ac salutarem effectum sortiantur. Nec debere nos margaritas repudiare. Quin potius genus quoddam esse superbiæ, res Diuinas admittere nolle, quasi sine illis nobis ipsis sufficientes esse possimus.

Magni momenti dubiũ proponitur ad libri huius doctrinam clarius intelligendam.

1. Thessal. 5. 19. 8. 6.

Vt obiectionis huius nodum dissoluamus, consideranda præ oculisque habenda sunt ea, quæ capite decimoquinto & Decimosexto Libri Secundi dicta sunt, quibus locis magna ex parte dubitationi huic satis factum est. Dictum quippe ibi est bonum seu commodum, quod ex supernaturalibus apprehensionibus in Animam redundat, quando illæ à DEO proueniunt, passiuè conferri efficiúque in Anima, tunc cum sensibus repræsentantur, absque eo quod potentiæ aliquid ad hoc operatione sua conferant. Quare non est necesse vt voluntas actum admittendi illas eliciat. Nam (sicut etiam diximus) si tũc voluerit anima iuxta aptitudinẽ potentiarum suarum

Dubij propositi resolutio.

rum cooperari, potius operatione sua naturali & vili impediet supernaturalia, quæ per apprehensiones istas tunc in ea operatur Deus, quam vtilitatem aliquam operationis suæ percipiet ; Quin potius quemadmodum passiuè confertur animæ apprehensionum illarum imaginariarum spiritus; sic etiam passiuè se habere debet Anima in eis, non interponendo actiones suas interiores, vel exteriores in vlla re, in sensu superius explicato. Atque hoc est reuera Dei sentimẽta cõseruare: hoc quippe modo non eas vili sua obiectaque operatione amittit. Hoc ipsum etiam est nõ extinguere spiritum: extingueretur enim, si animo aliter se gerere vellet, quam à Deo ducitur, quod certe faceret, si infundendo illi Deus spiritum passiuè, sicuti in istis apprehensionibus facere consueuit, vellet illa tunc in illis sese actiuè gerere, operando propria Intellectus operatione. Vel appetendo in eis aliquid aliud, præter id quod Deus largitur: quod & manifestum est, si enim tũc anima conetur operari, vim sibi inferendo, illius opus, limites naturæ non excederet, vel ad summum si fuerit supernaturale, erit longe inferius eo, quod Deus in ea vult efficere ; ex se enim amplius præstare non potest, siquidem ad supernaturalia tam sublimia, vti hæc sunt, nec seipsam mouet, nec mouere potest, sed à Deo mouetur, & ab illo in eis collocatur ipsa consensum præbendo. Ac proinde si tũc anima à seipsa operari studeat, necessario quantum in se est, operatione sua debet impedire, quod Deus ei communicat, hoc est spiritum, quia propriæ operationi insistit, quæ alterius speciei est, longeque inferior, illa quã Deus cõmunicat. Et hoc est spiritũ extinguere. Quod autem operandi hic modus vilior sit & abiectior, manifestum etiam est, non enim potentiæ animæ iuxta suum ordinarium & naturalem modum operari & sese reflectere possunt, nisi super figurã aliquã, formam vel imaginem: hæc autem cortex sunt duntaxat & accidens substãtiæ & spiritus, qui sub huiusmodi cortice & accidente continetur. Quæ substantia & spiritus non vniuntur potentijs animæ in vera intelligẽtia & amore; nisi quãdo hæc quasi reflexa & imperfecta potentiarũ operatio cessat & intermittitur. Finis quippe, & intentio huiusmodi operationis, quã anima ex suo vellet moliri, nullus alius est, quam recipere in anima substantiam intellectam, & amatam formis illis obuelatam.

Quid est illud Apostoli. Nolite extinguere spiritum.

Vnde discrimen, quod inter operationẽ actiuam & passiuam intercedit & excessus quo vna alterã superat, idé est, quod inter rem, quæ fit, & illam quæ iam fieri desijt, & inter illud quod assequi peroptamus, & inter rem iam obtentam. Vnde etiam cõijcitur, ꝙ si anima velit actiuè exercere potentias suas in huiusmodi imaginariis apprehensionibus supernaturalibus, in quibus (sicuti diximus) confert illi passiuè Deus spiritum ipsarum, hoc nihil aliud esset, quã actum iterum agere, sicq; non frueretur rebus iã acquisitis, nec aliquid aliud operatione sua consequeretur, quam rem iã peractã & absolutã impedire. Vt enim diximus nõ possunt operationes istæ ex se spiritum illum, quem conferebat Deus animæ absq; illarum exercitatione, attingere. Hocque directe esset spiritum extinguere, quẽ dictis apprehensionibus imaginarijs infundit Deus, velle scil. illas magnipendere, illisque inhærere, quare debet illas prætermittere, passiuè sese in illis, vt diximus, habendo: tunc enim Deus animam ad altiora multoque sublimiora, quã ipsa assequi sciuisset aut potuisset, promouet, & subleuat. Nam propterea dixit Propheta : *Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionẽ; & contemplabor, quid*

Discrimen inter operationem potentiæ actiuæ & passiuæ.

Quæ sit ratio cur debeat anima in apprehensionibus imaginariis supernaturalibus.

Abac. 2.

quid dicatur mihi. Quod perinde est, ac si diceret. Erectus manebo super custodiam potentiarum mearum, & ne vnum quidem passum faciã in operationibus meis; atque hoc modo contemplari potero illud, quod dictũ mihi fuerit, hoc est, intelligã, & degustabo illud, quod supernaturaliter mihi fuerit communicatum. Illud etiam quod ex Canticis obijcitur de amore, quem sponsus à sponsa exigit, cuius officium est, assimilare amatum rei amatæ, accipi debet; ideoque illi dicit, vt illum ponat velut signaculũ super cor suum, quod sagittæ pharetræ amoris ferire solent, quæ motiua sunt actionesq; amoris: vt vniuersæ sagittæ istæ illum petant, cum ipse sit ibi proscopo & signo illarum: vtque hoc modo omnes in illum conuertantur, animaque similis illi, per actiones & motus amoris euadat, donec in illum transformetur. Dicit præterea sponsus, vt ponat illum velut signaculum super brachium suum, in ipso namque amoris exercitium consistit, siquidem illi innititur, & ipso recreatur & demulcetur dilectus.

Quamobrem id, ad quod vniuersas vires suas intendere debet anima est, vt in omnibus apprehensionibus, quæ desuper illi venerint, siue imaginarijs, siue cuiuscũque alterius generis, siue visiones sint, siue loquutiones, sentimenta vel reuelationes, nihil faciendo litteram & corticem (hoc est id quod significant vel repræsentant vel innuunt) oculos ac conatum omnem in Dei amorem conuertat, quẽ illi interius in anima producunt. Atque in hoc sensu, hocque modo magnifacere debet sentimenta; non gustum suauitatemq; illorum: aut figuras, sed amoris sentimenta, quæ producunt. Atque ad hunc solum finem & effectum, posset interdum imaginum illarum ac apprehensionum, quæ illam amore inflammarunt meminisse, ad suggerendum videlicet spiritui motiua & spicula amoris. Licet enim huiusmodi res, non adeò intensum postmodum producant effectum cum illarum recordamur, sicuti quando nobis primum sunt communicatæ produxerunt, nihilominus tamen cum illas in memoriam reuocamus, reuocatur amor, sequiturque mentis in Deum eleuatio: præsertim, cũ est memoria aliquarum imaginum, figurarum vel sentimentorum supernaturalium, quæ insculpi & imprimi tantopere solent in anima, vt multo in ea tempore durent, & aliquæ vix vnquam aboleantur. Huiusmodi porrò imagines, quæ hoc modo insculpuntur animæ, quasi semper quod ad illas se conuertit, diuinos amoris, suauitatis luciscque &c. effectus ingenerant; interdum plus, interdum minus: ad hunc quippe finem & effectum à Deo sunt insculptæ. Quare insigni ille cumulatur beneficio, cui à Deo talia conferuntur: hoc siquidem nihil aliud est, quam ditissimas bonorum fodinas possidere. Huiusmodi figuræ, quæ tales producunt effectus viuo modo inhærent animæ secundum eius memoriam intelligibilem, non enim sunt aliarum imaginum & formarum instar, quæ in Phantasia asseruantur. Vnde nec opus est animã eas ab istâ potentiâ mendicare, quando illarum vult meminisse: agnoscit quippe & animaduertit illas se in seipsa gestare, ad eum modũ, quo imago in speculo apparet. Quando ergo acciderit aliquam animam dictas figuras formaliter in se habere, benè poterit illarum reminisci ad effectum amoris, de quo dixi, non enim impedient illum in consecutione vnionis amoris in fide, dummodo non se nimium figuræ illi applicet, aut in illa occuper, sed amore obtento, reijciat ac excludat confestim imaginem: & hoc modo potiùs illum ad vnionem promouebit.

Discrimen inter imagines spirituales & imagines Phantasiæ.

Difficulter discerni potest, quando imagines istæ attingunt directè id, quod est spirituale in anima, quando verò solum in Phantasiâ morantur. Imagines enim Phantasiæ solent etiam esse admodũ frequentes, aliquæ siquidem personæ valdè ordinariè gerunt in imaginatione & Phantasiâ imaginarias visiones, creberrimeque vno eodemque modo illis repræsentantur, id ex eo proueniat, siuè quod organum habeant admodum apprehensiuum, ita vt si vel minimum quid cogitent, continuo repræsentetur illis, & effigietur figura illa ordinaria in Phantasiâ, siue etiam quia illam dæmon imprimit: siue denique quia ipsemet Deus illam inserit, absque eo quod in anima formaliter imprimatur. Restamen hæc ex effectibus dignosci potest, naturales enim imagines vel à Dæmone profectæ, licet quam maximè illarum quis recordetur, nullum effectum vtilem producunt, nec spiritualem in anima renouationem; sed aridè tantummodo illas intuetur. Imagines verò bonæ, licet operentur semper in anima aliquem bonum effectum, dum illarum recordatur, quemadmodum etiam dũ primâ de illis vice cogitaretur, operatæ sunt; formales tamẽ .i. quæ animæ imprimũtur ferè semper, quãdo ad illas intuẽdas conuertitur, aliquẽ effectum producunt. Qui has formales imagines fuerit expertus, facili negotio vtrasque agnoscet, manifesta siquidem est illi dicta differentia, qui hæc experimento degustauit. Illud vnum dico, imagines illas, quæ formaliter & perseueranter imprimuntur animæ, ratius contingere. Cæterum siue sint istæ, siue illæ, expedit animæ nihil comprehendere velle, præter Deum, per fidem in spe. Ad hoc autem, quod obijciebatur videri superbiam, huiusmodi res, si bonæ sint repudiare. Respondeo potius insignis esse humilitatis prudenter illis, quam optimo fieri possit modo vti, sicuti dictum est, & tutiora sectari.

Expedit animæ nihil cõprehendere velle præter Deum per fidem in spe.

CAPVT XIII.

In quo de Spiritualibus notitijs, quatenus ad memoriam spectare possint, disseritur.

SPirituales notitias, tertium apprehensionum memoriæ genus esse diximus, non quia illæ ad corporeum Phantasiæ sensum spectent, vt reliquæ; sed quia etiam reminiscentiæ ac memoriæ spirituali subsunt. Postquam enim illarum aliqua, fuerit animæ repræsentata, potest illa quando libuerit ipsarum meminisse: & hoc, non propter figuram & imaginem, quam apprehensio huiusmodi in sensu corporeo reliquerit (nam cum corporeus sit vt diximus, incapax est spiritualium formarum) sed intellectualiter & spiritualiter meminit illarum ob formam, quam sui in animâ reliquit apprehensio illa impressam, quæ etiam est forma, vel notitia, vel imago spiritualis, vel formalis, cuius præsidio sibi reuocat in memoriam, vel certè meminit illius, propter effectum, quem produxit. Atque hæc est causa cur apprehensiones istas inter memoriæ apprehensiones numero, etiamsi ad phantasiam directè non pertineant.

Quales sequens anima in apprehensionibus spiritualibus debeat.

Quales autem sint notitiæ istæ, & qualiter se anima in illis gerere debeat, vt ad vnionem cum Deo tendere valeat, sufficienter declaratum est capite vigesimo quarto secundi libri, vbi de illis sicut de intellectus apprehensionibus egimus: dicto itaque loco videre licet. Diximus enim ibi in duplici differentia esse notitias istas: quasdam perfectionum increatarum, alias verò

verò rerum creatarum. Id solummodo quantum nunc ad præsens nostrum institutum attinet, qualiter videlicet se in illis gerere debeat memoria, vt ad vnionem pergat; dico quod (vt immediatè docuimus, de notitijs formalibus capite antecedenti, ad quod formalium notitiarum genus etiam istæ, de quibus agimus spectant, cum sint rerum creatarum) dico inquam, quod quando salutarem produxerint effectum, potest anima illarum reminisci; non ad hoc vt illas in seipsa retinere velit; sed ad viuificandum amorem, & Dei notitiam. Verum si illarum recordatio nullum bonum effectum inducit; nunquam velit illas ad memoriam admittere. Verum de increatarum rerum notitijs, hoc pronuncio, vt quam creberrimè fieri poterit illarum recordari satagat, præstantissimum quippè ex ijs hauriet effectum, siquidem sicut ibi diximus sunt tactus sentimentaque vnionis diuinæ, ad quam dirigimus animam. Horum autem tactuum & sentimentorum non recordatur memoria, ob aliquam formam, imaginem vel figuram, quam ipsa animæ imprimant, nullam enim formam tactus illi acsentimenta vnionis cum creatore sortiuntur, sed ob effectum lucis, amoris, suauitatis, spiritualis renouationis, quem in illa pridem reliquerunt, quorum quotiescunque recordatur, aliquid horum renouari sentit.

CAPVT XIV.

Vniuersalis præscribitur modus, quem spiritualis tenere debet circa istam memoriæ potentiam.

VT tandem huic de memoria tractationi finem imponamus, operæ pretium erit ad breuem hoc loco synopsin ac compendium redigere modum, quo vniuersaliter spiritualis lector vti debeat, vt secundum istam potentiam Deo vniatur. Licet enim, ex dictis ea res constet, nihilominus in compendium reuocata doctrina, commodius percipietur. Quamobrem illud ei altè perpendendum est, quod quoniam id quod hic intendimus est, vt anima vniatur Deo secundum memoriam in spe; id verò quod speratur illud esse quod non possidetur, & quo minus aliarum rerum possidet anima, eo maiorem capacitatem aptitudinemque ad sperandum id, quod sperat, eam habere, & consequenter maiorem spei perfectionem, & quod quo plures res possederit, minorem eam habere capacitatem & aptitudinem ad sperandum, & consequenter minorem spei perfectionem. Præterea aduertendum illi est, secundum istam doctrinam, quod quo plus anima despoliauerit & priuauerit memoriam formis rebusque alijs, quæ à memoria retineri possunt, quæ non sunt diuinitas, vel Deus humanatus (cuius memoria consideratioqu magni semper momenti est ad finem consequendum, vtpote illius, qui est vera via, dux, autorque bonorum omnium) eò amplius collocabit, figet memoriam in Deo, ac magis illam exhibebit vacuam, vt speret ab eo memoriæ suæ plenitudinem.

Humanati Dei memoria semper retinenda.

Illud itaque quod illi faciendum est vt in integrâ puràque spe DEI viuat est, vt quotiescunque se se obtulerint illi notitiæ, formæ & imagines distinctæ (secundum iam allatam doctrinam) nequaquam se in illis detinendo, confestim Animam ad Deum in vacuitate totius illius memorabilis, cum affectu amoroso conuertat, non cogitando nec amplius res illas intuendo, nisi quantum illi ad earum memoriam retinen-

dam (vt nimirum intelligere & exequi possit ea, ad quæ tenetur, si illæ fuerint rei obligationem aliquam inducentis) satis sit. Quod taliter fieri debet, vt minime illis affectu delectationeque adhæreat, ne forte aliquem post se sui effectum seu impedimentum in anima relinquant. Quare non debet homo abolere memoriam & cogitationem rerum illarum, ad quas faciendas & sciendas obstringitur: dummodo enim absint affectiones proprietatis, nullum illi memoriæ istæ, adducent nocumentum. Ad hunc effectum, non mediocriter proderunt versiculi montis capite 13. libri primi exarati. Verum animaduertere te hoc loco oportet (ô charissime lector) quod nequaquam assentimur, neque conspiramus, sed neque assentiri & conspirare in hâc nostrâ doctrina volumus, cum illa pestiferorum hominum doctrina, qui à satanica superbia inuidiaque persuasi eliminare & extirpare ab oculis fidelium sanctum & necessarium vsum, inclytamq; Dei ac sanctorum imaginum adorationem & venerationem voluerunt. Quin potius nostra hæc doctrina plurimum ab illa discrepat: non enim hoc loco docemus vt non habeantur imagines, neque vt illis adoratio debita impendatur, sicut ipsi docent: sed solummodo explicamus discrimen quod inter illas Deumque reperitur: & vt taliter picturas intueantur, vt non impediantur ad id, quod imagines repræsentant, tendere plus illis quam ad pergendum ad spiritualia satis sit, inhærendo. Quemadmodum enim bonum necessariumque est medium ad consequendum finem (cuiusmodi medium sunt imagines ad reuocandum in memoriam Deum ac sanctos) ita etiam quando plus assumitur ex medio, plusque in eo sistitur quam solius medij necessitas postulet, ipsum medium assecutionem finis impedit, & retardat. Quanto magis, quod id, quod ego hoc loco doceo & maxime inculco, locũ præsertim habet in imaginibus & visionibus interioribus, quæ efformantur in anima, eo quod circa illas multæ deceptiones ac pericula contingant. Verùm quantum ad memoriam, adorationẽ, & æstimationem imaginum, quam nobis sancta mater nostra Ecclesia Catholica proponit, attinet, nulla deceptio, nullumque periculum inde emergere potest, neque illarum memoria poterit animæ non prodesse: memoria siquidem illa, semper est annexa amori rei illius quam repræsentant, & quâdiù vtetur imaginibus ad istum finem, semper promouebunt illam ad vnionem cum Deo, dummodo, permittat euolare animam (cum illi hanc Deus concesserit gratiam) à pictura ad rem viuam, in obliuione totius creaturæ rerumque ad creaturas spectantium.

Non debet homo obliuisci rerũ illarum, ad quas sciendas & faciendas tenetur.

CAPVT XV.

Inchoatur tractatio de nocte obscura voluntatis. Quædam Deuteronomij authoritas adducitur, itemque alia Dauidis, postremo affectuum voluntatis diuisio adfertur.

NIhil prorsus in intellectu ad eum in virtute fidei fundandum repurgando, memoriaque (in sensu cuius monuimus cap. 6. lib. 2.) itidem repurganda ac in spei virtute constituenda præstitissemus, nisi etiam voluntatem in ordine ad charitatem, quæ tertia virtus est consequendâ, repurgaremus, per quam opera in fide peracta, viua sunt magnique pretij, & sine quâ nullius sunt valoris. Vt enim Sanctus Iacobus ait. *Fides sine (charitatis) operibus mortua est.* Vt autem nunc de nocte nuditateq; *Iac. 2. 20*

Actiua

Actiua istius potentiæ agere possimus, vt illam in hac charitatis Dei virtute perficiamus ac stabiliamus, non reperio authoritatem magis accommodam ac congruentem illa, quæ in Deuteronomio scripta est: vbi ait Moyses. *Diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Quibus verbis quidquid spirituali homini faciendum incumbit, & quidquid ei ego hoc loco, vt serio per voluntatis vnionem charitate mediâ ad Deum perueniat, traditurus sum, continetur. Hisce enim verbis iubetur homo vniuersas potentias & appetitus: operationes item & animæ suæ affectus, in Deo impendere, idque taliter, vt vniuersa habilitas animæque fortitudo, ad nihil aliud, nisi ad hoc solum deseruiat, iuxta id quod dixit Dauid. *Fortitudinem meam ad te custodiam.* Animæ autem fortitudo ac robur in potentijs, passionibus appetitibusq; consistit: quæ vniuersa à voluntate reguntur. Quando ergo passiones istas, potentias & appetitus in Deum dirigit voluntas, & ab omnibus eo, quod Deus non est, diuertit & auellit; tunc vniuersam animæ fortitudinem ad Deum custodit: sicque Deum amat ex tota fortitudine suâ. Vt autem hoc anima præstare possit, agemus hoc loco de voluntate, ab omnibus suis affectionibus deordinatis repurganda, vnde illi nascitur, non custodire ad Deum vniuersam fortitudinem suam. Affectiones istæ seu passiones sunt quatuor, Gaudium scilicet, Spes, Dolor, & Timor. Quæ passiones si iuxta rectam rationem in opus prodeant, anima eas in Deũ ordinante, ita vt de nulla re lætetur nisi de eo, quod purè ad gloriam honoremque Dei Domini nostri spectat, nec præter eum aliquid aliud speret: neque de aliqua re doleat, quæ huc non reuocetur: neq; aliquid præter Deum solum metuat: clarè patet eas dirigere & custodire animæ fortitudinem & aptitudinem ad Deum. Quo enim intetius alia in re lætata fuerit anima, eò remissius debiliusq; gaudium suũ circa Deum occupabit: & quo in aliqua alia re amplius spem suam reposuerit, eò minus Deo fidit: & sic de reliquis.

Vt autem copiosiorem plenioremque huius rei doctrinam adferamus, more nostro singillatim de vnaquaque quatuor istarum passionum, nec non de voluntatis appetitibus disseremus. Vniuersus siquidem negotij huius vnionis cum Deo cardo, in repurganda à suis affectionibus & appetitibus voluntate positus est: vt hac ratione voluntas humana & vilis, in Dei voluntatem euadat vnum, idemque cum Dei voluntate effecta.

Vniuersum negotij vnionis cũ Deo cardo in repurganda ab appetitibus suis voluntate positus est.

Quatuor istæ passiones, tanto plus sibi iuris vsurpant in anima, tantoq; illam amplius oppugnant, quanto debilior ac infirmior fuerit in Deo voluntas, & quo plus à creaturis pendet. Tunc enim nullo negotio de ijs lætatur rebus, quæ gaudium minimè promerentur, tunc eas sperat, in quibus nihil est commodi: dolet etiam, de quo forsasse lætari oportebat: & timet vbi nihil esset metuendum.

Ex affectibus istis vniuersa vitia imperfectionesque nascuntur in anima, quando illi sunt effrænes: cunctæ etiam virtutes, quando ordinati illi sunt & rectè dispositi. Sciendum verò est, quod iuxta modum mensuramque, qua vnus illorum rectè & secundum rationem fuerit dispositus, cæteros quoque eodem modo disponendos. Adeò quippe coniunctæ & inuicem sibi consentientes sunt quatuor istæ animæ passiones, vt quo actualiter vergit propẽ detque earum vna, reliquæ etiam eodem virtualiter tendant: quod si etiam se subtrahat subducatque actualiter illarum aliqua, cæteræ etiam secundum eandem pro-

Ex appetitibus deordinatis, vniuersa vitia & imperfectiones nascuntur.

Ex ordinatis verò, cuncta virtutes.

portionem seu mensuram virtualiter se subtrahunt, & subducunt. Nam si volûtas de re aliqua lætatur, consequenter ad eandem mensuram debebit illam sperare; virtualiterq; ibi etiam dolor de illa continetur & timor: & viceversa, quo magis à te quapiam gaudium & delectatio abstrahitur; dolor quoque, timor & spes illius euanescunt. Ad similitudinem (quamuis nequaquã hoc sit, quod illo loco adumbratur) quatuor illorum animalium, quæ in corpore vno conspexit Ezechiel, quæ quatuor habebant facies, alæq; vnius alterius alis erant affixæ, & vnumquodque ante faciem suam gradiebatur, nec reuertebantur cum ambularent, & facies & pennas per quatuor partes habebant, iunctæque erant pennæ eor. alterius ad alter. & nõ reuertebantur, cum incederẽt, sed vnumquodq; ante faciem suam gradiebatur. Ad eundẽ modum colligatæ sunt inuicem vt iuscuiusque affectionum harum alæ, cuiuscunq; alterius alis, vt quocunq; actualiter aliqua illarum faciem suam, hoc est operationem suam, conuerterit; necessariò reliquæ virtualiter illam associare comitariq; debent, & quoties illarum vna ad terram fuerit demissa, vt ibi dicitur, demittentur & declinabunt etiam cæteræ: & quando sursum fuerit eleuata, etiam reliquæ eleuabũtur. Quo spes pertexerit gaudiũ quoq; timor & dolor subsequẽtur: quod si ea retrocesserit, aliæ quoq; retrocedent, & sic de reliquis.

Quanta sit passionum istarum inter se cõnexio.

Ezech 1.8.

Quocunq; se verterit aliqua passionum istarum, eo quoque totam animã illiusque potentias abituras.

Ex quibus animaduerti colligique debes (ô spiritualis) quocunque se conuerterit aliqua istarum passionum, totam quoq; animam, voluntatem, cæterasque potentias eodem abituras victurasque sub captiuitate passionis istius, & insuper reliquæ tres passiones etiã in illa passione viuent, vt affligant animam, nec illam ad libertatem, dulcisq; contẽplationis & vnionis requiẽ euolare patiantur. Idcircò enim Boërius dixit. Quod si perspicuâ luce veritatem intelligere cupias; procul à te gaudia, spẽ, timorem doloremq; releges. In quantum enim passiones istæ principatum obtinent, non sinunt animam esse tranquillã & pacatam, quod ad sapientiam, quæ naturaliter & supernaturaliter acquiri potest, necessario requiritur.

Boërius de Consol. Philosoph. Tulliana ad claros Cretenses. Gaudia pelle. Pelagus rerum. Spemq; fugas. Nec dubia assis.

CAPVT XVI.

De prima voluntatis affectione differere auspicatur. Quid nam sit gaudium explicat, proponit etiam rerum in quibus voluntas delectari potest, distinctionem.

PRima passionum animæ affectuumq; voluntatis est gaudium; quod (secundũ eam acceptionem, secundum quam loqui de illa statuimus) non est aliquid aliud quã satisfactio quædam voluntatis, coniuncta æstimationi, rei cuiuspiam, quam sibi conuenientem esse iudicat, nunquam enim voluntas de re aliqua lætatur, nisi quando illam appretiat, illâque oblectatur. Quod tamẽ de gaudio actiuo accipi debet, quod tunc euenit, quando anima distinctè manifestèque intelligit illud de quo lætatur, in eiusque situm est potestate de illa lætari vel non lætari. Est enim aliud gaudium passiuum, in quo potest seipsam repetire anima sætantem seu fruentem, nihil tamen clari distinctique intelligendo (& interdum etiam intelligendo) vnde gaudiũ eiusmodi deriuetur, nec illo tempore sui arbitrij est, gaudium huiusmodi percipere vel non percipere. Atq; hac de re agemus postmodum. Nunc de gaudio in quantum actiuum est, ac voluntarium rerum distinctarum & manifestarum, duntaxat disseremus.

Primum bonum. Satisfactio. Spiritus fugax.

Gaudium ex sex rerum vel bonorum gene-

generibus oriri poteſt: videlicet, Temporalibus, Naturalibus, Senſualibus, Moralibus, Supernaturalibus, & Spiritualibus: de quibus ordine ſuo diſputabimus, voluntatem rationi conformando, ne illis irretita & implicata vniuerſam gaudij ſui vim & efficaciam in Deo collocare prætermittat. Pro omnibus autem iſtis neceſſarium eſt vnum præſupponere fundamentum, quod erit velut ſcipio quidam, cui ſemper innixi debemus, expeditq; illud benè habere exploratum, ſiquidem eſt lux cuius præſidio duci, hancque doctrinam intelligere, & gaudium in omnibus iſtis bonis ad Deum dirigere debemus. Eſt autem, voluptatem de nulla alia re lætari, gaudereque debere niſi de illa, quæ ad honorem & gloriam Dei ſpectat: & præterea quod maximus honor, quem Deo exhibere poſſimus eſt, ſecundum Euangelicam perfectionem illi obſequi & deſeruire, quod autem limitibus iſtis non continetur, nullius prorſus eſt valoris, nulliuſque homini vtilitatis.

CAPVT XVII.

In quo de gaudio, quod ex rebus temporalibus percipitur, agere incipit. Docet etiam, qua ratione gaudium in illis ad Deum dirigi debeat.

PRimum bonorum genus diximus eſſe Temporalium; per temporalia autem bona hoc loco intelligimus diuitias, dominia, officia, aliaſq; ambitiones, filios quoq; cõſanguineos, & coniugia, &c. de quibus omnibus lætari poteſt voluntas. Manifeſtum eſt autem, quam vanum ſit homines in opibus, titulis, ſtatibus ſiue dominijs, dignitatibus vel officijs, & alijs rebus ſimilibus quas illi ambire ſolent, lætari: ſi enim ex eo quod homo maioribus diuitijs affluaret, ſequeretur maiorem eum quoq; Dei famulum fieri; merito de diuitijs lætari deberet: verũ aliter ſe res habet, potius enim eſſe poſſunt illi cauſa eum offendendi, ſecundum Sapientis doctrinam, dicentis: *Filiſi dues fueris, non eris immunis à delicto.* Eccl. 11. 10. Quamuis enim verum ſit, tẽporanea bona nequaquam ex ſe ipſis in peccatum neceſſario impellere, ſed quoniam vt plurimum ex fragilitate humanâ, cor nimium illis afficitur & adhæret, ac in ijs, quæ Dei ſunt deficit, quod peccatũ eſt: idcircò ait Sap. *Non eris immunis à delicto.* Et propterea Ieſus Chriſt. Dominus noſter, diuitias appellauit in Euangel. ſpinas, vt intelligeremus eum, qui voluntate illas contrectauerit, peccato aliquo ſauciandum: qui autẽ ſeminatus eſt in ſpinis, hic eſt, qui verbum audit, & ſolicitudo ſeculi iſtius, & fallacia diuitiarũ ſuffocat verbũ &c. Illa etiã exclamatio Saluatoris iure metuẽda apud S. Math. *Amen, amen dico vobis, quia dues difficile intrabit in regnum cœlorum*, id eſt, qui in eis gaudium ſuum reponit: idipſum innuit; non debere nimium hominem in diuitijs lætari, cum tanto ſe ſalutis ſempiternæ diſcrimini propter eas obijciat. Ad diuertendum nos etiam ab iſto gaudio Dauid dixit: *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere*: non placet plura in re adeò manifeſtâ congerere teſtimonia: quando enim illa, quæ de ijs dicit Salomon in Eccleſiaſte mala, recenſerem, Vanitas vanitatum & omnia vanitas: qui tanquam ſapientiſſimus homo, & qui plurimis opibus abundauerat proprio edoctus experimento dixit: Omnia, quæ ſub ſole erant, vanitatem eſſe vanitatum, & ſpiritus afflictionem, vanamque animi ſolicitudinem, & illum, qui amaret diuitias, nullum ex illis emolumẽtum eliciturũ. Diuitias quoq; reſeruari in malum Domini ſui, ſicut factum in Euangelio legimus, vbi ille, qui quoniam plurimos

Math. 13. 24.

Pſ. 61. 11.

Eccl. 1.

Luc. 12. 20.

Lu.12.20 mos fructus in multosq; annos congregasset, lętabatur, audijt sibi è cælo dictum: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem præparasti cuius erunt?* Et postremo Dauid idem docuit dicens: *Ne timueris cum dives factus fuerit homo. Quoniam cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.* His verbis innuens potius illi compatiendum esse quam inuidendum.

Psal. 48.17.

Quomodo licet, & prodest lætari in diuitijs.

Hinc itaque sequitur non debere lætari ex eo hominem, quod opibus ipse aut frater eius affluant; sed solummodo si rectè ijs ad Dei obsequium vtantur: nam si aliqua ratione tolerari potest gaudium ex ijs ortum, certè tunc solum quando in rebus ad Dei obsequium spectantibus erogantur, alias enim nullum ex ijs emolumentum resultabit. Id ipsum de reliquis Dignitatum, Dominiorum, officiorumque, &c. Bonis sentiendum est, de quibus omnibus vanissimum est gaudere, nisi forte aliquis se in illis amplius Deo obsequium exhibere, aut certè securiorem sibi esse in eis viam, ad vitam sempiternam consequendam arbitretur. Et quoniam euidenter nosse nequit, an res ita se habeant, an videlicet magis Deo isto modo inseruiat, vanum erit de huiusmodi rebus determinatè lætari, non enim rebus sic stantibus, ratio nabile esse potest ipsius gaudium. Siquidem vt Dominus ait, *Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Non est ergo vnde gaudeat, nisi vt dictum est, maius inde Dei obsequium appareat.

Math. 16. 26.

Sed nec est cur de prole gaudeatur, quod scilicet copiosa sit, locuples, varijs naturalibus fortuitisque dotibus conspicua: sed dūtaxat si Deo inseruiat. Absoloni siquidem filio Dauid, neque sua pulchritudo, neque diuitiæ, neque nobilitas aliquid profuerunt; cum Deo minimè fuerit obsecutus. Vanum itaque fuit de huiusmodi filio lætari. Hinc etiam patet, vanum esse optare liberos, vt nonnulli faciūt, qui ob filiorum desiderium, mundum vniuersum inuertunt & perturbant, nonenim illis perspectum est, an probi futuri sint, Deoque famulaturi, & vtrum gaudiū, quod ex ijs præstolantur, fortassis vertendum sit in mœrorem: requies & solatium in afflictiones & tribulationes: honores in ignominias, præbeantque occasionē Deū magis offendendi, quemadmodum multis contingere solet. De quibus Christus Dominus dixit, quod terram mareque circumeunt vt eos locupletent, & filios perditionis duplicatè quam fuerint ipsi efficiant. Quamobrem licet homini arrideat fortuna, cunctaque prosperè ac felicitèr eueniant, & vt vulgo dicitur, ad libitum nutumq; minimum suppetant vniuersa, formidare potius debet, quam lętari, eo quod ex huiusmodi rebus incrementa capiat occasio periculumque obliuionis Dei, illumque vti diximus offendendi. Propterea quippe dicit Salomon in Ecclesiaste, se hac in parte cautum fuisse dum ait: *Risū reputaui errorem, & gaudio dixi, quid frustra deciperis?* Quod est ac si dixisset. Quando arridebant abblandiebantūrq; mihi vniuersa, errorem deceptionemque reputaui de illis lætari, quia absq; dubio insignis error & stoliditas hominis est, qui de eo, quod illi iucundum & plausibile apparet, exultat, certo nesciens an inde aliquod bonum æternum sit consecuturus. *Cor sapientum vbi tristitia est, & cor stultorum vbi lætitia*, ait Sapiens. Vana siquidē lætitia cor excæcat, nec illud considerare trutinareque res permittit: Tristitia autem oculos aperit, factrque damna & commoda rerum considerare. Hinc etiam est, quemadmodum idē dicit. *Quod melior sit ira risu*: Proinde, *melius est ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij: in illa enim finis cunctorum*

2. Reg. 14. 25.

Eccl. 7. Insignis stultitia est hominis diuitias & bona temporalia quæ ad aliquod bonum æternum non conducunt, vana existimare, tristitia vero eos fore vacuos. Eccl. Ibid. 4.

tum admonetur hominum. Sicut dixit idem Sapiens.

Vanitas quoque esset de vxore vel marito lætari, quando euidenter non constat melius se in suo matrimonij statu Deo obsequi, imò potius erubescere deberent: eo quod matrimonium in causa sit (vt ait S. Paulus) vt non integrum cor Deo consecrent, cum vnus alteri cor suum immerserit. Quam ob causam ait: *Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem*: sed iam quod quis eam habeat necesse est, vt id cum tali libertate cordis fiat, ac si illam non haberet. Quam rem ipsemet Apostolus de temporalibus etiam bonis, de quibus iã egimus loquens, docet istis verbis: *Hoc itaque dico fratres, tempus breue est: reliquum est, vt & qui habent vxores, tanquam non habentes sint: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non possidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur.* Quæ omnia idcirco dixit, vt significaret vanum inutileque esse gaudium in aliqua alia re constituere, quã in eo quod ad Dei obsequium pertinet: si quidem gaudium, quod non est secundum Deum, nequit animæ fœliciter succedere.

CAPVT XVIII.

De damnis, quæ redundare possunt in animam ex eo, quod gaudium in temporalibus rebus constituat.

SI detrimenta, quæ obsident animam eò quod affectum volũtatis in temporalibus rebus demergat recensere deberemus; nec atramentũ nec papyrus sufficeret, tempusque nimis esset breue. Siquidem ex valde exiguis principijs, ad grãdia mala deueniri potest, magnorumque bonorũ iactura fieri. Quemadmodũ ex vna ignis scintilla nisi extinguatur, ingens incendium oriri potest, quod totum comburat orbem. Vniuersa hæc damna originem trahunt, & in quodam præcipuo priuatiuo damno, quod in isto vano gaudio seu lætitia reperitur fundantur, nimirum in abalienatione recessuque à DEO.

Quemadmodum ex accessu per voluntatis affectum ad Deum omnia oriuntur bona. sic ex recessu ab eo omnia mala.

Quemadmodum enim ex accessu animæ ad Deũ per voluntatis affectũ, omnia oriuntur bona; sic ex recessu, qui per istum erga creaturas affectum fit, vniuersa in anima mala redundãt, secundũ gaudij affectusque, quo creaturis agglutinatur, mensuram & proportionem. Hoc quippe est à Deo separari. Vnde secundum maiorem vel minorem à Deo separationem poterit vnusquisque conijcere dãna sua, magis vel minus intẽsiuè vel extẽsiuè se habere, quæ vt plurimũ vtroq; simul modo eueniunt.

Hoc priuatiuũ damnũ, ex quo oriri cætera priuatiua & positiua asseruimus, quatuor complectitur gradus, vnum alio deteriorem. Cum autem anima quartum attigerit gradum, vniuersa etiam mala & detrimenta, quæ dici in hoc casu possunt incurrit. Hos quatuor gradus optime indicauit Moyses in Deuteronomio verbis istis. *Incrassatus est dilectus & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deũ factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.*

Deut. 32. 15.

Quatuor gradus per quos recedit anima à Deo gaudium suum in creaturis reponens.

Incrassari animam, primo dilectam, est huic creaturarũ gaudio immergi. Atque hinc primus huius damni gradus proreditur videlicet retrocedere: quod nihil aliud est, quam quædã mentis circa Deum stupiditas & obfuscatio, quæ illi bona Diuina obscurat, quemadmodũ nebula aërẽ inficit, ne possit commodè solis lumine illustrari, siquidem eo ipso quod spiritualis vir gaudium suum in re aliqua reponit, & appetitui habenas relaxat, vt ad ineptias defluat, obtenebratur circa Deum, simplicemque iudicij intelligentiam obnubi-

Sap. 4. 12. lat. Secundum quod spiritus diuinus in libro Sapientiæ docuit, dicens. *Fascinatio nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transuertit sensum sine malitia.* Quibus verbis significat Spiritus sanctus, quod licet nulla in anima præcesserit præconcepta malitia, concupiscentia sola & gaudium de rebus creatis, ad istum primum damni gradum inducendum satis sit, qui gradus est mētis stupiditas & iudicij ad veritatē capiendam, rectēque de qualibet re iudicādum obscuritas, seu obfuscatio, neque ad malum hoc euadendū, sufficit sanctitas aut perspicax iudicium, quo homo sit præditus, si concupiscentiam aut gaudium de rebus temporaneis admittat. Idcirco enim Deus per Moysen nos admonēs, hæc protulit verba: *Non accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes.* Præsertim verò hæc loquebatur ijs, qui futuri erant iudices, indigent enim huiusmodi homines iudicio defæcato & sagaci: quod habere nequaquam poterunt, ob concupiscentiam gaudiumq; munerū. Et propterea eidem Mosi præcepit Deus, vt huiusmodi iudices constitueret, qui auaritiam abhorrerent, ne forte iudicium eorum possessionum gustu, & delectamento obfuscaretur. Atque ita non solum dicit vt illas nolint, sed etiam vt abhorreant. Ad hoc enim vt aliquis perfectè se ab amoris affectu tueri possit, debet se ipsum in auersione odioque conseruare, vno contrario se ab alio defendendo. Atque hoc in causa fuit cur Samuel fuerit semper iudex adeò iustus & illuminatus, quia (sicut ipsemet 1. lib. Reg. dixit) munera haudquaquam recepit. *Si de manu cuiusquam munus accepi.*

NOTA.

Exod. 23. 8.

Quæ faciendū ei, qui se ab hoc inordinato affectu ameris & gaudij cupiat esse immunē.

1. Reg. 12. 3.

Secundus damni huius priuatiui gradus ex isto primo originem sumit: quem sequentia autoritatis citatæ verba innuūt, videlicet. *Incrassatus, dilatatus.* Vnde secundus hic gradus dilatatio est voluntatis, lā in rebus temporaneis liberioris factæ, qui in eo consistit, vt non iam tantopere curet, doleat, tantique faciat creatis bonis frui, voluptatemque ex eis capere. Hoc autem inde illi euenit, quia prius fræna gaudio laxauit; præbendo quippe illi locum incrassata est in illo anima: sicut ibidem legitur: illaque gaudij & appetitus crassities fecit amplius ad creaturas voluntatem dilatari. Quæ res grauia inducit detrimenta. Iste enim gradus secundus, facit eum à Deo sanctisque exercitijs diuelli, eaque insipida ei reddit: iam enim aliò delitias suas transtulit, multasque ineptias gaudij & inania oblectamenta venatur. Qui quidem gradus quādo iam omnino fuerit consummatus, penitus ab homine continua, quibus vtebatur exercitia profligat, eliminat, efficitque vt tota eius mēs ac desideriū iam circa sæcularia occupetur. Iamq; qui in hoc secundo gradu constituti sunt, non solum obscuratum habent iudicium ac intellectum, ad iustitiam veritatesque cognoscendas, sicut habent illi, qui in primo gradu versantur: sed etiam sunt admodum tepidi & remissi in illis pernoscendis, & opere adimplendis, quemadmodum de illis dixit Isaias verbis istis. *Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non iudicant, & causa viduæ nō ingreditur ad illos:* Quod non fit absq; eorum culpa, præsertim quando eis ex officio incūbit. Iā enim, qui in isto versantur gradu, malitia nō carent, quemadmodū illi ea caret, qui in primo sunt gradu. Atq; hoc modo magis à iustitia & virtutibus elongatur, eò quod magis eorum voluntas creaturarum amore ardeat. Itaque id quod proprium est illis, qui in hoc secundo degunt gradu, est ingens in rebus spiritualibus tepiditas, & illarum admodum perfunctoria

Isaiæ 1.

Isaiæ 23.

ctoria adimpletio, potius illas propter cæremoniam quandam aut coactè, vel certe ex consuetudine, quam contraxerunt, quam ex amoris impulsu exercendo.

Tertius damni huius priuatiui gradus est, Deum omnino deserere, legum ipsius transgressionem, ne leuissimis mundi rebus desint, nihili faciendo, & in peccata lethalia sese propter cupiditatem præcipitando. Tertius autē iste gradus in sequētibus superius allatæ autoritatis verbis, notatur, videlicet, *Dereliquit Deum factorem suum.* In hoc gradu versantur omnes illi, qui taliter potentias animæ rebus mundanis diuitijsq; immerserunt; vt nihil omnino curent ijs satisfacere rebus, ad quas diuina lege adstringuntur: magnaque obliuione & inertia tenentur in ijs, quæ ad illorum æternam salutem attinent, in rebus verò mūdanis, multo sunt viuaciores & subtiliores. Adeò vt illos appellauerit Christus in Euangelio huius sæculi filios dicens. *Quia filij huius sæculi prudentiores filijs lucis sunt.* id est, in negotijs suis magis sunt circumspecti & perspicaces, quam filij lucis in suis: & hoc modo in rebus Diuinis nihil sunt; in rebus verò mundanis sunt omnia. Huiusmodi homines propriè sunt auari, qui tantopere iam tantaque cum affectus vehementia appetitum ac gaudium suum in res creatas profuderunt & extenderunt, vt nunquam expleri possint, quin potius eorum appetitus sitisque tanto amplius crescit, quanto magis ipsi à fonte, ex quo duntaxat satiari poterant, qui est Deus ipse elongantur. De istis enim ipsemet Deus per Ieremiam ait. *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas: cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Et hoc ideo fit, quia in creaturis non reperit auarus, vnde suam sitim extinguat, sed potius vnde eam augeat. Isti sunt qui in mille peccatorum genera, propter temporalia bona labuntur. Et de istis loquitur Dauid: *Transierunt in affectum cordis.* Ps. 72.7.

Quartus damni huius priuatiui gradus vltimus, allatę à nobis authoritatis verbis, exprimitur, videlicet: *Et recessit à Deo salutari suo*: Ad quem ex tertio, de quo immediate actum est, delabuntur. Ex eo enim, quod parui pendat auarus cor suum ad legis Diuinæ obseruantiam propter temporanea bona flectere, plurimum à Deo secundum memoriam, intellectum, & voluntatem anima ipsius elongatur, taliter illum à sua memoria abolendo, ac si Deus suus non esset, quod idcirco accidit, quia Deum suum pecuniam & temporalia bona constituit, quemadmodum docet S. Paulus. Auaritiam idolorum esse seruitutem. Coloss. 3.5. Quartus siquidem gradus iste vsque ad Dei obliuionem pertingit, corque, quod in Deo formaliter collocari debebat, formaliter in pecunijs reponere facit, ac si alium Deum non haberet. Ad quartum hūc gradum pertinēt illi, qui res Diuinas & supernaturales ad temporalia tanquā Deum suū dirigere, & ordinare non verentur. Cum tamen secus facere deberent, ad Deum videlicet illas dirigendo, vt ipsa æquitas postulabat. Ex istorum numero fuit impius ille Balaam, qui gratiam, quam à Deo receperat, vendebat. Simon quoq; Magus, qui arbitrabatur Dei gratiam pecunijs æstimari, cupiens eam emere. Quo facto pluris pecuniam faciebant, siquidem putabant futuros etiam alios, qui eum pluris gratiam pro pecunijs vendendo, æstimarent. Ad quartū hunc gradum, multis alijs modis non pauci diebus istis spectant, qui nescio quibus rationibus suis cupiditate sua obfuscatis, in spiritualibus rebus pecuniæ seruiūt, & nō Deo, mouenturq; ad Num. 22. per totum & 7. Act. 8.18.

agendum propter pecuniam & non propter Deum, præ oculis temporaneã mercedem & non Diuinum præmium habendo, multifariam multisq; modis suum præcipuum & principalem Deum, & finem pecuniam faciendo, illamque vltimo fini, qui est Deus, præponendo.

Ad hunc vltimum gradum pertinẽt etiã omnes illi miserabiles, qui temporalium bonorum amore dementati, adeò illa pro Deo suo reputant, vt minimè ambigant vitas suas illi in sacrificiũ offerre, quoties hunc Deum suum aliquã temporaneã iacturam sustinere animaduertũt, in desperationis voraginem seipsos demergendo, ac ob miserabiles fines seipsos crudeliter mactãdo, hocq; modo suis ipsis manibus infelix, quod talis Deus confert, præmium patefaciẽdo. Cũ enim nihil ab ipso sperari possit; desperationẽ mortemq; tribuit: illos autem, quos tam crudeliter & ad vsq; vltimum mortis damnũ non persequitur Deus iste, facit eos viuere moriendo in sollicitudinum aliarumque plurimarum miseriarum doloribus, non permittendo lætitiam aliquam eorum corda subire, nec vt eis aliquid affulgeat boni in terra, facitque vt semper cordis sui tributũ, suæ pendant pecuniæ, pro illaque subeant labores, congregando & colligẽdo eam, ad vltimam iustæ perditionis suæ calamitatem, sicut obseruauit Sapiens dicens. *Diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui.* In isto quoque quarto gradu sunt illi, de quibus dicit sanctus Paulus quod *Tradidit illos Deus in reprobum sensum.* Ad hæc enim vsque damna perducitur homo, quando gaudium suum in possessionibus vltimate reponit, sed & illi, quibus minora irrogat damna, maxima sunt commiseratione digni, siquidem vt diximus, plurimum deuiare facit eos, ac in Dei itinere retrocedere. Quapropter sicut dicit Dauid. *Ne timueris cum diues factus fuerit homo* (id est) non ei inuideas, existimando te ab illo superari: *quoniam cum interierit non sumet omnia, neq; descendet cum eo gloria* (lætitia) *eius.*

Eccl. 5. 12.

Rom. 1. 28.

Psal. 48. 17.

CAPVT XIX.

De vtilitatibus, quas consequitur anima ex eo, quod gaudium à temporalibus rebus auellat.

INuigilandum itaque & diligentissime cauendum est spirituali viro, ne cor eius & gaudiũ, incipiat sensim temporalibus rebus adhærere, timeatq; ne ex paruis initijs, in multa damna, crescendo de gradu in gradũ deueniat. A paruis enim peruenitur ad magna, & exiguum in principio, ingens in fine damnũ euadit: quemadmodum vna scintilla ad totum comburendũ montẽ satis est. Nec vnquam idcirco securus sit, eò quod affectus ille & adhæsio modica sit; sed confestim illam rescindat, nec hoc se postmodum facturũ sibi persuadeat. Si enim quãdo adhæsio illa adeo exigua est, & in suis adhuc initijs minime suppetit illi tantũ animi, vt illã exscindat extirpetq; qua ratione id præstabit, postquam creuerit & profundas miserit radices? Præsertim cum Dominus noster in Euangelio dicat. *Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est.* Qui enim minora euitat, non ruet in maiora: sed in istis quoq; minoribus magnum reperitur detrimentum, eò quod confractum iam sit vallum, & murus cordis: & vt commune habet adagium: Dimidium facti, qui bene cœpit habet. Propterea admonet nos Dauid dicẽs. *Diuitiæ si affluãt, nolite cor apponere.* Quod quãuis homo Dei sui causã non faceret, nec propter id, ad quod eum Christiana perfectio compellit; propter vtilitates saltem, quas temporaliter (præter spiri-

Diligentissimè cauendum est spirituali viro, ne cor eius sensim temporalibus rebus adhæreat, & multa in grauissima labi incõmodum.

Luc. 16. 10.

Psal. 61. 11.

spirituales) consequitur, deberet cor suum ab omni prædictarum rerum gaudio in libertatem perfecte asserere: siquidem non solummodo à pestiferis, quæ præcedenti capite recensuimus damnis liber euadit: sed præterea auertendo gaudium à temporaneis bonis, virtutem acquirit liberalitatis, quæ vna est ex præcipuis Dei attributis; quæ nulla ratione cum auaritia subsistere valet. Consequitur præterea animi libertatem, sereniratem rationis, quietem, & tranquillitatem ac pacatam in Deo cõfidentiam, nec non cultum verumque voluntatis erga Deum obsequium. Insuper maius gaudium & recreationem in creaturis adipiscitur, nulla illis proprietate adhærendo: qua recreatione non potest frui, si eas cum adhæsione proprietatis intuetur. Etenim adhæsio hæc est solicitudo quædam, quæ laquei instar spiritum terræ alligat, nec illi cordis latitudinem relinquit. Per hanc præterea animi ac affectus à rebus omnibus elongationem seu abstractionem, claram illarum notitiam adipiscitur, ad veritates, quæ illas tam naturaliter quam supernaturaliter concernunt, rectè intelligendas. Quam ob causam, valde diuerso illis, idque insigni cum excessu fruitur modo illo, qui ab amore earum alienus est, quam is, qui illis immersus est. Ille enim degustat eas secundum illarum veritatem: hic vero secundum illarum falsitatem & mendacium, ille secundum id, quod melius in illis est, iste secundum id, quod peius: ille secundum substantiam, iste autem, qui sensu illis agglutinatur, secundum accidens: sensus enim nequit attingere & assequi nisi accidens; spiritus autem à nebulis speciebusque accidentis repurgatus, veritatem & rerum valorem penetrat: cum hoc illius sit obiectum. Vnde gaudium instar nebulæ iudicium obfuscat, non potest enim esse gaudium voluntarium de creatura absque voluntariâ proprietate, abnegatio autem & repurgatio huiusmodi gaudij, clarum relinquit iudicium, sicut vapores serenum reddunt aëtem, quando euanescunt. Quapropter de omnibus rebus huiusmodi homo lætatur & gaudet, de nullâ tamen re cum proprietate gaudendo, ac si vniuersas possideret: iste autem alius in quantum illas cum peculiari proprietatis applicatione intuetur, vniuersum gustum omnium illarum generaliter amittit. Iste quamdiu nulli creaturæ dat locum in corde suo, omnes (sicut dicit S. Paulus) in magnâ libertate possidet: *Tamquam nihil habẽtes & omnia possidentes.* Ille vero alter, in quantum aliquam illarum cum adhæsione voluntatis possidet, nihil possidet: quin potius ipsæ cor illius obtinent, quam ob causam velut captiuus affligitur. Vnde etiam fit, vt quot gaudia ex creaturis cupit haurire, tot etiam necessario angustias & afflictiones in suo demerso ac occupato corde tolerare debeat. Cor à creaturarum adhæsione liberum, nequaquam in oratione vel extra illam curis solicitudinibusque angitur, & sic absque temporis iacturâ, magna cum facilitate ingentes spirituales opes corradit. Verum iste alius, vniuersum orationis tempus in cogitando & recogitando de laqueo, quo irretitum & possessum est cor eius, consumit, magnaq; adhibita diligentia, vix cor suum ad modicum tempus à laquei rei illius cui cor suũ adhæret cogitatione, liberare potest. 2. Cor. 6. 10.

Debet spiritualis homo primũ gaudij de creaturis motum reprimere.

Quamobrem spiritualis homo, in primo motu quando animaduertit gaudium suum ad aliquam rem creatam ferri, illud reprimere coërcereque debet; memor illius, quod hoc loco supposuimus: nihil videlicet in rebus creatis reperiri, vnde gaudere debeat, præterquam ex eo, quod Deo inseruiat, & ex eo, quod gloriam & honorem

rem ipsius in rebus vniuersis requirat, creaturas omnes, ad hoc solum dirigendo, & ab omni vanitate in illis fugiendo, nec gustum & consolationem propriam in eis aucupando.

Præcipuū commodū abstractionis gaudij à creaturis.

Aliud præterea grande ac præcipuum reperitur commodum in abstrahendo & diuellendo gaudio à creaturarū bono, ꝙ est habere cor liberum pro Deo, quæ res principium est dispositiuum pro omnibus gratijs, quas in illū collaturus est Deus, sine qua dispositione, minime illas confert. Quæ gratiæ huiusmodi sunt, vt pro vno gaudio, quo Dei perfectionisq; Euangelicę amore se priuet, tēporaliter etiā centum illi gaudia in hac vita largiatur, quemadmodū in ipso Euangelio sua maiestas pollicita est. Verum etiā si minime hæc emolumenta inde emanarent, ob solam, quam Deus ex istis creaturarum gaudijs recipit displiciētiā, deberet spiritualis & Christianus, illa in anima sua extinguere: Quandoquidē videmus in Euangelio quod quia dives ille de congregatis pro multis annis bonis gaudebat, tātopere fuerit indignatus Deus, vt illi dixerit: illa nocte animam eius ad reddendam rationem euocandā: *stulte hac nocte animam tuam repetent à te.* Vnde merito formidare debemus, quotiescunq; vanè gaudemus & cogitare, Deum nos intueri suppliciumq; aliquod & potionem amarā, secundum meritum nostrum præparare, multoq; maiorē pænam ex huiusmodi gaudio crebrò resultare, quàm fuerit gaudium ipsum. Licet enim verum sit, per S. Ioan. in Apocal. de Babylonia dici: *Quantū glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date ei tormentum & luctum*; Non propterea tamen, non maior erit gaudio pænā: imo potius multò maior erit: siquidem pro breuibus ac momentaneis delicijs immensa & æterna irrogantur tormēta, sed ita dictum est, vt intelligamus, nihil sine sua particulari pænâ remansurum: ille enim, qui inutile verbum puniet, nequaquam vanum gaudium impunitum relinquet.

Matt. 19. 29.

Luc. 12. 20.

Apoc. 18. 7

CAPVT XX.

Magnam esse vanitatem, in naturalibus bonis, voluntatis gaudium reponere, & quo ratione debeat illud per ea ad Deum dirigi, demonstratur.

Quibus per bona naturalia ascendendum sit.

PEr bona naturalia hoc loco pulchritudinem, venustatē, leporem, corporisque constitutionē & cæteras oēs corporis dotes intelligimus, quantum verò ad animam spectat, intellectum perspicacē, discretionem, cum reliquis omnibus, quæ ad rationem pertinent. In quibus vniuersis hominem ob hanc solam causam, quia vel ipse, vel ij qui ad eum spectant hisce dotib. insignes sunt, gaudium collocare, nec Deo, qui idcirco eas confert vt magis per illas agnoscatur & ametur, gratias referre, vanitas est, & deceptio, quemadmodum hoc expressit Salomon dicens: *Fallax gratia, & vana est pulchritudo, mulier timens Dominum ipsa laudabitur.* Quibus verbis instruimur, quod potius debeat homo in huiusmodi naturalibus donis metuere ac vereri; cum per ea nullo negotio ab amore diuino abstrahi, & illis illectus in vanitatem labi ac decipi possit. Propterea enim dicit, corporalem gratiam esse fallacem: fallit quippe hominem, illumque per gaudium vanum ac sui ipsius vel illius, qui huiusmodi præditus est gratiā, complacentiam ad ea, quæ minimè illi expediunt, pertrahit. Vanam præterea dicit pulchritudinē: quoniā hominem eam magni facientē, de illāq; gaudentē multifariā corruere facit, tunc enim duntaxat gaudio perfundi debet, quando pulchritudine, Dei obsequium, vel in ipso, vel

Prou. 31.

vel in alijs propter eam promouetur. Imò potius metuendum est illi, & caute agendum, ne forte dona gratiæq; istæ naturales in causa sint vt Deus propter eas, ob vanã nimirum ipsius præsumptionem, vel certe ob nimium erga eas affectum, dum nimis illas ponderat, offendatur. Quamobrem cautus esse debet, cum magnaq; sollicitudine ducere vitã ille, qui talibus dotibus insignitus est, ne forte vana ostentatione suâ alicui præbeat ansam, vt vel ad momentum cor eius à Deo recedat. Hæ quippe dotes & naturalia dona, tantopere sunt prouocatiua & occasioni lapsus tam eas possidenti, quàm eas intuenti proxima; vt vix reperiatur, qui aliquod laqueolum, cordisque sui in illis alligationem euadat. Vnde vidimus plures spirituales personas, aliquibus ex istis donis conspicuas, precibus à Deo impetrasse, vt eas deformarer, ne tam sibi quam alijs vanæ alicuius affectionis vel gaudij causa essent, & occasio.

Debet itaq; spiritualis homo voluntatẽ suam in hoc gaudio vano obscurare & repurgare, considerando pulchritudinem, cæteraq; dotes naturales terram esse & de terra (illuc redituras) prodijsse, venustatem autem ac leporem, fumum aëremque terræ istius esse; & ne in vanitatẽ præceps ruat, dotes istas hoc & non alio modo iudicare & æstimare debet, cor ad Deum in rebus istis dirigendo, gaudendo etiam quod Deus in seipso vniuersas istas pulchritudines & gratias eminẽtissimè in gradu infinito super omnes creaturas comprehendat. Et quod sicut ait Dauid: *Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent.* Ac propterea nisi in rebus omnibus gaudium suum in Deum direxerit, falletur semper decipieturque. De huiusmodi quippe homine dictum illud Salomonis, cum gaudio creaturarum rerum loquentis accipi debet: *Gaudio dixi, quid frustra deciperis?* quod fit, quando cor à creaturis trahi & allici permittitur.

CAPVT XXI.

De detrimentis, quæ in animam ex eo deriuantur, quòd voluntatis suæ gaudium in naturalibus bonis collocet.

TAmetsi plura ex damnis commodisq; istis, quæ in his gaudiorum diuisionibus ac generibus recenseo, omnib. gaudijs communia sint, nihilominus quoniã directè gaudiũ eiusq; repudiationẽ consequũtur (quamuis gaudium ad quodcunq; istarum diuisionũ genus pertineat) propterea in quacunq; diuisione damna aliqua, & vtilitates recenseo, quæ etiam in alia reperiuntur, eò quòd gaudio sint annexa, quod est omnib. cõmune. Præcipua tamẽ intentio mea est, particularia damna & vtilitates, quæ ex qualibet re propter illarũ gaudium vel non gaudiũ in animã resultant, referre; quæ damna & cõmoda ideo particularia appello, quia taliter primariè & immediatè ex tali genere gaudij nascuntur, vt ex alio nõ nisi secundariè & mediatè oriantur. Exempli causa, tepiditatis spiritualis damnum ex quocunq; gaudij genere directè nascitur, vnde damnum hoc est omnibus sex gaudiorum generibus cõmune: sed tamen primum sensualitatis damnum est particulare damnum, quod directè gaudium istorum naturalium bonorum, de quibus agimus, consequitur.

Sex dãna spiritualia & corporalia, quæ ex gaudio in bona naturalib. collocato sequũtur.

Damna itaque spiritualia & corporalia, quæ directè & effectiuè in animam resultant, quando gaudium ad bona naturalia flectit, ad sex principalia reuocantur.

Primum damnum est vana gloria præsumptio, superbia, proximorũ despectus.

Non

Primum damnum vanæ gloria, superbia &c.

Non enim potest quispiam æstimationis oculos in re aliquâ nimium defigere, quin illos à cæteris auertat, vnde sequitur contemptus realis, & quasi negatiuus reliquarum rerum. Si quidem naturaliter, magni faciendo rem aliquam, si retrahit cor à cæteris rebus, ad illam, quam magnifacit. Et ab isto reali contemptu facillimum est in intentionalem & voluntarium aliquarum rerum ex istis alijs, in particulari vel in genere, labi non solum interius in corde, sed etiam exterius, contemptum, verbis demonstrando, dicendoque, talis, vel talis persona non est sicut talis vel talis.

Secundum damnum delectatio sensualis. Tertium Adulatio.

Secundum damnum est quia prouocat sensum ad complacentiam delectationemque sensualem.

Tertium est, quod in adulationem ac vanas laudes præcipitat, qua in re deceptio vanitasque reperitur, sicut Isaias ait. *Populemeus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.* Huius rei ratio est, quia licet interdum laudibus celebrando pulchritudinẽ, lepores, vere dicant, &c. nihilominus mirum esset, si ibi damnum aliquod non lateret, vel alium in vanam complacentiam gaudiumq; inducendo, vel affectus ac intentiones suas imperfectas ibi fouendo & nutriendo.

Isa. 3. 12.

Quartum damnum mentis hebetudo.

Quartum damnum commune & generícum est: quia ratio & sensus spiritûs vehementer obtunditur & hebetatur, quemadmodum etiam in gaudio de temporalibus rebus accidit, & quadam ratione multo magis: cum enim naturalia bona multo magis sint homini temporalibus coniuncta, multo velocius & efficacius huiusmodi rerum gaudium imprimitur & adhæret sensui, & vehementius illum stupidum reddit. Atque ita ratio iudiciumq; minime sui iuris remanent, sed affectu illo gaudij, apprimè sibi vnito, obnubilantur, vnde nascitur.

Quintum damnum mentis ceca negatio.

Quintum damnum, quod est distractio, euagatioque mentis in creaturis. Ex quo tepiditas & languor spiritus sequitur, quod est Sextum damnum etiam vniuersale, quod eo vsque peruenire solet, vt ingens tædium, & tristitiam in rebus diuinis homini generet, donec tandem illas abhorreat.

Sextum languor spiritus.

In isto gaudio naturalium rerum sit spiritus puri.

In isto naturalium rerum gaudio infallibiliter iactura fit spiritus puri, ad minus in principio. Si enim aliquis spiritus percipitur, dubio procul admodum sensibilis & crassus erit, parumque spiritualis & parum internus ac recollectus, in sensitiuo gustu delectationeque potius, quam in spiritus vigore consistens. Cum enim spiritus adeo vilis sit & infirmus, vt in se huiusmodi habitum gaudij minime extinguat (ad hoc enim vt spiritus non sit purus, satis est habitum hunc imperfectum habere, licet quando se occasio offerat, actibus gaudij non assentiatur) quodammodo plus in sensus debilitate, quam in spiritus vigore viuit, quam rem ex perfectione & fortitudine quam in occasionibus habuerit cognoscet: licet minime inficiar, multas virtutes cum imperfectionibus multis reperiri posse: quamuis cum gaudijs istis non extinctis, nec abnegaris, nec purus nec dulcis interior spiritus haberi possit: in hoc enim statu quodammodo regnat caro, quæ militat aduersus spiritum, & licet spiritus damnum hoc haudquaquam sentiat, occulta tamen quædam distractio illi imprimitur.

Ad hoc vt spiritus sit purus, satis est habitum imperfectum gaudij habere.

Sed reuertamur ad loquendum de secundo illo damno, quod in se innumera damna continet: nec calamus, nec verba assequi exprimereque valent, vsquequo illa perueniant, quamque sit ingens infælicitas, quæ ex gaudio in pulchritudine gratiositateque naturali collocato pullulet. Singulis enim fermè diebus, tot hanc ob

ob causam hominum mortes conspiciuntur, tot honorum iacturæ, tot violentiæ, tot decocta patrimonia, tot æmulationes & contentiones, tot adulteria & stupra patrata; tot denique sancti miserabiliter lapsi, vt conferantur tertiæ stellarum cælestium parti, serpentis illius cauda, in terram delectarum. *Et cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram*: conspicitur, inquam aurum obrizum obscuratum mutatoque colore optimo, in lutum versum, filios inclytos nobilesque Sionis, qui vestiebantur auro primo, videmus reputatos in vasa testea fracta: *Quomodo obscuratum est aurum; mutatus est color optimus; dispersi sunt lapides Sanctuarij in capite omnium platearum? filij Sion inclyti, & amicti auro primo quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli?* Et quousque tandem damni huius venenum non serpit? Et quis siue parum siue multum non hauriet ex calice isto deaurato mulieris Babylonicæ Apocalypseos: *Vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem & cornua decem.* In eo enim, quod sedere super illam grandem bestiam septem capita & decem coronas habentem describitur, intelligi debet vix reperiri sublimem hominem vel abiectum, sanctum vel peccatorem, cui illa vinum suum non propinet, aliqua ex parte cor ipsius sibi subiugando: siquidem sicut de illa ibidem dicitur. *Inebriati sunt* vniuersi reges terræ *à vino prostitutionis suæ.* In omnes hominum status suam exercet tyrannidem, vsque ad inclytum & supremum sanctuarij sacerdotijque diuini statum, abominabile vas suum (vt ait Daniel) in loco sancto collocando: *Et erit in templo abominatio desolationis.* vix aliquē fortē inuictumque cui parum vel multum nō præbeat ad bibendū ex vino calicis istius, vano videlicet gaudio isto & delectatione, prætereundo. Et propterea dicit, vniuersos reges terræ inebriatos hoc vino fuisse, siquidē adeo pauci, etiamsi fuerint sanctissimi reperientur, quos non aliquo modo hic gaudij delectationisque potus ex pulchritudine ac gratijs naturalibus captæ, infascinauerit & inebriauerit. Vnde perpendenda est illa dicendi formula. *Inebriati sunt.* Confestim enim ac istius gaudij delectationisq; vinum ab aliquo deguſtatur, cor illius agglutinatur, infascinatur, mens ratioq; obfuscatur, quemadmodum vino ebrijs euenire solet. Taliterque hoc euenire solet, vt nisi teriaca aliqua aduersus hoc venenum quamprimum adhibeatur, quæ illud quātocius expellat, summum adeat animæ vita discrimen, si enim spiritus debilitas incrementum capiat, in tanta illum hoc gaudij delectationis venenum præcipitabit mala; vt Samsonis instar effossis oculis, & crinibus suæ primæuæ fortitudinis præcisis, seipsum conspecturus sit hostium suorum captiuum, infamem versare molam: & postmodū secundâ fortassis morte interire, quæ vniuersa mala, spiritualiter illi hic gaudij potus adducet, quemadmodum Samsoni corporaliter factum est, sitque hodie plurimis; insultabuntque illi postmodum summo cum ipsius rubore inimici dicentes: Tune ille es qui triplicatos frangebas funes, tu qui Leones discerpebas, milleque Philisthæos trucidabas, & portarum postibus euulsis, cunctos tuos inimicos euadebas? sed iam huic rei imponamus finem opportunâ traditâ doctrinâ, ad virus hoc profligandum: sitque hæc.

Iud. 16. 21

Iud. 16. 19

NOTA. *Remedium ad damna ex hoc naturalium bonorū gaudio emergentia euadenda.*

Vt statim ac cor se hoc vano bonorum naturalium gaudio permoueri senserit, in memoriam sibi reuocet, quam vanum, periculosum, pernitiosumq; sit, de alia quapiam re lætari præterquam de diuino obsequio: considerando etiam quam pernitiosum

tiosum fuerit Angelis suâ pulchritudine & naturalibus bonis oblectari, cum propter ea adeò deformes, in abyssos corruerint. Quanta etiam quotidie mala incurrunt homines ob eandem vanitatem: quare tempestiuè adhibeant remedium, quod Poëta hominibus, qui huiusmodi bonis deliniri incipiunt præscribit, dicens:

Principijs obsta, sero medicina paratur,
Cum mala per longas conualuere moras.

Prou. 23. 31. *Non intuearis* (ait Sapiens) *vinum quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius, ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet.*

CAPVT XXII.

De vtilitatibus, quas elicit Anima ex eo, quod gaudium in naturalibus bonis non constituat.

MVlta sunt commoda, quæ cõsequitur anima ex cordis sui ab huiusmodi gaudijs & delectationibus abstractione. Nam præterquam quod hac ratione disposita diuino amori, virtutibusq; cæteris efficitur directè parat locũ humilitati, quantum ad se pertinet, & vniuersali charitati, quantum ad proximos: Dum enim nemini, ob naturalia bona, quæ fallacia sunt, singulariter afficitur, remanet illi anima expedita & limpida ad oës rationaliter & spiritualiter diligendos, qualiter eos Deus amari vult. Qua in re animaduertere licet, neminem promereri amorem, nisi ob virtutem, quæ in eo reperitur; Quando autem hoc pacto adamatur, fit hoc secundũ voluntatẽ diuinã, & cum magna libertate, quod si hoc cum adhæsione fiat maiori, magis etiam adhæretur Deo: quo enim tunc maiora capit incrementa hic proximi amor, eò quoque magis augetur & diuinus: quanto autem magis diuinus, tanto etiam magis proximi amor crescit, eò quod vna eademque sit vtriusq; causa & origo.

Qui gaudium naturalium bonorũ abnegat, præter dispositionem ad diuinũ amorẽ cæteraſq; virtutes, quæ acquirit, directè parat in se locum humilitati, & charitati.

Aliud quoque inde eximium resultat commodum, nimirum quia perfectè adimpletid, quod Saluator noster ait. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum.* Quod nulla ratione efficere posset anima, si gaudium suum in proprijs naturæ donis reponeret; qui enim semetipsum aliqua ratione æstimat, nec seipsum abnegat, nec sequitur Christum. Matt. 16. 24. Luc. 9.

Alia etiam egregia vtilitas in huiusmodi gaudiorum abnegatione reperitur, quia videlicet magnã animæ inducit tranquillitatem, digressionesque & euagationes profligat: ac sensuum, præsertim verò oculorum abstractionẽ inducit, statim enim ac anima rebus istis frui non vult, nec illas intueri cupit, nec alios sensus ijs occupare, ne forte ab ijs alliciatur; sed neq; in ijs tẽpus & cogitationes insumere curat, similis facta prudenti serpenti, qui obturat aures suas ne audiat voces incantantium, & aliquam carminum efficaciam sentiat: *Secundum similitudinem serpentis: sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas.* Rectè enim custoditis animæ portis, quæ sunt sensus, non mediocriter tranquillitas puritasque illius custoditur, & augescit. Nec minus emolumentum referunt inde illi, qui iam in huius generis gaudij mortificatione profecerunt, nempe quod iam obiecta notitiæq; obscænæ, non eã in illis efficiunt impressionem, neq; impuritatem quam in ijs, quibus adhuc aliquid ex rebus istis placet, producunt. Et propterea ex huiusmodi gaudij delectationis mortificatione & abnegatione, in spiritualis hominis animam & corpus, hoc est, spiritum & sensum, puritas resultat, & Angelicam quandam cum Deo conformitatem, animã. Psal. 57. 5. Rectè custoditis sensibus, puritas animæ custoditur & augetur.

nam corpusque suum dignum spiritus sancti templum efficiẽdo acquirit. Quod adeo mundum esse nequit, si cor suum aliquo modo bonorum ac naturalium gratiarum gaudio irretiatur. Nec ad hoc assensus in rem turpem requiritur, gaudium enim delectatioque illa, cum talis rei notitia satis sunt, ad impuritatem animæ & sensus contrahendam; cum spiritus S. dicat, quod auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, hoc est, quæ non sunt ordinatæ in Deum per rationem superiorem.

Sap. 1.

Alia etiam vniuersalis vtilitas indesequitur, quæ est, quod præter tot damnorum malorumque (quæ superius recensuimus) immunitatem, ab innumeris quoq; vanitatibus alijsque plurimis nocumentis, tã spiritualibus, quam corporalibus spiritualis homo liber fit: præsertim verò à despicientia illa exiguaque æstimatione, qua cõmuniter ij laborant, qui de huiusmodi dotibus naturalib. suis, vel alienis lætantur & gloriantur. Vnde etiã prudentes & cordati reputantur (sicuti reuera sunt) omnes ij, qui ista paruipendunt, illaque duntaxat æstimant, quibus delectatur Deus.

Spiritus libertatem acquirit, qua ad naturalia bonorum gaudia tendit.

Ex omnibus recensitis cõmodis, sequitur vltimum nobile certè præclarumq; animæ bonum tantopere ad Deo inseruiẽdum necessarium, libertas videlicet spiritus, per quam facile tentationes superantur, tribulationes patienter sustinentur, & virtutes fælicia capiunt incrementa.

(..)

CAPVT XXIII.

De tertio bonorum genere, sensibilibus videlicet, in quibus voluntas affectum gaudij reponere potest, disputatur. Qualia, & quotuplicia sint, & qua ratione debeat voluntas in ijs ad Deum dirigi, ab isto gaudio sese repurgando, demonstratur.

COnsequẽter de gaudio & delectatione sensibilium rerũ (quæ dicebamus ad tertium bonorum genus, quibus oblectari voluntas potest, pertinere) agendum est. Perpendendum autẽ est, per sensibilia bona nos hoc loco omnia illa, quæ in hac vita sensui Visus, Auditus, Odoratus, Gustus & Tactus obijci possunt, nec non interiorem fabricam imaginatij discursus (quæ vniuersa ad corporeum interiorem exteriorem que sensum spectant) intelligere. Ad hoc autem, vt voluntas obscuretur & repurgetur ab huiusmodi obiectorum sensibilium gaudio: & ad Deum per illud dirigatur, quædam veritas necessario supponenda est, nimirum (quemadmodum à nobis multoties dictum est) Inferioris hominis partis sensum (de quo hoc loco disputamus) nec esse posse capacem, Deum, sicuti Deus est cognoscendi & comprehendendi. Ita, vt nec oculus illum videre possit, aut aliquid ei simile: nec auditus eius vocem, aut illi similem sonum percipere; nec odoratus fragrantiam tam suauem olfacere, neque gustus adeo sublimem, dulcemque saporem attingere: sed nec tactus adeo iucundum ac delicatum tactum, aut quid illi simile experiri, nec postremo forma figuraque aliqua, quæ illum exprimat, cogitationi & imaginationi obiici valet, dicente Isaia. *A sæculo non audierunt, nec auribus perceperunt: Oculus non vidit Deus absque te, &c.* Isa. 64. 4.

Quidnam per sensibilia bona intelligendum sit

Sub nullã inferioris partis sensum cadit Deus.

Animaduertendum autem hoc loco est,

Bifariam potest delectatio in sensum deriuari.

bifariam posse gustum & delectationem in sensum redundare: vel ex parte spiritus, communicatione aliquâ, quam à Deo interius recipit interueniente, vel certe ex parte rerum, quæ exterioribus sensibus obijciuntur & communicantur: iuxta factam autem nuper à nobis suppositionē, nec viâ spiritus, neq; sensuum interuentu, sensitiua hominis pars Deum cognoscere valet. Cùm enim illa habilitate, & aptitudine, quæ rem tantam attingat, destituta sit, spiritualia & intellectiua, sensualiter duntaxat recipit. Vnde sequitur, voluntatem in fruitione delectationis, ab aliqua apprehensionum istarum productæ, occupare & detinere velle, ad minus esse vanitatē & impedimentum, virium voluntatis, quo minus se in Deum impendat, gaudium suum in illo solummodo reponendo. Quod integrè perfectèque minimè ipsa præstare potest, nisi seipsam, à gaudio huius generis rerum repurgando, quemadmodum de cæteris gaudiorum generibus docui, signanter dixi vanitatem futuram, si gaudio alicuius rei ex dictis detineri vellet: Quando enim non sistit, nec in istis sese detinet, sed statim ac voluntas delectamentum eorum, quæ videt, audit, tangit, sentit, & degustat, ad se in Deo oblectandum eleuatur, estq; illi delectatio ista motiuum & impulsus ad hoc faciendum; id optimum est: tunc vero non solum huiusmodi motiones deuitari non debent, quando videlicet orationē hanc & deuotionem producunt: sed etiam possunt illis vti, imo etiam debent, ad exercitium adeo sanctum promouendū: reperiuntur quippe animæ, quæ plurimum ad Deum alliciuntur sensibilibus obiectis. Verum maximâ hâc in re cautelâ & circumspectione, vtendum est, trutinando effectus, quos inde referunt. Sæpe enim spiritualium multi, dictis sensuum recreationibus sub orationis, Deique prætextu vtuntur: & taliter hoc ab illis fit, vt potius recreatio, quam oratio appellanda sit: potiusque sibi ipsis delectationem & gustum quam Deo conciliant. Et quamquam intentio, quā præse ferunt videatur in Deum ferri, effectus tamen quem producunt, id ob sensitiuam recreationem fieri manifestat: vnde potius debilitatem imperfectionis hauriunt, quam voluntatem animent, Deoque consignent.

Sensitiua hominis pars, spiritualia sensualiter duntaxat, recipit,

Quomodo vtendum sensibili delectione in oratione.

Multæ animæ ad Deum alliciuntur sensibilibus obiectis.

Maxima cautela adhibēda, in sensibilibus istis eleuationē.

Quamobrē placet hoc loco documentum quoddam apponere, ex quo quando prædictæ sensuum delectationes prosunt, quando vero minimè, dignosci valeat. Quod est huiusmodi: vt si quotiescunque melodiam aliquā audierit, vel alias quaspiam res gratas, vel certe suaueolentes odores olfecerit, vel sapores aliquos, tactusque delicatos persenserit cōfestim ad primumq; motum notitia Dei, voluntatisq; erga eum affectus resultet & generetur, ita vt magis notitia illa oblectetur, quā sensibili motiuo, notitiam illam producente, neq; huiusmodi motiuum illi placeat, nisi ad hunc duntaxat finē: indicium est illum vtilitatem ex dictis rebus referre, & huiusmodi sensitiuum motiuum spiritum promouere, hocq; & nō alio modo, eo vti licet, tunc enim sensibilia ad eum, ob quē à Deo creata dataq; sunt finem iuuant & inseruiunt, nimirum vt per ea ametur & cognoscatur. Obseruandum autē hoc loco est illū, in quo ista sensibilia obiecta effectum purē spirituale quē dixi producunt, non propterea obiecta illa apperere, aut multum ea curare; licet quādo sponte offeruntur, magnam inde percipiat oblectationem, ob Dei sensum (de quo sum locutus) quem inde haurit, vnde nec pro acquirendis illis sollicitus est, & quando sese offerunt, confestim (vt dixi) voluntas.

Vnde cognosci possit quando sensibiles delectationes nos iuuent, quando non.

voluntas ipsius ab illis transit, illaque deserit, & se in Deo collocat. Ratio vero, ob quam huiusmodi motiua, quamuis eũ in Deum stimulent non adeò curat est, quia cum spiritus ista promptitudine ac agilitate ad Deum cum omnibus, & per omnia assurgendi gaudeat, adeò est spiritu Dei illectus, præuentus & satisfactus, vtilli nihil desit, nihilque prorsus appetat: si autem ob finem hunc (cor scilicet in DEVM eleuandi) aliquid appetierit, confestim obiectum illud euanescit: illiusque obliuiscitur, & illud paruipendit.

Quantum libertatem spiritus amittat.

At ille, cui hanc spiritus in dictis rebus & delectationibus sensibilibus libertatẽ, minimè in se animaduertere experirique licet, sed potius delectationibus istis voluntatem suam detineri illisq; nutriri sentit, proculdubio obsunt, & debet earum vsum procul à se arcere. Licet enim ratione seu intellectu vtendo, velit per illa in DEVM assurgere, nihilominus quia appetitus oblectatur illis secundum id quod sensuale est in eis, & quia effectus semper est gustui ac delectationi conformis, vero similius est, obesse illi ea potius quam prodesse, plusque detrimenti quam commodi adferre. Quod si animaduerterit regnare in se huiusmodi recreationũ spiritum, debet illum mortificare; quo enim potentior fuerit, plus imperfectionis ac debilitatis in eo latet.

Quomodo spiritualis se debeat habere circa delectationes spirituales.

Debet ergo spiritualis homo, quocunque gustu seu delectatione, quæ ex parte sensuum, siue casu, siue ex industria sese obtulerit, solummodo in ordine ad DEVM vti; eleuando animæ gaudium, vt illud proficuum & perfectum esse queat; considerando omne gaudium, quod aliter quam in ista abnegatione omnisque alterius gaudij annihilatione admittitur, vanum & inutile esse, obstareque vnioni cum DEO voluntatis, quamuis de re admodum præclara & sublimi haberi videatur.

CAPVT XXIV.

De damnis quæ patitur anima, eo quod voluntatis gaudium in sensibilibus bonis reponere velit.

IN primis si anima gaudium & delectationem, quæ in eam ex sensibilibus rebus redundare potest, in Deum illam dirigendo, non obscurauerit & extinxerit cũcta illa, de quibus sumus locuti vniuersalia damna, quæ ex quocunque gaudij genere sequuntur, etiam ex hoc sensibilium bonorũ gaudio incurrit, patiturque; obfuscationem videlicet, ac obnubilationẽ rationis, tepiditatem, spirituale tædiũ &c. Verum loquendo in particulari, multa sunt peculiaria damna, tam spiritualia quam corporalia, in quæ directè propter istiusmodi gaudium labi potest.

Damna, quæ ex delectatione, visibilium rerum non abnegata, sequũtur.

Primo loco ex gaudio rerum oculis subiectarum propter Deum non abnegato, directè in eum resultat vanitas animi, Distractio mentis, deordinata concupiscentia, Impudicitia, Interior exteriorque deordinatio seu impudentia, Cogitationum impuritas, & Inuidiæ, seu æmulationes.

Damna ex auditu immortificato.

Ex gaudio percepto res inutiles audiendo, nascitur directè distractio in imaginatione, loquacitas, inuidia, incerta iudicia, cogitationum varietas, ex quibus plura alia pernitiosaque damna oriuntur.

Damna olfactus immortificati.

Ex suauium odorum oblectamento, pauperum nausea, Christi præcepto contraria resultat, auersio ab alijs inseruiendo: exigua cordis in rebus abiectis & humilibus subiectio: spiritualis demum in-

sensibilitas, saltem secundum proportionem mensuramque appetitus.

Damna Gulæ non mortificatæ. Luc. 16. 20.

Ex ciborum porro ac cupediarum delectatione directe originem ducit gula & ebrietas, ira, discordia, charitatis erga proximos & inopes defectus, quo laborabat Epulo ille dives Lazari osor, qui epulabatur quotidie splendide. Inde etiam procedit corporis intemperies, infirmitates, commotiones impuræ, cum luxuriæ incentiua crescant.

Directè etiam hinc hebetudo quædam ruditasque spiritus gignitur, & rerū spiritualium appetitus taliter languet, vt in illis saporem reperire nequeat, sed neque illis detineri, aut de illis agere velit. Ex eodem quoque gaudio seu delectamento, cæterorum etiam sensuum & cordis distractio principium sumit, & multarum displicentia amaritudoque rerum.

Damna ex Tactu immortificato.

Verum ex delectatione & gaudio Tactus mollibus lenibusque dedito, multo plura ac pernitiosiora, & quæ velocius spiritui obsunt, eiusque vigorem & vires eneruant, damna oriuntur. Hinc execrabile mollitiei vitium, vel certe incentiua illius, iuxta proportionem mensuramque delectationis tactus. Generatur etiā luxuria: animus efficitur effeminatus, & formidolosus, sensus blandus & mellifluus, ad peccandum, nocendumque paratus. Vanam quoque lætitiam & cordis gaudium immortificati Tactus delectatio infundit, linguæ licentiam, oculorumque libertatem nutrit, reliquosque sensus, secundum gradum appetitus huiusmodi obtundit, & obnubilat. Iudicium occupat, illudque in inscitia & stultitia spirituali conseruat, moraliterq; pusillanimitatem & inconstantiam creat: & ob animæ cæcitatem & cordis debilitatem timere facit, vbi nihil est timendum. Hæc etiam delectatio tactus interdum excitat confusionis spiritum, & conscientiæ spiritusque in negotijs insensibilitatem: eò quod plurimum eneruet iudicium, & ad talem redigat statum, vt nec salutare consilium capere, neque præbere norit, reddatq; eam spirituaium & moralium bonorum incapacē, inutilem tandē velut vas perditum, & confractū, vniuersa hæc damna ex isto delectationis & gaudij genere oriūtur, in quibusdā plus, in quibusdā vero minus; magis minusq; intensiuè, iuxta gaudij ac delectationis intēsionem, & etiam secundum subiecti, cui eueniunt facilitatem, & debilitatem vel constantiam. Sunt etenim quædam naturales cōstitutiones quæ ex occasione modica plus detrimenti capiunt, quam aliæ ex magna. Postremo, propter istud delectationis tactus genus, vniuersa mala & damna, quæ ex naturaliū bonorum delectatione oriri diximus, incurri possunt: de quibus quoniam ibi satis iam dictum est, ea hoc loco non recenseo, quemadmodum etiam multa alia, quæ hæc tactus delectatio inducit damna prætereo, cuiusmodi sunt spiritualium exercitiorū pœnitentiæque corporalis imminutio; in sacramentorum Pœnitentiæ Eucharistiæque vsu tepor & indeuotio.

CAPVT XXV.

De vtilitatibus tam spiritualibus quam temporalibus, quæ in Animam ex gaudij delectationisque sensibilium rerum abnegatione redundant.

STupendæ planè sunt vtilitates, quas Anima ex gaudij huius abnegatione elicit, quarum nonnullæ spirituales sunt, nonnullæ vero temporales.

Prima vtilitas est quod anima recolligēdo &

do & abstrahendo gaudium suũ à sensibilibus rebus, distractionem ex nimio sensuum vsu comparatam reparat, in Deumque se recipit, atque ita spiritus, & acquisitæ virtutes conseruantur, & crescunt.

Homo sensibilium rerum delitiarum abnegatus, & spiritualis Angelice viuit, efficiturque plane Diuinus.

Secundum spirituale emolumentum, quod ex repudiatione gaudij sensibilium rerum in hominem resultat, eximium est: nimirũ quia in veritate asserere possumus, huiusmodi hominem ex sensuali spiritualem fieri, & ex animali rationalem, & quod licet homo sit, Angelicè viuat, ex temporali denique & humano, diuinus fiat, & cœlestis. Quemadmodum enim homo, qui rerum sensibilium lenocinia aucupatur, & in illis gaudium suum reponit, nullam aliam appellationem promeretur, nec alia illi debentur nomina, quam hæc, de quibus locuti sumus, sensualis videlicet, animalis, temporalis &c. Ita etiam quando gaudiũ ab huiusmodi rebus sensibilibus abstrahit, & remouet, vniuersa hæc iure illi debentur nomina, spiritualis nempe, cœlestis, &c. Quod autem hoc modo, & nõ aliter res se habeat, perspicuum est, cum enim sensuum exercium sensualitatisq; vigor repugnet, Apostolo teste, viribus & exercitijs spiritualibus, *Caro enim concupiscit aduersus spiritum; spiritus autem aduersus carnem*; hinc prouenit, vt secundum diminutionem defectumque virium vnius istarum hominis portionũ, augeri & crescere debeant partis aduersæ vires, quibus obstantibus, non crescebant. Atque ita perfectionem consequente spiritu, hoc est, ista superiori Animæ portione, quæ Deum respicit, suamque cum eo communicationem habet; cuncta recensita attributa promeretur, siquidem perfectionem in bonis doniſque Diuinis spiritualibus ac cœlestibus acquirit. Vtrumque hoc sancti Pauli authoritate demonstratur; qui sensibus deditum hominem, eum scilicet, qui voluntatis suæ exercitium in rebus duntaxat sensualibus occupat, animalem hominem vocat, qui res Diuinas non percipit, hunc vero alium, qui voluntatem suam in DEVM erigit, spiritualem appellat, eumque etiã profunda DEI penetrare & iudicare affirmat. *Animalis enim homo percipit ea, quæ sunt spiritus Dei: spiritualis autem iudicat omnia.* Quamobrem consequitur hinc anima admirabilem quandam vtilitatem, dispositionem nempe, ad bona Diuina, spiritualiaque dona recipienda.

ad Gal. 5. 17.

Tertium porro emolumentum est, quia insigni cum excessu & fœnore temporaliter augentur illi delitiæ ac gaudia voluntatis, siquidem vt ait Saluator, pro vno centum illi in hac vita tribuuntur. *Centuplum accipiet*: taliter, vt si vnicum repudiaueris & abnegaueris gaudium, centies tantum spiritualiter & corporaliter conferat tibi in hac vita Dominus, quemadmodum è contrario, pro vna, existis sensibilibus rebus capta oblectatiuncula, centies tantum tibi molestiarum amaritudinumque pullulabit. Ex parte etenim visus à delectationibus videndi iã repurgati, spirituale gaudium redundat in animã, ad Deum in omnibus, quæ videt siue illa Diuina sint, siue humana, ordinatum. Ex parte verò auditus à delectatione audiendi repurgati, centies tãtum gaudij admodum spiritualis & ad Deum in omnibus, quæ audierit, siue illa Diuina sint, siue humana directi resultat. Et idem de alijs sensibus iam depuratis sentiendum est.

Quantis spiritualibus delitijs perfruatur ille, qui sensuales delitias abnegauit. Matt. 19. 29.

1. ad Cor. 2. 14.

Quemadmodum enim in innocentiæ statu, quidquid videbant, loquebãtur, & comedebant in paradiso primi parentes nostri, ad maiorem illos contemplationis suauitatem perurgebat, eò quod optime dispositam subiectamque sensitiuam partem rationi haberent: ad eundem etiam

modum,,

modum, qui repurgatum, ac spiritui subditum habet sensum ex omnibus sensibilibus obiectis, à primis etiam motibus inchoando, dulcis aduertentiæ contemplationisque Dei, deliciasque elicit. Vnde ei, qui purus ac mundus est, omnia siue sublimia, siue infima, magis prosunt, maioremque conciliant puritatem: sicut è cõtra impurus, mediante sua impuritate, ex vtrisque damnum colligit. Cæterum, qui appetitus gaudium non euincit, serenitate gaudij ordinarij in Deo, mediis creaturis & operibus ipsius non perfruetur. In eo autem, qui secũdum sensum iam amplius nõ viuit, vniuersæ sensuum eius operationes ac potentiæ, ad contemplationem Diuinam diriguntur. Cum enim verũ sit, iuxta rectam Philosophorum doctrinã, vnamquamque rem secundum esse quod habet, viuere; manifeste patet illum, qui esse spirituale mortificata iã animali vita adeptus est, ablq; repugnantia vlla in Deum cum omnibus tendere debere, cum iam vniuersæ ipsius actiones & affectus spirituales sint, à spirituali vita promanantes: Ex quo sequitur huiusmodi hominẽ iam corde mundum, in rebus omnibus notitiam Dei iucundam & suauem, castam, puram, spiritualem, lætam & amorosam reperturum.

Ei, qui purus est omnia maiorem conciliant puritatem.

Ex dictis colligo sequentem doctrinam, nimirum hominem, quamdiu sensus purgationi sensibilis gaudij ac delectationis nõ assuefecerit, ita vt superius à nobis traditum emolumentum eliciat, scilicet vt illum omnia confestim ad DEVM transmittant, abnegatione gaudij sui in rebus sensibilibus indigere, vt animam à vita sensitiua eruat & eripiat. Timendumque illi est, ne quoniam ipse minime spiritualis est, ex istarum rerum vsu, plus fortassis nutrimẽti ac vigoris sensus, quam spiritus consequatur, præponderante & prædominante in operatione ipsius vi sensibili, quæ maiorem producit sensualitatem, illamque nutrit & generat. vt enim Saluator noster ait. *Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Quod attentè perpendẽdum est, ita enim reuera se res habet. Nec præsumat, qui nondum mortificatam adeptus est sensibilium rerum delectationem, multum vti sensus operatione, ac vitibus circa huiusmodi res sensibiles, sibi persuadens, eas spiritui profuturas. Plus enim animæ vires absque sensibilibus istis crescent, extinguendo videlicet gaudium & appetitum illarum, quam illo circa eas vtendo. Ioan. 3. 6.

Iam vero bona gloriæ, quæ in alia vita ob gaudij istius abnegationem expectantur, non est cur hoc loco referamus. Nam præterquam quod dotes corporales gloriæ, cuiusmodi sunt agilitas & claritas, præstantiores multo eis obuenient, quàm illis, qui nequaquam sese abnegarunt; augmentum quoque essentialis gloriæ animæ diuino amori, ob quem dictas res sensibiles repudiauit, correspondens; pro quolibet momentaneo caducoque gaudio, quod abnegauit (sicut dicit S. Paulus) immensum gloriæ pondus in eo in æternum operabitur. *Id quod in præsenti ist momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modũ insublimitate æternũ gloriæ pondus operatur in nobis.* Non placet modo cætera commoda tã moralia quam temporalia, imò & spiritualia commemorare, quæ ex hac gaudij nocte acquiruntur; sunt enim vniuersa ea, quæ in cæteris gaudijs dicta sunt, & in longe eminentiori gradu, eo quod hæc coniunctiora naturæ sint: & propterea qui ea respuit, intimiorem illorum abnegatione consequitur puritatem. 2. ad Cor. 4. 17.

CA-

CAPVT XXVI.

De quarto bonorum genere, moralibus scilicet, agere auspicatur, qualia ea sint, quaq; ratione voluntatis in ijs gaudium sit licitum, declarat.

Quantum sit moralium.

QVartum bonorum genus, quibus voluntas oblectari potest, bona sunt moralia. Per quæ hoc loco virtutes illarumque habitus, in quantum sunt morales, nec non cuiuscunque virtutis ac operum misericordiæ exercitium, Diuinæ legis politicæq; obseruantiam, tandē vniuersam egregię indolis ac innatæ propensionis exercitationem intelligimus. Quæ quidem moralia bona cum habentur, & exercentur, maiori fortassis digna sunt voluntatis delectatione, cęteris tribus bonorum generibus explicatis, ob vnā enim ex duabus causis, vel ob vtramq; simul, potest homo de suis rebus oblectari, vel ob id, quod ipsæ in se sunt, vel certe ob bonū, quod adducunt, & ad quod consequendū velut media, & instrumenta deseruiūt. Ex quo intelligemus possessionē trium generum bonorū, quę iā declarauimus nullum voluntatis gaudium promereri. Nam vt dictum est, nullum ex se bonū homini adducunt, sed nec illud in se continent, cum tam caduca sint & lubrica; quin potius (sicut etiam diximus) dolorem, pœnam, afflictionemque animi illi ingenerant, & accumulant. Licet enim ob secundā causam aliquod illis debeatur gaudium, quādo nimium illis vtitur homo, vt in Deum assurgat, adeò tamen res hæc incerta est, vt sicut communiter videmus, potius obsint homini quam prosint. At bona moralia, ob primam causam, ob id videlicet quod in se sunt, & valent, aliquod possessori suo gaudium promerentur. Cū enim pacem & tranquillitatem, rectumque ac ordinatum rationis vsum, operationes etiam concordes adducant secum; nequit homo humano modo loquendo in hac vita re meliori potiri. Atq; ita, quia virtutes ex se ipsis amari & æstimari merentur, humano modo loquendo, bene potest lętari homo, quod eas possideat, exerceatque, tū ob id, quod ipsæ in se sunt, tū etiam propter bonum quod humano & tēporali modo homini adducunt. Hac quippe ratione Philosophi & sapientes, ac antiqui Principes, virtutes æstimarunt, laudibusq; celebrarunt, atq; illarū acquisitioni & exercitio (licet gentiles essent, & qui temporaliter duntaxat illas intuerentur, ob bona videlicet, quæ temporaliter & corporaliter, naturaliterq; ex illis in se redundare agnoscebant) vacarunt, neque solum per eas bona & famam, quam temporaliter ambiebant adepti sunt: sed præterea DEVS qui bonū omne etiam in barbaro gentilique diligit, nec rei alicuius benæ executionem impedit. Qui (vt dicit Sapiens) nihil vetat bene facere, cumulabat eos productiore vita, honoribus, dominijs, tranquillitate, quemadmodum fecit Romanis, eo quod iustis vterentur legibus; vniuersumque ferme eis subdidit orbem, probos mores temporaliter remunerando, eò quod propter suam infidelitatem æterni præmij essent incapaces. Adeò quippe hæc moralia bona diligit Deus, vt quia solummodo Salomon petijt ab eo sapientiam ad erudiendum populum, iusteq; optimos eum mores edocendo, gubernandum, gratissimè hoc ab eo acceperit Deus, eique dixerit, quod quia sapientiam ob eum finem postularat, se ei illam cōcessurum, & insuper ea, quæ non postularat, diuitias videlicet & honores, ita vt nullus præteritorum aut futurorum regum illi similis esset futurus. *Sap. 7. 22.* *3. Reg. 3. 11.*

3. Reg. 3. n. 11. *Quia postulasti verbum hoc, & non petisti dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium: ecce dedi tibi secundum sermones tuos &c. sed & hæc, quæ non postulasti dedi tibi: Diuitias, & gloriam, vt nemo fuerit similis tui in Regibus, cunctis retro diebus.*

Qua ratione debeat Christianus homo de bonis moralibus gaudere?

Verum etiamsi hoc primo gaudij modo debeat oblectari Christianus moralibus bonis operibusque bonis, quæ temporaliter exercet, quia temporalia illi, quæ diximus bona, adducunt; nequaquam tamen debet gaudium suum in hoc primo modo detinere: (quemadmodum de gentilibus, quorum spirituales oculi vltra hanc mortalem vitam non transcédebant, diximus) sed quandoquidem fidei lumine insignitus est, in qua æternam vitam sperat, sine qua omnia, quæ hic sunt, & quæ ibi reperiũtur, nullius illi sunt valoris, solum & principaliter possessione & exercitio istorum moralium bonorum, secundo gaudij modo delectari debet, videlicet in quantũ opera bona Dei amore perficiendo, illi vitam æternam acquirũt. Atq; ita solum oculos & gaudium in obsequendo, suisq; bonis moribus & virtutibus honorando Deo constituere debet. Siquidem absq; huiusmodi intuitu, nihil coram Deo virtutes valent, quemadmodum in decem Euangelij virginibus apparet, quæ omnes virginitatem seruarant operibusque bonis insudarant, sed quia quinque earum gaudium suum, non secundo modo, hoc est, dirigendo illud in operibus bonis ad Deum, sed potius vanè illud in primo lætandi gaudendiq; modo, seipsas ex illorum possessione, iactando, collocarunt fuerunt à cœlo absque aliqua gratitudine & præmio sponsi exclusæ. Multi etiam antiquorum aliquas habuere virtutes, & bona exercuerunt opera, & multi Christiani hodie illa exercent, & habent, grandiaq; moliuntur; quæ tamen nihil illis ad futuram vitam profutura sunt: eò quod in illis honorem gloriamque, quæ solius Dei est, & super omnia ipsius amorem non quæsierunt. Debet itaque Christianus lætari, non quia bona opera perficit, præclarisque moribus vtitur, sed in eo quod illa solius Dei amore absque aliquo alio intuitu exerceat. Quanto enim maioris sunt gloriæ præmio digna si ob Dei solummodo obsequium fuerint peracta: tanto maiorem illi coram Deo confusionem adducent, quando ex aliorũ respectuũ intuitu fuerint profecta.

Multi bonis operibus, & virtutum exercitijs vitam æternam nõ promerentur, & quare?

In qua maxime eorum bonorum valor consistat.

Ad dirigendum itaque conuertendumque ad Deum bonorum moralium gaudium, animaduertere debet Christianus, suorum bonorum operum, ieiuniorum, & eleemosynarum, pœnitentiarum & orationum &c. valorem & æstimationem non tam in quantitate qualitateque illorum fundari, quam in Dei amore, quem in illis intendit: & quod tunc tanto sunt perfectiora & magis consummata, quãto cum puriori perfectiorique Dei amore fuerint peracta, & quanto minus ex illis in hac vita commodi, & in futura gaudij, consolationis, delectationis & laudis desiderauerit. Et idcirco ne quaquam debet cor suum in gustu, consolatione, suauitate cæterisque emolumentis, quæ secum bona exercitia, & opera adducere solent constituere stabilireque, sed retrahere debet gaudium ad Deum, optando illis Deo obsequium impendere; insuper seipsum ab hoc gaudio repurgando, illiusq; respectu obscurando, cupere solum debet Deũ in eis oblectari in abscondito, & perfrui; absque vllo alio intuitu & motiuo, nisi honoris gloriæque Dei. Atque hac ratione recolliget in Deum vniuersam voluntatis fortitudinem & vigorem, quantum ad bona moralia pertinet.

Quis fuit opera bona exercuit.

CA-

CAPVT XXVII.

De septem incommodis, quæ voluntatis gaudium in rebus moralibus reponendo, incurri possunt.

SEptem esse reperio præcipua damna, quæ subire potest homo, ob bonorum operum morumque suorum vanum gaudium, eaq; vehementer nociua, eò quod spiritualia sint; quæ ego hoc loco breuiter recensebo.

Primum damnum superbia. Primum damnum vanitas est, superbia, gloria vana & præsumptio, operum quippe propriorum complacentia, absque eorum magni pensione esse nequit. Hinc iactantia nascitur, & reliqua, quemadmodũ de Pharisæo in Euangelio dicitur: quod iactabundus oraret, & de ieiunio cæterisque operibus bonis gloriaretur.

Secundum damnum vanæ iactantiæ. Secundum damnum huic vt plurimum annexum est, quod huiusmodi homo cæteros improbos & imperfectos comparatiuè iudicat, existimando eos minimè adeò perfectè sicut ipse operari, in cordeque suo eos paruifaciendo, quin etiam verbis idipsum interdũ exprimendo. Hoc etiam damnum patiebatur Pharisæus; siquidem *Luc. 18.* in oratione sua dicebat. *Deus Gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus: ieiunabis in sabbato &c.* Atque ita vno solo actu, vtrumque hoc damnum incurrebat, seipsum magnificiendo, cæteros verò despiciendo sicut hodie faciũt multi, qui dicunt: non sum ego sicut ille talis, nec committo hoc vel istud sicut iste, vel ille. Imo plurimi istorum deteriores adhuc Pharisæo sunt: ille enim spreuit quidem cæteros, & personam etiam in particulari designauit, dicens. *Velut etiam hic publicanus*: at isti minimè his contenti, iracũdia insuper exardescunt, inuidiaque ac liuore dum alios laudibus afferri audiunt, vel illos plus seipsis agere, aut posse conspiciunt, tabescunt.

Tertium damnum bona opera propter cõsolationem operari. Tertium detrimentum est, quod cum ipsi in operationibus suis gustum solummodo & consolationem suam præ oculis habeant; communiter nequaquam eas aggrediũtur, nisi inde aliquid delectationis laudisque expectent, vnde sicut ait Christus. *Omnia vero opera sua faciunt vt videantur ab hominibus*: nec propter solum Deum operantur. *Matt. 23.*

Quartum damnum meriti præmijque iactura. Quartum detrimentum ex isto sequitur, estque quod operum bonorum, quæ faciunt præmium, minimè in Deo sint reperturi, siquidem illud in præsenti vita in operum suorum gaudijs vel consolatione, vel honoris emolumento, cæterisq; id genus inuenire voluerint, qua in re (vt Saluator noster ait) *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Hocque modo cum solo operum labore pudefacti præmioq; priuati remanebunt. Tanta autem est, quantum ad hoc detrimentum spectat, filiorum hominum calamitas, vt arbitrer maiorem operum, quæ in publico fiunt partẽ vel esse vitiosam, vel nullius valoris, vel coram Deo mancam & imperfectam: idque propterea quia non sunt ab istis commodis & respectibus humanis liberi & abalienati. Nam quodnam aliud obsecro iudicium ferri potest de operibus, ac monumentis seu memorijs nonnullis, quæ aliqui faciunt & instituũt, dum illa nisi honoribus, respectibus humanis, vitæq; vanitatibus inuoluantur, & veluti vestiãtur, exequi renuũt? nomẽ, genus vel dominia sua æternitati hoc modo consecrando, templis insuper sacris stemmata, insigniaque sua insculpendo; quasi seipsos vellent ibi imaginis loco collocare, vbi

vniuersi genua flectunt: quibus in operibus, de aliquibus affirmari potest, pluris eos seipsos facere, Deo ipso. Verum prætermissis istis, qui ex deterioribus sunt: quot reperiũtur, qui pluribus modis hoc operum suorum detrimentum & iacturam patiuntur? Quorum nonnulli volunt ea laudibus celebrari; nonnulli illorum gratitudinem pro ijs exigunt; alij illa recensent, gratumque illis est, vt ea talis & talis sciat; imo etiam orbis vniuersus, interdum etiam Eleemosynam, vel si quid aliud agunt, per alias personas fieri volunt; vt diuulgetur magis: alij denique vtrumque cupiunt. Quod nihil aliud est, quam tuba ante se canere, sicuti (dicente Saluatore nostro in Euangelio) homines vani faciunt, qui etiam propterea nullum à Deo operum suorum præmium sunt habituri. *Matt. 6. 2.*

Opera bona non hominibus duntaxat, sed sibi etiam ipsi celare debet spiritualis.

Quamobrem vt hoc damnum euadant, debent huiusmodi homines opus suum celare, vt soli Deo notum sit, neque illud à quoquam magni fieri velint. Nec tantummodo alijs illud abscondere debent, sed etiam sibi ipsi, hoc est, vt nec ipsi sibi in eo complacere, alicuius illud valoris æstimando, aut delectationem ex eo eliciendo, cupiant. Hoc modo spirituali sensu accipiendum est illud, quod Dominus noster ait. *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Quod perinde est ac dicere: ne temporali carneoque intuitu magni pendas opus, quod spiritualiter agis. Atque hac ratione vniuersa voluntatis vis vnitur & colligitur in Deum, & opus coram eo efficitur proficuum: si enim secus fecerit, non solum illius (vt dixi) iacturam faciet, sed etiam multoties ob iactantiam suam & vanitatem interiorem, non mediocriter DEVM offendet. Ad hoc enim propositum illa Iobi sententia intelligenda est: *Si lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima.* Hoc quippe loco, per manum, opus intelligit, per os autem voluntatem, quæ sibi in eo complacet. Et quoniam complacentia hæc in seipso est (vti diximus) idcirco ait Iob. Si lætatum est in abscondito cor meum: quod est iniquitas grandis, & contra Deum negatio, vt ibidem etiam subiungit. Sibi ipsi enim opus illud attribuere & arrogare, est DEO illud, cuius est omne opus bonum, denegare: quemadmodum fecit Lucifer, qui in seipso sibi complacuit, denegando DEO quod ipsius erat, illudque sibi ipsi vsurpando. *Iob 31. 27.*

Quintum huiusmodi hominum detrimentum est, quod in via perfectionis non progrediuntur. Cum enim delectationi ac consolationi in operando inhæreant, statim ac in operibus exercitijsque suis consolationem & suauitatem non reperiunt (quod ordinariè fit, quando eos Deus ad vlteriora promouere vult, duriori illos pane, qui perfectorum est cibando, ac infantium lac auferendo, virium insuper eorum experimentum faciendo, & tenerum mollemque appetitum repurgando, vt cibum grandium valeant degustare) ipsi vt plurimum despondent animum, perseuerantiamque amittunt, eò quod dictam in suis operibus consolationem minime reperiant. Qua de re spiritualiter intelligitur illud, quod Sapiens ait: *Muscæ morientes, perdunt suauitatem vnguenti.* Quando enim cuipiam istorum aliqua se se offert mortificatio, operibus suis bonis moriuntur, illaque intermittunt, ac perseuerantiæ iacturam faciunt, in qua suauitas spiritus & interna consolatio consistit. *Eccl. 10. 1.*

Sextum istorum damnum est, quod vt plurimum decipiuntur, dum arbitrantur, melio-

Sextum damnum.

meliores res operaque esse illa, in quibus ipsi delectationem percipiunt ijs, in quibus eam minime experiuntur, ac laudibus euehunt, & magni ista faciunt, illa verò improbant & vilipendunt, cum tamen aliter se res habeant; communiter enim opera illa, in quibus homo magis amorem suum proprium mortificat (maximè quando necdum in perfectionis via profecit) Deo magis accepta sunt, & apud eum ob sui ipsius abnegationem, quam in eis exercet homo, magis pretiosa, quàm ea, in quibus consolationem suam reperit: in his enim facillimè seipsum quærere, & intendere potest. Atque ad hoc propositum, de huiusmodi loquitur Michæas. *Malum manuum suarum, dicunt bonum*: hoc est, illud, quod in eorum operibus malum est, dicunt ipsi bonum esse: quod inde eis provenit, quia solatium suum & gaudium in operibus proprijs, non vero in soli Deo placendo constituerunt. Iam verò quantum sibi iuris damnum istud tam in spiritualibus, quàm etiam in communi hominum vulgo vsurpet, prolixum esset referre. Vix enim reperietur vnus, qui ad benè operandum solius Dei intuitu, absque alicuius consolationis, vel delectationis, aut alterius respectus adminiculis, moueatur.

Mich. 7. 3.

Septimum denique damnum est, quod quantum homo vanum gaudium in operibus moralibus non extinguit, accipiendi consilij ac rationalis doctrinæ circa opera bona quæ acturus est, magis incapax redditur. Habitus enim ille debilitatis, quem in operando cum proprietate & inhæsione vani gaudij contraxit, illum ita ligat, vt aut alienum consilium melius esse non iudicet, aut etiamsi melius iudicauerit, illud sequi recuset, eo quod ad illud exequendum animus desit. Huiusmodi etiam homines plurimum in charitate Dei & proximi remissi sunt. Amor quippe proprius; quo in opera sua feruntur, frigefacit in eis charitatem.

Septimum damnum.

CAPVT XXVIII.

De vtilitatibus, quæ proueniunt Animæ ex gaudij seu delectationis à moralibus bonis separatione.

Qui delectationem moralium bonorũ repudiat, à multis dæmonis tentationibus liber euadit.

INgentia plane sunt commoda, quæ in animam ex eo resultant, quod voluntatis suæ gaudium huic bonorum generi vanè applicare nolit. Inprimis enim à plurium tentationum fallaciarumque dæmonis ruina immunis est: quæ in gaudio & delectatione huiusmodi operum bonorum latent, sicut ex eo, quod in libro Iob dicitur intelligere possumus, *Sub vmbra dormit in secreto calami, & in locũ humentibus* Quæ de diabolo dicta sunt; eò quod in humiditate gaudij delectationisque & in arundinis vacuitate (operis videlicet vani) seducit animam. Neque mirum est, gaudio isto secretè à dæmone decipi: nam etiam absque ipsius suggestione ipsum vanum gaudium deceptio est, maximè verò quando istorum operum aliqua iactantia in corde latet: quemadmodum rem hanc recte expressit Ieremias, dicens. *Arrogantia tua decepit te, & superbia cordis tui.* Quæ enim obsecro maior deceptio reperiri potest ipsa iactantia? à quâ deceptione libera fit anima se ipsam ab isto gaudio repurgando.

Iob 40. 16

Hier. 49. 16.

Opera etiã perfectiora facit, si hac gaudia respuat.

Secunda vtilitas est, quod huiusmodi homo ordinatiora perfectioraque facit opera, cui rei si passio gaudij & delectationis in operibus prædominetur, nullus paret locus: hac quippe gaudij passione interueniente, irascibilis, concupiscibilisque portio, tantum sumunt incrementi, adeoque præualent, vt ponderi rationis nullum

Cur anima in operibus bonis sæpe inconstans est, & varia?

relinquant locum, sed ordinariè & vt plurimum loquendo anima in operibus & propositis bonis inconstans est, & varia quædam prætermittendo, alia arripiendo, plura inchoando, & nihil perficiendo. Cum enim ob delectationis sensum operetur, hic autem inconstans sit & varius, & in quibusdã multò amplius quàm in alijs, euanescente delectatione, euanescit quoque opus & propositum, licet illud maximi fuerit momenti. Apud huiusmodi homines gaudium & delectatio est veluti operum ipsorum anima & vita: extincto proinde gaudio, moritur etiam & finem accipit opus, nec in eo perseuerant, Christo Domino dicente: *Hi sunt qui audiunt, deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credẽtes salui fiant.* Cuius rei ea est ratio, quia nõ alias vires, neque aliud fundamentum habebant, quam dictum gaudiũ seu delectationem. Quamobrem, qui voluntatẽ ab isto gaudio separat & remouet, præstantissimam dispositionem ad perseuerandũ, & non aberrandum adeptus est. Vnde maximi est momenti vtilitas hæc, quemadmodum viceuersa, ingens est damnum illi cõtrarium. Sapiens oculos suos in substantiã ac emolumentum operis, nõ autem in delectationem iucunditatemq; ipsius collimat. Vnde nec aërem verberat & ex opere constans stabileque gaudium elicit; nec gaudij & delectationis subsidia requirit.

Luc. 8. 13.

Tertia vtilitas est prorsus diuina, nimirũ quia profligato & sopito operum istorum vano gaudio, efficitur pauper spiritu, quæ vna est Beatitudinum, quas filius Dei recensẽt dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

Matt. 5. 3.

Quartum cõmodum est, quod qui gaudium istud abnegauerit, in operãdo mansuetus, humilis & prudens euadet. Non enim impetu & festinatione à gaudio cõcupiscibilis & irascibilis stimulatus operabitur, neq; cum præsumptione affectata, ob æstimationẽ, quam sui operis, delectatione ipsius mediante concepit, nec tandẽ incautè gaudio excæcatus, opera efficiet.

Quinta denique vtilitas est, quod efficitur Deo hominibusque amabilis, & seipsum ab auaritiæ, gulæ, & spiritualis acediæ, inuidiæ quoque spiritualis, alijsque mille vitijs, præseruat ac liberat.

CAPVT XXIX.

In quo de quinto bonorum genere, quibus oblectari potest voluntas, id est, supernaturalibus inchoatur tractatio. Qualia ea sint, ac qua ratione à Spiritualibus distinguantur, & qualiter gaudium illorum ad Deum debeat dirigi, demonstratur.

EXpedit vt iam de quinto bonorũ genere, quibus anima oblectari potest, quæ supernaturalia esse diximus, disseramus. Supernaturalium autem bonorum nomine hoc loco vniuersa dona, gratiasq; à Deo concessas, quæ facultatem & virtutem naturalem superant, quæ gratis datæ appellantur, intelligimus: cuiusmodi sunt dona sapientiæ & scientiæ, quæ Deus cõtulit Salomoni; gratiæ item quas S. Paulus numerat. Fides nimirũ, gratia sanitatũ, miraculorũ operatio, Prophetia, notitia, discretioq; spirituũ, declaratio sermonũ, donũ denique linguarũ. Quæ quidẽ bona, quamuis extra controuersiam sit esse quoque spiritualia, sicut & illa eiusdẽ generis, de quibus immediatè sumus acturi: quia tamen insigne inter illa discrimen intercedit, placuit ea distinguere. Exercitiũ quippe istorum, immediatè hominum vtilitatẽ respicit, ob quam etiam illa confert Deus, vt ait S. Paul, *Vnicuiq; autem datur manifestatio spiritus ad vtilitatẽ.* Quod de gratijs istis accipiendum est. At spiritualium gratiarũ exerci-

Quænam sint supernaturalia bona, de quibus hoc loco agatur

5. Reg. 4. 29. 1. Cor. 12. 9.

Discrimen inter supernaturalia & spiritualia.

Ibid. 7.

exercitium & praxis, locum duntaxat habet inter animam & Deum, & inter Deum & animam, in intellectus voluntatisq; &c. cõmunicatione, quemadmodum postea dicturi sumus. Quare differunt inter se ratione obiecti: siquidem spirituales, inter Deum animamque locum obtinent, aliæ autem quas recensuimus supernaturales, ad alias creaturas, pro illarum vtilitatibus diriguntur, & destinantur. Differunt præterea in substantiâ, & consequenter in operatione. Vnde etiam necessario diuersa de illis debet tradi doctrina.

Cæterum de donis gratijsque supernaturalibus, in eâ, quâ nunc vtimur acceptione in præsenti loquendo, dico, ad vanum earum gaudium repurgandum duo hoc loco emolumenta, quæ in hoc bonorum genere reperiuntur, esse animaduertenda; temporale videlicet, & spirituale. Temporale est, morborum curatio, cæcorum illuminatio, suscitatio mortuorum, dæmonum electio, futurorum vt sibi prospiciant homines, prædictio; & id genus alia. Spirituale verò sempiternumque emolumentum est, vt per hæc opera cognoscatur Deus, eiq; obsequium debitum ab eo, qui illa operatur, vel ab ijs, in quibus, vel coram quibus effectum suum sortiuntur, impendatur.

Quantum ad primum emolumentum tẽporale nimirum attinet, opera ac miracula supernaturalia, exiguũ vel certe nullum animæ gaudium delectationemque promerentur, excluso n. secundo emolumento, parũ vel nihil homini prosunt, cũ ex se non sint media ad vniendã Deo animam, sed charitas duntaxat. Hæc autẽ opera & gratiæ supernaturales absq; gratũ faciente gratiâ ac charitate exerceri possunt, siue hoc fiat verè Deo dona gratiasq; tribuente, quemadmodũ iniquo Prophetæ Balaam contulit, siue dæmonis arte, vel alijs naturæ secretis alia similia (sicut Simoni Mago contigit) falso efficiendo. Quæ opera & mirabilia, si aliquam ea operanti vtilitatem adferre deberent, certè vera & à Deo concessa, illam adferrent.

Hæc verò absque secundo emolumento, quantum valeant docuit S. Paulus dicens. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum; charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, et si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum &c.* Vnde & Christus Redemptor noster plurimis, qui hoc modo sua magni penderunt opera, quando pro eis gloriam ab eo postulabunt dicendo. *Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, & virtutes multas fecimus?* Respõdebit, *Discedite à me qui operamini iniquitatẽ.* Quamobrẽ homo lætari debet, nõ quia eiusmodi insignitus est gratijs, illasq; exercet: sed quia secundum emolumentũ, spirituale scil. ex eis elicit; Deo in eis cum charitate verâ, in quâ vitæ æternæ fructus consistit, seruiendo. Propterea namque Saluator noster discipulos suos, eò quòd dæmonia eijcerent lætantes, reprehendit, dicens: *Veruntamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subijciuntur, gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Quod secundum rectam Theologiæ doctrinam perinde est, ac si dixisset. Gaudete & lætamini si libro vitæ vestra nomina sint inscripta. Ex quibus intelligimus, non debere hominem lætari, nisi cum æternæ vitæ itinera carpit, cùm scilicet charitatis operibus insudat. Quid enim coram Deo prodest, aut cuius apud eum valoris est, quidquid Dei amor non est? qui amor perfectus non est; si fortis non sit, prudens, ac

1. Cor. 13. 1

Matt. 7. 22.

Quomodo lætari debet homo in huiusmodi bonis?

Luc. 10. 20.

acin omnium rerum gaudio repurgando discretus: illud totum ad solam Dei voluntatem perficiendam ordinando. Atque hoc pacto vnitur Deo voluntas medijs istis supernaturalibus bonis.

CAPVT XXX.

De damnis, quæ resultare possunt in animam ex eo, quod voluntatis gaudium in hoc bonorum genere reponat.

TRia præcipua damna existimo ego incurrere posse hominē, gaudium in bonis supernaturalibus reponentem. Decipere videlicet & decipi: fidei iacturam in anima: vanam gloriam vel aliquam aliam vanitatem.

Qui supernaturalib. bonis delectatur, facile seipsū, & alios decipit.

Quantum ad primum attinet, facillimum est alios, & seipsum quoque huiusmodi operibus sese oblectando decipere. Cuius rei est ratio: nam ad discernenda ista opera, quænā scilicet falsa sint, & quæ vera, item qualiter, & quo tempore exerceri debeant, magnum consilium, multumque Dei lumen necessarium est: vtrique autem rei operum istorum æstimatio, nimiumque ex eis gaudium impedimento est. Et hoc ob duas accidit causas: Prima est, quia gaudium hebetat obfuscatque iudicium: Altera verò, quia ob gaudium, ac delectationem operis illius, non solum appetit homo citius illud fieri, sed etiam vt illud extra tempus operetur propendet. Et dato casu quod virtutes & opera, quæ exercētur vera sint, nihilominus satis sunt duo isti defectus, vt sæpenumero in illis decipiatur: vel non capiendo illa sicuti capi intelligique deberent, aut non ex illis proficiendo, illisque quando & qualiter oportet vtendo. Quamuis enim verum sit, quod quotiescunque hæc dona & gratias impertitur Deus, simul etiam illarum lucem ac motionem, qualiter nimirum & quando exerceri debeant conferre, ipsi nihilominus plurimum aberrare possunt, non eis cum ea, quam requirit Deus, perfectione, nec eo, quo ipse vult modo & tempore, ob proprietatem & imperfectionem, quam circa illas habere possunt, vtendo. Quemadmodum legitur facere voluisse Balaam, cum contra Dei voluntatem ad maledicendum Israelitico populo pergere præsumpsit. Quamobrem iratus Dominus interficere eum volebat, Sancti quoque Iacobus & Ioannes zelo commoti, volebant facere ignem de cælo super Samaritanos descendere, eò quòd noluissent Christum Dominum nostrum hospitio excipere; quos propterea reprehendit. Ex quo manifestum fit, qualiter huiusmodi, de quibus loquimur imperfecti, ad opera ista, quando non expediebat patranda, ab aliqua imperfectionis passione, gaudio æstimationeque illorum inuolutâ, determinantur & inducuntur. Quando enim similis imperfectio non interuenit, tunc solum ad virtutes istas operandas mouentur & determinantur, quando & quomodo Deus illos ad id excitat, extra quod tempus, ea aggredi non expediebat. Idcirco enim de quibusdam Prophetis conquerabatur per Ieremiam Deus dicens: *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Et postmodum subiungit: *seduxerunt populum meum in mendacio suo, & in miraculis suis, cum ego non misissem eos, nec mandarem illis.* Ibidem etiam de illis dicit; Quod videbant cordis sui visionem, illamque edicebant: quæ omnia nequaquam hoc modo contigissent, si ipsi hac abominabili proprietate in operibus istis caruissent. Vnde ex istis autoritatibus datur intelligi, huiusce modi gaudij damnum, non solummodo ad

adinique peruerſeque gratijs iſtis à Deo datis vtendum inducere (quemadmodum Balaam, & illi quos citato loco Ieremias dicit patraſſe miracula, quibus decipiebãt populum, inductifuerunt) verum etiam eouſque pertrahere, vt abſque eo, quod illas à Deo receperint, ijs vtantur: quemadmodum fecerunt iſti, qui ſua deliria prophetizabant, viſioneſque, quas ipſi componebant, aut quas illis dæmon repræſentabat, diuulgabant. Cum enim illos huiuſmodi rebus addictos animaduertit dæmon, latum eis ad hæc præbet campum, plurimamque ſuggerit materiam, multis ſeſe modis immiſcendo, vnde & iſti vela pandunt, & impudentem audaciam acquirunt, & huiuſmodi prodigioſorum operum, prodigi efficiuntur. Neq; hic malum iſtud ſiſtit, ſed eouſque cupiditas & delectatio iſtorum operum perducit, vt ſi huiuſmodi homines occultum antea cum dæmone pactum inierant (multi quippe iſtorum ob occultum cum eo pactum iſta perpetrant) iam expreſſum manifeſtumq; inire non vereantur, ex pacto ſe illi veluti diſcipulos & conſecratos ſubijciendo. Hinc malefici, incantatores, magi, ariioli & ſtriges prodeunt. Et eouſque gaudij & delectationis circa iſta opera malitia peruenit, vt non emere duntaxat pecunijs dona gratiaſque diuinas ad obſequendum dæmoni velint, quemadmodum Simon magus cupiebat, ſed etiã res Deo ſacratas. imò etiam (quod ſine tremore dici non valet) diuinas acquirere ſtudeant (grandem hîc Deus miſericordiã ſuam dilatet & demonſtret.) Quam verò ſibi ipſis pernitioſi ſint huiuſmodi homines, & quantum Chriſtianæ reipublicæ detrimentum inferant, vnuſquiſque manifeſte poterit cognoſcere. Quo loco animaduertendum eſt, vniuerſos illos magos & ariolos, qui inter filios Iſrael fuerant reperti, quos etiam Saul è terra exterminauit; idcirco in tantas abominationes, deceptioneſque lapſos fuiſſe, quia veros Dei Prophetas imitari voluerant. 1. Reg. 28. 3.

Quomodo ſe gerere debeat homo in iſtis ſupernaturalibus gratijs.

Quicunque ergo gratiam & ſupernaturale donum à Deo fuerit conſecutus, debet delectationem, & cupiditatẽ ab ipſius exercitio procul arcere: Deus autem, qui illud ſupernaturaliter ad Eccleſiæ ſuæ vel membrorum ipſius commodum præber, ſupernaturaliter quoque, ad ipſius exercitiũ illum permouebit, qua ratione, & quo tempore illud exercere debeat, inſpirando. Si enim diſcipulis ſuis præcipiebat, ne ſolliciti eſſent, quid aut quomodo eſſent locuturi, eò quod negotium eſſet ſupernaturale fidei, vult ſimiliter (cum negotium operum iſtorum non ſit minoris momenti) vt præſtoletur homo donec ipſemet Deus cor excitando operatinus ſit, cum in ipſius virtute, omnis virtus debeat operari. Et propterea diſcipuli in Apoſtolorum actis, quamuis eis Deus gratias donaque iſta larga manu infudiſſet, petierunt tamen ab eo, vt manum ſuam ad ſanitates, ſigna & prodigia per ipſos perficienda extenderet, vt fidem Domini Noſtri Ieſu Chriſti cordibus audientium imprimerent: *Da ſeruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum in eo quod manum tuam extendas ad ſanitates & ſigna, & prodigia fieri per nomẽ ſancti filij tui Ieſu.* *Act. 4. 30*

Secundũ damnum, quod in iſtis ſupernaturalibus bonis ſeſe oblectando incurritur, eſt fidei detrimentũ.

Secundum damnum, ex hoc primo poteſt promanare, fidei videlicet iactura & detrimentum, quod dupliciter contingere poteſt. Primo, reſpectu aliorum. Nam volendo virtutem, & miraculum extra tẽpus, & præter neceſſitatem operari, præterquã quod Deus tunc manifeſte tentatur (quod profecto eſt peccatum grande) accidere poterit rem minimè ex voto ſuccedere, effectuque carere, vnde in

cordibus præsentium, minor credulitas fideique contemptus oriretur. Quamuis enim aliquando res ex sententiâ succedat, eò quòd ita Deus alias ob causas respectusque velit, quemadmodum cum illa Saulis Pithonissa fecit (si tamen verum est Samuelem ibi apparuisse) non semper tamen, eodem illis eueniet modo: quando autem voti compotes euaserint, non propterea tamen non erant ipsi, aut sunt à culpâ immunes, eò quòd istis vtantur gratijs, quando minime deberent.

1. Reg. 8. 22.

NOTA. *Quâ ratione fidei iactura incurratur.*

Secundo modo poterit huiusmodi persona in seipsa detrimentum pati, quantum ad fidei meritum spectat, nam miracula ista magni pendêdo, à substantiali fidei exercitio, quæ est habitus obscurus, diuelliturvndecunq; vbi plura signa testimoniaq; concurrunt, minus ex credendo meriti resultat. Vnde S. Gregorius dicit. *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Vnde Deus ista miracula, quando ad credendum sunt necessaria, vel ob alios gloriæ suæ sanctorumque suorum fines, operatur. Ne etiam sui discipuli fidei merito carerent, si Resurrectionis suæ experimenta cepissent, propterea antequam se ipsis palam ostenderet, multa operatus est, vt eum minimè cernendo, fidem ipsius adhiberent resurrectioni. Magdalenæ quippe, primo vacuum monstrauit sepulchrum, postmodũ voluit illi ab Angelis mysterium hoc dici (Fides enim est per auditum, sicut ait S. Paulus) vt illud audiens, prius crederet, quam cerneret. Quin etiam quando illum iam conspexit, fuit id in hortulani schemate, vt illam in credulitate, quæ illi deerat præsentiæ suæ calore perfectè instrueret. Discipulis quoque prius per mulieres resurrectionem nunciauit, postea verò illi ad videndum perrexere sepulchrum. Euntium etiam in Emaus prius inflammauit corda, quàm se illis in aliena specie cum eis iter carpens, ostenderet. Et tandem postmodum vniuersos increpauit, eò quòd iis qui nunciarant, eum resurrexisse, non credidissent. Sanctum quoque Thomam, eo quod resurrectionis suæ experimẽta in vulneribus eius capere voluisset, reprehendit, dicens: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Ex quibus patet, non admodum esse Deo gratum miracula fieri. Et propterea Phariseos, eò quòd non crederent, nisi præcedentibus signis, ipse reprehendebat, dicens: *Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis:* Magnum itaque fidei detrimentum subeunt, qui sese istis operibus supernaturalibus oblectare amant.

Greg. ho. 26. in Euangel.

Ioan. 20. 25. & 30.

Rom. 10. 17.

Matth. 16. & Luc. 24. & Ioan. 20.

Ioan. 4.

Tertium postremo detrimentum est, quod vt plurimum ob huiusmodi operum gaudium & oblectationem in vanam gloriam, vel aliam vanitatem labuntur. Nam etiam ipsum de istis mirabilibus operibus gaudium, si non sit (vt diximus) purè in Deo, vel propter Deum, vanitas est: quod ex eo patet, quia Dominus noster discipulos suos propterea reprehendit, quia fuerant lætati ex eo quòd dæmonia ipsis subijcerentur, quod gaudium si vanum non fuisset, nunquam illud Saluator noster reprehendisset.

Tertium damnum vanitatis & gloriæ vana.

CAPVT XXXI.

De duobus emolumentis, quæ ex gaudijs in supernaturalibus gratijs abnegatione, eliciuntur.

PRæter commoda, quæ consequitur anima seipsam per gaudij & delectationis huius priuationẽ à prædictis tribus damnis eliberãdo, duas insuper easq; eximias abnegatio

Hæc supernaturalia bonorum gaudia

mias adipiscitur vtilitates. Quarum prima est, quod magnificat & exaltat Deum. Secunda est quod ipsa quoque anima seipsam exaltat. Bifariam enim Deus in anima exaltatur. Primo modo, quando ipsa cor suum voluntatisque suæ gaudium & delectationem ab omni eo, quod Deus non est, separat & abstrahit, vt illam totaliter in Deum transferat. Quod significare voluit Dauid dicens: *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Eleuato siquidem super omnia corde, exaltatur etiam anima super omnia illa. Et quoniam sic faciendo, in solo Deo cor reponitur, exaltatur etiam & magnificatur DEVS ipse, præstantiam & magnitudinem suam animæ patefaciendo: in hac enim gaudij delectationisque in Deum subleuatione, præbet Deus animæ testimonium, quisnam ipse sit. Quod nequaquam fit, nisi gaudium, & consolatio voluntatis in rebus vniuersis euacuetur. Sicut etiam hoc per Dauid Dominus dixit. *Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus.* Et iterum ait. *In terra deserta, & inuia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.* Cum ergo verum sit exaltari Deum dum gaudium in separatione ab omnibus rebus constituitur, multò exaltabitur amplius, illud ab istis mirabilioribus separando ac diuellendo (cum sublimioris sint illæ entitatis, eò quòd supernaturales sint) vt in eum solum transferatur; quamobrem illas relinquendo vt gaudium & delectatio in solo Deo reponatur, maior Deo gloria excellentiaque attribuitur quam illis; quo enim quis plura maioraque propter alium despicit, tanto plutis illum facit, & exaltat. Præterea secundo modo exaltatur Deus, voluntatem ab isto operum genere separando, & abstrahendo. Quia quò magis credimus Deo, fideliusque sine testimoniorum ac miraculorum adminiculis obsequimur, eò amplius ab animâ exaltatur: plus enim de Deo credit, quam signa & portenta illi persuadere possent.

Secunda vtilitas, animæ nimirum subleuatio seu sublimatio ideo euenit, quia voluntatem ab vniuersis testimonijs significque apparentibus separando & elongando, ad purissimam fidem subleuatur, & euehitur, quam illi in gradu multo intentiori infundit & adauget Deus, simul etiam vberius illi alias duas Theologicas virtutes, charitatem nimirum & spē tribuendo. Quâ in re sublimissimis Dei notitijs obscuro nudoq; fidei habitu mediante perfruitur, magnam quoque amoris percipit suauitatem media charitate, per quam in nullâ alia re oblectatur voluntas, nisi in Deo viuo. Denique voluntatis satisfactione, spe intercedente perfruitur. Quæ omnia admirabile sunt emolumentum, quod directè & essentialiter ad perfectam animæ cum Deo vnionem confert.

Quarta ad purissimæ fidem perueniat anima.

CAPVT XXXII.

In quo de sexto bonorum genere, quibus oblectari potest voluntas agere incipit, qualia ea sint demonstrat, primamque eorum facit diuisionem.

QVandoquidem scopus, quem in hoc nostro opere nobis proposuimus est, per spiritualia bona spiritum ad vnionem vsque diuinam Animæ cum Deo dirigere; nunc quando in hoc sexto bonorum genere de spiritualibus bonis, quæ maximè negotium istud promouent, nobis disserendum est, operæ pretium erit, vt tam ego, quam Lector peculiari

Scopus authoris in hoc opere.

Petit Author singulariter in istius legendis attentionem, & quare?

attentione consideratione nostram huc conuertamus. Est quippe res omnino certa, quod ob exiguam quorundam scientiam, plures spiritualibus rebus, pro sensu duntaxat vtuntur, spiritum vacuum relinquentes, ita vt vix reperiatur, cui sensibilis gustus seu succus non magnam spiritus partem corrumpat & demoliatur aquam antequam ad spiritum perueniat, ebibendo, aridum illum interim & vacuum relinquendo.

Quidnam per spiritualia bona intelligitur?

Ad rem itaque nobis propositam accedendo dico, per spiritualia bona, me omnia illa intelligere, quæ ad res diuinas, animæque cum Deo conuersationem, nec non ad Dei cum anima communicationem mouent, & iuuant.

Spiritualia bona in duplici reperiuntur differentia: Dulcia videlicet & Amara.

Inchoando itaq; à diuisione per suprema genera factâ, dico spiritualia bona in duplici differentiâ reperiri: quædã videlicet dulcia & iucunda, alia verò amara & afflictiua, & vnumquodq; istorum generum, in duas etiã species seu modos diuiditur: nam dulcia seu sapida bona, quædam sunt rerum manifestarum, quæ distinctè intelliguntur, alia verò sunt rerum, quæ nec clarè nec distinctè percipiuntur. Amara quoque & afflictiua, quædam sunt rerum manifestarum & distinctarum; alia autem sunt rerum confusarum & obscurarum.

Attente est hac bonorũ distinctio perpẽdenda ad librorum istorũ intelligentiam.

Quæ omnia possumus etiam secundum animæ potentias distinguere. Quædam enim bona in quantum intelligentiæ sunt, ad intellectum pertinent: alia in quantum sunt affectus, ad voluntatem: alia verò in quantum imaginaria sunt, ad memoriam spectant. Prætermissis itaque nunc amaris bonis & afflictiuis, eò quòd ad Noctem Passiuam pertineant, in qua de illis tractaturi sumus, prætermissis etiam dulcibus illis & sapidis bonis, quæ dicebamus confusarum esse rerum, & non distinctarum, vt de illis vltimo loco agamus, eò quòd ad notitiam generalem confusam, amorosam, in qua vnio animæ cum Deo celebratur spectent, quam Libro secundo dum diuisionem apprehensionum intellectus faceremus, prætermisimus, tractationem illius in vltimum locum differendo, quod etiam plene copioseque Libro noctis obscuræ præstabimus. Hoc autem loco de illis dulcibus sapidisque bonis, quæ sunt rerum manifestarum & distinctarum, tractabimus.

CAPVT XXXIII.

Agitur de spiritualibus bonis, quæ distinctè intellectum memoriamque subire possunt, & qua ratione voluntas sese gerere debeat circa illorum gaudium, seu delectationem, edocetur.

MAgnus profectò nobis hoc loco subeundus esset labor, si memoriæ, intellectusque apprehensionum multitudinem recensere deberemus, modumque voluntati, quo sese circa earum gaudium ac delectationẽ gerere debeat, præscribere, nisi hâc de re fusè secundo, & hoc tertio libro egissemus. Sed quoniam ibi traditus est modus, quo duæ istæ potentiæ circa illas sese gerere debeant, vt ad diuinam vnionem tendere possint; cumque eodem omnino modo expediat voluntati sese cum gaudio & delectatione ex apprehensionibus istis orto gerere; minimè necessarium est hoc loco apprehensiones istas recensere: satis siquidem est dicere, quod vbicunque dictum est vt potentiæ illæ, sese à talibus vel talibus apprehensionibus euacuent, intelligendum supponendumque esse, voluntatem quoque illarum gaudio euacuari debere. Illud etiam quod de memoria & intellectu dictum est, quâ ratione nempe

Sensus quòd intellectus & memoria ad aliquam apprehensionem in hoc libro euacuãda tenentur, intelligi debet etiam voluntatem ab apprehensione illius gaudio euacuandam esse.

nempe seſe cum vniuerſis apprehenſionibus illis gerere debeant, idem prorſus de voluntate intelligi debet. Cum enim intellectus, & cæteræ potentiæ nihil admittere recuſareque poſſint, abſque voluntatis aſſenſu; perſpicuum eſt, eandem doctrinam, quæ deſeruit vni, alteri quoque deſeruituram. Quamobrem ea, quæ in hac parte deſiderari poſſent, illo loco legantur, omnia ſiquidem damna & pericula (quæ ibi recenſentur) incurret anima, ſi voluntatis gaudium in omnibus illis apprehenſionibus neſciat ad Deum dirigere.

CAPVT XXXIV.

De ſapidis dulcibuſque ſpiritualibus bonis, quæ diſtinctè in voluntate locum habere poſſunt, & quotuplicia ea ſint.

Quatuor bonorum generum.

AD quatuor bonorū genera, omnia, quæ voluntati gaudium & voluptatem diſtinctè adferre poſſunt, reuocare poſſumus, Motiua nimirum, Prouocatiua, Directiua, & Perfectiua: de quibus ſigillatim ordinateque diſſeremus: & primo loco de motiuis ſeu excitatiuis, cuiuſmodi ſunt Imagines, ſanctorumque effigies, oratoria, ritus, ſeu cæremoniæ.

Motiua. Prouocatiua. Directiua. Perfectiua. De vtroque imaginum genere.

Quantum autem ad imagines ſanctorumque effigies ſpectat, multæ circa eas vanitates ac delectationes vanæ occurrere poſſunt, cum enim tanti eæ ſint ad cultum diuinum momenti, tamque ad permouendam & excitandam ad deuotionem voluntatem neceſſariæ; quemadmodum approbatio vſuſque earum, qui in ſancta Eccleſia matre noſtra viget, perſpicuè demonſtrant; (vnde etiam ſemper illis ad excitandum teporem noſtrum vti expedit) multæ tamen reperiuntur perſonæ, quæ gaudium ſuum ac delectationem in pictura potius ornatúque ſeu apparatu earum reponunt & occupant, quam in rebus illis, quas referunt & repræſentant.

Ob duos primarios fines Imaginum vſum ſancta Eccleſia inſtituit.

Ob duos primarios fines, ſacrarum imaginum vſum inſtituit ſancta Eccleſia, primo ob debitū in illis honorem, reuerentiamque ſanctis exhibendam. Secundo ad permouendam voluntatem, atque deuotionem erga eos per illas excitandā.

Quales eligendæ Imagines.

Et quatenus ad hæc conferunt ac deſeruiunt, ſummam adferunt vtilitatem, vſuſque earum neceſſarius eſt, ad quem finem conſequendum imagines illæ, quæ magis propriè & ad viuum repræſentant, magiſque voluntatem ad deuotionem excitant, eligi debent, ad iſta potiùs quam ad earum valorem, curioſum artificium & ornatum oculos collimando. Sunt enim (vt dixi) nonnulli qui imaginis potius artem valoremque intuentur, & conſiderant, quam illud quod repræſentant: & internam deuotionem, quam ad inuiſibilem ſanctum ſpiritualiter dirigere deberent, in exteriori affectu & curioſitate ita reponunt; vt ſibi in ea complaceat ac oblectetur ſenſus, amorque & voluntatis gaudium in ea remaneat: quæ res totaliter verum ſpiritum impedit, qui affectus annihilationem in omnibus rebus particularibus requirit. Hoc clarè animaduertere licet ex quadam abominanda conſuetudine, quæ temporibus iſtis apud pleroſque inualuit, qui cum vanum mundanorum veſtiendi modum minime abhorruerint, ſacras imagines illo veſtimentorum ſchemate, quod homines vani ad recreationum ac leuitatum ſuarum ſatisfactionem indies adinueniunt, exornant, eaque veſtium forma, quæ in ipſis reprehenſione digna eſt, ſanctorum induunt imagines: quæ res profectò ſanctis, quos repræſentant, ſemper ingrata fuit &

inuisa, & adhuc est: hocque modo conatur dæmon, & ipsi cum eo, autoritatem, vanitatibus suis, in sanctos eas conferendo, non sine graui ipsorum iniuria conciliare. Atque hoc pacto honesta & grauis animæ deuotio, quæ vniuersam à se repellit profligatque vanitatem, eiusque vestigium ad curiosum, & superfluum ornatum imaginum, atque figurarum affabrè depictarum, quibus per affectum adhærent, quibusque oblectantur ad summum reducitur. Hinc videre est personas aliquas, quibus nunquam satis est imaginem imagini addere, quas etiam talis formæ, talisque operis esse volunt, nec alio, quam tali vel tali ordine disponi, vt vehementius sensum oblectent, interim autem deuotio cordis dmodum est exigua. Cui rei tanto plerumque affectu adhærent, sicut Michas ille idolis suis adhæserat, vel certe Laban: quorum primus domo sua egressus, magnos edebat clamores, eò quod illi sublata fuissent: alter verò, multo confecto itinere ita efferuescens, vniuersam Iacobi supellectilem sarcinasque, idola sua inuestigans, excussit.

Iudic. 18. 24. Gen. 31. 30.

Spiritualis persona, qua ratione vti debeat Imaginibus sanctis.

Spiritualis ac deuota persona, in inuisibili præcipuam suam reponit deuotionem, pauciſque indiget & vritur imaginibus, ijsque præsertim, quæ plus Diuini, quam humani præ se ferunt: vestiendo & ornando eas, seque ipsam cum eis iuxta alterius potius sæculi schema & formam, & iuxta sanctorum statum; nec vllo pacto huius sæculi figuræ modoque sese accommodat: vt non solum appetitum, ipsius vestis sæculi huius schemaque non permoueat; sed vt ne recordetur quidem eius per illud, aliquid illi vel ipsius rebus simile præ oculis habendo, sed nec illis quibus vtitur cor implicatum habet, vnde si illis priuetur, parum admodum affligitur, viuam siquidem intra se quærit imaginem, quæ est CHRISTVS CRVCIFIXVS, in quo potius omnia sibi cupit auferri, omniaque sibi deesse, imo etiam illa, quæ videbantur esse media ad Deum promouentia, si illi auferantur, remanet quieta & pacata. Maior siquidem Animæ perfectio est in priuatione & ablatione huiusmodi motiuorum lætari, seque tranquillam conseruare; quam in possessione eorum cum appetitu & adhæsione. Quamuis enim laudabile sit huiusmodi imagines & instrumenta habere, quæ animæ deuotionem excitent (ad quem etiam finem semper huiusmodi seligendæ sunt, quæ eam magis excitent) verum non est perfectionis, adeò illis adhærere, vt eas cum proprietate possideat, ita vt si ab ea tollerentur, contristetur. Quamobrem id sibi persuadeat Anima, quod quo maiori cum proprietate imagini vel motiuo sensibili adhæserit, eò minus orationem ac deuotionem suam ad Deum ascensuram. Licet enim extra controuersiam sit, quod imagines, quæ magis ad amussim rem repræsentant, magisque quam aliæ deuotionem excitant, ob id, eamque solam ob causam maiori cæteris amore dignæ sint, minime tamen id fieri debet cum ea proprietate & adhæsione, de qua nuper sum locutus; ne videlicet eo, quod spiritum celeri quodam volatu in Deum subleuare debebat, obliuioni dato, totum absorbeat sensus, delectationi instrumentorum immersus, quæ cum spiritum solummodo promouere deberent, ad huncque duntaxat deseruire finem; iam ob istius hominis imperfectionem, potius obstaculo sint, & impedimento, & aliquando non minus, quam cuiusuis alterius rei adhæsio & proprietas.

Imperfectio est Imaginibus, cum proprietate cordis adhærere.

Sed dato, aliquam in hoc imagini nego-

negotio excusationem adferri posse, eò quod nuditatem, & paupertatem spiritus quam perfectio requirit minime habeat perspectam; saltem nulla poterit excusatio in imperfectione, quam vulgo multi circa coronas, rosariaque admittunt, assignari: vix quippe aliquem reperias, qui hac in parte debilitatem aliquam non demonstret, potius ea isto fabrefacta modo volendo, quam alio, ex hoc non ex alio metallo, talis potius quam illius coloris aut ornatus, &c. cum non amplius vnum referat quam aliud, ad hoc vt facilius Deus orantis preces admittat; aut vt eæ in hoc vel in alio persoluantur rosario; quin potius illa velocius exauditur anima, quæ simplici rectoque orat corde, nihil aliud in optatis habendo, quam Deo rem gratam præstare, nihil amplius hoc vel illud rosarium, nisi forte ob annexas Indulgentias, æstimando.

Cupiditas nostra magna circa, ea spectantia ad alias res.

Est nostra vana cupiditas huiusmodi naturæ & proprietatis, vt vniuersis adhæreat & agglutinetur rebus, estque tineæ instar, quæ integra demolitur, & tam res bonas, quam etiam malas corrodit. Quid enim obsecro aliud est, quod Rosario curioso oblecteris, potiusque illud ex ista quam ex illa velis materia, nisi quia gaudium & oblectationem in instrumento reposuisti? & cur potius hanc quam illam eligis imaginem, nec sit ad maiorem Dei amorem sit excitatura, consideras, sed si pretiosior solum sit, magisque curiosa attendis? Profectò si appetitum ac gaudium tuum in soli Deo placendo reposuisses, nihil hoc vel illud curares. Nec mediocre generat fastidium aliquas spirituales personas, tantoperè modis artificijsque motiuorum & instrumentorum istorum, vanæque in illis delectationi & curiositati addictas cernere: nunquam enim eos contentos, satisfactosque animaduertes, sed semper vnum motiuum propter aliud deserere, aut permutare, & propter istos visibiles modos, spiritus deuotionem obluioni dare, eodem interdum affectus & proprietatis genere ista prosequendo, quo aliam temporaneam supellectilem prosequuntur: vnde non mediocre patiuntur detrimentum.

CAPVT XXXV.

Eandem de sacrũ Imaginibus prosequitur materiam. Ignorantiam etiam quandam, quanonnullæ circa eas tenentur personæ, exponit.

Stoliditas quorundã plus in vna quã in alia imagine fiducia reponentium.

MVlta de ruditate & stupiditate, qua circa imaginũ vsum, multæ laborant personæ, essent dicẽda, nã eousq; stoliditas hæc peruenit, vt nonnulli plus fiduciæ inquibusdã reponant imaginibus, quã in alijs, à solo affectu amoreq; quo in vnam potius quam in aliam feruntur, figuram inducti. Qua in re insignis quædam ruditas, & rerum ad diuinum cultum ac honorem illi debitum attinentium ignorantia latet: qui orantis fidem ac cordis puritatem maximè intuetur. Nam quod Deus plura interdum conferat beneficia, per vnam quam per aliam eiusdem generis Imaginem (quamuis in earũ opificio plurimum aliquando intercedat discriminis) hoc idcirco fit, vt homines magis per vnam, quam per aliam imaginem suam prouocent deuotionem. Quamobrem nulla alia causa est, cur Deus miracula operetur, beneficiaque maiora per aliquas imagines, quam per alias conferat, nisi vt nouitate illa, languida & sopita

Cur Deus plura interdum confert beneficia per vnam imaginẽ, quam per aliam.

fide-

fidelium deuotio, & affectus excitetur. Cum autem tunc media imagine, illa deuotio accendatur oratioque continuetur (vtrumq; enim medium est vt preces audiat Deus, postulataque concedat) tunc etiam imagine illa mediante, & propter affectum & orationem, continua beneficia confert Deus & miracula patrat: fides enim & deuotio, quæ erga imaginem habentur, in sanctum quem repræsentant, deriuatur & redundat.

Quare nullo modo facienda est reflexio in artificij artisque, cum qua imago est effecta differentiam, vt plus spei in vna reponatur quam in alia, esset enim hoc insignis stupiditatis: sed illæ plutis fiant, quæ magis accuunt deuotionem. Vnde Deus vt magis istam formalem fidelium deuotionem repurget, solet vt videmus, si aliqua præstare beneficia ac miracula operari velit, ordinariè illa, medijs quibusdã exhibere imaginibus, non perfecte admodum efformatis, aut curiosè depictis vel figuratis, ne fideles aliquid rerum istarum picturæ, vel arti adscribant. Sæpe etiam solet Dominus noster huiusmodi impendere beneficia, medijs imaginibus illis, quæ magis sunt ab hominibus remotæ ac solitariæ. Primo, vt impulsu illo eas adeundi, magis affectus incalescat, actusque fiat intensior. Secundo vt ab hominum strepitu segregati, orationi incumbant, quemadmodum Dominum nostrum fecisse legimus. Quam ob causam, ille qui peregrinationem aliquam suscipit, optime facit, si eam tunc obeat, cum nulli alij locum illum petunt, quamuis propterea insolito id fieri tempore deberet. Cum autem magna hominum frequentia iter illud carpit, nunquam illi author essem eò eundi; vt plurimum enim, magis inde distracti indeuotiq; redeunt, quam iuerant. Nõ pauci etiam peregrinationem aggrediuntur animi potius gratia, quam deuotionis. Itaque si fides & deuotio absint non satis erit imago: o quam viua eleganſque fuit imago Saluator noster in mundo, nihilominus tamen omnes, qui fide erant destituti, licet maximè illum comitarentur, eiusque stupenda conspicerent miracula, nihil inde vtilitatis referebant. Atque hæc erat potissimum ratio, cur in patria sua pauca patrarit miracula, vt ait Euangelista.

Cur potius præstet Deus beneficia per Imagines solitarias?

Cur multi, qui fidem non habent in terra, patientia & miracula fruiti sunt, nulli inde vtilitatem retulerint. Luc. 4.

Placet etiam hoc loco aliquot supernaturales effectus referre, quos interdum imagines aliquæ in particularibus personis producere solet. Nam nonnullis imaginibus infundit Deus spiritum singularem, taliter vt imaginis figuræ deuotioque, quam illa excitauit in mente ac memoria remaneant impressæ, ac si illam præsentem haberent, & quando actu illius recordantur, eundem illis infundit spiritum, quem primo visa, contulerat, nonnunquam plus, nonnunquam minus; in alia verò imagine licet perfectius elaborata, nequaquam illum spiritum experiuntur.

Cur magis magna multitudo ad vnam quam ad aliam afficiatur imaginem.

Multæ præterea personæ maiori afficiuntur deuotione ad imagines vno modo fabrefactas, quam ad alias; & in aliquibus nihil illud erit aliud, quam affectus, & delectatio quædam naturalis (quemadmodum etiam alicui magis grata erit facies vnius personæ, quam alterius) magisque illis naturaliter afficientur, & præsentiorem in imaginatione circumferent, quamuis non adeò sint elegantes ac aliæ; eò quod naturalis ipsarum cõstitutio magis ad illum formæ ac figuræ modum propendeat. Vnde nonnulli arbitrabuntur, affectum, quem erga talem vel talem gerunt imaginem, deuotionem esse, & fortassis nihil amplius erit, quam delectatio & affectus naturalis.

Inter-

Interdum etiam eueniet, vt aliquam intuendo imaginem videant eam moueri, vel vultum immutare, innuere aliquid, vel loqui. Istum modū sicut & illum supernaturalium effectuum imaginum, de quibus supra paulo ante locuti, licet sit verum multoties veros effectus, & proficuos producere, Deo illos vel ad deuotionem augendam, vel certe vt anima aliquod habeat fulcrum, cui ideo quod aliquatenus debilis est & infirma possit inniti, & ne adeò crebro euagetur ac distrahatur, producente: alijs tamen vicibus minimè sunt effectus huiusmodi veri, solentque illos efficere Dæmon, vt noceat & fallat. Propterea pro omnibus capite sequenti trademus doctrinam.

CAPVT XXXVI.

Qua ratione voluntatis gaudium, seu delectatio per Sacrarum Imaginum obiecta, taliter ad Deum dirigi debeat, vt voluntas non erret, nec pereas impedimentum incurrat.

QVemadmodum Imagines non mediocriter conferunt ad excitandam Dei Sanctorumq; memoriam & voluntatē ad deuotionem permouendam, via ordinaria, sicuti æquum est illis vtendo, ita etiā non leuis erunt occasio erroris, si cum res supernaturales circa eas contingunt, nescit anima qualiter ad Deum tendere debeat siquidem vnum ex præcipuis medijs, quibus Dæmon animas incautas facile decipit, viamque veritatis spiritus illis præpedit, sunt res insolitæ, & præterordinatiæ, quas ostendit per imagines: siue per materiales, & corporeas, quibus vtitur Ecclesia, siue per illas, quas solet ipse phantasiæ imprimere, sub talis vel talis Sancti schemate, vel etiā sub imagine sua, transfigurando se in Angelum lucis, vt fallere possit. Sagax quippe astutusque diabolus in istis ipsis medijs, quæ nobis ad remediū & adiumentum collata sunt sese occultare satagit, vt nos magis incautos deprehēdat. Quamobrem deuota anima semper etiam in bonis formidare debet, malum enim, sui ipsius testimonium secum adfert.

Quapropter ad vniuersa damna, quæ in hoc euentu anima pati posset euadenda (quæ sunt vel à celeri in Deum volatu præpediri & retardari; vel vili modo & insipienter imaginibus vti, vel certè per illas decipi, quę omnia superius adnotauimus) ad repurgandam præterea in eis voluntatis delectationem & gaudium, & dirigendam per eas ad Deum animam (qui est scopus, quem in ipsarum vsu proponit Ecclesia) vnicum duntaxat monitum & documentum, quod pro omnibus satis est, præscribere volo.

Et est huiusmodi quod quandoquidem imagines sacræ ad nil deseruiunt aliud, nisi vt sint nobis motiua inuisibilium rerum; nihil etiam aliud requiramus in eis præter motiuum, affectum, voluntatisque delectationem in re viua, quam referunt & repræsentant. Propterea vtatur fideliū quilibet hac circumspectione, vt statim ac aliquam fuerit intuitus imaginem, nolit illi sensum immergere & alligare, siue fuerit corporea imago, siue imaginaria, siue sit pulchrè & eleganter efficta, siue pretiosè ornata, siue illi sensitiuam, siue etiam spiritualem conciliet deuotionem: omnibus istis accidentibus spretis, non amplius sese ad eam reflectat: sed præstita imagini ea, quam Ecclesia præcipit, adoratione, confestim inde erigat mentem ad rem, quam repræsentat, succum & voluntatis oblectamentum in Deo, vel sancto cuius opem implorat, cū deuotione, ac spiritus sui oratione reponat. Ne id quod viuo prototypo & spiritui debetur, à pictura, & sensu

vsurpetur. Hoc modo faciendo non decipietur, nec spiritum & sensum, ne ad Deum libere & expedite euolent, occupabit. Et sic imago, quæ supernaturaliter, eius deuotionem prouocat, multò copiosius id efficiet, siquidem absque morâ, affectu sese in Deum erigit. Semper enim quod Deus istas, vel similes largitur gratias; id facit inclinando affectum, & gaudium voluntatis ad id quod est inuisibile, quod à nobis fieri vult annihilando vires & vigorem potentiarum, quoad res omnes visibiles, & inuisibiles.

CAPVT XXXVII.

Tractationem de bonis motiuis seu prouocatiuis continuat. De oratoriis, locisq; orationi dicatis, differit.

ARbitror satis à nobis explanatum esse, qua ratione in imaginum accidentibus possit spiritualis persona grandem, & fortasse periculosiorem admittere imperfectionem, si delectationem suam in ipsis reponat; quam in alijs rebus corporeis & temporalibus solet committi. Dico autem periculosiorem fortasse imperfectionem committi; dicendo enim res illas pias esse & sanctas, securi efficiuntur, nec naturalem proprietatem, & adhæsionem metuunt. Atque hoc modo crebro non leuiter decipiuntur, se iam deuotione esse plenos autumantes, eò quod gustum ac delectationem in rebus istis sanctis sentiant: & fortassis nihil illud ampliùs erit, quam inclinatio, & appetitus naturalis, quo sicut in res alias feruntur, sic etiam istis rebus sanctis afficiuntur.

Vanitas multorũ nocua in Oratorijs concinnãdis.

Hinc prouenit (vt de Oratorijs loqui auspicemur) quod nonnulli semper cupidi sunt & nunquam imaginibus in suo oratorio congregandis, varioque ordine disponendis, adornandis explentur, eo fine vt oratoria sua rectè concinneque sint disposita & ornata & omnibus placeant; cum tamen Deum non plus isto, quam illo diligant modo: quin potius minus; si quidẽ gustum & delectationem quam in illo apparatu depicto reponunt, vtpotè per illas imagines repræsentatò, subtrahunt, sicut diximus. Quamuis enim sit verum, ornatum & apparatum vniuersum necnon reuerentiam, quæ imaginibus possit exhiberi, exiguum quid esse respectu eius, quod merentur (& propterea illi, qui modica eas cum reuerentiâ decentiâque conseruant, magnâ digni sunt reprehensione, quemadmodum etiam illi, qui adeo eas ruditer & ineptè effingunt, vt extinguant potius quàm excitent deuotionem; ac proinde æquum esset aliquos artis huius imperitos ab eius exercitio arcere) attamen nihil huic rei commune est, cum proprietate & affectu nimio & appetitu, quem tu in exterioribus istis ornamentis, & exquisito apparatu exerces, quando taliter sensum tuum absorbent, vt maximum cordi tuo adferant obstaculum, ne ad Deum assurgere, illumque amare, ac omnium rerum propter ipsius amorem possis obliuiscì? Si enim propter ista, in his deficis, non solum non grate hoc à te accipiet, sed te potius puniet, eò quod non ipsius potius in rebus omnibus gustum & beneplacitum quæsieris, quam tuum. Quod optime colligere poteris ex solennitate ac lætitiâ illâ, quam maiestati eius Ierosolymam ingredienti cum tot eum cantibus, & ramis excipiendo, exhibuerunt, ipse porrò Dominus amaras fundebat lacrymas: eò quòd cùm aliqui ipsorum sua corda ab eo longe remota haberent, signis illis exteriorique apparatu, affectum erga illum demonstrarent: *Populus hic labijs* Matt. 15. 8. *me honorat; cor autem eorum longe est à me.* Matt. 15. 8. Qua in re tuto affirmare possumus sibi

potius

potius ipsis quam Deo festum celebrasse, quemadmodum hodie multis accidit qui quando alicubi solemnitatem celebrari audiunt, plus inde ob recreationem quam ibi, siue ex eo quod videant, vel videantur, siue ob conuiuium, siue etiam ob alios respectus, habituri sunt exultant & lætantur; quam ex eo, quod Deo gratum exhibeant obsequium. Quibus propensionibus ac intentionibus suis, nulla Deo ratione placent: multo vero minus illi, qui festiuitatem, & solemnitatem præparando, inuentiones ridiculas, & indeuotas vt adrisum populos prouocent, immiscent, quibus magis distrahuntur: alij verò eiusmodi res, quæ potius vulgo gratæ sint, quam eum ad deuotionem excitent, proponunt. Iam verò quid de illis dicam, qui alio fine ac intentione festa celebrant quid de proprijs commodis, & vtilitatibus, quasi in eis spectant? qui magis huic rei & cupiditati intenti sunt, quam diuino obsequio? ipsi hoc melius sciunt, & Deus, qui intuetur: verum quocunq; ex istis modis res sese habeant, credant se plus sibi ipsis, quam Deo festa celebrare.

Ea enim, quæ ob delectationem suam, vel aliorum hominum faciunt, non computat DEVS inter obsequia sua, imò euenire poterit, quod multi Dei festa cum gaudio celebrent, & eorum participes sint: DEVS autem illis succenseat. Quemadmodum iratus fuit filijs Israel, quando festum idolo suo cantando, choreasque ducendo celebrabant, arbitrantes se DEO festa agere; ex quibus etiam multa interfecit millia. Vel certe sicut Nadab & Abiud sacerdotibus, Aaron filijs; quos Deus thuribula manibus gestantes, eò quòd alienum ignem obtulissent, interemit: vel denique sicut ille qui intrauit ad nuptias non habens vestem nuptialem: quem etiam iussit Rex ligatis manibus, ac pedibus in tenebras proijci exteriores. Ex quibus liquido constat, quam molestè ferat DEVS, in congregationibus ad obsequium suum adunatis, huiusmodi irreuerentias. Nam (heu Domine DEVS meus) quot festa celebrant tibi filij hominum, in quibus maiorem sibi Diabolus partem vsurpat, quam tu? quibus ideo oblectatur Dæmon, quia velut mercator, nundinas suas in illis exercet. O quoties tu Domine poteris infestis istis dicere: *Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longe est à me*: eò quod inutiliter me colant? præcipua enim potissimaque causa Deo seruiendi est, propter ipsummet Deum, nec alij inferioris notæ fines, interponi debent.

Multa Christianis festa celebrantur, in quibus plus sibi vsurpat dæmon quam Deus. Isai. 29. 13

Ad Oratoria itaque redeundo, dico & assero, aliquos potius illa propter suam quam propter Dei delectationem & gustum adornare, imo plerique tam parum erga illa afficiuntur, vt non pluris illa faciant, quàm cubicula sua profana: imo potius nonnulli non tanti illa æstimant; cum magis prophanis, quam diuinis oblectentur. Sed prætermittamus nunc ista, & loquamur adhuc de illis, qui subtilius procedunt (videlicet de illis, qui se inter deuotos numerant) multi enim istorum taliter gustum appetitumque suum oratorijs, ac ornatui illorum consecrarunt, vt vniuersum tempus, quod orationi diuinæ, interiorique recollectioni dare debebant, rebus istis occupent, & consumant. Nec tamen animaduertunt, quod si ista ad interiorem recollectionem ac pacem animæ non dirigant, tantundem huiusmodi rebus se distrahi, sicuti & cæteris profanis; non animaduertunt inquam huiusmodi appetitus, seu gustus, magnam illis singulis momentis inquietudinem & perturbatio-

nem, præsertim si aliquis ista illis auferre vellet, generare.

CAPVT XXXVIII.

Qua ratione templis & Oratorijs vtendum sit, spiritum per illa ad Deum dirigendo.

Expedit interdum incipientibus, aliquam sensibilē delectationem in imaginibus, & oratorijs admittere.

AD deducendum per hoc bonorum genus spiritum in Deum, animad uertere oportet, permitti, imò expedire interdum, incipientibus aliquam delectationem succumque sensibilem in imaginibus, Oratorijs, alijsque visibilibus rebus deuotis percipere: eò quod nondum ita ablactatum & auulsum habeant à sæcularibus rebus palatum, vt propter huiusmodi delectationem obliuiscantur alterius. Quemadmodum fieri cum puerulo solet, ex cuius manu vt res, quam tenet auferri possit, aliquid illi aliud offertur; ne forte ploret, si vacuis manibus relinquatur. Verum vt ad vlteriora spiritualis homo progredi possit, ab omnibus quoq; istis delectationibus & appetitibus, quibus voluntas oblectari potest, se se expoliare, & abnegare debet. Purus siquidem spiritus parce admodum huiusmodi obiectis sese alligat, sed interiori duntaxat recollectioni & mentali cum Deo conuersationi totus addictus est. Quamuis enim vtatur etiam imaginibus sacris, & oratorijs; id facit festinè admodum, statimque spiritus eius sistit in Deo, omnium sensibilium oblitus. Proinde quamuis melius sit orationi operam dare in decentiori loco; hoc tamen non obstante, ille locus deligendus est, in quo minus irretiatur sensus & spiritus ad assurgendum in Deum, liberior sit. Qua in re vtendum nobis est responsione illa, quam Saluator noster dedit mulieri Samaritanæ, cum ab illo quisnam ad orādum commodior locus esset, vtrum Templum, an verò mons scitcitaretur, cui

Purus spiritus, parce se sensibilibus obiectis alligat.

respondit, orationem veram minimè monti esse alligatam: sed oratores, in quibus complaceret sibi pater, illos esse, qui in spiritu & veritate adorant: *Venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate: Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum: Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum in spiritu, & veritate oportet adorare.* Quamobrem licet Templa, locaque amœna orationi destinata sint & accommodata (ad nullum siquidem alium vsum deseruiunt templa) nihilominus, quantum ad negotium intimæ cum Deo conuersationis spectat; ille locus, qui minus occeper, minusque sibi attrahat sensum, eligendus est. Vnde nec locus debet esse amœnus, sensuique voluptatem adferens (quemadmodum nonnulli quærere solent) ne forte loco recollectionis spiritus, in recreationem, & sensus suauitatem desinant. Et propterea locus solitarius ad orandum aptus est, imo etiam asper, & incultus, vt spiritus ad Deum non præpeditus, neque rebus visibilibus detentus, solidè & directè possit euolare. Licet interdum visibilia hæc ad hoc conferant, vt spiritus eleuetur; sed hoc fit, omnium illorum confestim obliuiscendo, & in Deo remanendo. Quam ob causam Saluator noster vt plurimum solitaria loca, & illa, quæ non multum occuparent, & sensus detinerent, ad orandum deligebat; vt nobis hâc in re præberet exemplum, & ad illa loca se ad orationem conferebat, quæ eleuarent animam potius in Deum, cuiusmodi erant montes à terra subleuati, & vt plurimum materia sensibilis recreationis, destituti. Vnde verus spiritualis nihil aliud præ oculis habet, nisi solam interiorem recollectionem in obliuione omnium visibilium, ad hunc effectum loca magis ab obiectis succisque seu delectationibus sensibilibus aliena eligen-

Ioan. 4. 21. &c.

Quisnam sit locus ad orandū aptus.

Quid verum spiritualis habeat?

eligendo,& ex omnibus istis attentionem & aduertentiam (vt magis ab vniuersis elongatus creaturis, Deo suo frui possit) eliciendo. Est enim profecto res notatu digna,nonnullos cernere spirituales, qui vniuersum studium,diligentiamque suam in disponendis oratorijs ac locis inclinationi ac naturæ suæ gratis aptandis,collocant;Recollectionis vero interioris, quæ multo magis est necessaria, modica est apud illos cura:vnde vix aliquid illius habent,si enim amplius haberent, non possent modis illis, & inuentiombus oblectari,quin potius illis defatigarentur.

CAPVT XXXIX.

Eandem continuat materiam, spiritum ad interiorem recollectionem in rebus prædictis dirigendo.

Causa quamobrem spirituales nonnulli spiritus gaudia non percipiant.

CAusa itaque ob quam spiritualium nonnulli nunquam in vera spiritus gaudia perfecte ingrediuntur est,quia nũquam gaudij & delectationis appetitũ, à rebus istis exterioribus visibilibus eleuate,& abstrahere finiunt. Animaduertant huiusmodi homines, quod quamuis decens, orationiq; destinatus locus templũ sit,& oratorium visibile; imago etiam sacra,deuotionis sit motiuũ;non tamen hoc taliter fieri debere vt medulla & animæ delectatio, in visibili templo, & motiuo occupetur, & impendatur, & in templo visuo quod est interior animæ recollectio, orare, obliuiscatur. Nam vt nos huius rei admoneret S. Paulus Apostolus dixit, *Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis?* Christus quoque Dominus apud S. Lucam ait. *Ecce enim regnum Dei intra vos est.* Ad hanc etiam considerationem remittit nos authoritas Christi superius allegata;nimirum: Veri adoratores seu oratores, adorabunt patrem in spiritu,& veritate, *Qui adorant eum, in spiritu, & veritati oportet adorare.* Parum enim admodum curat Deus oratoria tua, & loca concinnè disposita, si ideo quia appetitum gustumque tuum illis alligasti, minus aliquanto interioris possides nuditatis,quæ idem est, quod spiritualis paupertas, in rerum omnium, quas possidere potes,abnegatione. Ioan. 4. 23.

Quid faciendum ad voluntatẽ ab huiusmodi rerũ gaudio repurgandã

Debes itaque ad hoc vt voluntatem à gaudio, vanoque in rebus istis appetitu repurgare,&illum in oratione tua ad Deũ dirigere valeas, illud solummodo præ oculis habere,vt conscientia tua pura sit,& voluntas integrè totaliterque Deo addicta,& mens seriò in ipso occupata, & sicut iam dixi,elige locũ, quam maximè poteris separatum ac solitarium, & conuerte vniuersum voluntatis tuæ gaudium & delectationem ad inuocandum, & glorificandum Deum, istarum autem aliarum delectatiuncularum & suauitatum, quæ ex rebus exterioribus oriuntur, nullam habeas rationem,quin potius studeas illas abnegare. Si enim sapori ac dulcedini deuotionis sensibilis assuescit anima, nunquam ad vim spiritualis suauitatis, quæ mediante recollectione interiori in spiritus nuditate reperitur,sciet transire.

CAPVT XL.

De quibusdam detrimentis, quæ incurrunt ij, qui rerum ac locorum deuotorum,sensibili gustui & delectationi, secundum modum iam descriptum,sese tradunt.

Qui in superius recensitis rebus sensitiuã vehementer delectationẽ, nunquam ad spiritus recollectionẽ perueniet.

MVlta tam interiora quam exteriora incurrit damna Spiritualis homo, qui in rebus superius descriptis sensitiuam delectationẽ, saporemq; aucupari cupit. Quantum enim ad spiritum attinet, nunquam huiusmodi homo ad internam sui ipsius

Interna recollectio in quo consistat?

ipsius recollectionē peruenier, quæ in eo consistit, vt ab omnibus istis tranſeatur, & vt anima omnium istorum sensibilium saporum seu consolationum, studeat obliuisci, & vt medullam recollectionis interiorem animæ intret, & in virtutibus fortiter neruoseque acquirendis allaboret.

Quantum verò ad exteriora spectat, hæc sensibilis dictatum rerum inhæsio in causa illi est, vt non in omnibus locis possit commodè orare, sed in eis dūtaxat, quæ gustui suo conformia sunt: vnde & sæpe orationem omittit cum (vt vulgo dicitur) nesciat nisi libro suo vti.

Præterea appetitus iste, multarum est hominibus istis causa varietatum. Existo quippe hominum genere sunt illi, qui nunquam in eodem persistunt loco: imo sæpe nec in eodem vitæ statu; nunc illos in vno conspicies loco; nunc verò in alio; nunc istam eremiticam eligunt cellam, nunc vero aliam; nunc vnum oratorium, nunc aliud componunt. Existis quoque sunt illi, quibus in statuum morumque viuendi mutationibus, tota effluit vita. Cum enim solo illo sensibili feruore ac delectatione circa spiritualia afficiantur & permoueantur, nec vnquam sibi vim intulerint vt ad spiritualem recollectionem per voluntatis suæ abnegationem & subiectionem, seu tolerandi incommoda submissionem, perueniēt; hinc prouenit, quod quotiescunque locum aliquem arbitrio suo denotum, vel aliquod vitæ institutum, quod naturæ illorum propensionique conforme sit, animaduertunt; confestim illud arripiunt, illo quod antea amplectebantur, relicto. Et quoniam ad hoc gustu illo sensibili inducti sunt; hinc est quod cito aliquid aliud requirunt: cum gustus deuotioque sensibilis inconstans sit ac cito deficiat.

CAPVT XLI.

De triplici piorum locorum genere, & qua ratione circa illa sese gerere debeat voluntas.

TRes locorum differentias reperio, quibus solet Deus voluntatem ad deuotionem excitare. Ad primam differentiam, quædam terrarum situumq; dispositiones spectant, quæ grata diuersitatum suarum apparentia, siue soli positione, siue arborum plantarumque viriditate, siue etiam quiete solitaria, naturaliter ad deuotionem prouocant. Quibus vti, si confestim ad Deum erigitur voluntas, in obliuione prædictorum locorum proficuum est. Quemadmodum ad hoc vt aliquis designatum consequatur finem, non expedit vt se diutius in eius medijs motiuisque detineat, quam necessitas poscat. Nā si voluerint appetitum recreare, ac sensibilem gustum seu delectationem ex huiusmodi locis elicere, siccitatem potius Spiritus, distractionemque spiritualē reperturi sunt, spiritualis enim satisfactio ac dulcedo, non nisi in recollectione interioti reperitur.

Quæ loca vti debeat spiritualis anima, & quo ad finem.

Quamobrem si spiritualem quempiam in huiusmodi locum deuenire contingat, debet ille loci oblitus, cū eo intertius cum Deo permanere, ac si in eiusmodi loco minimē versaretur. Nam si gustum, & delectationem loci hinc inde venari, & consectari voluerit, ideo (vt diximus) recreationem potius sensitiuam, animique instabilitatem quæret, quam spiritualem tranquillitatem. Hoc se prorsus modo gerebant Anachoretæ, & alij sancti Eremitæ, qui in latissimis amœnissimisque solitudinibus minora, quæ illis satis esse possent, deligebant loca, ac strictissimas construendo cellas & antra, quibus sese

sese includebant. In quorum vno tribus annis sanctus Benedictus mansit, alius verò Eremita fune sese alligauit, ne vltra quam ille protenderetur, exiret: hocque modo multi fecere, quas longum esset recensere. Optimè quippe sancti illi nouerant, quod nisi appetitum & cupiditatem spiritualem acquirendi gustum ac consolationem extinxissent, nullo pacto consolationem spiritualem adipisci & spirituales euadere potuissent.

Secunda locorum differentia, magis particularis est (neque refert si solitaria illa sint, siue alia quæcunque) in quibus consueuit Deus aliqua spiritualia admodum suauia conferre beneficia, nonnullis peculiaribus personis, ita vt ordinariè cor personæ illius, quæ gratias istas illic consecuta est, ad locum illum, in quo eas est consecuta, propendeat & inclinetur, patiaturque & percipiat interdum quædam vehementia desideria & anxietates, eò veniendi: quamuis cum illuc peruenerit, nihil tale sicut prius reperiat, eò quod minimè hoc in sua situm est potestate, huiusmodi enim munera confert Deus, quando, quomodo, & vbi voluerit: non enim loco & tempori, aut illorum, quibus ea largitur voluntati arbitrioque alligatus est. Bonum erit nihilominus aliquando ad orandum, ea adire loca, dummodo appetitus nudus liberque à proprietate remaneat, idque tres ob causas. Prima est, quia licet (vti diximus) DEVS loco non sit alligatus, videtur tamen voluisse ab anima illa, in eo loco laudari, dum ei ibi beneficium illud contulit. Secunda, quia plus recordatur anima DEO referre gratias pro munere ibi accepto. Tertia, quia nihilominus magis in eo loco deuotio, memoria illa excitatur. Hasitaque ob causas debet se eò conferre, non autem quod existimet DEVM obligatum esse ad largienda ibi sua dona, ita vt ea vbicunque ei libuerit largiri non valeat: decentior quippe magisque proprius locus pro DEO est anima, omni alio corporeo loco. Hoc modo in sacris literis legimus, erexisse Abraham altare, in eo in quo ipsi apparuerat Dominus loco, ibique sanctum nomen eius inuocasse: cumque ex Ægypto postmodum reuerteretur, per eundem, in quo illi Dominus apparuerat locum transisse, & ad idem, quod extruxerat altare rursus Domini inuocasse. Iacob quoque locum, in quo ei Dominus scalæ innixus apparuerat, lapidem ibi oleo delibutum erigendo consignauit. Agar etiam nomen illi loco imposuit, in quo ei Angelus apparuerat, magni locum illum faciendo dicendoque: *Profecto hic vidi posteriora videntis me.*

Gen.12.7.

Gen.13.4.

Gen.28. 18.

Tertia differentia est quorundam particularium locorum, quæ eligit Deus vt in illis inuocetur, & ei seruiatur: cuiusmodi erat mons Sinai, in quo Deus legem Moysi dedit, & locus, quem Abrahamo designauit ad filium suum sacrificandum. Mons etiam Horeb ad quem præcepit Patrem nostrum ELIAM pergere, vt se illi ibi demonstraret. Locus præterea, quem sanctus Michael pro obsequio suo dedicauit, hoc est, mons Garganus Sipontino Episcopo apparendo, dicendoque: se loci illius custodem esse, & vt in eo loco oratorium DEO in memoriam Angelorum dedicaretur. Glorioßissima denique virgo elegit Romæ singulari niuis indicio locum, ad templum sibi construendum, quod Patricium in sui nominis honorem extruere voluit. Rationem verò ob quam DEVS hæc potius loca quam alia, vt in illis

Gen.16.13

Exod.24. n.12.
Gen.22. n.2.
3.Reg.19. 8.

illis laudetur & glorificetur eligat, ipse nouit. Id autem quod nos scire oportet est, omnia ad nostram vtilitatem fieri, & vt nostra in illis, & vbicunque tandem cum fide integra aliquid ab eo petierimus, vota exaudiat. Quamquam in locis eius obsequio destinatis, multo maior subest occasio, vt in illis exaudiamur, eò quod Ecclesia ad hunc finem ea destinauerit, dedicaueritque.

CAPVT XLII.

De alijs orationis motiuis, multiplici videlicet ceremoniarum varietate, quibus multa personæ vtuntur.

INutiles delectationes & proprietatis imperfectio, quibus circa res, quas recensuimus, multæ implicantur personæ, fortassis aliqua ex parte tolerabiles sunt, eò quod aliquomodo in illis innocenter agatur. At ingens fiducia & adhæsio, quam nonnulli in multis cæremoniarum modis, à personis parum illuminatis, & à fidei sinceritate deficientibus introductis, collocant, omnino tolerari non potest: Prætermittamus nunc cæremonias illas, quæ sibi annexa habent quædam extraordinaria nomina, terminosque, qui nihil significant; nec non alias res minime sacras, quas stupidi homines, & rudes ac suspectæ animæ, intermiscere orationibus suis consueuerunt, de quibus quoniam manifestè malæ sunt, & in quibus peccatum interuenit, imò etiam in multis illarum occultum cum dæmone pactum, quibus etiam ad iracundiam, & non ad misericordiam prouocant Deum; hoc loco agere supersedeo. Sed de illis solummodo cæremonijs hoc loco disserere placet, quibus eò quod modi isti suspecti nequaquam intermiscentur, plures hodie personæ cum discreta vtuntur deuotione, tantam vim fidemque in modis illis, cum quibus volunt deuotiones & orationes suas persoluere, reponendo; vt arbitrentur, quod si in vno puncto defecerint, & extra illos limites pedem extulerint, nihil se vtilitatis inde consecututas, nec à Deo fore audiendas, plus fiduciæ in modis illis, & cæremonijs collocando, quàm in viua oratione, non absque magna Dei irreuerentiâ & iniuria, Exempli causa, vt Missa cum tot nec pluribus paucioribusque celebretur candelis: vt illam talis vel talis legat sacerdos, vtque hoc tali vel tali fiat horâ, nec vllo modo ante aut post; vt post talem celebretur diè, nec prius aut posterius, stationes etiam vel orationes tot sint, & tales talibusque temporibus, cum talibus vel talibus cæremonijs, & talibus corporis sitibus obeantur, & quod hæc non ante, nec post, nec aliter fiant. Et vt persona, quæ hæc obierit, talibus vel talibus dotibus, vel proprietatibus sit insignita; existimantque si aliquid ex ijs, quæ sibi proposuerunt omiserint, nihil se effecturos, & id genus alia, quæ absq; numero adhibere solent. Quod autem deterius est, & prorsus intollerabile, quod nonnulli, aliquem in se istarum rerum effectū experiri volunt, vel vt id quod postulant fiat, vel certe, quod orationibus illis suis cæremoniaticis absolutis adimpleatur: quod certe nihil aliud est, quam tentare Deum, & ad grauem illum iracundiâ prouocare: idq; adeò, vt interdum faciat dæmoni potestatem, ad decipiandum illos, faciendo eos res admodum ab animæ suæ vtilitatibus alienas sentire, vel intelligere, hoc ipsis promerentibus, propter adhæsionem, & proprium amorem, quem in suis orationibus fouent, ac nutriunt, dum non id potius, quod Deo placet fieri volunt, quam quod ipsi desiderant; quibus tamen nunquā res ex voto succedent, eò

eò quòd totam suam in Deo fiduciam non reposuerint.

CAPVT XXXXIII.

Quarationes per deuotiones istas gaudium, & fortitudo voluntatis ad Deum dirigi debeat.

NOrum itaque huiusmodi hominibus sit, quod quo magis istis suis innituntur ceremonijs, eò minus eos spei ac fiduciæ in Deo habere, neque ea, quæ in votis habent, adepturos.

Reperiuntur nonnulli, qui opera actionesque suas, ob suos potius peculiares fines, quàm honoris diuini intuitu, aggrediuntur. Licet enim ipsi ac præsupponunt quod si ea res ad diuinum obsequium spectatura sit, fiet, & sin minus non fiet: nihilominus tamen ob proprietatis affectum, quo pleni sunt vanamque delectationem, quam sibi in ea proposuerunt, superflua vota precesq; pro illâ re obtinenda multiplicant, quæ vota si ad aliam maioris momenti sibique vtiliorem rem conuerterent; multo profectò melius facerent: cuiusmodi sunt, conscientiam seriò expiare, & de facto in saluationis suæ negotium, omnibus alijs petitionibus, quæ huc non conferunt postpositis, incumbere. Hocque modo istis maioris momenti impetratis, etiam ea, quæ ex istis alijs rebus impetrasse proderit (imo etiam si ea non postulauerint) multo melius citiusque obtinebunt, quam si vniuersas suas vires ad illa impetranda contulissent. Ita enim pollicitus est Dominus per Euangelistam dicens: *Quærite ergo primum Regnum Dei, & iustitiam eius: & hæc omnia adijcientur vobis.* Hæc quippe petitio est illa, quæ gustui & voluntati eius magis conformis est; ad obtinendas porro petitiones cordis nostri, nullum efficacius medium reperitur, quàm vim robutque orationis nostræ in illud, quod Deo acceptius est, conferre, tunc enim non id duntaxat, quod postulamus, saluationem videlicet animæ tribuet nobis, sed etiam quidquid nobis expediens, vtileque esse animaduerterit, quamuis illud nō petamus; quemadmodum in quodam Psalmo egregie rem hanc significauit Dauid dicens: *Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum: omnibus inuocantibus eum in veritate.* Illi verò eum in veritate inuocant, qui ea postulant, quæ sunt vera & sublimiora, cuiusmodi sunt res ad salutem attinentes: de huiusmodi enim hominibus confestim Psalmista subiungit. *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos; Custodit Dominus omnes diligentes se.* Vnde hæc DEI propinquitas, de qua hoc loco loquitur Dauid, nil aliud est, quam DEVM in eo esse vt illos contentos & satisfactos reddat, eaque etiam illis largiatur, quæ ne cogitarunt quidem postulare. Ita enim legimus, quòd quia Salomon prudenter postularat à Deo id quod illi erat gratum, Sapientiam videlicet, ad prudenter iusteque suum populum gubernandum: respondit ei DEVS. *Quia hoc magis placuit cordi tuo, & non postulasti diuitias, & substantiam, & gloriam, neque animas eorum, qui te oderunt, sed nec dies vitæ plurimos: petisti autem sapientiam, & scientiam, vt iudicare possis populum meum, supra quem constituit te regem, sapientia & scientia data sunt tibi: diuitias autem, substantiam, & gloriam dabo tibi, ita vt nullus in Regibus nec ante te, nec post te fuerit similis tui.* Omniaq; hæc cumulatissime Dominus præstitit, inimicos etiam eius ad pacem reducendo, ita vt tributa illi circumquaque penderent, neque vllo modo pacem perturbarent.

Psal. 144. 18

2. Par. 1. 10. & 11.

Aa Idem

Gen. 21. 12. & 13. Idem in libro Geneseos factũ legimus vbi promittendo Deus Abrahamo legitimi filij sui generationẽ velut stellas cœli multiplicare ac propagare, quemadmodum ipse postulauerat; dixit illi. *Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est.*

Hac itaque ratione voluntatis vires ac delectatio in petitionibus ad Deum dirigi debent: nullo modo adinuentionibus cæremoniarum, quibus non vtitur, quasque minimè sancta Ecclesia Catholica cõprobauit, innitendo, modum & formam sacrum celebrandi, sacerdoti, cui ab Ecclesia modus normaque id faciendi præscripta est, permittendo, nec nouis vti velint modis, quasi ipsi spiritu S. eiusq; Ecclesia sapiẽtiores sint. Quod si in simplicitate ista orantes, non exaudierit eos Deus, nec exauditurum etiamsi innumeris vtantur adinuentionibus credant. In reliquis etiã cæremonijs, quantum ad orandum aliasque spectat deuotiones, nolint voluntatem alijs cæremonijs ac modis orationis inniti, præter eas, quas Christus docuit, eiusque Ecclesia. Manifestè enim constat, quod discipulis ab eo petentibus vt illos orare doceret, diceret dubio procul omnia, quæ ad rem facere possent, vt preces nostras Pater æternus admitteret, sicut qui optimè exploratam habebat ipsius voluntatem; & tamen septem duntaxat petitiones illas eos docuit, quæ in oratione Dominica reperiuntur, in quibus vniuersæ necessitates nostræ tam spirituales, quam temporales continentur; nec eos plures alios verborum, cæremoniarumque modos docuit. Quin potius alio in loco illis dixit. *Orantes nolite multum loqui, scit enim Pater vester, quid opus sit vobis.* Magna solum cum efficacia & exaggerationibus commendauit, vt in Oratione (Dominica videlicet Pater noster) perseuerarent, dicendo apud S. Lucam. *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* Sed nequaquam varietatem ac multitudinem petitionum docuit nos, sed vt istæ crebro cum feruore & attentione iterentur, voluit. Siquidem (vt dico) in ipsis continentur omnia, quæ ad Dei voluntatem ac nostram vtilitatẽ spectant. Propterea quippe quando ipse Dominus ter sese in horto contulit ad Patrem, omnibus tribus vicibus ijsdem orauit orationis Pater noster verbis, quemadmodum referunt Euangelistæ. *Pater mi si possibile est transeat à me Calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Ritus porro ac cæremoniæ cum quibus orare nos docuit, ad vnum ex duobus reducuntur modis, vel vt oremus in cubiculi nostri abscondito, vbi absque strepitu, & sine arbitris attentiori & puriori corde id facere possumus, iuxta id quod ipsemet dixit. *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito*; vel certe vt nos ad orandum ad solitaria desertaque loca conferamus, quemadmodum ipse facere solitus erat, idque optimo ac quietissimo noctis tempore. Quare non est cur orationi designemus tempora, aut definiamus dies, nec est cur alijs vtamur modis verborumque aut orationum permutationibus, præter eas, quibus Ecclesia vtitur, idque modo ab ea præscripto; omnes enim orationes ad septem Dominicæ Orationis petitiones (vt diximus) reducuntur, nec damno propterea ac improbo, imo potius laudo dies aliquos, quos nonnullæ interdum personæ sibi ad explendas aliquas deuotiones suas proponunt, cuiusmodi sunt nouennæ, & id genus aliæ, sed adhæsionem & fiduciam, quam in suis limitatis modis, ac cæremonijs, cum quibus has deuotiones exequuntur, arguo & improbo: quemaddum

Summa orationis, Dominica oratio.

Luc. 11.

Matt. 6. 7.

Luc. 18.

Matt. 26. 39.

Matt. 6. 6.

modum etiam fecit Iudith, quæ Bethuthulienses incolas reprehendit, quia Deo tempus, in quo misericordiam ipsius sperabant, præfixissent & limitassent, dicens. *Et qui estis vos, qui tentatis Dominum? non est iste sermo qui misericordiam prouocet, sed potius, qui iram excitet, & furorem accendat.*

CAPVT XLIV.

De secundo bonorum distinctorum genere, quibus vanè oblectari potest voluntas.

SEcundus distinctorum bonorum sapidorum genus, quo vanè oblectari potest voluntas ea continet bona, quæ prouocant seu ad seruiendum Domino inducãt, quæ prouocatiua appellabamus. Huiusmodi sunt concionatores: de quibus dupliciter loqui possemus: primo quantum ad ipsosmet concionatores spectat. Secundo quantum ad eorum auditores. Non enim deest, de quo vtrosque admoneamus, quomodo videlicet debeant vtrique voluntatis suæ gaudium seu delectationem, in hoc exercitio ad Deum dirigere.

In primis concionatorem vt populo prosit, nec in vanitatem & superbiam ob vanam oblectationem ac præsumptionem præcipitetur; animaduertere oportet, exercitium illud magis spirituale esse, quam vocale. Licet enim exterioribus verbis exerceatur, vim tamen & efficaciam suam non nisi ab interiori spiritu sortitur. Vnde etiam si sublimissima in se sit doctrina, quam in concione proponit, absolutissimaque Rhetorica, & sublimi vtatur stilo, non plus tamen vtilitatis in se ordinariè habet, quam in se habuerit spiritus. Quamuis enim verum sit Diuinum verbum ex se efficax esse, secundum illud Dauidis dicentis. *Eccedabit voci suæ vocem virtutis*: sed etiam, & ignis virtute vrendi pollet, nec tamen, cum in subiecto dispositio necessaria non reperitur, comburit. Ad hoc autem vt doctrina vim suam exerat, imprimatque duæ requiruntur dispositiones. Vna se habet ex parte doctrinam proponentis; alia verò ex parte audientis; vt plurimum enim prædicationis vtilitas, dispositionem doctrinam proponentis, sequitur. Propterea vulgo dicitur, qualis fuerit Magister, talem etiam futurum discipulum. Vnde quando in actis Apostolorum illi septem Scenæ Principis sacerdotum Iudaicorum filij, dæmones eadem forma, qua sanctus Paulus vsus fuerat, adiurare voluerunt, in furiam versus contra eos dæmon dixit. *IESVM noui & Paulum scio; vos autem qui estis? Et insiliens in eos homo, in quo erat dæmonium pessimum, inualuit contra eos ita, vt nudi & vulnerati effugerent.* Quod propter nullam aliam euenit cautam, nisi quia ipsi dispositione necessaria carebant, non autem quod nollet CHRISTVS in suo nomine dæmonia eijci. Nam cum vice quadam inuenissent Apostoli quendam, qui non erat Domini discipulus, in nomine CHRISTI dæmonia eijcientem, prohibuerunt eum, Dominus autem eos reprehendit, dicens: *Nolite prohibere eum, nemo est enim, qui faciat virtutem in nomine meo, & possit cito male loqui de me.* Indigne tamen fert & irascitur eis, qui cum legem DEI doceant, minime illam seruant, & cum bonum spiritum annuncient, ipsi carent illo. Propterea enim per sanctum Paulum dicit. *Qui ergo alium doces, te ipsum non doces. Qui prædicas non furandum, furaris?* Per Dauid quoque Spiritus sanctus ait. *Peccatori autem*

Ps. 67. 35.

Quid requiratur vt Diuini verbi prædicatio sit efficax.

Act. 19. n. 15.

Marci 9. n. 39.

ad Rom 2. n. 21.

Psal. 49. v. 16. *autem dixit Deus : quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam & proiecisti sermones meos retrorsum?* ex quo datur intelligi, quod nec spiritum huiusmodi hominibus largietur, vt fructum faciant: vt plurimum enim videmus (in quantum iudicare licet) quod quo concionator est vitæ perfectioris, eò maiorem fructum colligit, etiãsi vilis sit ipsius stilus, exigua Rhetorica, & vulgaris doctrina, ex spiritu enim viuo participatur calor: qui verò spiritu destitutus est, exiguam admodum adferet vtilitatem, quamuis sublimissimus sit stilus eius, & doctrina. Licet enim negari non possit stilum, actiones concinnas, doctrinam sublimem & eloquentiam gratam, selectumque idioma non mediocriter animos mouere, effectũque maiorem, si bono copulata sint spiritui, efficere; at si is desit, licet sensus & intellectus recreentur, & oblectentur; modicum quid vel prorsus nihil succi, & caloris inde voluntas recipit. Communiter enim ita languida ac remissa ad operandum remanet, sicuti fuerat prius, licet mirabilia, mirabiliter fuerint dicta: ad nihil quippe hæc aliud deseruiunt, nisi ad demulcendas aures, sicut harmonicus concentus aut campanarum sonus: at spiritus (vti dico) metas suas, quibus prius continebatur non egreditur, cum vox virtute careat ad mortuum è suo tumulo suscitandum. Parum enim refert, vt vnus musicus concentus melior alio audiatur, si non amplius iste, quam ille ad operandum permoueat. Quamuis enim stupendas & admiratione plenas res dixerint concionatores, confestim obliuioni dantur, eò quod in voluntate minime flammam succenderint. Nam præterquam quod apprehensio illa, seu adhæsio sensus gaudio, seu delectationi doctrinæ illius, exiguam ex se vtilitatem adfert, impedit etiam ne auditor transeat ad spiritum; & remanet dũtaxat cũ opinione modi, & accidentiũ, cum quibus doctrina fuit propalata, laudibus hæc vel illa in concionatore euehendo, potiusque illi propter ista, quam ob morum, quam inde eliciat emendationem adhæret. Hanc doctrinam optime declarat S. Paulus ad Corinthios dicens. *Et ego cum venissem ad vos fratres, veni non in sublimitate sermonis aut sapientiæ, annuncians vobis testimonium Christi; & sermo meus, & prædicatio mea nõ in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis.* 1. Cor. 2. v. 1. 4. Licet mens Apostoli, & mea non sit hoc loco elegantem stylum, Rhetoricam, & aptum concinnumq; dicendi modum improbare; ista enim multum Prædicatori prosunt, quemadmodum etiam omnibus alijs negotijs; cum aptus dicendi modus desperatas etiam planeque collapsas res erigat atque restauret: sicut è contra improbus agendi ac differendi modus, solet recte disposita inuertere, & demoliri.

FINIS ASCENSVS MONTIS CARMELI.

OBSCV-

OBSCVRA NOX ANIMÆ,

NECNON DILVCIDATIO

CANTVVM VIAM PERFECTÆ VNIONIS AMORIS CVM DEO, qualis in hac vita obtineri potest, continentium:

ADMIRABILIVM ETIAM ANIMÆ vnionem hanc adeptæ proprietatum Expositio.

AVTHORE

V. P. F. IOANNE A CRVCE
ORDINIS BEATISSIMÆ VIRGINIS DE MONTE CARMELO REFORMATI, PRIMO EXCALCEATO S. THERESIÆ A IESV VIRGINIS, EIVSDEM REFORMATIONIS FVNDATRICIS, coadiutore.

COLONIÆ
In Officina Hæredum Bernardi Gualtheri.

ANNO M. DC. XXXIX.

B.
Iannis
Cruce

Opera
ystica
NVI
12°

OPERIS ARGVMENTVM.

IN præsenti libro primo loco vniuersi Cantus explanandi collocantur: postmodum autem vnusquisque seperatim declaratur. Cantu ipso declarationi præmisso, confestim verò quilibet singillatim versus initio suæ expositionis positus dilucidatur.

Duobus primis Cantibus, duarum purgationum spiritualium sensitiuæ videlicet & spiritualis hominis partis, effectus, exponuntur: reliquis verò Sex varij planeque stupendi spiritualis illuminationis vnionisque amoris cum Deo effectus enucleantur.

CAN-

CANCIONES.

I.

En vna noche escura,
Con ansias en amores inflammada,
O dichosa ventura,
Salí sin ser notada,
Estando y mi casa sosegada.

II.

A escuras y segura,
Por la secreta escala disfraçada,
O dichosa ventura,
A escuras y encelada,
Estando y mi casa sosegada.

III.

En la noche dichosa,
En secreto que nayde me veja,
Ni yo miraua cosa,
Sin otra luz y guia,
Sino la que en el coraçon ardia.

IV.

Aqueста me guiaua,
Mas cierta que la luz del medio dia:
Adonde me esperaua,
Quien yo bien me sabia,
En parte donde nayde parecia.

V.

O noche que guiaste,
O noche amable mas que la alborada,
O noche que juntaste,
Amado con amada,
Amada en el amado transformada.

CANTVS.

I.

NOCTIS obscuræ tenebris, Amoris
Aestuans flamma, stimulisque pulsa
[O bonam sortem nimis & beatam]
Sola prorupi: procul exeuntis
Conscio nullo, sopor altus omnem
Cum domum tandem placida quiete
Composuisset.

II.

Noctis obscuræ tenebris profundis,
Calle securo, gradibusque scandens
Prorsus occultis, simulata vultum:
[O bonam sortem nimis & beatam]
Per meras ibam tenebras latenter,
Cum domum totam placidæ quietis
Somnus haberet.

III.

Nocte felici procul in recessu,
Hic vbi nulli poteram videri,
Hic vbi nullum poteram videre:
Nulla lux, nullus mihi dux præibat,
Præter hanc lucem liquidam, ducemque,
Quæ mei cordis radios vibrando
Ayrit in imo.

IV.

Illius lucis radijs vibratis,
Et magis certo facilique ductu,
Quam tubar monstrat mediæ diei,
Iubilans veni properante gressu
Huc vbi notus mihi me manebat:
Huc vbi posset, nisi notus ille,
Nemo videri.

VI.

O ducem noctem sine nocte noctem
Candida Auroræ face gratiorem!
O bonam, quæ me thalamis Amati
Sic repræsentas, & Amantem Amato
Fibulis casti socias amoris:
Non suam posthac, sed Amati: Amantem
Versam in amatum.
Florida

VI.

En mi pecho florido,
Que entero para el solo seguardaua,
Alli quedo dormido,
Y yo le regalaua,
Y el ventalle de cedrios ayre daua.

VII.

El ayre del al mena,
Quando yo sus cauellos esparcia,
Con su mano serena,
En mi cuello heria,
Y todos mis sentidos suspendia.

VIII.

Quedeme y oluide me,
El rostro recline sobre el amado,
Cesó todo, y dexeme,
Dexando mi cuydado,
Entre las açucenas oluidado.

VI.

Florido sponsus meus in cubili
Pectoris casti recubans, quod ipsi
Prorsus integrum studiosa seruo,
Soluit in dulcem sua membra somnum:
In meo [hunc] blande gremio fouebam,
Atque cedrorum flabra ventilabant
Leniter auram.

VII.

Concita Aurora rutilanti Aura
Cùm suos flatu nitidos capillos
Sparserat; dextrâ ferijt serenâ
Tunc meum collum, feriendo dulce
Vulnus inflixit, penitusque cunctos
Sustulit sensus, & ego stupente
Mente pependi.

VIII.

Sopta diuino remanens veterno,
Languidos vultus ab amore, supra
Candidam sponsi faciem reclinans:
Nulla res mansit, periêre cuncta,
Ipsa cum cunctis quoque me reliqui:
Deserens inter speciosa tristes
Lilia curas.

QVIS.

QVISNAM SIT ISTORVM CANTVVM *Scopus.*

ANtequam Cantuum istorum explanationem aggrediamur, animaduertendum est hoc loco, eos ab anima, quæ perfectionis statũ, qui est vnio amoris cum DEO, iam est adepta proferri, exhaustis exantlatisque iam ingentibus laboribus ac angustijs medio spirituali angustæ viæ æternæ vitæ (de qua in Euangelio Saluator noster loquitur) exercitio, per quam ordinariè transit anima ad sublimem hanc Diuinamque cum DEO vnionem peruentura. Quæ via quoniam adeò arcta est, adeoque pauci (ipso Domino arteſtante) per eam intrant; summæ anima fælicitati adscribit ac fortunę, se per illam ad dictam amoris perfectionem perueniſſe, quemadmodum etiam ipsamet sortè hanc suam primo Cantu celebrat, arctam hanc viam, admodum appositè Obscurã Noctem appellando, quemadmodum sequentibus dicti Cantus versibus palam fit: Cantat itaque anima lætabunda de tam angusti tramitis, vnde tot in eam redundarunt bona, transitu, in hunc modum. Mat. 7. 14

LIBER PRIMVS.

IN QVO DE SENSVS NOCTE DISSERITVR.

CANCION I.

EN vna noche escura,
Con ansias en amores inflamada,
O dichosa ventura,
Salí sin ser notada,
Estando y amí casa sosegada.

SENSVS.

QVadam Nocte Obscura
Anxijs amoribus inflammata
O sortem fortunatam
Exiui, nec fui obseruata
Cum esset iam domus mea tranquillata.

Cantus Expositio.

REfert hoc primo Cantu anima modum ac rationem, quo in egressione secundum affectum à seipsa rebusque omnibus vsa est; per veram videlicet mortificationem, vniuersis illis ac sibimet ipsi emoriendo, vt vitam amoris dulcem ac iucundam in Deo viuere posset. Quam à seipsa rebusque omnibus egressionem, asserit *Quadam Nocte Obscura* contigisse: per quam hoc loco contemplationem purgatiuam (sicuti postmodum dicetur) intelligit; hæc enim, sui ipsius ac rerum omnium abnegationem in anima producit. Hanc porrò egressionem, seu exitum, asserit hic illa, se vi caloreque quem illi sponsi sui amor in dicta contemplatione obscurâ impertijt stimulatam, perficere potuisse. Qua in re optimam quæ sibi obtigit sortem exaggerat, adeo videlicet prospero euentu se ad Deum per Noctem hanc perrexisse, vt trium inimicorum nullus (qui sunt Mundus, Caro & Dæmon) iter hoc semper inter turbantium illam potuerit præpedire: eò quòd dicta contemplationis purificatæ Nox, in sensualitatis suæ domo, vniuersas passiones, & appetitus secundum illarum contrarios motus, consopierit ac mortificauerit.

Purgatiua obscura contemplatio purgatiua est.

CAPVT

CAPVT I.

Proponitur primus versus, & de incipientium imperfectionibus tractatio inchoatur.

Quadam Nocte Obscura.

HAnc obscuram noctem tunc ingredi incipiunt animæ, cum illas Deus, ex incipientium statu (eorum videlicet, qui in via spirituali meditatione vruntur) educit, & in proficientium, qui iam est contemplatiuorum, collocare incipit; quo tandem, postquã proficientium statum fuerint emensi, ad perfectorum, qui est diuinæ cum Deo vnionis, perueniant. Quamobrem vt manifestius, quidnam sit nox ista, per quam transit anima, & ob quam causam à Deo in ea collocetur percipiatur; operæ pretium erit primo loco aliquas hîc incipientium proprietates attingere, vt status sui in quo versantur imbecillitatem intelligant, viribusque animi comparatis, vt eos Deus in nocte hac, in qua animæ virtutum robur acquirunt, & ad inæstimabiles diuini amoris delicias percipiendas confirmantur, colloceț, peroptent. Et licet aliquid nobis in huiusmodi tractatione temporis insumendum sit; non amplius tamen id erit, quam ad immediate de nocte hac obscura agendum satis sit. Sciendum itaque est, animam postquam seriò ad Deo inseruiendum sese conuertit, vt plurimum abeo in spiritu ad eum fermè modum nutriri ac blandimentis deliniri, quo amantissima Mater tenellum nutrit infantem, quem vberum suorum calore fouet, lacteque, ac delicatis & dulcibus cibis pascit, vlnis suis gestat, varieque demulcet: verum secundum quod maiora corporis incrementa sumit infans, subtrahit etiam illi Mater blanditias tenerumque obtegit pectus, illudque amaro aloe illinit, & ex vlnis depositum, suis facit passibus incedere, vt hoc pacto infantium proprietatibus abdicatis maioribus ac solidioribus rebus sese dedat.

Amantissima gratiæ Diuinæ Mater, statim ac noua Deo inseruiendi calore feruoreque regenerat animam, vniuersa etiam hæc illi exhibet officia. Facit enim eam dulce sapidumque spirituale lac in rebus omnibus diuinis absque vllo suo labore reperire; in vniuersis quoque spiritualibus exercitijs, maximam consolationem & gustum: hic enim præbet illi Deus suum teneri amoris vber, quemadmodum tenello infanti. Hinc huiusmodi animæ deliciæ sunt, orationi multum temporis, vel fortassis noctes etiam integras insumere; ipsius oblectamenta sunt pœnitentiæ recreationes, ieiunia, vnicum solatium, sacramentis frui, deque rebus diuinis sermones miscere.

Quibus rebus omnibus quanquam magna cum efficacia & contentione incumbant & vacent, magnamque in ijs adhibeant diligentiam spirituales viri, spiritualiter tamen loquendo, vt plurimum debiliter admodum, & imperfecte sese in illis gerunt. Cùm enim ad huiusmodi res, exercitiaque spiritualia moueantur suauitate illa, & consolatione, quam in ijs reperiunt, cumque fortis luctæ exercitatione minime virtutum habitus acquisierint; in spiritualibus istis suis exercitijs multis defectibus & imperfectionibus sunt obnoxij: vnusquisque enim secundum perfectionis quem acquisiuit habitum, operatur. Cum autẽ nondum prædictos fortes virtutũ habitus acquirere potuerint; hinc est quod necessario infantiũ more debiliter operentur.

Incipiẽtes vt plurimum in spiritu debiles sunt, & quare

Quæ res vt liquidius constet, & vt pateat quam debiles sint incipientes isti in virtutibus, quas in ijs rebus quas dicta suauitate illecti facile operantur, exercent, septem capitalia vitia percurrendo, nonnullas ex plurimis imperfectionibus quas in quolibet eorum incurrunt referemus. Vnde perspicuè patebit quam infantiliter isti operentur. Constabit præterea, quanta secum obscura nox (de qua immediate sumus acturi) adducat bona: cùm ab vniuersis imperfectionibus istis animam emundet, & repurget.

CAPVT II.

De nonnullis spiritualibus imperfectionibus quas in superbiæ materia admittunt incipientes.

QVoniam incipientes isti in rebus spiritualibus exercitijsque deuotis, ad eò se feruẽtes & sollicitos animaduertunt: ex huiusmodi pròspero successu (quamquam res Diuinæ & Sanctæ, ex se ad humilitatem animum flectant) propter eorum imperfectionem, sæpe suboritur illis quidam occultæ superbiæ ramus: ex quo prouenit, vt aliquam sui ipsorum operumque suorum satisfactionem & complacẽtiam concipiant. Hinc etiam pullulat in eis pruritus quidam seu procliuitas vanissima de rebus spiritualibus coram alijs disserendi; imò etiam interdum eas potius docendi, quam discendi, iudicando, & condemnando in cordibus suis alios, quos eo deuotionis modo conspicuos, quo ipsi vellent, haud quaquam animaduertunt; imo etiam aliquando id quod sentiunt verbis effutiunt, similes hac in parte Pharisæo, qui Deum laudando, seipsum de operibus quæ faciebat, iactabat, Publicanumque despiciebat. Huiusmodi hominibus crebrius cacodæmon feruorem addit, & ad ista similiaque opera perurget, vt hoc modo maiora in eis superbia & præsumptio incrementa capiat. Optime siquidẽ nouit malignus quod vniuersæ virtutes istæ & opera quæ faciunt, tantum abest vt aliquid illis prosint, vt potius in vitium sint conuertenda. Et eousque dementiæ horum nonnulli delabuntur, vt neminem alium præter seipsos probum videri vellent: vnde etiam data occasione, verbis factisque alios improbant, eisque detrahunt, festucam in alieno oculo intuentes, trabem verò in proprio non cernentes. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides*: alienum culicem excolantes, proprium verò camelum deglutientes.

Res diuinæ ex se animum ad humilitatem flectunt.

Luc. 18. 11

Sæpe dum incipientibus ad pristina opera feruẽtiora addit cacodæmon superbiam eos præcipitat.

Matt. 7

Interdum etiam cum eorum spirituales Magistri (cuiusmodi sunt Confessarij, & superiores) illorum spiritum viuendique rationem improbant (res enim suas ab eis magni fieri, laudarique cupiunt) suum ab eis spiritum, minime intelligi iudicant, vel certe eos haudquaquá spirituales esse arbitrantur, quandoquidem ei non suffragantur, neque sese accommodant. Hinc etiam confestim alium, qui eiusdẽ sit cum ipsis sententiæ, & cui intenota sua aperiant, expetunt & inquirunt: vt plurimum enim de spiritus sui rebus cum illis agere cupiunt, quos eas magni pensuros laudaturosque existimant. Ab eis verò, qui eas vt illos ad rectum secumque iter reuocare possint nihili faciunt, tanquam ab ipsa morte abhorrent; imò aliquando eos exosos habent. Ex nimia sui ipsorum præsumptione, multa solent isti sibi agenda proponere, modica tamen præstare.

Nonnunquam etiam ab alijs suum spiritum, & deuotionem agnosci peroptant: quam-

quam ob causam exteriora motuum, suspitiorum aliarumque cæremoniarum indicia produnt, interdum quoque solent in publico potius, quam in occulto, raptus aliquos seu mentis excessus pati, quos etiam promouet dæmon; gratumque illis est, ab alijs id agnosci, quod ipsi tantopere concupiscunt. Plures ipsorum intimam Confessariorum amicitiam, & familiaritatem ambiunt: vnde innumeræ illis oriuntur inuidentiæ & inquietudines. Peccata sua nudè clareque aperire erubescũt, ne forte à Confessarijs suis minoris fiant; vnde & variis ea colorant modis, ne adeò improbi appareant: quod tamen potius est seipsos excusare, quam incusare. Nonnunquam alium Confessarium quærunt, cui mala sua pandant, ne prior ille aliquid eis mali inesse, sed omnino probos esse arbitretur: vnde etiã bona sua libẽtius semper dicunt, & aliquando huiusmodi verbis vtuntur, quæ plura & maiora ea esse significent, quam in rei veritate sint, ad minus ea perfecta videri desiderant: cum tamen maioris esset humilitatis (vt iam dicemus) res suas diminuere, nihilque tale proferre, vnde vel ipse, vel quispiam alius, alicuius eos momenti posset existimare.

Nonnulli etiam istorum parui faciunt suos defectus: interdum autem nimium ex eo, quod in illos labantur affliguntur, se iam sanctos esse debuisse existimantes, vnde & sibi ipsis impatienter irascantur: quod certe insignis est imperfectionis. Crebro apud Deum anxijs precibus instant, vt eos à suis imperfectionibus, defectibusque liberet, quod, vt molestiam, quæ ex illis nascitur euadant, potiùs faciunt; quam Dei ipsius intuitu: non animaduertentes miseri, quod si Deus illorum votis annueret, maiori fortassis superbia intumescerent. Illibenter & inuiti alios laudant, ab alijs verò laudari cupiũt; & interdum etiam aliorum laudes aucupantur: qua in re similes sunt virginibus fatuis, quæ cum extinctas haberent suas lampades, oleum aliunde quærebant. *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.* Matt. 25. n. 3.

Quidam istorum in huiusmodi imperfectionesin gradu intenso corruunt, & per illas in grauia mala; nonnulli verò in minus intenso; quidam autem primos duntaxat earum motus, vel paulo amplius sentiunt, vixque aliquis istorum incipientium reperitur, qui feruoribus istis durantibus, in aliquid istorum non impingat.

Incipientium qui ad perfectionem tendunt propriũ.

At illi qui in hoc statu perfectius gradiuntur, diuersa admodum ratione, ac cum differenti spiritus temperamento viuunt; non mediocriter siquidem in humilitate proficiunt, non solum opera sua nihili faciendo, sed etiam sibi ipsis modicè admodum satisfaciendo, vniuersos alios multo se meliores existimando, vnde & solent illis sancte inuidere, Deo sicut ipsi faciunt, inseruire peroptando. Quo enim maiori feruore inardescunt, & quo maiora patrant opera, suauioribusque in illis perfruuntur delitijs; (cum humiles sint) eò ampliùs, quantum honoris & obsequij mereatur Deus, quamque exiguum sit omne illud, quod ipsius causa faciunt, agnoscunt: vnde & quo maiora præstant, eò minus sibi ipsis satisfaciunt. Tot enim ac tanta, amore ipsius stimulante, propter eum efficere vellent, vt vniuersa quæ agũt nihil illis esse videantur: quæ solicitudo amoris tantoperè eos breui tempore vrget & occupat, vt nunquam, si alij quidpiam boni faciant, vel non faciant animaduertant; quod si animaduertunt, hoc fit (sicut diximus) multo eos se meliores existimando. Hinc fit, quod cum seipsos paruipendant, ab alijs etiam parui fieri, resque suas diminui ac despici percupiant.

Et quod plus est, quamuis eas, quispiam magni facere & laudare velit, nulla illi ratione fidem accommodare queunt: imo rumque ac peregrinum eis videtur, sua bona prædicari.

Huiusmodi homines magna cum animi tranquillitate & demissione, à quocunque qui eis prodesse possit, instrui cupiunt: qua in re non mediocriter ab ijs, de quibus nuper sumus locuti distant; ipsi enim omnes docere vellent, imo si quando ab alijs se edoceri animaduertant, ipsimet ex ore loquentis verba rapiunt; tanquam qui iam id pridem nouerant.

At hi de quibus in præsenti agimus, plurimum à cuiusquam instructione, ac magistri officio abhorrent. Paratissimi etiam sunt, si iubeantur aliud ab eo quod tenent, iter modumque vitæ arripere: nunquam enim se aliqua in re rectè agere arbitrantur. Dum alios laudibus euehi audiunt, mirifice lætantur, indeque solum, quia sicut ipsi Deo non inseruiunt, affliguntur. Ad res suas recensendas minime proni sunt: tantopere enim eas despiciunt, vt etiam suis spiritualibus magistris eas verbis aperire erubescant; videntur enim illis eiusmodi esse, quæ ne verbis quidem referri dignæ sint. Optant potius defectus peccataque sua propalare; vel certe taliter res suas aperire, vt non appareant actiones virtuosæ, vnde etiam magis ad animam spiritumq; suum communicandum ei, qui minoris res suas faciat propendent; quod certe spiritus simplicis, puri, ac veracis proprium est. Deoque non mediocriter acceptum. Cum enim in animabus istis humilibus sapiens Dei spiritus cõmoretur, cõfestim illas ad thesauros suos recõdendos, mala verò foras expellenda, mouet & inclinat. Confert quippe humilibus DEVS hanc gratiam, cum cæteris simul virtutibus: quemadmodum superbis eam denegat.

Simplicis ac puri spiritus iudicium.

Libenter isti, vel cordis sui sanguinem, ei qui DEO inseruit præberent, & quantum in eis est, vt illi ab omnibus seruiatur, laborant. Cum in imperfectiones labuntur, humiliter & cum quadam spiritus teneritudine amoroso que DEI amore seipsos sustinent, ipsi bonitati confidendo. Verum animas, quæ in suis primordijs hoc perfectionis modo gradiuntur, existimo (vt dictum est) esse pauciores, imò admodum paucas: satis quippe nobis esset, si in contraria mala non ruerent. Hanc enim ob causam (vt postmodum dicturi sumus) eos quos ab omnibus imperfectionibus istis DEVS repurgare vult, in obscura collocat nocte.

Qualiter se gerant humiles in imperfectionibus laborantes.

CAPVT III.

De imperfectionibus, quæs incipientium nonnulli, in secundis capitalis vitij, Auaritiæ videlicet materia spiritualiter loquendo, incurrere solent.

MVlti etiam incipientium istorum, non leui interdũ auaritia spirituali laborant. Vix enim illos videas, eo què à DEO acceperunt spiritu contentos, qui etiam non mediocriter affliguntur & conquerũtur, quia eam quam in rebus spiritualibus cuperent consolationem, haudquaquam reperiunt. Multi illorum nunquam audiendis consilijs, spiritualibusque præceptis explentur, pluresque habent & euoluunt libros, qui de huiusmodi rebus agunt, & plus hac in re temporis, quam in rectè operando insumunt, nulla interim perfectæ mortificationis & paupertatis spiritus, (cui studere debe-

deberent) habita ratione. Multi præterea imaginibus, Crucibusque admodum curiosis nō exigui valoris seſe onerant: iamque abijciunt vnas, iam assumunt alias; iam illas permutant, iam iterum repetunt, nunc illas hac ratione elaboratas volunt, nunc verò alia; & plus affectus in ista, ob illius maiorem curiositatem pretiositatemque reponunt, quam in alia. Videbis alios Agnis sacratis, reliquiarijs, metalliſq; infantium instar, crepundia è collogestantium, oneratos. Qua in re proprietatem ego cordis, necnon adhæsionem illam, qua figuræ, multitudini & curiositati istarum rerum affixi sunt improbo; eò quod hæc mediocriter spiritus paupertati contraria sint, quæ substātiam duntaxat deuotionis respicit, illisque tantum rebus, quæ ad illam excitandam satis sint, vtitur, multiplicitatem verò curiositatemque istarum rerum fastidit; præsertim cum deuotio vera ex corde prodire debeat, veritatemque solam, ac earum rerum, quas res spirituales repræsentant, substantiam, intueri, cætera verò omnia nihil aliud sint, quam adhæsio, & proprietas imperfectionis, & ad assequendum perfectionis statum, necessario huiusmodi appetitus extingui & aboleri debet. Noui ego personam quandam, quæ amplius quam decem annis Cruce quadam ex Rami benedicti ligno ruditer impoliteque fabrefacta & circumflexa acicula transfixa vtebatur, eamque semper secum gestabat, donec ego illam abstuli: nec tamen erat hæc persona mediocris iudicij & prudentiæ. Aliam quoque vidi, quæ Rosarium in globulis ex ossibus dorsi piscium confectis persolebat, istorum tamen hominum deuotionem non propterea minoris coram Deo valoris fuisse certum est, quandoquidem manifeste patet, huiusmodi res, nec arte, nec pretio illam prouocasse.

Illi porrò, qui in Principijs istis rectum iter tenent, nequaquam visibilibus instrumentis adhærent, neque illis seſe onerant, nec amplius nosse volunt quam ad recte operandum satis sit. Ad hoc enim mentis oculos solummodo collimant, atque hoc tantummodo exoptant. Vnde magna cum liberalitate, quidquid habent alijs distribuunt; & eorum delitiæ sunt, rebus omnibus propter DEVM & proximi charitatem carere, omnia iuxta virtutis huius leges disponendo. Solùm enim, vt dixi, ad medullam substantiamque perfectionis respiciunt, & vt DEO gratificentur, sibi verò in omnibus displiceant, desiderant.

Quæratione se gerant incipientes vero perfectionis itinere gradientes, quantū ad materiam imaginū Reliquiarum &c. spectat

Verum ab omnibus imperfectionibus istis, sicuti neque à cæteris, perfectè Anima repurgari potest, antequam illam DEVS in purgatione passiua illius noctis obscuræ, de qua mox acturi sumus, collocet. Sed expedit, vt anima quantum valuerit ex sua parte seipsam repurgare perficereque conetur, vt à DEO ad Diuinam illam curationem & medicinam admitti mereatur, in qua ab omnibus illis, quibus ipsa remedium adhibere nequit sanetur. Quantumuis enim ipsa laboret, non poterit industria sua, actiuè taliter seipsam repurgare, vt vel tantillum ad vnionem Diuinam perfecti cum DEO amoris apta dispositaque sit; nisi ipse adhibeat manum, & eam igne illo ipsi obscuro, eo quem iam dicturi sumus modo, repurget.

CA-

CAPVT IV.

De alijs imperfectionibus, quibus incipientes isti, in tertio vitio, Luxuria videlicet spirituali-ter accepta, obnoxij sunt.

ALijs imperfectionibus, præter eas quas in singulis vitijs recensuimus multi istorum incipientium tenentur, quas ob prolixitatem euitandam prætermitto; aliquibus duntaxat magis præcipuis, & quæ sunt veluti origo & causa cæterarum adductis.

Quantum ad Luxuriæ vitium spectat, prætermisso nunc eo, quod est in peccatum istud labi (quoniam mens mea est de imperfectionibus, quæ nocte obscurâ repurgari debent, agere) multis incipientes isti imperfectionibus scatent, quæ Luxuria spiritualis appellari possent: non quod ita reuera sit, sed quia nonnunquam sentitur, & experientia percipitur in carne, ob illius fragilitatem, quando anima recipit spirituales communicationes. Crebro siquidem euenit, vt in ipsismet spiritualibus exercitijs, absque eo quod hoc in eorum situm sit potestate, impuri sensualitatis motus exurgant & sentiantur: & hoc interdum tunc fit, cum spiritus sublimem exercet orationem, vel certe Pœnitentiæ ac Eucharistiæ Sacramentis vtitur. Qui motus, cum non sint (vt dixi) in illorum potestate, ex vna è tribus causis oriuntur.

Ex tribus causis nascuntur spiritualis Luxuriæ motus.

Prima est, spiritualium rerũ suauitas.

Primo loco huiusmodi commotiones (quanquam raro, & in hominibus debilis complexionis) à suauitate, qua in rebus spiritualibus demulcetur natura, interdum promanare solent. Cum enim spiritus sensusque suauitate illa fruantur; refectione seu recreatione illa, quælibet etiam hominis pars, secundum portionem, & proprietatem suam, ad delectationem prouocatur. Tunc enim spiritus, qui est superior pars ad oblectandum, & se DEO recreandum excitatur: sensualitas verò, quæ inferior est portio, ad sensibilem suauitatem & delectationem permouetur: non enim nouit illa, alio delectationis modo frui. Vnde accidere potest, Animam secundum spiritum, in oratione DEO esse intentam; ex alia verò parte, secundum sensum, rebelliones, ac commotiones sensuales passiuè non absque graui sua renitentia & nausea, experiri. Cùm enim vtræque portiones istæ, tandem vnicum sint suppositum; ordinatiè rei illius, quam illarum quælibet suo percipit modo, ambæ participes fiunt. Nam (vt Philosophus ait) omne quod recipitur, ad modum recipientis recipitur. Atque ita in primordijs istis, imò etiam, quando Anima iam profecit, cum sensualitas ista imperfecta sit, nonnunquam spirituales delitias, cum eadem participat imperfectione. At quando pars hæc sensitiua, Noctis Obscuræ, de qua acturi sumus, purgatione, iam est reformata, non amplius imbecillitates istas patitur. Adeò siquidem copiosè Diuinum recipit spiritum, vt ipsa potius in istum ipsum spiritum, tanquam in maiorem & ampliorem se recepta videatur. Atque ita, secundum spiritus modum omnia admirabili quadam ratione, cuius vnita Deo particeps fit, possidet.

Cur mouentur sæpe in hac purgatione, inferiores sensus Luxuriæ motus patiuntur.

Maior est Dei cura de nostra. Secunda commotionum causa est diuina motio, vacuum impulsiua.

Secunda causa, ex qua interdum rebelliones istæ proueniunt, est cacodæmon, qui vt animam orationi vacantem, vel certe vacare cupientem inquietet ac perturbet, turpes istas commotiones in natura suscitare conatur, hocque pacto

pacto si Anima alicuius illas reputat momenti, magnum illi infert detrimentum. Non enim duntaxat, ob huiusmodi commotionum metum & luctam, quam cum illis init, in orationis studio fit remissior, quod intendit dæmon : verum etiam nonnulli orationis exercitium omnino intermittunt, in huiusmodi exercitio plus se miserias illas pati arbitrantes, quam extra illud, & reuera ita est; idcirco enim illas potius cacodæmon in oratione, quam in alia quapiam re suscitat, vt spirituale exercitium deserant. Neque hoc satis est; sed etiam res admodum turpes & inhonestas, illis viuacissimè repræsentat, idque interdum quibusdam spiritualibus rebus, vel certe personis, quæ Animabus earum prosunt, coniunctas admodum & proximas, vt hac ratione illas consternet, & destruat; ita vt illi, qui commotiones istas alicuius esse momenti iudicant, ne intueri quidem aliquid, aut considerare audeant, confestim enim in istud vel illud impingunt, præsertim illis qui humore Melancolico laborant; cùm tanta efficacia ac vehementia ista contingunt, vt commiseratione digni sint. Quando autem huiusmodi res hominibus istis mediante Melancolia contingunt, ordinarie minimè ab eis liberi euadunt, donec à tali humore sanentur: nisi forte obscuram noctem fuerint ingressi, quæ illos ab omnibus repurgat.

Tertia vnde promanare, bellumque huiusmodi turpes commotiones inferre solent scaturigo, solet esse metus, quem iam homines isti, commotionum ac repræsentationum istarum turpium conceperunt. Timor enim, quem illis subitanea, in rebus illis, quas vident, vel cogitant, vel tractant, memoria incutit, facit illos absque vlla ipsorum culpa, actus istos sustinere.

Tertia turpium commotionum causa, formarum ipsarum commotio.

Nonnunquam in personis istis spiritualibus, siue dum loquuntur, siue dum spiritualia operantur, quidam exurgit vigor seu energia, ex memoria personarum, quas coram se habent orta; & cum quodam vani gustus seu delectationis modo procedunt; quod etiam ex spirituali luxuria, secundum quod eam hoc loco accipimus, originem trahit; quæ res cum quadam interdum voluntatis complacentia esse solet.

Quidam etiam istorum, amicitias cum personis quibusdam, spirituali prætextu & colore ineunt; quæ multoties ex luxuria, non autem ex spiritu nascuntur: quod ita esse, inde patet, si ex amicitiæ amorisque illius memoria, non maiora capiant incrementa memoria & amor Dei, sed potius conscientiæ remorsus. Quando enim amor est purè spiritualis, eo crescente, crescit etiam Dei amor: & quo plus amoris illius recordatur, tanto etiam amplius Dei meminit, maiorique eius desiderio flagrat: crescendo itaque in vno, crescit & in alio.

Multa amicitia spirituali prætextu contracta, ex spirituali nascuntur luxuria.

Vnde dignosci possit, amicitiam ex spirituali luxuria ortã esse.

Hoc enim Diuini spiritus proprium est, vt bonum bono augeat, eo quod inter ea similitudo, & conformitas intercedat. At quando talis amicitia siue Amor, ex dicto sensualitatis vitio proficiscitur, contrarios prorsus producit effectus; quo enim amplius vnus crescit Amor, eò etiam magis alter amor memoriaque minuitur, si enim amor ille sensualis incrementa capiat, confestim se in Dei amore frigescere, eiusque propter memoriam illam obliuisci, animaduertent, & aliquem conscientiæ remorsum experientur.

Diuini spiritus proprietas.

E contra verò si Dei amor in Anima augeatur, tepescit alter, & obliuione sepelitur: cum enim amores isti contrarij

sint, tantum abest vt vnus alteri opitulet-ur, vt etiam ille qui præualet, extinguat alium ac confundat, seipsum verò, quemadmodum Philosophi dixere, magis corroboret. Quam ob causam Saluator noster in Euangelio dixit. *Quod natum est ex carne caro est, & quod natum est ex spiritu spiritus est.* Hoc est amor, qui ex sensualitate ortus est, ad sensualitatem terminatur, ille verò qui ex spiritu, in spiritum DEI desinit, illumque adauget. Atque hoc est discrimen, quod inter duos istos amores reperitur, per quod etiam dignosci possunt. Quando verò noctem obscuram ingressa fuerit anima, vniuersos amores istos ad rectam rationis formam redigit: illum enim qui secundum DEVM est, corroborat repurgatque; alium verò profligat vel extinguit, aut mortificat; à principio autem, vtriusque amoris notitiam, sicuti postea dicetur.

Ioan. 3. n. 6.

CAPVT V.

De imperfectionibus in quas incipientes quantum ad iræ vitium spectat, labuntur.

Spiritualis dulcedinis subtractio, occasio iræ.

EX inordinato appetitu, quo multi incipientes feruntur in consolationes spirituales, oritur vt regulariter eas habeant permixtas pluribus imperfectionibus iracundiæ. Cum primum enim sapor, & dulcedo in exercitijs spiritualibus deficit, naturaliter efficiuntur insulsi, & insipidi, & ex amaritudine illa prouenit, vt sibi ipsis graues sint in rebus agendis, & leuissimam licet ob causam facile irascantur: imo aliquando vix aliquis eos tolerare potest. Quod eis plerumque accidit habita prius aliqua suaui admodum recollectione sensibili in oratione: cum enim suauitas illa, ac sapor euanescat, naturaliter eorum natura insipida remanet, ac tædiosa. Quemadmodum contingere solet infanti, ab vberibus, in quibus ipse delitijs suis fruebatur, auulso. In natura porrò, quando displicentiam istam, seu insipiditatem prqualere nó sinit, nulla reperitur culpa, sed solummodo imperfectio, quæ ariditate, & pressuris obscuræ noctis repurgari debet.

Alius status iræ zelus indignatio.

Nonnulli etiam spiritualium istorum reperiuntur, qui in alium spiritualis iræ genus labuntur: quod tunc potissimum fit, quando alienis vitijs, cum quodam inquieto zelo irascuntur, obseruando eos, & interdum impetus quidã insurgunt, reprehendẽdi illos cum indignatione, quod etiam aliquando re ipsa exequuntur, seipsos quasi virtutis dominos & magistros facientes: quæ omnia spirituali mansuetudini aduersantur.

Multiplex imperfectio inordinatæ solicitudinis ex imperfectionum quas labuntur.

Nonnulli etiam sunt, qui quando se imperfectos considerant, sibiipsis cum impatientia haud humili indignantur: qua in re ita impatientes sunt, vt vna die vellent sanctitatem adipisci. Plures ex istis proponũt multa, & grandia præstare, at cũ minimè sint humiles, sibiq; ipsis cõfidant, quanto plura proposita facitũt, tanto magis labuntur, & tanto amplius irascuntur, nec patientiam habent, ad expectandum, vt ipsis à Deo quando illi placuerit, id quod optant, conferatur, quod etiam est contrarium dictæ spirituali mãsuetudini. Quibus omnibus remedium non potest adferri, nisi per noctis obscuræ purgationem. Quanquam aliqui tantopere sunt patientes, adeoque in proficiendi studio lente procedunt, vt nollet eos Deus ita patientes esse.

CA-

CAPVT VI.

De imperfectionibus circa spiritualem gulam occurrentibus.

DE quarto vitio, quod est spiritualis gula, multa dicēda sese offerunt; vix enim incipientium vnus, licet ille quàm optimè sese gerat, reperitur, qui non labatur in aliquam ex imperfectionibus multis, quæ ex isto gulæ vitio, suauitate media, quam à principio in spiritualibus reperiunt exercitijs, nascuntur.

Multi delitijs potius spiritus, quam deuotionē querunt in spiritualibus exercitijs versantur.

Multi siquidem istorum, suauitate gustuque quem in huiusmodi exercitijs experiuntur illecti, delitias potius spiritus, quam puritatem & deuotionem veram, quam Deus in vniuerso spirituali itinere intuetur, & acceptat, aucupantur. Vnde præter imperfectionem, quam in venandis huiusmodi delectationibus admittūt, ingluuies illa, qua iam occupantur, facit illos à pedibus ad manum, medium virtutis excedendo, transilire, in quo consistunt virtutes & acquiruntur. Inescati siquidem & attracti suauitate, quam in istis exercitijs degustant, quidam se ipsos pœnitentijs mactant, nonnulli autem se inedia debilitant, maiora quam vires ipsorum sustinere possint, sine ordine, sineque alieno consilio attentare præsumētes; imò subtrahere sese ab illis, quibus hisce in rebus obedire tenentur, conantur: & quod magis est, quidam licet illis contrarium fuerit præceptum, ista facere præsumunt.

Obedientia spiritualis & differentia pœnitentiæ, prærogatiua aliarum pœnitentiarum, Deo acceptissima.

Homines isti imperfectissimi sunt, & prorsus insensati, qui subiectionē & obedientiā postponunt, quæ est rationis discretionisq; pœnitentia, & propterea Deo gratius ac iucundius sacrificium, quā vniuersa alia corporalis pœnitētiæ sacrificia, quæ (si hæc præcipua, de qua locuti sumus, eius pars omittatur) imperfectissima sunt: quandoquidem ad illa, appetitu & suauitate quam ibi reperiūt solummodo mouētur. Qua in re, quoniā extrema vniuersa vitiosa sunt, & quia in isto viuendi modo, omnes propriam suā exercent voluntatem; potius in vitijs crescunt quā in virtutibus: saltem enim hoc agēdi ac procedendi modo, spiritualē gulam ac superbiam acquirūt, quandoquidē obedientiæ ductū non sequuntur, & tantopere plures istorum decipit dæmon, eorum gulā per gustus & appetitus, quos illis auget, irritādo; vt quando iā amplius non possunt, vel mutent id, quod illis iniūctum est; vel varient, vel aliquid ei superaddant: angusta enim illis est & acida omnis obedientia.

Miserāda propriæ addictorū voluntati calamitas.

Qua in re eo miseriarum aliqui deueniūt, vt ob eandem causam, quod obedientia duce, huiusmodi exercitia aggrediantur; voluntatem & deuotionem ea perficiendi amittant: id enim quod duntaxat illis arridet est; ea, ad quæ suauitate gustuque mouentur perficere; quæ prætermisisse magis illis fortasse expediret.

Plures istorum videre est, magistris suis spiritualibus obstinatè importunos, vt ea illis quæ cupiunt, indulgeant, & quasi per vim facultatē extorquēt: sin secus, puerorū more tristantur, maleq; contenti viuūt, & videtur illis, se Deo nequaquā inseruire, quando ea, quæ facere vellent, minimè eis permittūtur. Cū enim suauitatibus ac voluntati propriæ innitātur, statim ac hæc illis subtrahuntur, eosque diuinæ volūtati conformare spirituales magistri cupiunt; tristantur, flaccescunt, & deficiunt. Arbitrantur isti, Deo obsequi, illique rem gratam præstare, nihil esse aliud, quam se suauitatibus perfrui, esseque contentos.

Spiritualis gula facit propriæ vilitatis oblitiscī, & erga Deum minus esse reuerentes.

Sunt præterea alij, qui propter istam spiritualem gulam, tam exiguam habent vilitatis suæ propriæque miseriæ notitiam, adeoq; amorosum timorem, ac diuinæ magnitudini debitā reuerentiam

obliuioni dederunt; vt non ambigant importunè nimis ac obstinatè à suis Confessarijs extorquere, vt illis Sacramentis; Confessionis & Communionis crebro vti permittant. Et quod longè deteriuseſt, sæpe absque facultate consilioque ministri ac dispensatoris Christi, ad sacram communionem accedere soli proprio nixi iudicio non verentur, & veritatem rei, ipsos celare satagunt. Quam etiam ob causam, sacræ communionis inordinato desiderio stimulati parum exacte oscitanterque confessionem peragunt, manducare potius, quam purè perfecteq; communicare cupiendo. Cum tamen salubrius sanctiusque esset, contrariam propensionem habendo, à confessarijs precibus flagitare, ne eos tam crebro ad sacram iubeant communionem accedere: quanquam inter hæc duo extrema, melior sit humilis resignatio. Verum præsumptiones hac in parte nimiæ, in grandia præcipitant mala, & merito ob temeritatem tantam, pœnam vereri possunt.

Inordinatum sacræ Communionis desiderium, gula spiritualis effectus.

Homines huiusmodi dum sacram recipiunt communionem, vniuersum conatum suum ad hoc duntaxat dirigunt, vt aliquem potius dulcedinis sensum eliciant, quam vt præsentem in se DEVM venerentur, humiliterque laudent. Et taliter hac de re persuasi sunt, vt si quando nullam huiusmodi suauitatem seu deuotionem sensibilem in communicando elicuerint, nihil se prorsus egisse arbitrentur, abiectè admodum de DEO sentiendo: nec intelligendo, minimam, quam Diuinissimum istud sacramentum adfert vtilitatem, esse illam, quæ ad sensum spectat; multoque maiorem esse inuisibilem Diuinæ gratiæ, quam producit: quandoquidem sæpe DEVS gustibus istis fauoribusque sensibilibus priuat Animas, vt fidei oculos ad se conuertant. Vnde isti sentire & gustare volunt DEVM, tam in communione, quam etiam in reliquis spiritualibus exercitijs ac si comprehensibilis & accessibilis esset. Quæ certè omnia maximam inuoluunt imperfectionem, & plurimum naturæ ac inclinationi Diuinæ, quæ purissimam exigit fidem, repugnant.

Cur Deus sæpe animas Eucharistiã sumentes sensibili consolatione priuet.

Ad eundem etiam prorsus modum sese isti gerunt in oratione, quam exercent, existimant enim vniuersam rei huius summam in hoc sitam esse, vt suauitatem ac deuotionem sensibilem reperiant: vnde & ad illam eliciendam, omnem vt dicitur mouent lapidem, violentoque conatu, potentias defatigant, & caput. Quod si nullam huiusmodi suauitatem fuerint experti; affliguntur, nihil se egisse authumantes: & propter huiusmodi suam sollicitudinem, spiritus ac veræ Deuotionis (quæ in perseueranti in oratione patientia & humilitate cum sui ipsius diffidentia, soliqúe duntaxat DEO placendi studio consistit) iactutam faciunt. Hanc etiam ob causam, quando in isto orationis exercitio, vel in alijs nullam, vel vna vice suauitatem degustarunt; magnam ad illud iterum assumendum, repugnantiam auersionemque concipiunt, & interdum id omnino intermittunt.

Error eorundem, sensibilem in oratione deuotionem elicere conantium.

Vera deuotio in quo sita sit.

Tandem sunt (sicuti diximus) puerulis similes, qui nequaquam ratione, sed gustu sensuque ad operandum mouentur. Vniuersum studium & cogitationes suas, in spiritualibus delitijs consolationibusque aucupandis impendunt, ad quæ etiam finè nunquam piorũ librorum lectione explentur, & nunc vnam, nunc aliam assumunt meditationem, suauitatè in rebus Diuinis venando. Quibus etiam iustissimè, sapientissimè, ac amantissimè sese denegat DEVS; nisi enim hoc ita esset,

Multi in oratione negotia puerilia similes, qui non ratione, sed gustu ad operandum mouentur.

set; gula ista ingluuieque spirituali stimulati, in multa grauiaque mala ruerent. Quamobrem plurimum huiusmodi hominibus, obscuram noctem ingredi expedit, vt ab istis puerilibus ineptijs repurgentur.

Ista spiritualia desiderantes in Cruce imperfectionem incurrunt.

Isti præterea, qui tantopere sunt ad consolationes istas propensi, in aliam quoque grauem admodum imperfectionem incurrunt; quia nimirum tepidi sunt, valdeque in aspero Crucis itinere carpendo remissi: anima quippe suauitatibus addicta, vniuersam abnegationis propriæ amaritudinem habet exosam. Multis insuper imperfectionibus alijs, quæ ex istis nascuntur, scatent huiusmodi homines, quibus Dominus tentationibus, aridtatibus ac tribulationibus (quæ vniuersa pars sunt obscuræ noctis) tempore oportuno mederur. De quibus ego imperfectionibus, ne prolixior fim, nolo hoc loco disputare: illud solum monuisse contentus, sobrietatē & temperantiam spiritualem, valde diuerso tenore mortificationis, timoris, ac in omnibus suis rebus subiectionis incedere, quæ spiritualis temperantia facit etiam agnoscere perfectionem & valorem rerum, non in ipsarum multitudine, sed in sciendo seipsum in illis abnegare, sitam esse: Cui abnegationi spiritualibus istis, quantum ex sua parte valuerint, maxima danda est opera, donec Deus velit eos in nocte obscura collocando repurgare. Ad cuius tractationem, vt quantocius peruenire liceat, in imperfectionum istarum declaratione festino.

Studium spiritus spiritualium.

CAPVT VII.

De imperfectionibus inuidiæ, acediæque spiritualis.

IN materia quoque duorum aliorum vitiorum, inuidiæ scilicet & acediæ spiritualis, multas incipientes isti solent committere imperfectiones. Quantum enim ad inuidiam attinet, plures istorum solent motus displicentiæ boni spiritualis aliorum pati, aliquam sensibilem percipiendo afflictionem, cum se ab alijs, in hac spirituali via superari animaduertunt: quos nec ab alijs laudari vellent; quoniam ex alienis virtutibus contristantur: & interdum aliorum laudes sustinere nequeunt, quin potiùs contrarium affirmant, laudes illas quomodo possunt extenuando: nec mediocriter affliguntur, si cum eis tantundem non fiat, vellent enim in omnibus alijs præferri: quod cum charitate è diametro pugnat, quæ (vt S. Paulus ait) de bonitate gaudet, quod si aliquam inuidiam admittit charitas, illa sancta est; displicet enim ei, se alterius virtutibus carere: inde tamen lætatur, quod illis alius præditus sit, & quod omnes illum superent, vt Deo gratius præstent obsequium, iam quod ipse hac in parte deficit.

Qua sit inuidia charitatis.

Quod si de spirituali acedia loquamur, solent incipientes tædium in rebus illis, quæ magis sunt spirituales pati, easque deuitant: cuiusmodi sunt, quæ gustui sensibili repugnant. Cum enim tantopere spiritualium rerum suauitati palatum assuefecerint, confestim aceam non reperiunt, fastidium illis res spirituales generant. Si enim semel eam,

Cur incipientes in rebus illis quæ magis spirituales sunt soleāt tædium pati?

quam eorum gustus in oratione satisfactionem exigebat, minimè repererunt (tandem enim expedit, vt ea à DEO priuentur, vt illorum experimentum capiat) nolunt amplius ad eam redire: alijs vicibus illam intermittunt, vel certè inuitè ed eam redeunt. Atque ita propter Accediam istam, postponunt perfectionis viam (quæ est voluntatis propriæ, gustusque propter Deum abnegatio) Gustui & voluntatis suæ delectationi: cui, hoc modo ipsi potius satisfaciunt, quam diuinæ. Plures etiam istorum cuperent illud Deum velle, quod ipsi volunt: affliguntur-que in volendo eo, quod vult DEVS, non sine repugnantia accommodandi voluntatem propriam, diuinæ. Hinc euenit, vt sæpe ea in quibus ipsi voluntatis suæ & gustus pronitatem non sentiunt, minimè diuinæ voluntati consentanea existiment. Econtra verò quando ipsi de re aliqua benè sunt satisfacti; DEVM quoque esse satisfactum credunt. Metiendo DEVM seipsis, non verò seipsos Deo: cum tamen res longe aliter sese habeat, quemadmodum ipse Dominus in Euangelio docuit dicens: Eum qui perdiderit voluntatem suam propter illum, istum illam lucraturum: eum verò qui illam lucrari voluerit, eam amissurum: *Qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.*

Matt. 16. 25.

Tædio quoque afficiuntur huiusmodi homines, cum illis ea iubentur, quæ nulla eos suauitate oblectare possunt. Et quoniam delicias consolationesque spirituales consectantur; debiles sunt admodum ac tepidi; ad fortiter pro perfectione acquirenda laborandum, similes illis facti, qui in delicijs enutriti, omnem mœsti fugiunt asperitatem: & Crucem in qua spirituales deliciæ consistunt, abhorrent, & quo res magis spirituales sunt, maiori etiam in illis tædio afficiuntur. Cum enim ipsi in rebus spiritualibus, lato itinere incedere, ac secundum voluntatis suæ propensionem viuere conentur; non mediocrem tristitiam & repugnantiam in aggrediendo arctam vitæ viam, de qua loquitur Christus, experiuntur.

Spirituales delicia in Cruce consistunt.

Imperfectiones istas, in quibus homines, primi huius incipientiũ status degunt, hoc loco retulisse satis sit: vt liquido cõstet, quàm sit illis necessarium à DEO in proficientium statu constitui; quod fit, cum eos in nocte obscura, de qua iam acturi sumus collocat, in qua ablactando eos, per ariditates tenebrasque interiores à suauitate & gustuum istorum vberibus aufert ab eis cunctas imperfectiones istas, puerilesque ineptias, & facit virtutes, medijs plurimum diuersis, acquirere. Licet enim, quam maximè sese incipiens, in mortificandis in se vniuersis istis actionibus & passionibus suis exerceat, nunquam tamen omnimodè, sed ne sufficienter quidem id assequetur, priusquam DEVS, purgatione obscuræ noctis intercedente id efficiat. De qua vt aliquid proficui proferam, vtinam placeat Deo, suam mihi diuinam impertiri lucem; est enim apprimè necessaria, ad noctem adeò obscuram, materiamque tam difficilem & arduam dilucidandam.

CAPVT VIII.

In quo primus, primi Cantus versus exponitur: incipitque nox hæc obscura dilucidari.

Quadam Nocte Obscura.

NOx ista, quam contemplationem esse diximus, duos tenebrarum vel pur-

purgationum modos, secundum duplicem interioris hominis portionem, sensitiuam nimirum & spiritualem, in personis spiritualibus producit. Atque hoc modo vna nox seu Purgatio sensitiua, per quam tepurgatur vel denudatur aliqua anima secundum sensum, accommodat illam secundum sensum spiritui: altera verò nox, seu spiritualis purgatio, perquam anima emundatur & denudatur secundum spiritum, adaptat & disponit illam ad vnionem amoris cum Deo. Sensitiua nox communis est, & quæ multis contigit: hi autem incipientes sunt, de quibus primo loco agemus. At spiritualis, paucorum est admodum; eorum nempè, qui iam profecerunt, suntque exercitati, de qua postmodum sumus acturi.

Prima nox, vel purgatio, amara est sensui, & formidabilis. Secunda verò absque cõparatione vlla, spiritui terribilior: quẽadmodum confestim dicemus. Et quoniã in ordine prima, & quæ primo contingit loco, est nox sensitiua, de illa sub compendio aliquid adferemus (cum de ea, tanquã de re magis vulgari, plura reperiantur scripta) vt possimus ad agendum magis ex professo de nocte spirituali gressum facere: de qua parce admodum, tam verbis, quam scriptis pertractatur, & cuius modica habetur experientia.

Cum itaque agendi & viuendi modus quo incipientes isti in via Dei vtuntur vilis sit, & qui proprio ipsorum amori gustuique admodum est affinis (quemadmodum in superiorib. explicatũ est) volendo illos Deus ad vlteriora, promouere, & ex isto infimo amoris modo, ad sublimorem diuini amoris gradum prouehere, eosque ab imo & abiecto sensus & discursus exercitio, per quod tam parce, & cum tot, sicut diximus, inconuenientib. Deum quærebant liberare; & volendo eos in spiritus exercitio, in quo copiosius, & absque tot imperfectionibus, diuina possint communicatione frui, collocare, postquam iam, aliquo temporis spatio in virtutis itinere sese exercuerunt, & in meditatione ac oratione perseuerando, suauitate & gustu, in ea percepto mundanarum rerum affectum & amorem extinxerunt. & aliquas in Deo spirituales vires acquisierunt, quibus aliquatenus habent iam creaturarum appetitus refrænatos, possuntque Dei amore aliquid oneris ac ariditatis conflictus tempore, minimè terga vertendo, sustinere, quando inquam in spiritualibus istis exercitijs, omnia eis, ex animi sententia succedunt, & suauitatibus abundant, quando etiam (vt illis videtur) serenior illos diuinorum fauorum sol irradiat: tunc obscurat & abscondit illis Deus vniuersam istam lucem & portam, ac dulcis spiritualis aquæ scaturiginem, quam quotiescunq; & quandocunque illis libebat, in Deo degustabant, occludit (cum enim debiles essent ac teneri, omnia eis ostia patebant, quemadmodum S. Ioannes in Apocalypsi dixit: *Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere, quia modicam habes virtutem, & seruasti nomen meum, & non negasti nomen meum*: in tantisque eos relinquit tenebris, vt quo sese cum imaginationis sensu & discursu conferant, prorsus ignorent. Non enim sciunt amplius vel tantillum, sicuti antea solebant meditari, submerso iam suffocatoque in ista nocte, interiori sensu & in tanta ariditate derelicto, vt non solum succum aliquem & consolationem in rebus spiritualibus pijsque exercitijs non reperiant (in quibus ipsi antea delicias ac gustus suos inueniebatnt) sed potius illorum loco amaritudinem ac insipiditatem in dictis rebus experiantur. Vt enim dixi, animaduer-

Apoc. 3.

tens

tens eos Deus, aliquantulum iam creuisse, vt roborentur magis, fasciasque abijciant, à dulci eos vbere auellit, & ex vlnis suis depositos, docet suis passibus incedere: qua in re magnam ipsi experiuntur nouitatem, cum eis omnia in contrarium sint conuersa.

NOTA. *Quonam tẽpore soleãt spirituales noctẽ sensus ingredi?*

Res hæc omnibus hominibus, à sæculi strepitu remotis, vt plurimum post spiritualis vitæ initia citius, quam cæteris euenire consueuit: cum magis sint ab occasionibus, à proposito resiliendi liberi, & quia etiam citius appetitus sæcularium rerum reformant: hæc enim sunt illa, quæ ad ingrediendam fælicem hanc sensus noctem requiruntur. Regulariter autem non multum postquã cœperint, elabitur temporis, quod istam sensus noctem maior illorum pars intrat: communiter enim ariditates istas pati eos videmus. De hoc sensitiuæ purgationis modo, cum tam communis sit, plurimas Sacrarum literarum authoritates adducere possemus, in quibus, præsertim vero in Psalmis & Prophetis, de eo creberrime agitur: quas ob prolixitatem euitandam, prætermittimus, quanquam nonnullas ex illis postmodum citaturi simus.

Quanã ad intrandũ hanc fælicẽ noctem requirãtur?

CAPVT IX.

De indicijs, ex quibus agnosci poterit, spiritualem personam hac nocte, purgationisque sensitiuæ via incedere.

Ariditates sensitiuæ partis nõ semper, à sensitiua nocte promanant, sed multis alijs ex causis.

SEd quoniam ariditates istæ sæpe non à dicta nocte, appetitusque sensitiui purgatione, procedere possent; sed vel à peccatis seu imperfectionibus, tepore, vel animi remissione, aut certè ab aliquo deprauato humore, seu corporis indispositione; quædam hoc loco assignabo indicia, ex quibus dignoscatur, an huiusmodi ariditas ex dicta purgatione oriatur: vel certè ex aliquibus recensitorum vitiorum; ad quem effectum tria reperio præcipua indicia.

Tria sunt indicia ex quibus dignoscitur, an aridi-tas à sensitiua nocte, an verò ab alijs causis oriatur.

Primum est, si quemadmodum nullum in rebus diuinis gustum consolationemq; reperit anima, ita etiam nec illam in aliqua creata re reperiat. Cum enim in nocte obscura ad hoc collocet Deus animam, vt exsiccet ac repurget appetitum ipsius sensitiuum, nulla alia re finit illam inescari, gustumque reperire, hinc probabiliter ariditatem ac amaritudinem istam, non à peccatis imperfectionibusq; recenter admissis prouenire cognoscitur. Si enim hoc ita esset, aliqua in natura pronitas, vel *cupiditas* aliquid aliud, præter res diuinas degustandi perciperetur. quotiescunque enim in imperfectione aliqua appetitui habenæ permittũtur: illico propensus ad eam, siue parum, siue multum, secundum affectus, ac gustus quo illi inhæsit mensuram, sentitur. Sed quia istud tam supernarum, quam inferiorum rerum fastidium, ex aliqua corporis indispositione vel melancolico humore, qui sæpè in nulla re permittit gustum consolationemq; reperire, nasci posset: secundũ indicium & proprietas necessaria est.

Primum indicium ad quod reuocãtur omnia quæ in nocte purgationis sensitiuæ patiuntur.

Secundum itaq; indicium, seu proprietas purgationis istius est; quod ordinariè occupat ac erigit memoriam in DEVM, cum sollicitudine, & anxietate quadam dolorosa, se DEO nequaquam inseruire, sed potius quoniam suauitate illa in rebus diuinis destitutam se animaduertit, retrocedere existimando. Hinc enim patet, ariditatem istam ac tædium, non ab animi remissione tepore que proficisci: hoc enim tepori proprium est, parum res diuinas curare, nullamque interiorem de ijs sollicitudinem gerere.

Secundum indicium ordinarij Dei motus in nocte purgationis sensitiuæ.

Vnde

Discrimen inter aridit. & tepôrem.

Vnde inter ariditatem & tepôrem, latum intercedit discrimem. Tepor enim multam animi remissionem & voluntatis languorem, nec non animum absque sollicitudine Deo inseruiendi continet: quæ autem ariditas duntaxat purgatiua est, ordinariam secum sollicitudinem, cum anxietate afflictioneque (vt dixi) quod Deo non inseruiat trahit. Hæc autem purgatiua siccitas, quanquam aliquando admixtam habeat melancoliam, vel alium humorem (sicuti interdum euenit) non propterea tamen, minus effectum suum purgatiuum appetitus, efficit: quandoquidem omni est gustu destitutus, & cogitationes suas in solo Deo occupatas habet: quando enim meros humor cor inficit, nil aliud præter displicentias, naturæque destructionem adfert, idque sine vllis Deo inseruiendi desiderijs, quæ purgatiuam ariditatem comitantur; ob quam ariditatem purgatiuam, licet sensitiua portio sit vehemẽter collapsa, remissa, & ad operandum, ob modicum gustum ac consolationem quã experitur, debilis: spiritus nihilominus promptus est & robustus.

Causa aridit. duntaxat ob obscura fidei nostræ principia.

Causa porrò ariditatis istius est, quia transfert & mutat Deus bona & vires sensus, ad spiritum, quorum bonorum cum virtus & sensus naturalis incapax sit, ieiunus, aridus, vacuusque remanet, sensitiua enim hominis portio, ad id, quod est purè spiritus inhabilis est & inepta: vnde gustato spiritu desipit caro, fitque ad operandum remissa: verum spiritus, qui tunc temporis cibo reficitur, fortis magisque quam antea, ne Deo desit, vigilans, ac sollicitus euadit. Qui ob mutationis huius nouitatem, non statim à principio suauitatem & delectationem spiritualem, sed ariditatem amaritudinesque experitur: cum enim interiorem palatum, suauitatibus istis sensibilibus habuerit assuefactum; adhuc ad eas mentis oculos versos habet. Et quia etiam nec spiritualem palatum repurgatum habet, nec ad tam delicatam voluptatem dispositum (donec successiuè per istam aridam ac obscuram noctem adaptetur) nequit suauitatem spiritualeq; bonum percipere; sed ariditatem dũtaxat & amaritudinem, deficiente iam ac subtracto eo, quod prius cum tanta facilitate degustabat. Isti enim, quos Deus per has deserti solitudines ducere incipit, similes filijs Israel sunt, quibus licet Deus in deserto cibum cælestem adeò delicatũ præbere cœpisset, vt (sicut ibi dicitur) in saporem quem quisque vellet, verteretur; nihilominus plus gustuum, saporumq; carniũ, & cæparum quibus antea in Ægypto vescebantur, defectum sentiebant (eo quod haberent palatum illis assuefactum ac insescatum) quam delicatam Angelici cibi suauitatem: plorabantque & ad carnes inter cælestes cibos suspirabant. *Recordamur piscium quos comedebamus in Egypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepe, & allia.* Eousque enim appetitus nostri vilitas dilabitur, vt nos faciat nostras optare miserias; in commutabile verò cæli bonum, fastidire. Verum quando (sicuti diximus) ariditates istæ, à purgatiua appetitus sensibilis nocte oriuntur: quamuis ob causas, quas nuper adduximus, non percipiat spiritus suauitatem: fortitudinem tamen ac vigorem ad operandum propter substantiam, quam illi interior cibus præbet, percipit, qui cibus est obscuræ ac sensui siccæ contemplationis exordium, quæ occulta est, & ipsimet qui illa potitur arcana: simulque vt plurimum, cum ista ariditate ac vacuitate, quã in sensu efficit, confert animæ propensionem ac desiderium in solitudine ac quiete manendi, nihil particulare cogitare valẽdo, sed neq; cogitare considerareque cupiendo.

Exod. 16. num. 14. Sap. 16. n. 21. Num. 11. num. 5.

Summa appetitus humani immortificati vilitas.

Contemplationis obscuræ initium.

piendo. Tunc verò, si illi, quibus ista eueniunt, seipsos pacificare & tranquillare nossent, nihil omnino quamcunque interiorem ac exteriorem operationem, quã ipsi industria discursuque suo efficere possent curando, & absque vlla sollicitudine seu studio aliquid illic præstandi manendo; sed sese à Deo duntaxat duci permittendo, necnon ipsius dona suscipiendo, cum interiori denique & amorosa attentione audiendo: confestim in otio illo, ac rerum omnium obliuione, refectionem illam interiorem delicatissimè experirentur. Quæ adeo delicata est, vt si nimium desiderium, vel nimiam sollicitudinem ad illam sentiendam applicauerit anima, vt plurimum illam non sentiet: nam (sicut dixi) refectio hæc, in maximo ipsius otio & vacatione, effectum suum in ea producit: est enim aëris instar, qui statim ac quis voluerit contrahere manum, illumque constringere, euanescit. Et ad hoc propositum illud quod Sponsa Sponso in Canticis dixit, intelligere possumus, nimirum, *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.* Taliter siquidem in hoc statu collocat Deus animam, tamque diuerso illam itinere ducit, vt si ipsa ex se habilitateque sua, seu aptitudine operari voluerit; præpediat potius diuinum quod in ea efficitur opus, quam adiuuet, quod antea longe contrario fiebat modo. Cant. 6. 4

Huius rei ea est causa: quia iam in isto contemplationis statu, quando videlicet statum discursumque proficientium deserit, iam Deus est ille, qui in anima taliter operatur, vt potentias illius interiores ligare videatur, nullum intellectui fulcimentum, aut voluntati succum, aut memoriæ discursum relinquendo. Id enim, quod tempore isto potest ex se operari & præstare anima, ad nihil aliud deseruit, quam (sicuti diximus) ad interiorem pacem turbandam, opusque quod in sicitate illa sensus in spiritu operatur Deus præpediendum. Quæ cum spiritualis sit, & delicata opus etiam quietum, delicatum, pacificum, & ab omnibus istis prioribus gustibus seu consolationibus, quæ non mediocriter palpabiles erant, ac sensibiles, admodum alienum efficit: hæc enim est pax illa quam Deum loqui animæ dicit Dauid: *Quoniam loquetur pacem in plebem suam*: vt eam spiritualem reddat. Atque hinc tertium nascitur indicium. Psal. 84.

Tertium itaque indicium, per quod aridi tatem hanc purgationem esse sensus, intelligere possimus est; non posse iam meditari nec discurrere, imaginationis sensu vtendo, vt eam sicuti solebat, moueat & excitet, licet quam maxime ex sua parte conetur. Cum enim in hoc statu incipiat se Deus communicare animæ, non iam per sensum, sicuti antea medio discursu notitias componente & diuidente faciebat; sed medio spiritu puro, in quo discursus successiuus non reperitur, simplicis contemplationis actu se illi communicando, quam inferioris partis nec interiores nec exteriores sensus attingunt: hinc est quod imaginatio & phantasia, nulli rei valeant inniti, nec aliquam considerationem auspicari, nec illam deinceps vsurpare. Tertium indicium. Cur in hac statu non possit anima meditari.

Circa hoc tertium indicium animaduertendum est, istud potentiarum impedimentum & exiguam satisfactionem, nequaquam ab aliquo deprauato humore prouenire: quando enim hinc nascitur, consumpto illo humore, qui nunquam in vno statu perseuerat, confestim vel modica diligentia adhibita, potest iterum anima id, quod prius poterat, & potentiæ, sua

sus iterum reperiunt adminicula. Quod in appetitus purgatione secus accidit: statim enim ac illam ingredi incipit anima, impossibilitas potentijs discurrendi crescit. Quamuis enim verum sit, purgationem hanc in aliquibus minime in suis principijs ita esse perpetuam, quin aliquando, quibusdam suis gustibus, recreationibusque sensibilibus perfruantur, (non enim ob eorum imbecillitatem expediebat eos vno, vt sic dicam ictu, seu impetu, ab vberibus diuelli) nihilominus maiores semper in purgatione ista progressus faciunt, sensitiuæque operationi, (si tamen ad vlteriora progredi debeant) finem imponunt. Illi enim qui contemplationis via non incedunt, diuerso admodum modo sese habent; in quibus hæc ariditatum nox, non solet esse in sensu perpetua: quamuis enim aliquando eas patiantur, aliquando tamen nequaquam: & licet non valeant interdum discurrere, alijs tamen vicibus optime possunt, sicut solebant.

Qualiter ijs habeat illi qui contemplationis via nõ gradiuntur.

Ad hoc autem duntaxat à Deo in nocte hac homines isti collocantur, vt eos exerceat, humiliet, illorumque reformet appetitum, ne gulositati illecebrisque in rebus spiritualibus assuescant; non autem idcirco id facit vt eos ad viam spiritus, quæ est contemplatio ista, perducat. Non enim omnes, qui ex instituto in via se spirituali exercent; ad contemplationem perfectam à Deo prouehuntur, cuius rei causam, ipse nouit. Hinc est, quod nunquam istorum hominum sensum à consideratione discursuumque vberibus omnino auellat: sed interdum duntaxat, & per interualla, sicuti diximus.

Nemo quis sua exercitatione ad contemplationem perueniat.

CAPVT X.

De modo quem seruare status istius homines in hac nocte obscura debent.

TEmpore itaque ariditatum noctis istius sensitiuæ, in qua facit Deus mutationem, de qua superius fumus locuti, educendo animam à via sensus, ad viam spiritus, hoc est, à meditatione ad contemplationem, in qua non potest iam operari, nec ex se potentijs suis, de rebus diuinis, sicuti dictum est, discurrere; hoc inquam tempore, magnas spirituales viri patiuntur afflictiones, non tam propter siccitates, quas sustinent, quam propter metum, quo ne fortè in via hac aberrauerint, tenentur; existimando se spiritualis sui boni iacturam fecisse, seque à Deo esse derelictos, quandoquidem nullum in rebus bonis sultimentum, nullamque consolationem reperiunt. Tunc laborant, & conantur (sicut consueuerant) aliquo fulcire gustu potentias, easque alicui obiecto discursus alligare, arbitrando, nisi ita faciant, neque operationem suam sentiant, nihil se omnino agere. Quod tamen fit, non sine graui tædio, intetiorique animæ tenitentia, cui in quiete illa, ac otio manere libebat. Quod dum faciunt, diuerter do se ab vno, non proficiunt in altero, quia enim proprij spiritus operatione vtuntur, spiritum pacis & tranquillitatis, quem possidebant, amittunt. Quare similes sunt illi, qui opus iam perfectum deserit, vt iterum illud efficiat: vel ei, qui ab vrbe egressus, eam denuò intrat: vel denique illi, qui prædam venatione

Obseruãda est capitis huius doctrina.

Præcipua causa afflictionis animæ in hoc purgationis seu ariditatis statu constituta.

tione captam dimittit, vt rursus eam venetur; quorum profectò conatus, hac in parte iam est superuacaneus, cum nihil sint amplius reperturi: & præsertim quia ad priorem suum agendi modum redeunt, vt dictum est. Si in hoc statu homines isti, eo qui illos intelligat dirigatque sunt destituti, retrocedunt miseri, certam deserendo viam; vel saltem fiunt remissiores, vel denique ne ad vlteriora tendant seipsos præpediunt, idque ob multas quas adhibent diligentias, vt primo meditationis discursusque tramite gradiantur, propriam interim naturam defatigando, nimiumque affligendo, dum se ob negligentiam propriã vel peccata, progressum minimè facere imaginantur. Qui certe eorum labor iam superuacaneus est, siquidem iam aliâ ducit eos Deus viâ diuersissimâ à primâ; quæ est contemplationis: vna enim via, meditationis est & discursus; altera autem, nec imaginationi, nec discursui subest.

In quam grauia corruant spiritualia damna qui in hoc statu Duce apto destituuntur?

Qui in statu isto se versari animaduerterint, expedit eis animum sibi ipsis addere, & ad perseueranter patiendum seipsos inducere. Non despondeant ergo animũ, neque afflictioni succumbant, sed pleno corde fidant Deo, qui recto & simplici corde se requirentes non deserit, huicque itineri necessaria suppeditabit, donec eos ad serenam limpidamque amoris lucem perducat, quam eis, mediante altera obscura spiritus nocte confert, si à Deo in ea collocari promeruerint.

Quid faciendum sit hominibus in hoc statu constitutis?

Modus itaque, quem in hac sensus nocte seruare debent, est; vt nihil discursum meditationemque curent: cum iam (vti dixi) non sit rerum istarum amplius tempus: sed in tranquillitate ac quiete permittant manere animam, quamuis illis se nihil agere & tempus inaniter consumere, ac ob suum tepôrem nihil in oratione cum gustu cogitare velle videatur. Multum profectò præstabunt, desolationem suam patienter sufferendo, ac in oratione perseuerando, id enim quod tunc ab eis requiritur est, vt animam relinquant liberam, ab omnibusque notitijs & cogitationibus expeditam, & pacatam, nullam tunc aliam, quid cogitaturi aut meditaturi sint, sollicitudinem admittendo; satisq; illis sit, amorosa quædam ac tranquilla in Deo aduertentia seu attentio: & præterea vt ibi sine omni sollicitudine, conatu nimioq; Deum sentiendi ac degustandi desiderio permaneant: vniuersi siquidem conatus isti, & molimina inquietant, & à tranquilla quiete, suauiq; contemplationis otio, quæ illis in hoc statu confertur, animam distrahunt. Et quãuis maximos conscientiæ stimulos patiantur, quod nimirum tempus otiosè transigant, meliusque futurum, si alicui alteri operi incumberent, quandoquidem nihil in oratione efficere, nilque cogitare valent; tolerent seipsos, maneantque tranquilli, sibi ipsis persuadendo, se nullam aliam ob causam ad orationem pergere, quam vt ibi voluptati indulgeant, & in spiritus latitudine maneant. Si enim aliquid ex se interioribus potentijs operari voluerint; nihil efficient aliud quam illa bona, quæ Deus pace illa otioque mediante, animæ confert. & imprimit, impedire & amittere; vt si pictor quispiam faciem aliquam depingeret, quæ ad aliquid faciendum se hinc & illinc moueret, nihil pictor efficere posset, & ea quæ iam faciebat interturbarentur. Eodem modo, quando anima in pace ista & interiori otio constituta est, quælibet operatio & effectus, seu sollicita aduertentia, quam ipsa tunc temporis exercere voluerit, distrahet illam & inquietabit; faciet que ariditatem, ac sensus vacuitatem sentire. Quo enim magis voluerit aliquod affectus, & notitiæ adminiculum acquirere, eò maiorem sentiet defectum,

fectum, qui iam via illa nequit amplius suppleri. Quamobrem expedit animæ in hoc statu operationum quæ à potentijs promanant iacturam nihili facere: quin potius vt quantocius eas amittat, optare. Nam non impediendo contemplationis infusæ operationem quam Deus maiori cũ abundantia pacifica confert; recreat illam, locumque præbet vt ardeat, & spiritu amoris, quem obscura hæc & arcana contemplatio secum adducit, succendatur, & flammescat. Nollem tamen ex doctrina hac generalem elici regulam meditationem, vel discursum relinquendi: nunquam enim relinqui debet, nisi quando nullo modo aliter fieri potest; eò videlicet tantũmodo tempore quando per viam purgationis & afflictionis, vel perfectã admodum contemplationem illam Dominus impedierit. Alio enim tempore & occasione, semper huiusmodi fulcimentum & adiumentum necessarium est: maxime verò vitæ crucisque Christi meditatio, quæ ad purgationem & patientiam viæque huius securitatem obtinendam, est mediũ omnium optimum, & admirabili modo sublimem iuuat contemplationem: quæ nihil aliud est quam arcana, pacifica, & amorosa Dei infusio; cui si præbeatur locus, spiritu amoris inflammat animam, quemadmodum ipsa sequenti versu significat.

Meditatio non ideo relinquenda est, quando in contemplationem, vel sublimem transmutatur, nisi impediat.

Vita & Passio Domini meditanda quanti sit ad animæ purgationem momenti.

Quod sit Dominus contemplationem.

CAPVT XI.

Tres versus primi Cantus declarantur.

Anxio amore inflammata.

Cur amore inflammata.

AMoris inflammatio, communiter à principio non percipitur, eo quod ob impuritatem naturæ, vel quia non præbet ei in se anima (seipsam sicuti diximus non intelligens) locum pacificum; nondum cœperit accendi. Interdum tamen sive hoc faciat anima, sive non faciat, confestim aliquod anxium Dei desiderium incipit sentire, & quo plus progreditur, magis se affectam, Deique amore inflammatam percipit; nescit tamen nec intelligit quomodo, & vnde huiusmodi in ea nascatur amor, & affectus: videtur tamen illi flamma hæc & inflammatio, quandoq; tantopere in se excrescere, vt amore anxio Deum optet, secundum quod Dauid, dum in nocte ista versaretur, dicit de seipso verbis istis. *Quia inflammatum est cor meũ.* (in amore videlicet contemplationis) *Gustus quoque mei & affectus commutati sunt.* (hoc est à via sensitiua ad spiritualem per sanctam istam siccitatem & omnium gustuum affectionum que, de qua loquimur, cessationem, transmutati sunt.) *Et ego* (ait) *ad nihilum redactus sum, & nescivi.* Vt enim diximus, nesciens anima, quam viam teneat, seipsam in rebus omnibus siue supernis, siue infernis, quibus suauiter frui solebat, annihilatam amoreque sauciam videt, nec tamen scit qualiter, & quia interdum hæc amoris in spiritu inflammatio, non mediocriter crescit; adeò ingentes sunt animæ propter Deum anxietates, vt sibi in ista siti ossa arescere, naturaq; marcescere, ac eius calor & vigor, ob viuacitatem sitis amoris, languescere & deficere videatur; quam amoris sitim, viuam sentit esse & experitur anima. Hanc etiam sentiebat patiebaturque Dauid, quando ait, *Sitiuit anima mea ad Deum viuum*: quod idé est ac dicere: Viua fuit sitis qua tenebatur anima mea. Quam sitim, cum viua sit asserere possumus, occidere siti. Quanquam sitis huius vehementia, continua non sit sed per interualla; ordinariè tamẽ, aliqua sentitur sitis. Animaduertendum tamen

principio in isto purgationis statu non sentiatur?

Ps. 72. nu. 21.

Ibid.

Ps. 41. n. 3.

tamen est; amorē istum, sicut iā dicere cœperamus, in istis principijs communiter non sentiri, sed ariditatē, vacuitatemque, de qua nunc nobis sermo est: pro tunc verò, amoris istius qui postmodum succenditur, loco, id quod anima, in medijs ariditatibus illis potentiarumq; vacuitatibus percipit, est; ordinaria quædam propter Deum anxietas ac sollicitudo, cum afflictione simul, ac formidine, quod illi minimè inseruiat: quæ res, gratum est admodum Deo sacrificium: videre nimirum spiritum afflictum, & ob sui amorem sollicitum sollicitudinem istā, secreta illa contemplatio animæ confert, donec temporis successu, repurgato aliquatenus sensu (hoc est sensitiua parte) & à vitibus ac naturalibus affectibus, medijs ariditatibus istis, quibus illam exercet, emundato, amorem istum diuinum in spiritu succendat. Interim tamen (illius tandem instar, qui ab infirmitatibus curatur) nihil aliud in obscura ista nocte & sicca appetitus purgatione incumbit animæ, quam pati; hocque modo à multis sanari imperfectionibus & in pluribus sese exercere virtutibus, vt prædicti amoris possit fieri capax, sicut iam in Versus sequentis explicatione dicetur.

In hoc statu id quod maximè incumbit animæ est pati.

O sortem fortunatam.

Cum enim in nocte ista sensitiua collocet Deus animam, vt inferioris partis sensum repurget ac spiritui adaptet, subijciat & vniat, obscurando illum & à discursibus cessare faciendo (quemadmodum etiam postmodum ad spiritum, repurgandum illam vt eum secum vniat in nocte spirituali collocat) tanta consequitur anima commoda (quamuis hoc ipsi minime videatur) vt magnam reputet fœlicitatem, se ex laqueo angustiaque partis inferioris sensus, per fortunatam noctem istam exiuisse, vnde præsentem Versum cantat

O sortem fortunatam.

Circa cuius versus intelligentiam, necessarium est hoc loco vtilitates, quas in nocte ista reperit anima obseruare, propter quas magnam reputat fœlicitatem se esse adeptam, quod eā transierit, quas omnes vtilitates, sequenti Versu complectitur.

Exiui, nec fui obseruata.

Egressio hæc, de egressu à subiectione, qua anima sensitiuæ parti in quærendo Deo per operationes debiles, limitatas & periculosas (cuiusmodi sunt partis istius inferioris operationes) subdebatur, intelligenda est; quandoquidem ad singulos fermè passus in mille impingebat imperfectiones, ac ignorantias, quemadmodū superius, cū de septē vitijs capitalibus egeremus, adnotauimus. A quibus omnibus vitijs libera euadit anima, extinguente in ea vniuersos gustus, & tam superiores quam inferiores consolationes nocte ista, & omnes discursus obscurante, aliaq; innumera bona, præsertim quantum ad virtutum acquisitionem spectat, prout iam dicemus, efficiente. Erit profectò res iucunda summæque ei, qui in hoc statu versatur, consolationis, videre rem, quæ tam aspera ac contraria apparet animæ, tantopereque gustui spirituali repugnās, tanta in ea bona operantem: quæ bona sicuti diximus in egressione secundum affectum & operationem noctis istius interuentu, ab vniuersis rebus creatis, & in arripiendo itinere certo ad æternas, adipiscitur; quæ certè ingens est fœlicitas, & sors fortunata. Primò, ob summum quod ex appetitus, & affectus circa res vniuersas extinctione consequitur bonum. Secundo

cundo, quia admodum exiguus est illorum numerus, qui per istam angustam portam arctamque viam, quæ ducit ad vitam (vt Saluator noster ait) *Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam*, patienter & perseueranter ingrediuntur. Angusta siquidem porta est, hæc nox sensus quo se expoliat denudatque anima, vt illam intret, per fidem seipsam regendo, quæ ab omni sensu aliena est; vt postmodum per arctam alterius noctis spiritus viam incedat, in qua nocte ad vlteriora ingreditur, in fide purissima, quæ est medium, per quod Deo vnitur, ad eum pergendo. Per quam quidem viam, quoniam tam arcta, obscura, & horribilis est (ita vt nulla inter noctem istam sensus, & noctem spiritus in obscuritate tribulationibusque sicut dicemus, comparatio esse possit) multo pauciores gradiuntur; sed etiam ipsius quoque commoda multo sunt maiora. Nunc autem de vtilitatibus noctis istius sensus, de qua in præsenti agimus aliquid, cum maxima qua possibile fuerit breuitate dicemus, vt ad aliam noctem gradum facere possimus.

CAPVT XII.

De vtilitatibus, quas nox ista sensus adfert animæ.

NOx ista, & purgatio appetitus, adeò fausta est animæ, ob ingentia bona & commoda, quæ in ea producit (quāuis se illis potius priuari per noctem hāc, sicut diximus arbitretur) vt quemadmodum Abraham fecit conuiuium grande, cum filium suum Isaac ablactasset: ad eundem modum, lætantur in cœlo, quando iam Deus istam educit animam ex infantiæ pannis, ex suisque depositam vlnis, proprijs facit gressibus incedere: & tandem subtracto lactis vbere, suaui videlicet ac tenero infantium cibo, panis eam crusta pascit; ac fortium panem, qui in aridis tatibus istis ac sensus tenebris, incipit spiritui euacuato, & à succis sensus exsiccato conferri, facit degustare: qui panis est, infusa contemplatio, de qua sumus locuti. Atque istud est primum præcipuumque emolumentum, quod in hoc statu consequitur anima, ex quo omnia fermè cætera promanant.

Primum obscuræ sensus noctis emolumentū est, propriæ miseriæ cognitio.

Quorum primū est, suiipsius propriæque miseriæ agnitio. Nam præterquam quod vniuersæ gratiæ & fauores quos Deus animæ confert, vt plurimum notitia hac veluti inuoluuntur & imbuuntur, aridi tates etiam ipsæ, potentiarumq; respectu prioris quam experiebatur affluentiæ vacuitas, nec nō ea, quam in rebus bonis sentit difficultas; faciunt eam vilitatem ac miseriam propriam, quam tempore pristinæ prosperitatis non animaduertebat, agnoscere. Rei huius eximia in Exodi libro reperitur figura, vbi legimus, quod cum vellet DEVS filios Israel humiliare, ac ad sui ipsorum cognitionem inducere præcepit, vt se vestibus ornamentisque festiuis, quibus ordinariè in deserto vtebantur, exuerent, dicens. *Iam nunc depone ornatum tuum &c.* vulgaribusque vos laboratorum induite vestibus, vt agnoscatis qualiter à me tractari digni sitis. Quod perinde est ac si dixisset. Quādoquidem ornatus, quo vtimini, cum festiuus sit & iucundus, occasionem vobis præber, ne adeò demisse, sicut æquum esset, de vobis sentiatis, auferte iā ornamēta ista: vt deinceps vilibus vos indutos considerando, quid sitis, & qua ratione nihil amplius promereamini, agnoscatis. Hinc apparet, ex propria miseria agnoscere

Exod. 33. n. 5.

Ani-

Animam, veritatem, quam prius ignorabat. Eo siquidem tempore, quo veluti festiuè induebatur, magnam in Deo consolationem, suauitatem, adiumentumque reperiēdo; maiorem sui ipsius habebat satisfactionem, se aliqua in re Deo obsequi existimando. Licet enim expresè explicitèq; ita esse tunc non arbitretur, saltem tamen, ob satisfactionem, quam in gustu ac suauitate reperit, aliquid huius rei illi adhæret. At quando istis tribulationis ariditatis, & derelictionis vestibus induitur, priori suo obscurato lumine hanc adeò præstantem, ac necessariam cognitionis propriæ virtutem, verius & integrius obtinet, nihil iam seipsam reputando, nullamque sui ipsius satisfactionem admittendo: iam enim nihil se ex se facere nihilque posse animaduertit. Hanc porrò exiguam sui satisfactionem, afflictionemque quam idcirco, quia Deo non inseruit patitur: pluris facit & æstimat Deus vniuersis quæ prius faciebat operibus, suauitatibusq; quibus fruebatur; licet illæ subl missimæ viderentur, & essent. Idque propterea, quia ex illis plurimæ imperfectionum & ignorantiarum occasiones in ea orirentur. Existo autem ariditatum vestitu cognitioneque propria non ea duntaxat quæ recensuimus, sed etiam quæ iam dicturi sumus & multo plura quæ prætermittimus commoda, velut ex sua origine fonteque promanant.

NOTA. *Pluris facit Deus exiguam sui ipsius satisfactionem afflictionemq; ex eo natā quod ei vt par esset nō inseruiat anima, omnibus etiam sublimissimis consolationibus, &c. & quæ.*

Primo loco prouenit inde animæ maior in agendo conuersandoque cum Deo reuerentia, ac vrbanitas, quæ in conuersatione cum altissimo, semper requirantur. Quibus tamen in consolationum ac deliciarum suarum prosperitate, non vtebatur: fauor enim ille Diuinus, quem experiebatur, reddebat appetium circa Deum, aliquo modo magis audacem, minusq; quam debebat vrbanum. Quemadmodum accidit Moysi cum Deum se alloquentem audisset: gustu enim appetituque eo illectus, nil considerans amplius, propius accedere præsumebat: nisi illi, vt sese detineret, calceamentaque deponeret, præcepisset Deus. *Ne appropies huc, solue calceamentum de pedibus tuis.*

Ex primo emolumēto nascitur maior in agendo eū Deo reuerentia.

Ex quo colligitur, cum quanta veneratione & discretione cum Deo sit in appetitus nuditate agendum. Vnde postquam hac in re morem gessisset Moyses, ita circumspectus prudensque euasit, vt non solum accedere, sed ne considerare quidem ac intueri Deum, eum fuisse ausum scriptura dicat. Ablatis enim appetituum, gustuumque calceamentis, miseriam suam coram Deo non mediocriter cognoscebat; sic enim illum expediebat affici & sentire, vt diuinos posset audire sermones. Dispositio etiam quam Deus contulit Iobo, vt cum eo loqueretur, non fuerunt deliciæ & gloria, quibus, vt ipsemet refert, in Deo suo fruebatur, sed miserabilis status ille, ad quem fuit redactus, cum eum nudum in sterquilinio collocauit derelictum, & ab amicis suis persecutionem patientem, angustijs amaritudinibusque plenum, vermibus postremò scatentem; tunc verò temporis, hocq; modo altissimus Deus (qui ex stercore erigit pauperem) sese illi maiori cum affluentia ac suauitate communicare gloriosum sibi duxit, profundas sapientiæ suæ sublimitates ei patefaciendo, quod nunquam antea prosperitatis tempore fecerat.

Hoc loco, eximiam quandam, quæ in nocte ista appetitiuique sensitiui ariditate reperitur, vtilitatem (iam quod de ea loquendi nobis sese obtulit occasio) animaduertere oportet: quod nimirum in ista obscurâ appetitus nocte (vt verificetur illud, quod Propheta ait.

Orit-

oriatur in tenebris lux tua) illuminat Deus animam, non præpendo illi duntaxat miseriæ vilitatisq; ipsius notitiam, sicut diximus: sed etiam immensitatis ac excellentiæ suæ. Nam præterquam quod appetitibus gustibus, ad miniculisque sensibilibus extinctis, liber, purusque remanet intellectus ad veritatē percipiendā (gustus enim & appetitus sensibilis, etiam spiritualium terum obfuscat ac impedit spiritum) angustiæ quoque ipsæ, sensusq; ariditates illustrant & acuunt intellectum; quemadmodum Isa. ait: *Vexatio intellectum dabit auditui*: intelligere videlicet faciet, qua ratione Deus animam vacuam & expeditam (quod ad diuinam illius influentiam obtinendam requititur) nocte istâ obscurâ siccaque contemplatione mediâ, diuinâ suâ sapientiâ supernaturaliter instruit; quod antea propter succos gustusq; prioris minime faciebat. Rem hanc, optime explicat idem Isai. Propheta dicens: *Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus.* Ex quibus verbis colligitur; ad influentiam istam diuinam obtinendam, non tantum primum suauitatis spiritualis lac, vberumq; suauium discursuum à potētijs sensitiuis profectorum, quibus fruebatur anima sustentaculum, disponere: quantum spiritualis suauitatis carentiam & ab vberibus auulsionem.

Quamobrem, ad magnum istum Regem debita cum reuerentia vrbanitateq; audiendum, expedit animæ, erectā admodum, nullique rei secundum affectum innixam manere: quemadmodum de se ait Abacuc. *Super custodiam meam stabo* (hoc est auellendo appetitum) *& figam gradum meum* (hoc est, sensibus non discurram) *& contemplabor, vt videam, quid dicatur mihi.* Hinc itaque constat ex arida nocte istâ primo loco notitiam sui oriri & ex ea tanquam ex fundamento hanc Dei notitiam. Propterea quippe S. Augustinus dicebat Deo. *Nouerim me Domine, & cognoscam te.* Vt enim Philosophi dicunt; vnum extremorum recte per aliud cognoscitur.

Vt autem euidentius vim & efficaciam ariditatis derelictionisq; sensitiuæ noctis huius, ad maiorem Dei lucem inducendā, quam hoc loco à Deo suscipere animam asseruimus, demonstrem: adducā authoritatem illam Dauidis, in qua satis apte, insignem quam nox ista ad sublimem hanc Dei notitiam producendā, efficaciam habet, declarat verbis istis. *In terra deserta & inuia & inaquosa, sic in Sancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam & gloriam tuam.* Res profectō est summa admiratione digna, quod nō dicat hoc loco Dauid; spirituales delicias & plurimas quibus fuerat fruitus suauitates, fuisse sibi media dispositionesque ad diuinam gloriam pernoscendam, sed ariditatē, partisq; sensitiuæ derelictionem, & abstractionem; quā hoc loco, terra deserta, & inaquosa denotat; sed neque dicit; conceptus discursusq; diuinos in quibus multum operæ collocauerat, fuisse sibi viā ad sentiendam ac intuendam virtutem diuinam: sed potius impossibilitatem cōceptū cogitationemq; in Deo defigendi, ac discursus imaginariæ considerationis, (quæ hoc loco per terrā, inuiam designatur) amplius progrediendi. Itaque nox ista obscura, cum suis ariditatibus & vacuitate, est mediū ad Deum, seq; ipsum cognoscendum: quanquam non cum ea plenitudine, ac copia, sicut in alia spiritus nocte euenire consueuit: nam hæc notitia, est veluti alterius principium. *Ps. 62. 3.*

Elicit præterea anima ex ariditatibus, vacuitateq; noctis istius appetitus, humilitatem spiritualem; quæ est virtus, primo capitali vitio, quod diximus esse su- *Sensitiua noctis huius effectus humilitas spiritualis.*

Ee per-

perbiam ſpiritualem, contraria. Per quam humilitatem, per dictam notitiam propriam acquiſitam, ab omnibus imperfectionibus illis, in quas proſperitatis ſuæ tépore labebatur, repurgatur. Nam cum adeò ſe aridam miſerabilemq; conſpiciat, ne primos quidem cogitationis motus patitur, quibus melius ſe alijs viuere, aut alios in hoc itinere ſuperare, quemadmodum antea exiſtimare ſolebat, arbitretur, quin potius è contra, alios melius & perfectius agere cognoſcit. Atque hinc exordium ſumit proximorum amor; magni enim eos facit, nec amplius eos vt prius conſueuerat, cum ſe feruentiorem, alios verò non item, animaduertebat, iudicat: ſed miſeriã ſuam ſolummodo agnoſcit, adeoque præ oculis habet, vt nullus ei pateat locus ad eos in quempiam alium conuertendos. Quod verum in modum, dum in nocte iſta verſaretur, explicauit Dauid dicens. *Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis & dolor meus renouatus eſt.* Hæc ideireò dicit; quia videbatur illi, animæ ſuæ bona, adeò fuiſſe in nihilum redacta, vt non ſolum, quid de eis loqueretur, non reperiret: ſed de alienis etiam bonis, ob dolorem ex cognitione propriæ miſeriæ ortum, velut mutus fieret. In hoc etiam ſtatu, ſubiecti ac obedientes, in via ſpirituali efficiuntur. Cum enim tam ſe miſerabiles conſpiciant, non tantum ſe docentes audiunt, ſed etiam à quocunque dirigi, & in ijs, quæ ſibi agenda ſunt inſtrui, peroptant; euaneſcit etiam præſumptio, qua proſperitatis tempore interdum intumeſcebant. Et tandem eadem occaſione vniuerſæ imperfectiones, quas dum de ſpirituali ſuperbia loqueremur attigimus, repurgantur.

Ex hac humilitate proximorum amor naſcitur.

Pſal. 38. 3.

Obedientia & ſubiectio notitiæ huius effectus.

CAPVT XIII.

De alijs vtilitatibus, quas nox iſta ſenſus illuciſit animæ.

QVantum verò ad imperfectiones, ex ſpirituali auaritia ortas ſpectat, quã ſtimulante anima iam has, iam alias res ſpirituales cupiebat, & nunquam illic iſta vel illa exercitia (ob appetitus auiditatem, & conſolationẽ quam in illis deguſtabat) ſufficiebant: iam in iſtâ aridâ & obſcura nocte, ſatis benè reformata eſt. Cum enim eum, quem ſolebat guſtum & ſuauitatem in huiuſmodi exercitijs non reperiat, ſed potiùs amaritudinem ac laborem: adeò illis moderatè vtitur, vt potius ob eorum defectum & intermiſſionẽ poſſet timere iacturam; quemadmodum antea, ob eorum exceſſum eã patiebatur, quanquã ijs, quos Deus in iſta collocat nocte, humilitatem, ad bonumque promptitudinẽ communiter largiatur: id tamen, ſine vlla ſit ſuauitate, vt ſolius Dei intuitu, illud quod ipſis iniungitur, præſtent: hocque modo, multis in rebus proprietatem exuunt, eo quod nullam in ipſis inueniant conſolationem.

Nox iſta auaritiæ ſpiritualis tollit.

Ad ſpiritualem porrò Luxuriam quod attinet, perſpicuum etiam eſt, per ariditatem iſtam, ſenſuſq; amaritudinem, quam in ſpiritualibus rebus experitur anima eã ab impuritatibus, quas, dum de vitio iſto ageremus, adnotauimus, liberam euadere: ſiquidem, vt ibi monuimus, ex ſuauitate, quæ à ſpiritu in ſenſum redundabat, proficiſcebantur.

Luxuriæ quo pacto per hanc noctem profligetur.

Imperfectiones autem quarti vitij Gulæ nimirum ſpiritualis, à quibus in iſta nocte obſcura immunis fit anima, legi ſuperius poſſunt; licet, cum ſint prorſus innumeræ, minimè

Gulæ ſpiritualis ratio ex hac nocte remouetur.

minimè retulerimus vniuersas: quare nec eas hoc loco recensebo; cuperem enim, noctis istius tractationi finem imponere, vt ad aliam transire liceat, in qua grauis magnique momenti, à nobis tradenda est doctrina.

Ad cognoscenda tamen innumera cõmoda, præter iam allata, quæ in nocte ista in vitio spirituali Gulæ superando consequitur anima, satis sit dixisse; eam, ab omnibus ibi recẽsitis imperfectionibus, alijsque multis & pernicioſioribus malis (quæ illo loco minime retulimus) in quæ plures, eò quòd non habuerint spiritualem appetitum gulositatis spiritualis reformatum, & refrænatum (vt nobis experimento constat incurrerunt, liberam & immunem euadere. Cum enim Deus, in sicca ista obscuraque nocte, in qua collocat animam, concupiscentiam, & appetitũ ipsius taliter refræuauerit, vt vix suauitatibus & gustibus sensibilibus, siue illi ex superioribus, siue ex inferioribus rebus oriantur pasci, & inescari possit refræuationẽ hanc, taliter continuat vt sese reformet, mortificet, & secundum concupiscentiam appetitumque componat; ita vt videatur, passionũ suarum vires amittere. Ex sobrietate ista spirituali; (præter iam dicta commoda) stupenda alia nascuntur in anima, per mortificationem enim appetituum, ac concupiscentiarũ, in pace, & tranquillitate spirituali viuit anima: vbi enim appetitus, & concupiscentiarũ regnat, nulla interuenit turbatio, sed pax & consolatio diuina viget.

Hinc etiam secundum cõmodum procedit ordinaria videlicet Dei memoria cũ metu simul ac formidine ne in via spirituali (sicut dictum est) retrocedat. Quæ certè insignis vtilitas est, nec ex minoribus aridatis huius, purgationisque appetitus commodis. Purgatur enim anima, & ab imperfectionibus, quæ illi mediis appetitibus, & affectibus eam ex se obfuscantib. & obtundentibus adhærebant, emundatur. Aliud quoq; insigne emolumentum ex ista nocte in animam resultat, videlicet, quod simul & semel in virtutib. sese exercet: cuiusmodi sunt patientia, & longanimitas, quæ egregie in aridatibus istis & vacuitatibus in spiritualib. exercitijs, ablq; gustu & consolatinoe patienter perseuerando, exercentur. Charitas quoque Dei exercetur: quandoquidem non iam gustu & suauitate, quam in opere reperit ad rectè agendum, sed solius Dei intuitu mouetur. Virtus quoq; fortitudinis hic exercetur: quoniam in difficultatibus & amaritudinibus istis, quas in operando experitur, vires ex infirmitate elicit, hocq; modo fortis efficitur. Et denique in vniuersis virtutibus, tam Cardinalibus, quã Theologicis & Moralibus, siccitatum istarum tempore, sese anima exercet.

Quod autem in nocte ista, omnia hæc de quibus nuper diximus, quatuor cõmoda consequatur anima; delectationem nempe pacis; ordinariam Dei memoriam: munditiem & puritatẽ ac virtutum, quas nunc recensuimus, exercitationem; asserit Dauid experimento proprio, dum in nocte hac versaretur edoctus, hisce verbis: *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum: & defecit spiritus meus. Consistimque subiungit, & meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum*: ab omnibus videlicet affectionibus & amoribus. Psal. 76. 3.

Ordinaria Dei memoria necessaria in via huius spiritus.

Ab imperfectionibus quoq; trium aliorum vitiorum spiritualium, inuidiæ sc. iræ, & accediæ, quas superius enumerauimus in aridatate ista appetitus, repurgatur anima, virtutesque illis contrarias acquirit. Emollita siquidem, & aridatibus istis, ac difficultatibus, alijsque tenta-

tionibus & tribulationibus, quibus noctis huius occasione à Deo exercetur, humiliata anima, mitis & mansueta fit erga Deum, erga seipsam, ac etiam erga proximum, Ita vt non iam sibi, cum alteratione seu passione ob defectus proprios irascatur, nec ob alienos, proximis; nec amplius est de Deo modicè, vt prius satisfacta, aut irreuerenter, eò quòd non eam citius perefficiat, querulosa.

Nam quod inuidiam concernit, iam in hoc statu, cæteros charitatis amore prosequitur, si enim aliquâ habet inuidiam non illa, vt antea (quando nimirum alios sibi præferti, ab eisque superari dolebat) vitiosa est. Iam enim hic, tam se miserabilè agnoscens, palmâ eis tribuit. Quod si aliqua inuidia tãgitur, si tamè tangitur, ea virtuosa est, desiderando videlicet ipsos imitari; quod certè insignis est virtutis.

Sed neque acedia tædiumq; quæ in hoc statu, spiritualium rerum respectu patitur, vitiosa sunt, sicuti antea. Priora enim tædia, ex spiritualib. quibus interdum fruebatur, vel certè si eis carebat, frui conabatur; consolationibus & gustibus, procedebant. At ea, quæ in hoc statu sustinet anima, haudquaquam ab ista gustus imbecillitate nascuntur; Deus siquidem iam illi, omnium rerum gustum, in ista appetitus purgatione abstulit.

Præter recensita iam commoda alia prorsus innumera, sicca contemplatione ista mediante, adipiscitur anima. Nam in medijs angustijs & ariditatibus istis, sæpe (cum de hac re minus cogitat) spiritualem suauitatem, & amorem purissimum, necnon spirituales notitias interdum admodum delicatas (quarum quælibet longe maioris est vtilitatis ac pretij omnibus quos prius degustauerat fauoribus) communicat illi Deus. Quanquam anima à principio minimè ita se rem habere arbitretur: delicatissima siquidem est spiritualis influentia, quæ quam sensus non attingit hoc loco confertur.

Postremò, quoniam in hoc statu, ab affectibus & appetitibus sensitiuis repurgatur anima, spiritus libertatem cõsequitur, in qua duode cim Spir. S. fructus acquiruntur. Hic etiam à tribus inimicis, Dæmone scilicet, mundo, & carne stupendo planè modo fit immunis. Extincto enim sensitiuo rerum omnium sapore & gustu, nulla Dæmoni, mundo, aut sensualitati suppetunt arma & vires, quibus spiritum aggrediantur.

Ariditates itaque istæ id efficiunt vt pure Deum diligat anima: quandoquidem non iam amplius gustu ac delectatione boni operis ad operandum stimulatur, sicuti quando suauitatibus affluebat, forrassis accidebat: sed Deo duntaxat rem gratam præstandi, desiderio. Efficitur etiam minimè præsumptuosa, nec sibi ipsi placens: quemadmodum prosperitatis tempore forte esse consueuerat: sed potius fit timida, & sibi ipsi diffidens, nullamque sui ipsius satisfactionem, seu complacentiam admittens: quibus in rebus. Timor Sanctus, qui auget & conseruat virtutes, consistit. Extinguit præterea ariditas ista, concupiscentias, naturæque vigores, sicuti dictum est. Nam in hoc statu, præter suauitatẽ & gustum quem interdum ex se infundit Deus animæ, miraculo simile esset, si ipsa gustum, & consolationem aliquam sensibilem in opere aliquo, & spirituali exercitio, industriâ suâ reperiret, quemadmodum superius dictum est.

Crescit etiã in ista siccâ nocte, Dei sollicitudo, & gratum illi præstandi obsequium, anxietas. Cum n. sensim sensualitatis vbera, quibus nutriebat & alebat appetitus, quibus inhærebat arescant; sola Deo obse-

obsequendi anxietas in sicco, & nuda remanet; quod certe Deo gratissimum est, cum dicat Dauid. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.*

Cum itaque cognoscat anima in ista sicca purgatione, quam transiuit; se tam multa, tamque pretiosa (sicut hic retulimus) beneficia ac commoda obtinuisse; inte in hoc, quem dilucidamus cantu subiungit.

O sortem fortunatam,
Exiut, nec fuis obseruata.

Hoc est: laqueos, appetituum & affectionum sensitiuarum seruitutem euasi. *Nec fuis obseruata.* hoc est, tres præfati inimici me impedire haud potuerunt. Qui quidem inimici (sicuti diximus) appetitibus gustibusque illaqueant Animam, eamque ne ex se ipsa egressa adperfecti amoris Dei libertatem euolet, remorantur, sine quibus etiam nequeunt ipsi inimici (vt dictum est) eam impugnare.

Vnde pacatis & tranquillatis continuæ mortificationis studio, quatuor Animæ Passionibus, quæ sunt, Gaudium, dolor, spes & timor: consopitis etiam per siccitates ordinarias naturalibus appetitibus; cessante etiam ab opere sensuum & potentiarum interiorum harmonia, & à suis operationibus discursiuis (quæ sunt, vniuersum inferioris animæ partis vulgus) quiescente; nequaquam inimici isti hanc spiritalem libertatem præpedire valent; vnde & quiera, ac tranquillata remanet domus, quemadmodum versu sequenti dicitur.

CAPVT XIV.

In quo vltimus primi cantus versus elucidatur.

Cum esset iam domus mea tranquillata.

PAcata iam, ista sensualitatis domo, (hoc est,) eius mortificatis passionibus, concupiscentijs extinctis, appetitibusq; media ista fœlici sensitiuæ purgationis nocte tranquillatis, & consopitis, egressa est anima, ad iter spiritus, quod proprium eorum est, qui iam profecerunt; & alio nomine illuminatiua, seu contemplationis infusę via appellatur, auspicandum; per quam contemplationem pascit ex se reficitque Deus animam, absque discursu, aut actiua ipsius animæ cooperatione.

Talis itaque est (sicut eam descripsimus (nox & purgatio sensus, quæ in illis, qui postmodum in aliam multo difficiliorem ac molestiorem spiritus noctem ingressuri sunt, vt ad diuinam cum Deo vnionem amoris perueniant (non enim omnes, sed vt plurimum pauciores eam attingunt) soleat grauibus tribulationibus, tentationibusq; sensitiuis, multo tempore durantibus associari; quamuis in quibusdam diutius durent, quam in alijs.

Nonnullis enim, Angelus Satanæ, spiritus nimirum fornicationis immittitur, qui eorum sensus, abominandis validisque tentationibus flagellet; & spiritum fœdis aduertentijs, imaginationem autem, visibilibus admodum repræsentationibus excruciet; quod illis interdum grauius est tormentum morte ipsa. *Solent status istius homines fornicationis spiritu affligi.*

Nonnunquam etiam nocti isti spiritus blasphemiæ superadditur, qui omnibus eorum conceptibus & cogitationibus, per intolerandas blasphemias sese interponit & immiscet; quæ tanta interdum cum violentia imaginationi suggeruntur, vt quasi eas verbis efferre compellantur, qua in re non leuem patiuntur cruciatum. *Spiritus etiam blasphemiæ.*

Interdum alius execrabilis spiritus illis immittitur (quem spiritum vertiginis appellant) vt eos exerceat, qui taliter illo- *Spiritus vertiginis.*

rum sensum obscurat, vt mille eos repleat scrupulis perplexitatibusque ipsorũ iudicio tam intricatis, vt nulla vnquam in re satis sibi facere valeant, nec iudicium suum, consilio conceptuique alicuius accommodare & submittere; qui certè spiritus est vnus, ex grauioribus noctis huius stimulis, & horroribus illis, qui in spirituali nocte eueniunt proximus.

Tempestates ac tribulationes has, in nocte ista, & purgatione sensitiua regulariter immittit Deus illis, quos postmodũ in nocte alia collocaturus est (quamuis nõ omnibus pateat ad eam aditus (vt hac ratione puniti & colaphizati, sese exerceant, sensusque ac potentias vnioni diuinæ sapientiæ, quæ ibi illis conferri debet, disponant, & adaptent. Nisi enim anima tentata, exercitata, & tribulationibus ac tentationibus probata sit, nequit sensus ipsius attingere sapientiam. Propterea enim dicit Ecclesiasticus. *Qui non est tentatus quid scit? Qui non est expertus, pauca recognoscit.* Cui veritati optime suffragatur Hieremias dicens. *Castigasti me, & eruditus sum.* Maximè autem proprius castigationis huius modus, ad sapientiam assequendam, tribulationes sunt interiores, quas hoc loco descripsimus: ipsæ enim sensum ab omnibus gustibus ac consolationibus, quibus ob debilitatẽ naturalẽ erat addictus efficacius repurgant: in quibus etiam seriò humiliatur anima, vt ad futuram exaltationem præparetur.

Nisi anima tentata sit ac tribulationibus probata diuinam nequit sapientiam attingere. Eccl. 34. n. 9. & 11. Hier. 31. n. 18.

Iam verò quanto tempore in isto ieiunio, sensusque pœnitentia detineatur anima, nihil certi affirmari potest; non enim vno eodemque modo cum omnibus agitur, nec eadem omnes patiuntur tentationes; res enim hæ diuina mensurantur voluntate, secundum quod plus vel minus quilibet habet imperfectionis repurgandæ, & etiam secundum vnionis amoris gradum, ad quem animam Deus euehere vult, illam intensius vel remissius maiori vel minori humiliat tempore.

Illos qui capaces sunt, viribusque maioribus ad onus sustinendum sunt præditi, intensius & citius purgat; debiliores autem, remissè admodum ac exiguis tentationibus, idque multo tempore; in nocte hac exercet, præbetque illis vt plurimum sensus refectiones ne retrocedant; vnde & serò ad perfectionis puritatem in hac vita perueniunt: & nonnulli ipsorum nunquam, qui homines, nec in nocte ista omnino versantur, nec omnino extra illam sunt: quamuis enim ad vlteriora non progrediãtur; tamẽ vt in humilitate propriaque cognitione, conseruentur, exercet illos Deus aliquibus diebus, in siccitatibus, & tentationibus istis, & ne despondentes animum, ad mundi solatia requirenda redeant, intercalatis temporibus, consolationibus illis succurrit. Alijs debilioribus adhuc animabus interdum sese abscondit Deus, & quodammodo occultat, vt illas in suo amore exerceat: nam fine huiusmodi repulsis ad DEVM propiùs accedere non addiscerent. Verum animæ, ad tam fœlicem ac sublimem statum, cuiusmodi est vnio amoris transformatiuæ, licet quam celerrimè à Deo deducantur, multo regulariter tempore, in ariditatibus istis manere solent, quemadmodum experientia docuit. Finem itaque huic Libro imponendo aggrediamur iam secundæ Noctis tractationem.

LIBRI PRIMI NOCTIS OBSCVRAE FINIS.

LIBER SECVNDVS

NOCTIS OBSCVRAE,

IN QVO DE INTIMIORI PVRgatione, quæ est secunda Spiritus Nox, disseritur.

CAPVT I.

Secunda noctis spiritus tractatio inchoatur. Et quonam illa tempore incipiat, edocetur.

ANIMAM, quam Deus ad vlteriora promoturus deductaque est, non statim ac illa ex primæ purgationis noctisque sensus aridi-tatibus & tribulationibus egreditur in amoris vnione collocat; imò potius multum temporis multique anni effluere solent, in quibus egressa anima ab incipientium statu sese in proficientium exercet. In quo (illius instar qui ex aliquo tenebroso cegastulo euasit) multo maiori cum latitudine, satisfactioneque in rebus diuinis viuit, copiosioribusque ac magis internis perfruitur delitijs, quam fuerint illæ quas ab initio, antequam dictam intraret noctem, degustabat, neciam habet imaginationem potentiasque discursui, spiritualique cogitationi vti solebat alligatas, nullo siquidem negotio confestim in suo spiritu serenam admodum, amorosamque reperit contemplationem, spiritualemque suauitatem absque discursus labore. Licet, cum nondum sit omnino perfecta animæ purgatio; (deest enim præcipua illius pars, spiritus videlicet purgatio, sine qua, propter communicationem, quæ vni parti cũ altera intercedit, cum sint vnũ dũtaxat suppositum; nec sensitiua purgatio quãuis rigidissima fuerit, perfecta absoluta; remanet) nunquã illi aliquæ aridi-tates, tenebræ, & angustiæ interdũ multo præteritis intẽsiores perpetiẽdæ desint, quæ sunt veluti præsagia & venturæ spiritus noctis nuncij, quamuis angustiæ aridi-tatesque huiusmodi, non adeò diuturnæ sint, quemadmodum nox ipsa quam exspectat, futura est. Elapsis enim aliquibus temporis, interuallis vel diebus, quibus nox hæc vel tempestas durat, redit iterum illi solita sua serenitas, hacque ratione repurgat DEVS aliquas animas, quæ non adeò sublimem amoris gradum, quemadmodum aliæ, conscensuræ sunt, intercalaris eas temporibus in nocte ista contemplationis vel spiritualis purgationis collocando, crebro illis iam oriri solem, iam occidere faciendo; vt illud quod dicit Dauid adimpleatur: *Mittit crystallum suum,* Psal 147.17

hoc

hoc est, contemplationem) *sicut buccellas.* Quæ inquam huiusmodi contemplationis obscuræ buccellæ nequaquam adeo sint intensæ, sicuti horribilis illa contemplationis nox, de qua sumus acturi, in quam consulto conijcit Deus animam vt eam ad diuinam deducat vnionem.

Hæc igitur suauitas gustusque interior (quem affluentius faciliusque in suo spiritu reperire & experiri diximus proficientes istos) multo copiosius illis communicatur, quam antea, qui etiam inde magis in sensum, quam ante sensibilem istam purgationem consueuerat, redundat. Cum enim sensus purior iam sit & defæcatior, multo facilius valet suo modo, spiritus suauitates degustare. Et quoniam sensitiua hæc animæ portio est tandem infirma, & fortium spiritus rerum incapax, hinc est, quod huiusmodi proficientes, propter communicationem istam spiritualem quæ sensitiuæ parti fit, multas in ea imbecillitates, dampa, stomachique debilitates patiantur, & consequenter etiam spiritus laborem. Vt enim Sapiens ait. *Sap. 9. 15.* *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam.* Inde etiam prouenit, communicationes istorum nec esse posse admodum validas, nec valde intensas, nec denique multum spirituales, cuiusmodi ad Diuinam cum Deo vnionem requiruntur, idque ob sensualitatis, quæ illarum etiam fit particeps, infirmitatem corruptionemque.

Atque hinc originem sumunt raptus & extases ossiumq; diuulsiones, quæ tunc semper eueniunt, cum communicationes non purè sunt spirituales (hoc est,) non soli spiritui factæ, cuiusmodi sunt perfectorum, iam secunda spiritus nocte repurgatorum, in quibus cessant, iã raptus isti corporisque tormenta, qui iam spiritus libertate absque sensus obnubilatione alienationeque perfruuntur. Vt verò manifestè constet, quam necessarium sit huiusmodi proficientibus noctem istam spiritus ingredi nonnullas hoc loco imperfectiones periculaque quibus tenentur adnotabimus.

Imperfectorũ istæ cessant raptus &c.

CAPVT II.

De nonnullis quibus proficientes isti tenentur, imperfectionibus.

DVos imperfectionum modos habẽt isti proficientes; quædam habituales sunt, quædam verò actuales. Habituales sunt, affectus habitusque imperfecti, quæ radicum instar, in spiritu adhuc remanserũt, quo sensus purgatio pertingere nequiuit. Inter purgationes enim istas idem discrimen repetitur, quod inter resectionem rami vel radicis euulsionem, vel certè inter recentis maculæ, vel iam inueteratæ admodum ac tenaciter inhærentis abolitionem. Quemadmodũ enim monuimus, sensus purgatio, ianua dumtaxat est, principiumque contemplationis illius quæ est spiritus, potiusque ad sensum spiritui accommodandum, quam ad vniendum Deo spiritum deseruit. Remanent tamen nihilo secius in spiritu veteris hominis maculæ, quamuis illi aliter esse videatur, nec eas agnoscat, quę nisi stigmate fortique purgationis noctis huius intuitio eluantur, nequibit spiritus ad diuinæ vnionis puritatem peruenire.

Hebetudinem quoque mentis ruditatemque naturalem quam quilibet homo per originale peccatum incurrit, nec non distractionem, & extroversionem spiritus, homines isti patiuntur: quam illustrari, clarificari, recolligique pœnis, ac noctis illius angustijs, expedit. Habitualibus imperfectionibus istis, vniuersi qui proficientium

cientium ſtatus limites, non tranſilierunt, obnoxij ſunt: quæ cum perfecto vnionis per amorem cum Deo ſtatu conſiſtere nequeunt.

In actuales porrò imperfectiones, non omnes eodem labuntur modo: quidã tamen cũ iſta ſpiritualia bona adeò extrinſecus habeant, adeoque ſint ſenſibus in promptu, & obuia, in nonnulla labuntur inconuenientia, periculaque, de quibus à principio ſumus locuti. Cum præſertim ipſi, tã affluenter tantas ſenſus ſpirituſque communicationes & apprehenſiones reperiant, in quibus crebro imaginarias ſpirituales ſque viſiones conſpiciunt; (cuncta ſiquidem hæc cum alijs dulcibus ſentimentis multis in hoc ſtatu eueniunt; quibus etiam in rebus dæmon, propriaque phantaſia ſæpiſſimè animæ inſidias ſtruũt & illudunt.) Cum enim cum tanta ſuauitate ſoleat dæmon dictas apprehenſiones vel ſentimenta animæ ſuggerere, & imprimere, facillimè illam reddit ſtupidam, & fallit, dum ipſa non habet cautelam ad ſeſe reſignandum, fortiterque vniuerſis iſtis viſionibus & ſentimentis repugnandum. Huc enim loco facit huiuſmodi homines dæmon multas viſiones vanas, Prophetialque falſas credere, facitque eos præſumere & arbitrari, Deum ſanctoſq; ſecum colloquia miſcere; crebro tamen propriæ phantaſiæ fidem adhibent. Hic etiam ſolet eos dæmõ ſuperbia præſumptione que replere, vnde & vanitate arrogantiaq; illecti permittunt ſe in exterioribus actionibus quæ ſanctitatis ſpeciem præſeferũt, cuiuſmodi ſunt raptus aliæque apparẽtiæ videri. Fiunt etiam audaces, parumque cum Deo verecundi, ſanctũ timorem, qui clauis eſt cuſtoſque omnium virtutum amittendo: adeoque multiplicibus falſitatibus ac deceptionibus ſolent nonnulli iſtorum irretiri, & tantopere in illis indurari & veteraſcere, vt eorum ad purum virtutis iter verumque ſpiritum reductio & regreſſus ſit vehementer dubius & incertus. In quas calamitates miſeriaſque idcirco prolabuntur, quia cum in via ſpirituali progreſſum facere inciperent, nimia cum ſecuritate, apprehenſionibus ſentimentiſque ſpiritualibus, inhiarunt ac adhæſerunt.

Tot tantaq; de imperfectionibus iſtorum, & quare magis ſint alijs incurabiles, eò quod eas magis ſpirituales reputent prioribus, dicenda ſupereſſent; vt ab hac tractatione ſuperſedere ſtatuerim. Illud duntaxat vt neceſſitatem ſpiritualis noctis (quæ eſt purgatio illius qui ad vlteriora tranſiturus eſt) fundatè demonſtrem, aſſero; nullum iſtorum proficientium, quantumuis ſeſe ſtrenuè geſſerit reperiri, qui ad minus non multis huiuſmodi naturalibus affectibus imperfectiſque habitibus ſcateat, quos neceſſario prius purificandos aſſeruimus, quam ad diuinam tranſeatur vnionem. Et præterea memoria retinendum eſt illud, quod ſuperius docuimus, nimirum quod quoniam inferior hominis portio adhuc particeps eſt ſpiritualiũ iſtarum communicationũ, non poſſe eas adeò eſſe intenſas, puras, & fortes, quemadmodum ad præfatam requiruntur vnionem, quamobrem vt ad illam perueniat anima, expedit ei ſecundam ſpiritus noctem ingredi, in qua ſenſu ac ſpiritu ab omnibus apprehenſionibus delectationibuſque iſtis perfecte denudato; facient illam in obſcura puraque fide incedere, quæ proprium adæquatumque medium eſt, per quod anima vnitur Deo, iuxta id quod per Oſeam dicitur. *Sponſabo te mihi* (hoc eſt, vniam te mihi) *in fide.* Oſee 2. n. 20.

CAPVT III.

Annotatio pro eorum quæ sequuntur intelligentia.

IAm itaque proficientes isti tempore præterito, dulces istas communicationes experti sunt; vt hac ratione sensitiua hominis portio, spirituali suauitate quæ in eam ex spiritu defluebat attracta & illecta, lese spiritui attemperaret, & cum eo simul conspiraret, eodem vtraque parte (quamuis vnaquaque suo modo) spirituali cibo, & in vna eademque vnius solius suppositi & subiecti lance, vescente; vt hoc modo portiones istæ aliqua ratione vnitæ, inuicemque consentientes, ad asperam duramque spiritus quæ illis imminet purgationem sustinendam, in qua duæ istæ animæ partes spiritualis videlicet & sensitiua perfectè repurgari debent sint dispositæ: vna siquidem pars, nunquam exactè purgatur absque alia: fortis enim & valida sensus purgatio tunc fit, quando serio spiritualis purgatio inchoatur. Vnde nox sensus, de qua sumus locuti, potius reformatio quædam appetitusq; refrænatio, quam purgatio appellari potest, & debet. Cuius rei ea est ratio, quia vniuersæ sensitiuæ partis imperfectiones, & deordinationes, vim radicemque suam in spiritu defixam habent, atque ita quamdiu habitus mali rebelliones & deordinationes illius non repurgantur, nequeunt vtræque partes perfectè repurgari. Vnde in nocte hac quæ iam sequitur, ambæ simul partes repurgantur, hic quippe est scopus finisque, ob quem sensitiuam partem per primæ noctis reformationem transisse expediebat, ac ad tranquillitatem ex ea ortam peruenisse, vt coniunctis cum spiritu viribus quadam ratione repurgentur, maiorique cum fortitudine spiritualis noctis angustias patiantur, quæ certè fortitudo ad purgationem adeò duram ac seueram omnino necessaria est. Nisi enim inferioris partis debilitas fuisset reformata, viresque ac robur in Deo per dulcem iucundamq; cum eo conuersationem, qua postmodum fruita est, acquisiuisset, nec vires, nec dispositionem ad eam sustinendam natura habuisset.

Cur nunquam possit esse perfecta sensitiuæ partis purgatio absq; purgatione spiritus.

Vnde etiã agendi operandiq; modus, quo proficientes isti cum Deo vtuntur vilis admodũ abiectusq; est, eo quod spiritus aurum, nondum repurgatum habeãt & illustratum; quam ob causam adhuc de Deo cogitant sicut paruuli, & loquuntur vt paruuli, & sentiunt sapiuntque vt paruuli (quemadmodum sanctus Paulus ait) *Cum essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus*; eo quod ad perfectionem, quæ est vnio amoris cum Deo, nondum peruenerunt, cuius vnionis interuentu, iam velut adulti ingentia patrant suo spiritu opera, cum eorum opera ac potentiæ diuinæ potius sint quam humanæ, quemadmodum postea dicetur: cumque velit eos Deus reipsa veteri ipsorum homine exuere, nouoque qui secundum Deum creatus est in nouitate sensus induere, sicut loquitur Apostolus: *Et induite nouum hominem qui secũdum Deum creatus est.* Et alibi. *Reformamini in nouitate sensus vestri*, expoliat denudatque illorum potentias & affectiones, nec non tam spirituales, quam sensibiles, tam interiores, quã exteriores sensus, intellectum in obscuritate, voluntatemque in aliditate, & memoriam in vacuitate relinquendo, affectus quoque animæ in summa afflictione, amaritudine, & angustia deserendo, sensu eam gustuque quem prius in spiritualibus bonis percipiebat, priuan-

1. Cor. 13.

Quid sperari Deus ex profectorum statu.

Ephes. 4. Rom. 12.

do.vt

do: vt priuatio hæc, sit vnum ex principijs, quæ in spiritu requiruntur, ad spiritualis formæ spiritus introductionem, vnitionemque quæ forma, est vnio amoris. Quæ omnia operatur Deus in ea, media quadam pura & obscura contemplatione, quemadmodum rem hanc ipsa anima primo cantu significat. Qui quidem cantus, quamuis primæ noctis sensus initio fuerit explicatus: maximè tamen illum intelligit anima de ista secunda spiritus nocte, eo quod hæc sit præcipua animæ ipsius purificatio. Quare etiam in hoc sensu eum adducemus iterumq; hoc loco dilucidabimus.

CAPVT IV.

Primus proponitur Cantus & explicatur.

CANCION I.

EN vna noche escura,
Con ansias en amores inflamada,
O dichosa ventura,
Salí sin ser notada.
Estando yami casa sosegada.

SENSVS.

QVadam Nocte Obscura
Anxijs amoribus inflammata
O sortem fortunatam
Exiui, nec fui obseruata
Cum iam domus mea tranquillata.

ACcipiendo nunc hunc cantum de purgatione, contemplatione, nuditate, vel spiritus paupertate (omnia siquidem hæc idem ferè hoc loco significant) possumus illum hac ratione explanare, ac si anima diceret. In paupertate nullique animæ meæ apprehẽsioni innixa, hoc est, in intellectus mei obscuritate & voluntatis meæ pressura ac memoriæ meæ angustia & afflictione, in obscuritate me ipsam in fide pura relinquendo (quæ est nox obscura dictis naturalibus potentijs) voluntate sola doloribus ac afflictionibus amorisque Dei anxietatibus, affecta, à me ipsa, hoc est à meo humili abiectoque intelligendi modo, à mea imbecilli amandi ratione, & à meo parco paupereq; Deum gustandi modo, egressa sum, absque eo quod à sensualitate & dæmone præpediret. Quæ certè res magnæ mihi fuit fœlicitatis ac fortunæ; statim enim ac animæ meæ potẽtias, passiones & affectus quibus viliter de Deo sentiebam parceq; eo fruebar, annihilaui & tranquillaui, à præfata vili, parcaque conuersatione & operatione mea, ad operationem cõuersationemque diuinam transiui: hoc est, intellectus meus à se egressus, ex humano in diuinum trãsijt; siquidem vniendo me media purgatione ista Deo, non iam amplius limitato parcoque sicuti prius modo intelligo; sed per sapientiam diuinam, cui me vniui. V oluntas quoq; mea à se ipsa egressa, facta est diuina: quoniam diuino amori vnita non ampliùs viribus vigoreque pristino, sed viribus puritateq; spiritus diuini amat. Atq; ita voluntas non amplius humano modo circa Deum operatur: & eodem omnino modo, memoria iam in æternas gloriæ apprehensiones transmutata est. Et denique vniuersæ vires affectusque animæ nocte ista purgationeque veteris hominis interueniente renouantur, & in temperamentum deliciasque diuinas conuertuntur.

CAPVT V.

Primus proponitur versus, demonstratque incipit, qualiter obscura hæc contemplatio, non solum nox sit animæ, sed etiam pœna & tormentum.

Quid sit nox spiritus obscura.

Quadam nocte obscura.

NOx hæc obscura, est quidam DEI in animã influxus, qui eam ab ipsius ignorantijs & imperfectionibus habitualibus, naturalibus, & spiritualibus repurgat, quem influxum contemplatiui infusam cõtemplationem, vel mysticam theologiam appellant: in qua secretè docet Deus animam, eamque in amoris perfectione instruit, nihil ipsa ex sua parte præstante, sed amorosè duntaxat ad Deum attendente, illumque audiente, ac lucem suam excipiente, nec tamen qualiter ista contemplatio fiat intelligente. Sapientia enim Dei amorosa est illa quæ in anima peculiares producit effectus: disponit quippe eam purgatione, & illuminatione ad vnionem amoris cum DEO, vnde eadem amorosa sapientia quæ spiritus beatos purgat dum illuminat est illa, quæ hic quoque purgat illuminatq; animam.

At dubium hic exoritur cur diuinum lumen quod (vt diximus) animam à suis ignorantijs purgat ac illuminat, vocet hoc loco anima noctem obscuram? Cui dubio sic respondeo, duas ob causas sapientiam istam diuinam, non noctem duntaxat & tenebram esse animæ, verum etiam pœnam & tormentum: Prima est, propter sapientiæ diuinæ sublimitatem, talentum, capacitatemque animæ excedentem, atque hac ratione est illi tenebra. Secunda causa propter ipsius animæ vilitatem impuritatemque: & hoc modo infert illi pœnam & afflictionem, & etiam est ei obscura.

Contemplatio hæc non solum est obscura anima nox, sed etiã tormentum.

Vt primam causam demonstrem, necessarium est quãdam Philosophi doctrinam supponere dicentis, quod quo res diuinæ clariores in se sunt & manifestiores, eò sunt animæ naturaliter obscuriores & occultiores. Quemadmodum lux quo clarior splendidiorque est, eò magis cæcat obscuratque noctuæ pupillam, & quo quis fixius intuetur solem, eò maiores tenebras in potentia visiua patitur, imo illa ob lucis excessum & suam debilitatem priuatur. Vnde quando diuina hæc contemplationis lux animam nondum omnino illuminatam ingreditur, tenebras illi spirituales offundit, modoque intelligendi naturali eam priuat; Atque hanc ob causam S. Dionysius & alij theologi mystici, contemplationem hanc infusam, radium tenebræ appellant, pro anima videlicet non illuminata nec repurgata, siquidem magnitudine lucis cõtemplationis huius, vis naturalis intellectiua superatur & extinguitur. Quamobrem etiam Dauid dixit. *Nubes & caligo in circuitu eius* (id est, Dei) non quod si res ipsa in se spectetur, ita sit; sed nostrorum intellectuum debilium respectu, quia adeò immensa luce cæcantur & obfuscantur, sublimitatem tantam nequaquam attingendo. Et propterea idẽ Dauid rem hanc declarans ait: *Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt*, inter Deum nimirum & nostrum intellectum. Atque hæc est ratio, cur Deus splendenti isto arcanæ sapientiæ suæ radio animam nondum transformatam transuerberans, obscuras ei in intellectu causet tenebras.

Quod autem obscura hæc contemplatio sit etiam animæ in istis principijs molesta, & pœnalis, manifestè patet: cùm enim diuina hæc, & infusa contemplatio, multis & præstantissimis referta sit bonis; anima autem illa recipiens, eò quod purgata non sit, multis scateat miserijs: hinc prouenit, vt ex eo quod duo contraria in vno eodemque subiecto cõsistere non valeant, anima necessario pati affligique debeat, cum ipsa sit subiectum in quo duo ista contraria, reperiuntur secum inuicem, propter purgationem imperfe-

imperfectionum animæ, quæ per istam contemplationem perficitur pugnantia. Quam rem hac ratione, inductione probabimus.

Et quidem quantum ad primum spectat, quod nimirum contemplatio hæc ob suam eminentem claritatem & præstantiam, pœnam animæ inferat certum est. Lux enim & sapientia contemplationis huius, clarissima purissimaque est, anima autem quam ipsa ferit irradiatque obscura & impura. Hinc est vt dum eam recipit non mediocriter affligatur, quemadmodum oculi prauis infecti humoribus, & impuri, splendenti luce irradiati cruciantur. Hæc autem animæ pœna, ob ipsius impuritatem, est profectò ingens, quando nimirum ferio est ab ista luce diuina transuerberata & irradiata. Quando enim lux hæc pura ferit animam, ad impuritatem ab ea profligandam, adeò se anima impuram miserabilemque sentit, vt Deum sibi esse contrarium, seque vicissim Deo arbitretur. Quæ res tantum illi doloris & afflictionis infert, vt hic videatur ei, se à Deo prorsus abiectam & repudiatam. Vna ex afflictionibus quæ magis vexabat Iobum quando illum Deus in nocte ista exercebat hæc erat; vt ipse ait. *Quare posuisti me contrarium tibi & factus sum mihimet ipsi grauis?* Videndo quippe & clarè in hoc statu, media serena ista, puraque luce (quamuis obscurè) suam impuritatem agnoscendo anima, perspicuè se Deo, creaturisque omnibus indignam intelligit. Et quod amplius illam torquet est, quia nunquam se eo dignam futuram, tamque se bonorum suorum iacturam fecisse formidat. Quod ex profunda mentis in propria cognitione propriorumque malorum ac miseriarum sensus demersione nascitur. In hoc siquidem statu, vniuersas eius miserias diuina hæc & obscura nox palam & dilucide ei patefacit, nihilque eam aliud præter eas, ex se habere posse demonstrat. Possumus ad hoc institutum authoritatem illam Dauidis intelligere dicentis: *Propter iniquitatem corripuisti hominem, & tabescere fecisti sicut araneam animam eius.* Ps 38.12.

Secundus modus afflictionis cruciatusque animæ, ex ipsius naturali, spirituali que infirmitate originem sumit, cum enim contemplatio hæc diuina non sine aliqua vi, impetuque feriat animam, ad hoc vt illam roboret edometque; taliter ipsa in sua debilitate affligitur, vt quasi deficiat, præsertim verò aliquibus vicibus, quando nimirum potentius vehementiusque illam transuerberat. Sensus enim & spiritus, ac si immenso aliquo obscuroque onere premerentur, affl guntur, adeoque agonizant, vt mortem pro refrigerio libenter eligerent. Quam rem expertus S. Iob dicebat: *Nolo multa fortitudine contendat mecum, ne magnitudinis suæ mole me premat.* Iob 23.6. Nam in oppressionis ponderisque huius intensissimo gradu, adeo se ab omni fauore alienam sentit anima, vt illi videatur (& reuera ita est) etiam illa in quibus aliquod solebat reperire adiumentum seu fulcrum, cũ cæteris suis bonis euanuisse, nullumq; qui ei compatiatur inueniri. Ad quod etiam propositum ait Iob. *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Iob 19.21. Res profectò summæ est admirationis, & commiserationis, quod tanta sit in hoc statu imbecillitas, & impuritas animæ, vt licet Dei manus adeo ex se blanda sit & suauis, ira tamen eam grauem & contrariam ipsa hîc experiatur, quamuis minimè Deus manu premat, aut eã detineat, sed duntaxat, idq; misericorditer tangat: non enim aliam ob causam id facit, nisi vt eam gratijs muneribusque suis ditet, non verò vt puniat.

CAPVT VI.

De alijs pœnarum modis, quas in ista nocte patitur anima.

Tertius afflictionũ animæ in hac contẽplatione fons.

TErtius afflictionis pœnæque quã hîc patitur anima modus, ex duobus alijs extremis, videlicet diuino & humano, quæ hic copulantur originem trahit. Extremum diuinum, est contemplatio ista purgatiua. Humanum verò est ipsius animæ subiectum, cum enim extremum diuinum feriat animam ad eam maturandam & renouandam, vt eam diuinam efficiat denudando ab affectibus habitualibus, veterisque hominis proprietatibus, quibus illa vehementer est vnita, agglutinata, & conformis: taliter eam comminuit consumitque, in quandam profundam tenebram eam absorbendo, vt anima se consumi, liquefierique crudeli morte spiritus, à facie intuituq; suarum miseriarum, sentiat, ac si ab aliqua immani bellua absorpta, in eius se tenebroso stomacho digeri, sentiret, eadem patiendo angustias, quas Ionas in ventre marinæ illius bestiæ sustinebat. Quandoquidem in hoc obscuræ mortis sepulchro expedit eam tumulari, ad resurrectionem quam præstolatur obtinendam. Passionis huius, pœnæque modũ (quanquam reuera omnem illa superet modum) describit Dauid dicens: *Circumdederunt me gemitus mortis: dolores inferni circumdederunt me: in tribulatione mea clamaui &c.*

Ion. 2.1.

Ps.17.5.6.7.

Verum id quod hæc afflicta anima magis hic sentit est: quod illi se à DEO abiectam esse ac veluti exosam in tenebras detrusam manifestè videatur, quæ certè res est illi graue commiserationeque dignum tormentum, credere videlicet se à Deo derelictam. Quod tormentum cum acerbe pateretur Dauid ait: *Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt, posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis & vmbra mortis: super me confirmatus est furor tuus, & omnes fluctus tuos induxisti super me.* Reuera enim, quando contemplatio hæc purgatiua coarctat, vmbrã mortis, gemitusque ac dolores inferni viuo admodum modo experitur anima: qui in eo consistunt, quod se esse sine Deo, ab eoque irato & infenso punitã, & abiectam experiatur (cuncta siquidem ista in hoc statu sentiuntur) & quod magis est, quadam timorosa apprehensione videtur illi, hoc modo in æternum secum actum iri: eodemque modo se ab vniuersis creaturis desolatam, ac contemptam, præsertim verò ab amicis suis sentit: Propterea quippe confestim subtexuit Dauid dicens: *Longe fecisti notos meos à me, posuerunt me abominationem sibi.* Quæ vniuersa veluti corporaliter spiritualiterque expertus, testatur Propheta Ionas dicens: *Proiecisti me in profundum in corde maris, & flumen circumdedit me: omnes gurgites tui & fluctus tui super me transierunt: & ego dixi; Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum; verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum* (quod ideo dicit, quia purificat hîc DEVS animam vt videat illum) *Circumdederunt me aqua vsque ad animam, abyssus vallauit me, pelagus operuit caput meum; ad extrema montium descendi: terræ vectes conclusserunt me in æternum:* qui vectes, loquendo nunc ad nostrum propositum, animæ sunt imperfectiones, quæ ne dulci fruatur contemplatione, illam præpediunt.

Ibid.

Ion. 2.

Quartum pœnarum genus ex alia obscura huius contemplationis præstantia in animam promanat, quæ præstantia, maiestas est magnitudoq; Dei, vnde prouenit,

uenit, vt anima aliud extremum quod in illa reperitur intimæ videlicet paupertatis & miseriæ sentiat, quod certe est ex præcipuis pœnis quas in purgatione ista patitur. Experitur siquidem in se profundam quandam vacuitatem ac trium generum bonorum, quæ ad animæ voluptatem ordinantur, temporalium nimirum, naturalium, & spiritualium paupertatem, videtque se in malis, quæ bonis istis contrariantur versari, videlicet in imperfectionum, & ariditatum miseriis vacuam quoque apprehensionibus potentiarum, & inspiritus derelictione. Cum enim repurget hîc Deus animam secundum sensitiuam & spiritualem substantiã & secundum interiores exterioresq; potentias; expedit vt anima in vacuitate & paupertate, ac omnium istarum partium derelictione constituatur, siccaque, vacua, ac in tenebris relinquatur. Pars enim sensitiua ariditatibus; potentiæ autem vacuitate suarum apprehensionum & spiritus obscuritate tenebrat repurgantur. Quæ omnia mediâ obscurâ ista contemplatione efficit Deus, in qua non solum patitur anima vacuitatem & suspensionem seu subtractionem istorum naturalium adminiculorum, atque apprehensionum, quæ certè pœna molestissima est, (ac si quempiam suspenderent, vel in aëre ne posset respirare detinerent) sed etiam repurgat animam, annihilando, vel euacuando, vel consumendo in ea (sicut ignis scoriam rubiginemque metalli) affectiones vniuersas, habitusque imperfectos, quos toto vitæ suæ tempore contraxit. Cum enim illi, adeo altas in anima radices fixerint, magnam solet consumptionem seu defectionem internumque cruciatum pati, præter iam dictam paupertatem & vacuitatem naturalem & spiritualem, verificaturque hoc loco dictum Ezechielis dicentis: *Congere ossa, quæ igne succendam, consumentur carnes, & coquetur vniuersa compositio & ossa tabescent.* Ezech. 24. 10. Quibus verbis, pœna afflictioque quam in vacuitate & paupertate secundũ esse sensitiuum & spirituale patitur anima significatur. Et super hæc omnia, confestim Propheta subiungit: *Pone quoq; eam super prunas vacuam, vt incalescat, & liquefiat æs eius, & confletur in medio eius inquinamentum eius: & consumatur rubigo eius.* Quibus verbis grauis denotatur passio afflictioque quam hîc in purgatione ignis contemplationis istius patitur anima: cum dicat hîc Propheta, quod ad hoc vt expurgetur & consumatur affectionum, quæ in medio animæ reperiuntur rubigo, necessarium sit vt quodam modo anima seipsam in nihilum redigat consumatque, secundum quod passiones imperfectionesque istas, veluti in naturam versas habet. Vnde quia in hoc igne sicut aurum in fornace, purificatur anima secundum quod Sapiens ait: *tamquam aurum in fornace probauit illos*, Sap. 3. 6. magnam istam consumtionem defectionemque in intimis suis sentit, cum stupenda quadam paupertate, in qua quodammodo deficit. Quemadmodum videre licet ex eo, quod Dauid ad hoc propositum de seipso hisce verbis ad DEVM clamando dicit: *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam, infixus sum in limo profundi, & non est substantia: veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me: laboraui clamans, rauca factæ sunt fauces meæ: defecerunt oculi mei dum spero in Deum meum.* Ps. 68. 2.

Humiliat hîc Deus plurimum animam, vt illam postmodum plurimum exaltet: & nisi disponeret Deus vt sentimenta ista quando viuaciter in anima accenduntur, citius sopirentur, paucissimis illa diebus corpus desereret: sed sunt intercalata tẽpora,

Huius status anima, reuera descendunt in infernũ viuentes, purgatorijque pœnis in hac vita expiantur.

pora, quibus intima eorum viuacitas percipitur. Quæ quidem viuacitas adeò interdum viuo modo sentitur, vt arbitretur anima se perditionem infernumque apertum videre. Huiusmodi enim homines sunt ex illis, qui reuera descendunt in infernum viuentes, & in eo velut in purgatorio purgantur: hæc siquidem purgatio est illa, quæ in purgatorio pro culpis quamuis venialibus subiti sustineriq; debebat. Atque ita anima quæ hac transit, estque iam rectè purgata; vel purgatorium non ingreditur, vel certe parum in eo detinetur; plus enim illi hîc vna prodest hora, quam multæ illic.

CAPVT VII.

Eadem continuatur materia, de alijsque voluntatis afflictionibus & angustijs disseritur.

AFflictiones, angustiæque voluntatis, sunt etiam in hoc statu immensæ, ita vt subitaneâ memoriâ, malorum in quibus se versari conspicit, nec non incertitudo remedij illorum transuerberet interdum animam. His accedit præteritarum prosperitatum recordatio; huiusmodi siquidem homines, quando istam ingredi untur noctem, regulariter multis sunt diuinis suauitatibus perfruiti, multaq; Deo obsequia præstiterunt. Atque hoc est quod illorum præcordia maiori lancinat dolore, videre nimirum quantum ab illo bono alieni sint, & quod iam amplius eo redire nequeant. Rem hanc etiam asserit Iob proprio experimento edoctus, verbis istis: *Ego ille quondam opulentus: repente contritus sum: tenuit ceruicem meam, confregit me, & posuit me sibi quasi in signum: circumdedit me lanceis suis: conuulnerauit lumbos meos, non pepercit, & effudit in terra viscera mea: concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas: sacum consui super cutem meam, & operui cinere carnem meam: facies mea intumuit à fletu: & palpebræ meæ caligauerunt.* Tot enim adeoque ingentes sunt huius noctis pœnæ, tot sacræ scripturæ authoritates quæ ad hoc propositum adduci possent, vt tempus vitesque, si de ijs scribere vellemus nos deficerent. Absque dubio enim, quicquid de illis dici potest, minus est; ex authoritatibus tamen hucusque adductis aliquid cõijcere, suspicarique hac de re possumus.

Iob 16.13.

Vt autem huic Cantus versui finem imponamus, explicemusque quidnam nox hæc sit in anima, referemus id quod de ea sentit Ieremias istis verbis. *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius: me minauit, & adduxit in tenebras, & non in lucem: tantum in me vertit, & conuertit manum suam tota die, vetustam fecit pellem meam & carnem meam, contriuit ossa mea, ædificauit in gyro meo, & circumdedit me felle, & labore: In tenebrosis collocauit me quasi mortuos sempiternos: circumædificauit aduersum me, vt non egrediar: aggrauauit compedem meum: sed & cum clamauero, & rogauero, excluſit orationem meã: Concluſit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subuertit: vrsus insidians factus est mihi; leo in abscondito: semitas meas subuertit, & confregit me: posuit me desolatam: Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam. Misit in renibus meis filias pharetræ suæ: factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die: Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me absynthio: Et fregit ad numerum dentes meos, cibauit me cinere: Et repulsa est à pace anima mea, oblitus sum bonorum: & dixi. Periit finis meus, & spes mea à Domino: Recordare paupertatis & transgressionis meæ, absynthij, & fellis: memoria memor ero, & tabescet in me anima mea.* Vniuersis planctibus & lamentationibus istis, deplorat Ieremias has pœnas, tribulationesque

Trenj.

nesque in quibus graphicè passiones & afflictiones animæ, in quas illam ista purgatio, spiritualisque nox conijcit, describit. Vnde maxima cõmiseratione prosequenda est anima, quam Deus in terribili ista horrendaque nocte collocat. Quamuis enim optime felicissimeq; cum illa agatur, ob maxima bona, quæ illi ex ea prouentura sunt; quando (sicut ait Iob) suscitabit Deus in anima profunda bona ex tenebris, & producet in lucem vmbram mortis: *Qui revelat profunda de tenebris, & producit in lucem vmbram mortis*, ita vt (quemadmodum Dauid ait) lux sua sit sicut tenebræ eius fuerunt: *Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius*: nihilominus tamen propter immensam pœnam qua affligitur, & propter magnã incertitudinẽ remedij sui, quam concepit, siquidem videtur illi nunquam malum suum finiendum existimando (sicut etiam ait Dauid) quod Deus *Collocauerit illam in obscuris sicut mortuos sæculi*, vnde anxiatur super eam spiritus eius, & turbatur in ea cor illius, magnaque commiseratione digna est.

His enim tribulationibus etiam hoc accedit, quod in nulla doctrina, in nulloque spirituali magistro solatium, aut adiumẽtum propter solitudinem, derelictionemque, quam nox ista in ea producit, reperiat. Quamuis enim spirituales magistri multifariam proponant ei consolationis causas, & motiua quibus spe bonorum quæ in afflictionibus istis inueniuntur posset recreari; nequit eis fidem adhibere: Cum enim adeò sit malorum suorum sensu absorpta, in quo dilucide miserias suas agnoscit, arbitratur quod cum ipsi nequaquam id quod ipsa videt & sentit, videant sentiantq;, ea ab illis minime statum suum intelligentibus proferri, & consolationis loco, nouo potius dolore affligitur existimando, nequaquã res illas, quas ipsi proponunt, malorum suorum remediũ futuras, & in veritate ita se res habet. Donec enim dñs, eo quo illi placuerit modo, ipsius purgationem perficiat, nullum mediũ, nullumq; remedium ipsius dolori leniendo adferri potest. Eo ampliùs, quod in hoc statu ita parum seipsam potest iuuare anima, sicut ille qui manibus, pedibusq; ligatis tenebroso incluſus ergastulo, neq; seipsum loco mouere, nec aliquid videre, sed neq; aliquid opis infernè, superneque consequi valens, detinetur: donec inquam hîc emolliatur, humilietur, & repurgetur spiritus: adeoq; subtilis, simplex, & tenuis euadat, vt cum spiritu diuino vnum fieri possit, secundum gradũ, & mensurã vnionis amoris, ad quã misericordia diuina illã euehere voluerit. huic enim magis vel minus rigida, maioris vel minoris durationis purgatio correspõdet. Sed si purgatio hæc aliqua saltẽ ex parte seria esse debeat, licet rigidissima efficacissimaq; illa sit, aliquot tamẽ annis perdurat: quamuis aliqua dentur in illis interstitia, & pœnarum intermissiones, in quibus dispensante Deo contẽplatio hæc obscura, non ferit, transuerberatq; animam modo moreque purgatiuo; sed illuminatiuo & amoroso, in quo ipsa veluti ex horrendo ergastulo carcereq; egressa, & in recreatione latitudinis libertatisque constituta, maximam pacis suauitatẽ, amorosamque cum deo amicabilitatem cum facili obuiaq; spirituali cõmunicatione percipit, & degustat. Quæ omnia sunt animæ veluti quædam indicia salutis; quam in ea dicta purgatio operatur, futuræq; quã exspectat abundantiæ præsagia. Adeoq; interdũ huiusmodi spiritualia solatia affluunt, vt videatur animæ suas tribulationes finẽ iam accepisse. Hæc siquidẽ est natura proprietasq; spiritualium rerum respectu animæ (præsertim verò cum puriores illæ sunt & defæcatiores) vt quando

Spiritualium rerũ proprietas admodum ponderanda.

post internam tranquillitatē suauitatemque, tribulationes afflictionesq; redeunt, existimet anima nunquā amplius se ab eis liberam futurā, omniaq; sua bona iam finijsse, quemadmodū videre licuit ex adductis sacræ script. authoritatibus: quando verò spiritualibus bonis affluit, videtur etiam illi vniuersa sua mala iam finem accepisse, nullumque se amplius spiritualium bonorum defectum passurā, quemadmodum Dauid cum se huiusmodi bonis diuitē cerneret, fassus est dicens: *Ego dixi in abundantia mea: Non mouebor in æternum.* Et huius rei hæc causa est, quia actualis possessio vnius contrarij in spiritu, repellit, remouetque ex se possessionem actualem, sentimentumq; alterius contrarij: quæ res non eodē omnino modo in parte animæ sensitiua euenit, eò quod debilis, infirmaque sit ipsius apprehensio. Sed quoniam spiritus nondum in hoc statu, ab imperfectionibus, ab inferiori hominis parte cōtractis perfectè repurgatus & emundatus est, quamuis maxima stabilitate, ac fortitudine præditus sit, in quantum imperfectionibus huiusmodi implicatus & inuolutus est, pœnis afflictionibusq; obnoxius est. Quemadmodum videmus postmodū Dauidem mutatum, pluribusque malis & tormētis circumseptum, licet abundantiæ suæ tēpore existimauerit, & dixeritq; nunquam se amplius commouēdum. Eodem modo anima cum se videat actualiter illâ spiritualium bonorum copia perfruentē, imperfectionis, impuritatisq; radicem in se adhuc latentē non animaduertens, suas afflictiones & pœnas putat esse finitas. Verumtamen opinio hæc, cogitatioq; nō crebro occurrit: donec. n. spiritualis purgatio perficiatur, rarissime dulcis communicatio solet esse adeò copiosa, vt remanentem imperfectionis radicem ita obtegat, vt non sentiat anima in intimis suis aliquid huiusmodi sibi deesse, vel aliquid adhuc perficiendum supereſſe: quod non permittit eam refrigerio illo integre frui, sentiendo in interiori suo, veluti inimicum quendam suum quem (licet quasi pacatus sit & consopitus) formidat, ne videlicet reuiuiscat, solitumq; inferat bellum. Et reuera ita fit, quando enim minimè cogitat seseque tutam arbitratur, resorbet ipse animam, & in alium duriotē, obscuriorem, doloriosioremque gradum pristino deglutit, qui diuturniori fortassis tēpore quam prior duraturus est. Et hīc existimat rursus anima vniuersa sua bona nūquam amplius redituta, finē accepisse: sed neq; præteritorum bonorum, quibus post tribulationem priorem fruita est, experimentum (quorum dulcedine durante nihil sibi amplius patiēdum supereſſe existimabat) satis illi est, quin in isto secundo angustiarum gradu credat cuncta iam sua bona finita, nec amplius præteritā prosperitatem reditura. Nam (vti dico) hæc adeo fixa stabiliſque credulitas ab actuali spiritus apprehensione, quæ in ea ad nihilum redigit quidquid illi gaudium voluptatēque adferre potest, prouenit animæ. Atq; ita anima in purgatione ista, licet videatur amare Deum, milleq; vitas illius causa oblatura (sicuti etiam reuera est, inter tribulationibus siquidem istis huiusmodi animæ verius fortiusq; multo diligunt Deum) nihilominus nullam illi res hæc adfert consolationem, sed potius magis eam affligit. Cum enim ipsa tantopere eum amet, vt de nulla alia re præter eum sollicita sit, adeò se miserabilem videndo, & an Deus illam amet dubitando (nonnenim tunc certò sibi constat, aliquid in se amore dignum reperiri, sed potius multa vnde meritò non solum à Deo, sed etiam ab omnibus creaturis in perpetuum odio habenda sit) non mediocriter doler

Ps. 29. 7.

causas

causas in se ob quas abijci, repudiarique digna sit ab eo, quem ipsa tantopere amat & desiderat cognoscendo.

CAPVT VIII.

De alijs pœnis quæ in hoc statu affligunt animam.

ALiud quoque in hoc statu, quod plurimum affligit, & cruciat animã repetitur, quod nimirum cum Obscura hæc Nox tantopere ipsius potentias affectionesq; impediat, & reprimat nõ potest sicuti antea affectum seu mentẽ ad Deũ eleuare, neq; ab eo aliquid precibus flagitare, existimando illud sibi euenisse quod Ieremias ait: opposuisse videlicet Deum nubẽ sibi ne transeat oratio, quod etiã sequenti authoritate significatur: *Conclusit vias meas lapidibus quadris.* Quod si aliquando postulat; fit hoc cum ariditate tanta, & absque deuotionis sensu, vt videatur illi se a Deo non audiri, precesque suas negligi, quemadmodum etiam idem Propheta eodem loco innuit dicens: *Sed & cum clamauero & rogauero excluſit orationem meam.* Reuera tempore isto expedit animæ ponere (sicut ait Ieremias) in puluere os suum, patienter purgationem suam toleranda. Deus est ille, qui hoc loco perficit opus in anima, & propterea ipsa nihil operari valet, vnde nec orare, neque rebus diuinis nisi cum modica admodum attentione adesse potest: sed & cæteris rebus, temporalibusque negotijs, non solum attendere nequit, verum etiam multoties tales mentis abalienationes, adeoq; profundas memoriæ obliuiones patitur, vt multæ effluant horæ, in quibus quid fecerit, quidue cogitauerit ignoret, sed neque quid faciat, quidue faciendum sit nouit, nec etiam alicui rei ex illis quas facit, licet maximè cupiat nimium attendere valet.

Et quoniam hoc loco non solum repurgatur intellectus à sua cognitione imperfectâ, & voluntas à suis affectibus, sed etiã memoria à notitijs discursibusque suis, expedit etiam eam in omnibus illis annihilari, vt impleatur illud quod de se Dauid in purgatione ista constitutus ait: *Et ego ad nihilum redactus sum & nesciui.* Quæ ignorantia ad insipientias istas, obliuionesque memoriæ, de quibus sumus locuti extenditur, abalienationes verò & obliuiones istæ ab interiori recollectione, in qua contemplatio ista absorbet animam, nascuntur. Nam ad hoc, vt anima disposita, modoq; diuino cum potentijs suis ad diuinam amoris vnionẽ attemperata maneret, expediebat eam prius cum omnibus suis potentijs in diuina ista obscuraque spiritualis contemplationis luce absorberi, & hoc modo ab omnibus creaturarum affectibus, apprehensionibusque abstrahi, quæ res regulariter secundum contemplationis huius intensionem durat. Atq; ita, quanto lux hæc diuina quæ transuerberat animam purior, & sincerior fuerit, tantò amplius illã in suis apprehensionibus, & affectionibus particularibus, tam rerum supernarum, quam etiam inferiorum, obscurat, euacuat, & annihilat. Et quo etiam minus simplex, minusque pura hæc lux fuerit, eò minus eam dictis apprehensionibus & affectionibus priuat, minusque illi est obscura. Quæ certè res incredibilis videtur, dicere videlicet, diuinam & supernaturalem lucem tantò magis animæ obscuram esse, quanto illa clarior puriorque est, & quo minus est talis, esse etiã minus animæ obscurã. Quod tamen facile intelligitur, si consideremus id quod superius

Ps. 72. 22.

ex Philosophi sententia probauimus: videlicet res supernaturales eò intellectui nostro obscuriores esse, quò in se clariores sunt & manifestiores; Vnde quando animam luce sua diuina radius sublimis contemplationis istius ferit, quoniam naturam ipsius animæ superat, eo ipso illam obscurat, & omnib. affectibus, apprehensionibusque, quas antea media luce sua naturali apprehẽdebat, priuat. Quo facto non relinquit illam duntaxat obscuram, sed etiam secundum potentias & appetitus suos, siue spirituales, siue naturales eam euacuat. Et relinquendo illam ita vacuam & obscuratam, purgat eam, ac diuina supernaturali luce illuminat, nesciente tamen anima se luce ista potiri, sed potius se in tenebris esse, quemadmodum diximus, existimante.

Apposita similitudo rem hanc declarans.

Sicut enim lucis radius, si purus, sit & nihil in quod offendat, reperiat; quasi non discernitur, qui tamen in se reuerberatione, ac reflexione melius apparet, ita lux ista spiritualis, quæ ita radiauit animam, cum tantopere sit pura, non ita in se percipitur, at quando aliquid sese ei obijcit in quod reuerberet, seseque reflectat, hoc est, quando aliquid sese offert intelligendum ad particularem perfectionem, vel certè ad diiudicandum inter falsum & verum, confestim illud animaduertit, multoque clarius intelligit, quam ante obscuritatum istarum ingressum intelligebat. Et eadem omnino claritate, lucem ipsam spiritualem, quam ad facillime imperfectionem, quæ sese offert, agnoscendam possidet, se habere cognoscit: quemadmodum videre est in radio, qui in se tantopere nõ discernitur, sed statim ac manus vel quidpiam aliud interponitur, confestim apparet manus, agnoscitur que lucem illam solis ibi adfuisse. Vnde quia lux ista spiritualis adeò simplex, pura, & generalis est, nec intelligibili alicui particulari naturali aut diuino alligata (siquidem in omnibus istis apprehensionibus, habet animæ potentias vacuas & annihilatas) vniuersalissimo, & facillimo negotio cognoscit, penetratque anima quamlibet rem, quæ inferne superneq; sese offerat. Nam propterea dixit Apostolus quod spiritualis vniuersa penetrat, etiam profunda Dei: *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* De ista enim generali & simplici sapientia, intelligitur illud, quod per Sapientem ait Spiritus sanctus; *quod attingit vbique propter suam mundiciam.* videlicet, quia ad nullum particulare intelligibile, seu appetibile descendit. Atque ista est spiritus purgati, & circa vniuersas particulares intelligentias & affectiones annihilati proprietas: in hoc quippe quod nihil gustat, nihilque in particulari intelligit, in sua vacuitate, obscuritate, ac tenebris permanendo, vniuersa, cum magna dispositione comprehendit & amplectitur: vt in illo mystice verificetur illud S. Pauli: *Nihil habentes & omnia possidentes.* Talis siquidem beatitudo tali spiritus paupertati debebatur.

CAPVT IX.

Qua ratione, licet nox hæc spiritum obscuret, id tamen ad eum illuminandum fiat.

ILlud hoc loco dicendum remanet, hanc videlicet fælicem noctem, quanquam spiritum obscuret, id tamen, non aliam ob causam efficere, quam vt illi rerum omnium lumen præbeat: & quamuis illum humiliet, & ad miserabilē statum

ſtatum redigat, id tamen ob ipſius facit exaltationem ac libertatem; & licet eum depauperet, omnique poſſeſſione & affectu naturali euacuet, non ob aliud hoc efficit, niſi vt diuino modo ad fruenda, deguſtandaque omnia tam ſuperiora quam inferiora, generalem ſpiritus libertatem in rebus omnibus iam adeptus, ſeſe extendere poſſit.

Quemadmodum enim elementa ad hoc vt in omnibus compoſitis, entibuſque naturalibus ſeſe inuicem communicent, nullo particulari colore, odore, aut ſapore infici debent, vt cum vniuerſis ſaporibus, odoribus, & coloribus valeant concurrere: eodem modo neceſſe eſt ſpiritum eſſe ſimplicem, purum, & ab omni affectuum naturalium tam actualium, quam habitualium genere denudatum, vt valeat liberè in ſpiritus latitudine diuinæ particeps eſſe ſapientiæ, in qua ob ipſius puritatem, omnes omnium rerum ſapores, ſuauitateſque, quodam excellentiori modo deguſtat. Abſque prædicta autem purgatione nullo pacto poterit ſatisfactionem totius iſtius ſpiritualium ſaporum affluentiæ delibrare vnus ſiquidem ſolus affectus quo teneatur anima, vel particularitas, cui ſpiritus actualiter, vel habitualiter adhæreat, ſatis eſt ad non ſentiendum, nec deguſtandum, neque communicandum ſubtilitatem, intimamque ſpiritus amoris ſuauitatem, qui in gradu eminentiſſimo vniuerſos in ſe ſapores, ac ſuauitates complectitur. Quemadmodũ enim filij Iſrael ideo duntaxat, quia illis vnus ſolus affectus, memoriaq; carnium ac ciborum, quos in Ægypto comederant remanſerat; delicatum Angelorum panem, qui erat manna (qui vt diuina ſcriptura ait omnium guſtuum ſuauitatem continebat, & in eum quem quiſque volebat guſtum vertebatur) in deſerto deguſtare nequiuerunt: ita non poteſt ſpiritus qui alicui actuali vel habituali affectui, vel particulari intelligentiæ, vel cuicunque alteri limitatæ apprehenſioni adhæſerit, fueritque alligatus, delitias libertatis ſpiritus, iuxta voluntatis ſuæ votum, deguſtare. Cuius rei hæc eſt ratio, quia affectus, ſentimenta & apprehenſiones perfecti ſpiritus, cũ adeò ſuperiores ſint, ac ſingulariter diuinæ; alterius ſunt ordinis, ac generis tantopere à naturali modo differentis & diuerſi, vt ad vnas actualiter habitualiterque poſſidendas aliæ debeant annihilari. Quamobrem plurimum expedit, imò neceſſarium eſt, ad hoc vt anima ad iſtum eminentem ſtatum perueniat, vt hæc nox obſcura contemplationis, prius illam annihilet, & ipſius vilitates, obſcuram illam, aridam, ſeparatam, & vacuam, relinquendo deſtruat: ſiquidem lux quæ illi præberi debet, eſt ſublimiſſimum diuinum lumen, vniuerſam naturalem lucem excedẽs, & quod naturaliter intellectus capere non poteſt. Vnde expedit ad hoc vt intellectus poſſit attingere vnionem cum illa, fierique in ſtatu perfectionis diuinus; vt prius in ſuo naturali lumine purgetur, & annihiletur, actualiter illud, media iſta obſcura contẽplatione obſcurando. Quæ obſcuritas ſeu tenebra, expedit vt tanto tempore duret, quantum neceſſarium ſit ad habitum, quem multo tempore, res ſuo modo intelligendo contraxit, annihilandum; & vt loco modi intelligendi ipſius, lux & illuſtratio diuina ſuccedat. Vnde quia illa intelligendi facultas, qua antea pollebat, naturalis eſt; hinc prouenit, tenebras quas in ea patitur, profundas eſſe ac horribiles, vehementerque moleſtas: cum intimam ſpiritus profunditatem attingant, in eaque percipiantur: & eodem omnino modo, quia affectus amoris, qui illi in vnione diui-

Annihilari debet anima antequam ad ſublimem vnionis diuina ſtatũ perueniat. Et quaret

diuina conferendus est, diuinus est, & idcirco spiritualis admodum, subtilis, delicatus, & intimus, omnemque affectũ & sentimentũ naturale, excedens voluntatis quoque & omnis ipsius appetitus imperfectionẽ superans: expedit ad hoc vt volũtas possit per vnionẽ amoris, diuinũ istum affectum, adeoque sublimem suauitatem degustare, vt prius in omnibus suis affectibus & sentimẽtis repurgetur & annihiletur; tantoque tempore in ariditate & angustijs relinquatur quantum secundũ intensionem habitus, quẽ in naturalibus tã diuinarum, quam humanarum rerũ affectibus seu amoribus acquisiuit, necessariũ est: vt hac ratione voluntas extenuata, exsiccata, omnique dominiorum genere in huius obscuræ contemplationis igne priuata (instar cordis illius piscis quod carbonibus iniecit Tobias) puram & simplicem dispositionem, nec non sanum & repurgatum palatum acquirat, ad repentinos peregrinosq; diuini amoris attactus, in quem se diuinè transformatam videbit percipiendos; profligatis iam vniuersis actualibus & habitualibus cõtrarietatibus, quibus antea erat obnoxia. Præterea quia ad dictam vnionem obtinendam, ad quã ista obscura nox disponit, debet esse anima quadam glorioſa magnificentia in cõmunicatione cum Deo plena & insignita, quæ communicatio innumerabilia in se bona delitiasque, vniuersam animæ abũdantiam, quam naturaliter possidere potest, excedentem, continet: nam (secundũ quod Isaias & Apostolus dicit. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum*) expedit vt prius in vacuitate spiritusque paupertate constituatur, & vt ab omni adiumento, consolatione & naturali omnium rerum, tam superiorum quam inferiorum apprehensione repurgetur, vt hoc modo euacuata, sit verè pauper spiritu & veteri homine denudata, nouam illam beatamque vitam quæ in vnionis cum Deo statu reperitur & media ista obscura nocte obtinetur, ducere possit.

1. Cor. 2. 9. Isa. 64. 4.

Quoniam verò anima sensum quendã & notitiam diuinam, generosam admodũ & suauem rerum omnium diuinarum & humanarum, quæ in communem sensum notitiamque animæ naturalem nõ cadũt, est habitura (ita quippe differentibus illas oculis intuetur, quemadmodum lux, & gratia Spiritus sancti differt à sensu, & diuinum ab humano) expedit spiritui extenuari, seque quantum ad communem & naturalem sensum spectat coarctare, purgatiuæ huius contemplationis interuentu, ad magnas angustias & pressuras illum redigendo. Et vt etiam memoria ab omni amicabili, pacificaque notitia remota sit & aliena, cum quodam intimo sensu & temperamento peregrinationis, & à rebus omnibus abalienationis, in qua illi vniuersæ res videantur nouæ, ac peregrinæ, aliterque sese habere quã prius solebant. Hoc siquidem modo nox ista educit, extrahitque spiritũ ab ordinario suo communique de rebus sensu, vt illum ad diuinum sensum perducat, qui peregrinus est, adeoque ab omni humano modo alienus vt animæ videatur extra se viuere. Interdum etiam cogitat, si forte id quod secum agitur fascinatio sit aliqua, vel mentis stupiditas: admiraturque res quas videt & audit, existimando illas esse peregrinas admodum & nouas, cum sint eædem quas communiter præ manibus habere solebat. Cuius rei causa est, quia iam anima efficitur aliena, à communique sensu & notitia rerum remota: vt in sensu isto annihilata, diuino sensu imbuta, informataque remanet,

neat, qui alterius potius vitæ est, quam præsentis.

Transformatio spirituum in diuinam vitam.

Vniuersas purgationes istas afflictiuas spiritus, patitur anima, vt in vitam spiritus media diuina ista influentia regeneretur, & cum doloribus istis pariat spiritum salutis; vt impleatur sententia Isaiæ dicentis. *A facie tua, Domine concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum.* Isaiæ 17. cap. Præterea quoniam nocte ista contemplatiua interueniente ad assequendam tranquillitatem, pacemque interiorem, (quæ talis est, adeoque delectabilis, vt sicut scriptura ait omnem superet sensum) disponitur anima: expedit ei vt vniuersa prima pax (quæ, quoniam tot imperfectionibus inuoluebatur non erat pax, quamuis animæ talis esse videretur, eò quod gustui animæ esset conformis, essetque bis PAX PAX, hoc est, sensus ac spiritus) prius repurgetur, ipsaque anima aliena fiat, & turbetur ab ista pace imperfecta: quemadmodum rem hanc sentiebat & deplorabat Ieremias, loco superius ad declarandas tribulationes noctis huius præteritæ adductus dicens: *Repulsa est à pace anima mea*: hæc porro pacis turbatio, est molesta quædam multarum suspicionum, imaginationum, & conflictuum, quos intus patitur anima, inquietudo, in qua ob apprehensionem sentimentumque miseriarum in quibus se versari conspicit, se imperijsse, suaque bona in sempiternum finita suspicatur. Hinc in spiritum quidam dolor, gemitusq; adeò profundus promanat, qui vehementes in ea rugitus vlulatusque spirituales producit, quos etiam aliquando verbis exprimit, in lachrymasque tota, si vires suppetant vt hoc præstare possit, resoluitur, quamuis ratius leuamine huiusmodi recreetur. Rem hanc egregie Regius Propheta Dauid expressit, qui etiã eam fuerat expertus, in quodam Psalmo dicens. *Afflictus sum & humiliatus sum nimis; rugiebam à gemitu cordis mei.* Psal. 37. 9. Qui certe rugitus res est summi doloris: aliquãdo enim ob repentinã acutissimamque miseriarum istarum in quibus se conspicit anima, memoriam, tantum dolorem, afflictionemq; percipit, vt non videam modum, quo explicari possit, nisi forte per similitudinem, quam S. Iob dum in eadem tribulatione versaretur adducit hisce verbis: *Tanquam inundantes aquæ, sic rugitus meus.* Iob 3. 24. Quemadmodum enim aquæ tantopere interdum inundãt, vt demergant & repleant omnia: ita rugitus iste & sentimentum animæ tantopere aliquando excrescit, vt submergendo, penetrandoq; illam totam, angustijs & doloribus spiritualibus vniuersos eius profundos affectus viresque supra quam verbis exaggerari possit, repleat. Huiusmodi sunt operationes quas in anima nox hæc, spei lucis diei obuelatrix, efficit. Nam ad hoc propositum dicit idem Iob. *Nocte os meum perforatur doloribus, & qui me comedunt non dormiunt.* Iob 30. 17. Hoc loco per os intelligitur voluntas, quæ doloribus istis est transfixa, qui sine intermissione dilaniant animam, neque dormiunt. Ambiguitates enim & suspiciones, quæ transuerberant eam nunquam desistunt.

Tenuis. 3. 17.

Profundum est bellum istud ac certamẽ, quia etiam pax quã præstolatur, profunda esse debet: dolor etiam spiritus intimus est, delicatus & purus, quia amor quem adeptura est anima intimus & purissimus esse debet. Quo enim intimius, elegantiusque debet esse & permanere opus, eò etiã intimius, elegãtius puriusq; debet esse artificiũ, tantoq; fortius erit ædificiũ, quãto fuerit firmius atq; stabilius. Propterea (sicut dicit Iob) *Nũc autẽ in memetipso marcescit anima mea, & possident me dies afflictionis.* Iob 30. 16. Ad eundẽ omnino modum quoniã anima

anima in perfectionis statu, ad quem media hac purgatiua nocte pergit; innumerabilibus bonis donorum ac virtutum tã in animæ substantia, quam in suis potentijs fruitura est, expedit vt prius generaliter ſ ab omnibus istis bonis alienam, illisque priuatam videat, & sentiat, videaturque illi, se ab eis tantopere esse remotam, vt nequeat sibi persuadere, se vnquã illa adepturam, sed potius vniuersa bona sua, finem accepisse. Quemadmodum etiam rem hanc innuit Ieremias loco superius citato, cum ait. *Oblita sum bonorum.*

Thren. 3. 17.

Cur nox hæc adeò anima amica, & vtilis, tam molestos in ea producat effectus?

Sed videamus iam quidnam sit in causa cur cum ista contemplationis lux adeò suauis, amicaque sit animæ, vt nihil amplius illi desiderandum sit: (siquidem vt superius dictum est, ipsa est per quam Deo vniti & in qua vniuersa quæ optauit bona in perfectionis statu reperire debet anima) cur inquam lux hæc contemplationis, irradiatione transuerberationeq; sua, hæc dolorosa initia & effectus molestissimos, quos hic recensuimus, producat? Dubio huic facili negotio respondetur, dicendo, id quod iam ex parte diximus, nimirum rei huius causam nequaquam ex contemplationis, infusioniſque diuinæ parte, in qua nihil reperitur quod ex se affligere possit, quin potius multæ illi suauitates ac delitiæ insunt, quemadmodum postea experietur anima: sed ex debilitate & imperfectione, quibus tunc tenetur anima, nec non ex dispositionibus quas in se habet susceptioni suauitatis illius contrarijs desumendam esse. Atque ita dum ferit lumen hoc diuinum, transuerberatque animam, facit illam dicto iam modo, pati.

(∴)

CAPVT X.

Similitudine quadam purgatio ista exactè, & velut ex fundamento explicatur.

VT ea quæ hucusque dicta sunt, & quæ postmodum dicentur liquidius constent, animaduertere hoc loco oportet, purgationem istam amorosamq; notitiam, siue diuinam, de qua loquuti sumus lucem ad eundem prorsus modum, in repurganda disponendaq; anima, quo eam sibi perfectè vniat, sese habere. Sicut se habet ignis cum ligno quod in se transformaturus est. Ignis siquidem materialis, statim ac applicatur ligno, id quod primo loco efficit, est exsiccare illud, humiditatemque eius per latentis aquæ exstillationem expellere. Confestim verò denigrat illud, obscurat, & deturpat, sensimq; exsiccando, in lucem illud pedetentim educit, & vniuersa obscura turpiaque ipsius accidentia, sibi aduersantia foras propulsat, ac tandem incipiendo illud foris calefacere & inflammare, illud in se transformat, tamque sicut est ipse, pulchrum eleganſque reddit, quibus peractis, iam ex parte ipsius ligni nulla amplius actio passioue propria interuenit & (si quãtitatem minus subtilem pondusque minus leue, eò quod in igne reperitur, excipias) omnes ignis proprietates & actiones consequitur. Siccum enim est, & si siccum, calidum, & calidum calefacit; & cum sit lucidum illuminat, estque multo quam ante leuius, igne has in eo proprietates effectusque producente.

Ad eundem itaque modum, de diuino isto amoris contemplationis igne nobis philosophandum est, qui antequam sibi vniat

vniat in seque transformet animam, prius illam ab omnibus suis accidētibus sibi repugnātibus repurgat. Educit enim in primis vi sua, ipsius deformitates, nigramque & obscuram reddit, vnde etiam deterior quā antea apparet. Cū enim diuina hæc purgatio vniuersos deprauatos humores educat (quos quoniam altas in anima radices egerant, illiq; tenaciter inhæserant,) minime ipsa agnoscebat, vnde nec tantum sibi malorū inesse arbitrabatur; nūc autem vt praui humores isti eliminentur, & annihilentur, præ oculis ipsi ponuntur, adeoq; illos manifestè hac obscura diuinæ contemplationis luce illustrata videt (licet nequaquam nec in se nec apud Deū deterior sit quam antea) agnoscēs ea quæ ante non agnoscebat. Cum inquam diuina hæc purgatio vniuersos deprauatos humores educat, talem se esse iudicat anima, vt non solum se indignam quæ à Deo respiciatur, existimet, sed etiam vt eā exosam habeat abhorreatq; dignissimā, imò se iam de facto ab eo odio haberi putat. Per similitudinem istam poterimus nunc multa ex ijs quæ modo dicimus, quæque postmodum dicturi sumus percipere.

Et in primis intelligere possumus, qua ratione eadem lux sapientiaque amorosa quæ animæ vniri debet, illamq; in se trāsformare, est illa quæ eam à principio purgat & disponit: quemadmodum idem ignis, qui lignum in se illud sibi incorporando transformauit; est ille qui prius illud ad eundem effectum disposuerat.

Secundo animaduertere licebit, quomodo pœnas cruciatusq; istos nequaquā ex parte diuinæ sapientiæ patitur anima, Sap. 7. 11. siquidem vt ait Sapiens. *Omnia bona pariter venerunt anima cum illa.* Sed ex parte debilitatis imperfectionisque ipsius animæ, quæ diuinam lucem, suauitatem, ac delitias absque purgatione ista, nequit recipere (sicut etiam lignum statim ac igni applicatum est transformari in illum non valet, donec prius fuerit dispositum) & idcirco tantopere patitur. Cui etiam veritati Ecclesiasticus subscribit, ea quæ ad sapientiæ diuinæ vnionem fruitionemque obtinendam perpessus est hisce verbis referendo. *Anima mea agonizauit pro illa, & venter meus conturbatus est quærendo illam, propterea bonam possidebo possessionem.* Eccl. 51. 25 & 29.

Tertio poterimus hinc obiter modum patiendi animarum purgatorij conijcere, nihil enim in eas ignis posset, si ipsæ ad regnandum seseque Deo per gloriam veniendum vndequaque essent dispositæ, culpisque ob quas pati debent, (quæ etiā sunt materia, quam ignis ille depascitur) carerent, qua absumpta nil amplius superest comburendum. Quemadmodum etiam hic consumptis imperfectionibus, afflictiones quoque animæ accipiunt finem, remanetque fruitio, qualem in hac vita obtinere fas est.

Quarto eliciemus etiam hinc, qua ratione secundum modum & mensurā qua igne isto amoris repurgatur anima etiam ab eo magis inflammetur, veluti etiam lignum, iuxta dispositionis suæ mensuram caloris incrementa capit. Quanquam huiusmodi inflammationem amoris non semper percipiat anima, sed solū aliquando, quando videlicet contēplatio hæc nō adeò vehementer illam irradiat: tunc enim præbetur locus, vt anima videre possit, opus quod elaboratur, imo etiam illo frui; ostenditur siquidem tunc ipsi, & videtur, quod tantisper à labore manus amoueatur, ferrumque ex fornace extrahatur, vt aliqua ratione artificium operis quod elaboratur appareat, atque tunc sese offert oportunitas animæ, animaduertendi in se bonum, quod labore durante, minimè cernebat. Quemadmodum et-

iam quando intermittit flamma lambere lignum, præbetur locus, vt optime possit videri quantum fuerit inflammatum.

Quinto ex eadē etiam similitudine addiscemus, id quod superius dictum est, nimirū qua ratione verū sit, quod post huiusmodi cōsolationum leuamina iterū anima intēsius subtiliusq; quā antea patiatur? Huius rei ea est ratio, nam post ostensionem illam operis quæ fit quando iā repurgatæ sunt imperfectiones magis externæ, reuertitur ignis amoris, ad aggrediendū illud, quod purificandum ablumēdumq; in interioribus residuū est. Qua in re tanto intimior, subtilior, magisq; spiritualis est animæ dolor, quāto intimiores, subtiliores magisque spirituales imperfectiones, q̄ in intimis ipsius profundiores radices egerāt, extenuat. Et hoc ad eundē fere modum accidit, sicut in ligno euenire solet, quo.n. interiora magis penetrat ignis, eo violētius efficaciusq; intima ipsius, ad illius capiendam possessionē disponit.

Sexto tandē hinc colligemus quod quāuis anima per ista temporū interualla intensissime, vehementissimeq; oblectetur (adeò vt sicuti diximus interdū videatur illi nūquam amplius tribulationes redituras, quamuis certum sit cito reuersuras) nō propterea tamē si oculos mentis reflectat (& interdum ipsamet illos ad se reflectere facit) non propterea inquam non sentit experiturque radicem quandam intus latentem, quæ non permittit plenam gaudij fruitionem: videtur enim quasi minari se iterum eam aggressuram, quod cū ita fit, cito reuertitur. Tandem illud quod in intimis animæ purgandū illustrandumq; remanet, non potest illam in præsentia conspectuq; vt ita dicam partium iam repurgatarū omnino latere: quemadmodū etiā illud quod in intimis ligni illuminari adhuc inflammarique debet, sensibiliter ab eo quod iā est inflammatū illustratumque discernitur. Quādo autem spiritualis hæc purificatio magis intima inuadit, non est mirum quod iterum videatur animæ, se omnium bonorum iacturam fecisse, neque se illa amplius recuperaturam: siquidem dū interiores patitur cruciatus, vniuersum exterius bonum sese ab eius oculis subtraxit. Præ oculis itaque propositam habendo similitudinem simul cū doctrina, quam de Obscura Nocte ista eiusque trem ēdis proprietatibus, in primi versus, cantus primi expositione tradidimus, operæ pretium erit, has mœstissimas animæ afflictiones præterire, ac de lachrymarum ipsius fructu, fructuq; huius fœlicissimis proprietatibus, quæ ab isto secundo Versu decantare incipit, tractationem auspicari.

CAPVT XI.

Primi Cantus, secundus Versus explanari incipit. Docetur etiam qua ratione vehemens diuini amoris passio, quæ animæ confertur, sit rigidissimarum istarum angustiarum fructus.

Anxijs amoribus inflammata.

IN hoc Versu amoris ignē de quo fumus locuti, exponit anima, qui sicut materialis in ligno, sic in nocte ista dolorosæ contemplationis in anima succenditur. Quæ quidem amoris inflammatio licet quadamtenus sit instar illius, quam in sensitiua animæ parte ardere superius explicauimus, quadam tamen ratione, hæc de qua nunc agimus, ab illa adeò discrepat, sicut anima à corpore, vel certè spiritualis animæ portio à sensitiua. Hęc enim est inflammatio quædam amoris in spiritu, in qua in medijs obscuris istis angustijs sentit anima viuo acutoque modo forti amo-

amore diuino, cũ certo quodam Dei sensu & præsagio sauciatam, quamuis interim nihil particulare intelligat, nam intellectus in obscuritate est sicuti diximus.

Multum hic spiritus amore captus sentit, quoniam hæc spiritualis inflammatio, amoris passionem producit. In quantum enim amor iste infusus est; plus hic concurrit anima passiuo modo: atque ita ingenerat illi fortem amoris passionem. Qui amor iã aliqd perfectissimæ vnionis cum Deo habet, vnde etiam proprietatũ ipsius aliquatenus particeps est. Quæ proprietates principalius actiones sunt Dei in anima susceptæ, præbente illa simpliciter amanterque suum assensum, quam ipsius animæ; quanquam calorem, efficaciam, temperamentum, & amoris passionem, vel certe inflammationem, (quemadmodum eam hic appellat anima) solus amor Dei, qui illi vnitur, ei affricat. Qui amor tanto magis præparatam dispositamque ad se illi vniendum eamque sauciandam reperit animam, quanto amplius occlusos, abalienatos & ineptos habet vniuersos appetitus ad res cœlestes terrenasque degustandas. Quod in obscura ista purgatione (quemadmodum iam dictum est) insigniter euenit, siquidem tam ablactatas Deus tamque recollectas continet potentias, vt nihil earum rerum, quas ipsæ vellent, valeant degustare. Quæ vniuersa propterea facit Deus: vt abstrahendo illas à rebus omnibus, sibique ipsi intrahendo, maiores habeat anima vires, aptitudinemque ad fortem istam amoris cum Deo vnionem, quæ per hoc purgatiuum medium, iam illi incipit conferri, recipiendam. In qua debet anima omnibus suis viribus, appetitibusque spiritualibus ac sensitiuis, amare: quod tamen non posset, si ipsi ad alias res degustandas spargerentur. Idcircò enim vt posset Dauid fortitudinem amoris istius DEI vnionis sustinere DEO dicebat: *Fortitudinem meam ad te custodiam*, hoc est, vniuersam aptitudinem appetitus, & vires potentiarum mearum; quod efficiam operationes illarum aut gustum, in nulla alia re extra te occupare recusando. *Ps. 58. 10.*

Ex his aliqua ratione conijci poterit quam ingens, quamque fortis hæc inflammatio amoris erit in spiritu, in quo DEVS vniuersas animæ vires, potentias & appetitus, tam spirituales, quam sensitiuos, vniuit & collegit, ita vt omnis hæc harmonia, vniuersas suas virtutes & vires in amore isto occupet & exerceat, atque hoc modo serio & cum perfectione primo Decalogi satisfaciat præcepto, quo nihil eorum quæ hominis sunt reijciendo, nullamque ipsius rem ab hoc amore excludendo præscribitur. *Diliges Dominum DEVM tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis.* *In hoc sublimissimo statu perfecte satisfit primo Decalogi præcepto Diliges Dominum &c.*

Recollectis itaque hic, in inflãmatione ista cũctis animæ appetitibus viribusque, sauciata iam attractaque in omnibus illis ipsa, & amore vehementi accensa: quales existimamus motus & affectus omnium istarum virium appetituumque futuros, videndo se forti amore inflammatos & sauciatos, nec sibi tamẽ ab amore satisfactum, sed potius in ipsius obscuro positos, de illoq; dubios tanto maiorẽ absq; ambiguitate patiendo ipsius seruiẽ, quanto maiora DEI capiunt experimenta. Amoris etenim istius, diuinique ignis attactus, taliter exsiccat spiritum, adeoque affectus ipsius ad sitim suam explendam inflammat; vt millies in seipsa reuoluatur, milleque modis ac formis desideret Deum cum ea auiditate, ac

desiderio quod graphicè expressit Dauid in quodam Psalmo dicens. *Sitiuit in te anima mea: quam multipliciter tibi caro mea* (hoc est, desiderando) alia verò loci huius translatio habet; *Sitiuit te anima mea, propter te moritur anima mea.* Ps. 62. 2.

Et hæc est causa cur hoc versu dicat anima.

Mille anxietatibus amoris inflammata.

Nam in rebus & cogitationibus omnibus, in omnibus negotijs occasionibusque quæ sese illi offerunt: multifariã amat, desideratq; & desiderium hoc multis modis in omnibus temporibus locisque patitur, in nulla re requiem capiẽdo inflammantem istam anxietatem vulnusque sentiendo, secundum quod sanctus Iob significat dicens. *Sicut ceruus desiderat vmbram, & sicut mercenarius præstolatur finem operis sui, sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeraui mihi. Si dormiero dicam, quando consurgam? & rursum expectabo vesperam & replebor doloribus vsque ad tenebras.* Iob 7. 2. Omnia hinc animæ fiunt angusta, nec seipsam capit, non in cœlo capit, non in terra, impleturque doloribus vsque ad tenebras, de quibus hic loquitur Iob: quod spiritualiter & ad nostrum propositum loquendo nihil est aliud, quam quoddam pati & absque vlla certæ spei lucis alicuius spiritualisque boni consolatione affligi. Vnde anxietates animæ quæ in ista amoris inflammatione afflictio maior est, eo quod duplici ex capite crescat. Primum se habet ex parte spiritualium tenebrarum, quibus se septam conspicit, quæ dubijs suis suspicionibusq; eam vexant. Secundum verò ex parte diuini amoris se tenet, qui illam inflammat, vulnereque suo amoroso stimulat, & mirum in modum accendit. Hęc duo pœnarum genera in simili statu benè expressit Isaias dicens: *Anima mea desiderauit te in nocte* (hoc est, in Isai. 62. 9. meis miserijs) Atque hic est vnus patiendi modus, habẽs se ex parte obscuræ noctis istius: *Sed & spiritu meo* (subiungit) *in precordijs meis de mane euigilabo ad te.* Et hic est alter patiendi modus, in desiderio & anxietate ex parte amoris, in præcordijs spiritus, quæ sunt spirituales affectus: At in medijs hisce obscuris amorosisque pœnis quandam associationem & fortitudinem in intimis suis percipit anima, quæ illam comitantur, tantopereque corroborant, vt si quando pondus hoc angustæ tenebræ euanescat, multoties se solam vacuam debilemque sentiat. Cuius rei hæc tunc causa est, quod cum vis efficaciaque animæ passiuè illi à tenebroso amoris igne qui eam inflammabat, communicaretur & imprimeretur: eo ab huiusmodi inflammatione cessante, tenebra etiam, fortitudo ac calor amoris in anima euanescunt.

CAPVT XII.

Horribilis hæc nox, purgatorium esse demonstratur. Et quæ ratione in illa diuina sapientia illuminat homines in terris, eadem illuminatione qua purgat illuminatque Angelos in cœlis.

EX dictis perspicuum euadit qua ratione nox hæc obscura amoroso ignis sicut in obscuro repurgat, sic etiam in obscuro flammescit anima. Animaduertere præterea licebit, quod quemadmodum in alia vita tenebroso materialiq; igne purgantur prædestinati; sic in præsenti vita amoroso, tenebroso spiritualique igne repurgantur ac abluuntur. Hoc siquidem inter vtrumque sæculum discrimen intercedit, quod ibi mundantur igne, hic verò purgantur & illuminantur amore. Quem profecto amorẽ petebat Dauid quando dixit: *Cor mundũ crea in me Deus &c.* Ps. 50. 12.

In futuro sæculo purgatorius ignis sicut in obscuro. Ignis amoris in hac vita sicut in obscuro.

Quan-

Quandoquidem cordis puritas, nihil est aliud, quam amor gratiaque diuina: & ideo mundi corde beati sunt à Saluatore nostro nuncupati, quod idem est, ac dicere amore capti, neque enim beatitudo alio quam amoris pretio confertur.

Quod autem repurgetur anima, dum igne isto amorosæ sapientiæ illustratur, (nunquam enim tribuit Deus sapientiam mysticam absque amore, cum ipse eam amor infundat) optime probat Hieremias dicens: *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me.* Dauid quoque dicit, Dei sapientiam argentum esse igne purgatiuo amoris examinatum: *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum.* Hæc enim obscura contemplatio simul infundit animæ amorem & sapientiam, vnicuique secundum ipsius necessitatem & capacitatem, illuminando animam illamque repurgando (quemadmodū inquit Sapiens) ab eius ignorantijs, sicuti ipsi euenit Sapienti.

Hinc etiam inferre licet, eandem Dei sapientiam à Deo per Hierarchias primas, vsque ad vltimas, & inde ad homines deriuatam quæ Angelos à suis repurgat ignorantijs, istas quoque animas purgare & illuminare. Propterea enim vniuersa opera quæ patrant Angeli, inspirationesque quas suggerunt, vere & proprie in scripturis, & à Deo dicuntur fieri, & ab illis; eò quòd regulariter illas per eos deriuat, & ipsi vicissim absque dilatione vnus alteri; quemadmodum solaris radius à multis fenestris ordinatè dispositis participatur. Quamuis enim verum sit, solarem radium ex se vniuersas illas illustrare, nihilominus quælibet illarum transmittit infunditque lumē alteri, magis attemperatum, secundum illius fenestræ modum, aliqua ratione magis contractum & remissum secundum quod fenestra plus, minusue ad solem accedit. vnde sequitur, quod quo superiores inferioresque Spiritus Deo sunt viciniores, eo magis sunt generaliori purgatione purgati, & illustrati, & quod etiam vltimi spiritus, tenuiorem remotioremque hanc illustrationem percipiant. Hinc vlterius sequitur, quod cum homo inferior sit Angelis, quando Deus vult illi contemplationem istam conferre, suo illam recipere debeat modo, magis scilicet limitate ac dolorose. Lumen siquidem Dei quod illuminat Angelum clarificando illum, inflammandoque amore, tanquam purum spiritum, huiusmodi infusioni aptum hominem, ob ipsius impuritatem ac debilitatem regulariter (quemadmodum superius dictum est) in obscuritate, afflictione & angustia illuminat (sicut facit sol, qui oculum infirmum cum dolore illuminat) donec ipsemet amoris ignis spiritualizet illum ac extenuet, repurgando eum, vt suauiter vnionem amorosæ huius influentiæ, more Angelorum iam repurgatus recipere valeat (quemadmodum postea diuino freti auxilio dicemus) Reperiuntur siquidem animæ, quæ perfectiorem in hac vita Angelis adeptæ sunt illuminationem. Interim tamen anima contemplationem istam, amorosamque notitiam, in angustia & amorosa (de qua sumus locuti) anxietate recipit.

Inflammationem hanc, amorisque anxietatem, non semper percipit anima, in principijs enim huius purgationis spiritualis, vniuersus hic diuinus ignis in exsiccando & disponendo animæ ligno potius, quam in eo inflammando occupatur, sed quando iam ignis iste calefacit animam, ordinarie admodum inflammationem istam & calorem amoris experitur. Cum autem hoc loco intellectus mediâ istâ tenebrâ, magis repurgetur, euenire interdum solet mysticam hanc amorosamq;

Theologiam inflammando voluntatẽ, simul etiam potentiã intellectus aliquâ notitiâ, & diuino lumine, adeo suaui diuinoque modo illuminando, irradiare, vt à voluntate adiuta, mirum in modum efferuescat, ardente in eo in vius flammis hoc diuino amoris igne, ita vt iam videatur animæ viuum sibi ignẽ cum intelligentia viua præberi. Et propterea dixit Dauid in quodam Psalmo: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis*: idque adeo vehementi igne, vt ego perciperẽ illud succẽdi. Porro inflamatio hæc amoris cum istarum duarum potentiarum, intellectus videlicet, & voluntatis vnione, ingentes diuitias & voluptates adfert animæ. Extra cõtrouersiam siquidẽ est, in obscuritate ista habere iam animam principia perfectionis vnionis amoris, quam expectat. Atque ita ad hunc tactum adeo sublimis sensus amorisque Dei, nisi exantlatis iam tribulationibus multis, magnaque purgationis parte peracta, non peruenitur; sed ad alios inferiores huius vnionis gradus, qui ordinarie contingunt, nequaquam purgatio tanta requiritur.

Psal. 38. 4.

CAPVT XIII.

De alijs dulcibus effectibus, quos hæc obscura contemplationis nox in anima operatur.

Primus effectus mira intellectus illustratio.

EX isto inflammationis modo, nonnullos suaues iucundosque effectus, quos obscura hæc cõtemplationis nox in anima operatur intelligere possumus. Aliquando enim in medijs obscuritatibus istis illuminatur anima, lucetq; ei lux in tenebris, hac mysticâ influentiâ in intellectum directe deriuatâ, voluntate etiam aliqualiter participante, idque cum quadam serenitate ac simplicitate tam subtili sensuique animæ grata & suaui, vt illi nullum nomen imponi possit, quod sit aliquando secundum vnum modum sensus experimentique Dei, aliquando verò secundum alium. Interdum etiam sauciat simul voluntatem, & tunc sublimiter, teneriè, fortiterque succenditur amor. Iam enim diximus, tanto perfectius & subtilius duas istas potentias intellectum scilicet & voluntatem interdum conspirare, simulque vniri, quanto magis intellectus repurgatur. Verum antequam huc perueniatur, vt plurimum inflammationis huius tactus, in voluntate potius sentitur, quam perfectæ intelligentiæ tactus, in intellectu.

Inflammatio hæc sitisque amoris, cum iam hîc à Spiritu S. deriuetur, plurimum differt ab illâ, de qua in nocte sensus supra loquuti. Quamuis enim sensus etiam inflamãtionis huius particeps sit, eo quod spiritus tribulationes illum quoq; ex parte afficiant; radix tamen viuacitasq; sitis amoris, in superiori animæ parte, id est, in spiritu sentitur, taliterque id quod sentit & eius quod optat absentiam in spiritu percipit, ac intelligit; vt omnem sensus afflictionem, quamuis absque comparatione vlla, maior sit quam in priori nocte sensitiua fuerit, nihili pendat: in intimis enim suis, agnoscit absentiam cuiusdam ingentis boni, cui nullum remedium adferri possit.

Verum hoc loco animaduertendum est quod licet à principio quãdo nox hæc spiritualis inchoatur, hæc amoris inflammatio minimè percipiatur, eò quod iste amoris ignis nondum operationem suam perfecerit; loco tamen inflammationis huius, confert confestim animæ Deus, quendam æstimatiuum amorem sui adeo ingentem vt (sicuti diximus) id quod magis illã affligit, quodque maximè in noctis huius tribula-

bulationibus sensit, anxietas sollicitudoq; sit, qua metuit ne Dei iacturam fecerit, ab eoque sit repudiata. Atque ita semper affirmare possumus, ab ipsis noctis huius principijs, animam anxietatibus amoris nunc æstimationis, nunc etiam inflammationis esse affectam: Manifesteque patet, maximâ passionem ac afflictionẽ, quam in istis tribulationibus percipit, esse formidinem istam. Si enim tunc certo illi constare posset, nequaquam se rerum omnium iacturam fecisse, sed illa quæ patitur, ad melius ipsius esse (sicuti reuera sunt) neque Deum sibi esse iratum, nihili vniuersas illas pœnas faceret, imo potius lætaretur inde, sciens Deo gratum à se obsequium exhiberi. Adeo enim ingens est æstimationis amor quo Deum prosequitur (quãquam in obscuritate, neque ipsa eum percipiente) vt non solum hæc quæ diximus libenter pateretur, sed magna cum alacritate multoties moreretur, vt illi rem gratam præstaret. Sed quando iam flamma succendit animam, simul cum æstimatione quam iam Dei habet, tantas vires animumq; acquirere solet, talemque propter Deum anxietatem experiri, cõmunicante eam illis amoris calore, vt animo fissime absque vllius rei respectu in ebrietate, violentiaque amoris non admodum quid faciat considerando, insolita quædam inusitataq; quocunque tandem modo seu ratione sese illi offerrent, aggrederetur, vt possit inuenire illum, quem diligit anima eius.

Et hæc fuit causa cur Maria Magdalena, quamuis esset adeo nobili genere nata, nobilium & ignobiliũ hominum conuentum in domo Pharisæi ad conuiuium cõgregatum neglexerit (quemadmodum ait S. Lucas) nec considerauerit importunum minusq; decens esse, inter cõuiuas lachrymas effundere, dummodo posset absq; vllius horę dilatione, dum cõmodius opportuniusq; tempus expectat, ad eum à quo iã ipsius anima sauciata erat, & inflammata, peruenire. Atq; ista est amoris ebrietas & audacia, quæ in causa fuit, vt quamuis sciret dilectum suũ sepulchro signato inclusum, ingenti lapide contectum, & à militibus custodientibus vndiq; septum, nihilominus nulla istarum rerum amoris impetum retardauit, quin ante solis exortum ad eum vnguentis liniendum proficisceretur.

Ebrietas amoris.

Ioã. 20. 1.

Tandem eadem amoris ebrietas anxietasq; efficit, vt illum quem hortulanũ credebat, & corpus è sepulchro sustulisse existimabat, an corpus illud sustulisset, & vbinam illud reposuisset percunctaretur, vt illud ipsa posset auferre: *Si tu sustulisti eũ dicito mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam*: non considerando interrogationem illam, si iudicium ratioque ab amore libera fuissent, non adeò esse prudentem, manifestè enim patet quod si ille furto illud sustulisset, nequaquam hoc ei esset propalaturus, & multo minus accipere permissurus. Istud quippe forti, vehementiq; amori proprium est, vt omnia illi possibi liavideantur, & omnes idem quod ipse cogitare molirique arbitretur; non enim aliquid aliud reperiri credit, quod quispiam amet aut quærat, præter id quod ipse amat & quærit: existimando nihil aliud amore & studio dignum præter illud. Propterea enim quando sponsa dilectum suum, per vicos & plateas quæsitura exiuit, cæteros eodem amore cogitationeque occupatos credens, illis dixit: vt si reperissent illum, dicerent eam amore sui languere.

Ibid. 15.

Amoris fortis proprium est omnia sibi credere possibilia.

Cant. 5. 8.

Huiusmodi erat Mariæ istius vehemẽtia amoris, vt videretur illi, quod si hortulanus locum in quo illum absconderat, indicasset, se ituram, illumque acceptura quam-

quamuis vel maxime prohiberetur. Huiusmodi itaque formæ ac conditionis sunt anxietates amoris, quas ista experitur anima, quando iam in hac purgatione spirituali profecit. Surgit enim de nocte (hoc est, in istis purgatiuis tenebris) secundum voluntatis affectus. Et veluti anxia fortisque leæna vel vrsa, suos requirens catellos, quando sunt ei ablati, nec tamen reperiens, sic & ista vulnerata anima, anxie potenterque Deum suum quærit. Cum enim in tenebris versetur, sentit eum sibi absentem, moriturque amore illius. Atque hic est impatiens amor in quo multo tempore vitam producere nequit homo, nisi vel optatis potiatur, vel certè intereat: similis illi quo erga filios flagrabat Rachel, quando dixit Iacob. *Da mihi filios, alioquin moriar.*

Amor impatiens.

Gen. 30. 1.

Sed hoc loco inquirendum est, quomodo anima cum se adeò miserabilem, tamque Deo indignam sentiat, sicut in istis purgatiuis tenebris sentiri solet; tantum animi & virium habeat, vt audeat ad diuinam aspirare, tendereque vnionem. Huius rei causa est; quod cum amor iam illi præbeat vires, quibus seriò amet: proprietas autem amoris sit, velle amantem vnire, coniungere, æquare & rei amatæ similem, vt sese in amoris bono perficiat, efficere: hinc est, quod cum hæc anima nondum sit in amore perfecta, eò quod nondum ad vnionem peruenerit; fames & sitis qua eius quod illi deest tenetur, vnionis videlicet, necnon vires, quas iam amor contulit, voluntati, quibus illam inflammauit, faciant illam, secundum voluntatē flammantem esse audacem, & animosam; quamuis secundum intellectum, eo quod sit in obscuritate, indignam se & miserabilem reputet.

Amor vti proprium est, velle amantem vnire & æquare rei amatæ.

Non placet hoc loco prætermittere causam cur diuina hæc lux cum semper sit lux animæ nō statim ac illam irradiat, illuminet: quemadmodum postmodum facit: imò potius tenebras illi offundat, tribulationesque de quibus supra locuti, adducat? Dubitationi huic aliqua ex parte superius responsum est, particulari tamen huic obiectioni respondetur. Tenebras cæteraque mala, quæ experitur anima, quando ista diuina lux illam ferit, nequaquam esse tenebras & mala lucis: sed ipsiusmet animæ, lucem autem animam illustrare, vt hæc mala agnoscat. Vnde ab ipsomet principio, irradiat illam lux ista diuina; sed ipsius ope non potest videre anima, nisi ea quæ sibi (vel vt melius dicam) in se sunt viciniora, tenebras videlicet & miserias, quas iam miserāte Deo videt, antea autem nequaquā videbat, eò quòd lux ista supernaturalis, minimè illam feriret. Atque hæc est causa, cur à principio nil aliud quam tenebras & mala percipiat. At postmodum notitiâ sentimentoque malorum repurgata, oculos quibus huius lucis diuinæ bona sibi manifestata intuetur, consequetur: profligatisque & sublatis vniuersis istis tenebris & imperfectionibus animæ, confestim incipiunt agnosci vtilitates, bonaque ingentia, quæ in hac fælici nocte anima adipiscitur.

Cur hac diuina lux

Ex dictis constat, quanta hoc loco conferat Deus animæ beneficia, secundum sensitiuam & spiritualem partem, forti eam isto lixiuio amaraque potione ab omnibus affectibus & habitibus imperfectis, quibus tam in temporalibus, quam in naturalibus sensitiuis & spiritualibus scatebat emundando, potentias ipsius interiores obscurando, illasque omnibus istis euacuando, constringendo etiam & exsiccando sensitiuas, spiritualesque affectiones illius, debilitando insuper & vires illius naturales in omnibus illis attenuando (quod nunquam, anima per seipsam con-

consequi potuisset, quemadmodum statim dicemus) hocque modo illam deficere, ac veluti emori omnibus illis quæ non sunt Deus faciendo; vt hac ratione denudatam ac antiqua iam sua pelle spoliatam, nouis induat vestimentis. Atq; ita renouatur illi, sicut aquilæ iuuentus sua, remanẽdo nouo induta homine, qui secundum Deum (vt ait Apost.) creatus est, quod nihil aliud est, quã eius illustrare intellectũ supernaturali lumine, ita vt intellectus humanus fiat diuinus vnitus diuino. Et eodẽ modo voluntatem illius diuino inflamare amore, ita vt iam voluntas non minus sit quam diuina, non minus scil. quã diuino modo amando, vnita iam & vnũ cum voluntate amoreque diuino effecta, & eodẽ omnino modo memoria. Affectus etiã & appetitus vniuersi secundum Deum diuino modo mutantur. Atq; ita hæc anima erit iam de cœlo cælestis, & plus diuina quam humana. Quæ vniuersa (sicut ex ijs quæ dicta sunt, optime animaduerti potest) Deus in ea nocte ista mediante efficit ac operatur, diuinè illam illustrando, ac Dei solius, nulliusque alterius rei anxietatibus inflammando. Quamobrem ipse rationabiliterque admodum subiungit confestim anima tertium Cantus versum, quem cum cæteris eiusdem cantus, versibus proponemus, & capite sequenti exponemus.

CAPVT XIV.

In quo tres vltimi primi Cantus Versus proponuntur & explanantur.

O sortem fortunatam,
Exiui, nec fui obseruata;
Cum iam esset domus mea
tranquillata.

FOelix sors quam primo trium horum versuum decantat anima, contigit illi, ob ea, quæ duobus sequentibus versibus recensет, in quibus illius metaphoram assumit, qui ad aliquid operis circumspectius peragendum, domo suâ noctu & in tenebris, sopitis iam domesticis, egreditur, ne quispiam illorum opus interturbet. Cum enim hæc anima opus tam rarum, heroicumque esset patratura, ac est seipsam diuino dilecto vnire, foras exit, dilectus quippe non nisi foris, & in solitudine reperitur. Quam etiam ob causam, sponsa solum illum inuenire cupiebat dicens: *Quis mihi det te fratrem meum vt inueniam te foris, & deosculer te?* id est, communicem tibi amorem meum? Cant. 8. 1. Expediebat præterea animę amore captæ, ad exoptatum suum finem consequendũ, noctu egredi, sopore iam oppressis omnibus suis domesticis: hoc est extinctis iam ac noctis istius beneficio vniuersis vilibus operationibus, passionibus, appetitibusq; suis consopitis, qui sunt domestici ipsius, qui semper quod enigilant, molestissimè ferentes animam ab ipsis liberam euadere, hæc ipsius bona præpediunt. Hi siquidem sunt domestici, de quibus in sancto Euangelio loquitur Saluator *Et inimici hominis domestici eius.* Quare expediens erat, istorum domesticorum operationes motusq; in nocte ista cõquiescere & sopiri, ne supernaturalibus bonis vnionis amoris cum Deo obstaculo essent, quæ vnio perseuerante operatione viuacitateq; illorum nequit obtineri. Vniuersa siquidẽ ipsorum molimina & motus præpediunt potius spiritualiũ bonorũ vnionis amoris receptionẽ, quam promouent, nam omnis ipsorum aptitudo & habilitas naturalis, manca insufficiensq; est, bonorũ supernaturalium intuitu, quæ sola Dei infusione, passiuè secretè & in silentio animæ cõmu-

Qui sint domestici inimici hominis. Matt. 10. 36.

nicantur, vnde necessarium est, vt vniuersæ potentiæ sileant, vilem suam operationem & humilem abiectamque propensionem minime intermiscendo, vt infusionem hanc diuinam recipiant.

Quamobrem fortunata sors animæ istius fuit, quod Deus in nocte ista vniuersam domus suæ familiam, hoc est, vniuersas potentias, passiones, affectus & appetitus qui in anima sensitiua, & spirituali viuunt, consopierit, vt ipsa ad spiritualem perfecti amoris Dei vnionem posset peruenire. *Exiui nec fui deprehensa* aut obseruata, hoc est, absque eo quod ab illis præpediter, eo quod in nocte istâ consopiti, mortificatique fuerint, quemadmodum dictum est. O quam fortunata sors est, posse animam è domo sensualitatis suæ liberam euadere: Nemo hoc recte capere potest, nisi forte (vt existimo) anima quæ rem hanc experta est. Perspicue enim animaduertet, quam miseram seruitutem seruiebat, quantisque miserijs, cum passionum, & appetituum suorum voluptatibus inhæreret, erat subdita, agnoscetque qua ratione vita spiritus sit vera libertas, & opulentia, quæ secum inæstimabilia bona adducit, quorum nonnulla, sequentibus cantibus adnotabimus, ex quibus manifestius patebit, quam merito fœlici sorti anima noctis huius horrendæ transitum, adscribat.

Fortunata sors est animæ posse è domo sensualitatis suæ liberam euadere.

CAPVT XV.

Secundus Cantus, eiusque declaratio proponitur.

CANCION II.

A escuras y segura,
Por la secreta escala disfraçada,
O dichosa ventura,
A escuras y encelada;
Estando y ami casa sosegada.

SENSVS.

In obscuro & satis tuta
Per secretos gradus: personata,
O sortem fortunatam,
In tenebris & bene celata
Cum iam domus meæ esset tranquillata.

PRosequitur in hoc cantu anima nonnullas proprietates, obscuritatis noctis istius celebrare, optimam quæ ei per illas euenit, sortem rursus decantando. Repetit autē proprietates huiusmodi, cuidam tacitæ obiectioni respondendo & admonendo ne aliquis existimet, quod quia tot angustiarum tempestates, dubia, timores horroresque, sicuti dictum est, in ista nocte pertransisset, propterea maiori se perditionis periculo obnoxiam fuisse, quin potius in ista obscura nocte maiorem se securitatem esse adeptam, eò quod in ea subtiliter industrioseque aduersarios suos, iter suum semper præpedientes, euadebat. In obscuritate enim noctis immutato schemate pergebat, trium colorum vestimentis, de quibus postmodum sumus locuturi, induta, & per quandam secretissimam scalā, nemine domesticorum conscio (quæ scala sicuti etiam suo loco adnotauimus est viua fides) adeò contecta occultaque ad opus suum melius peragendum egressa est, vt non potuerit non tutissime iter hoc peragere: præsertim consopitis iam, mortificatis & extinctis in nocte istâ purgatiuâ appetitibus, affectibus, passionibusq; suis, qui si expergefacti ac viui fuissent, nequaquam egressionem hanc permisissent.

CAPVT

CAPVT XVI.

Primus proponitur Versus, & qua ratione dum anima in obscuritate iter peragit, secura incedat, demonstratur.

In obscuro & satis tuta.

Quidnam sit hæc obscuritas in qua anima versatur.

OBscuritas, de qua hoc loco loquitur anima circa appetitus & potentias sensitiuas interiores & spirituales (sicuti iam diximus) versatur, quæ omnes in nocte istâ in suo lumine naturali obscurantur, vt hoc lumine repurgato possint supernaturali lumine illustrari. Appetitus siquidem sensitiui & spirituales consopiti sunt & mortificati, nec valent rem aliquam siue diuinam siue humanam dulciter degustare, affectus animæ oppressi & coarctati, nec sese mouere, aut alicui rei inniti possunt: imaginatio ligata nec aliquem discursum aptum formare potest: memoria extincta: intellectus obtenebratus: & quod hinc sequitur, voluntas etiam arida & angustiata, vniuersæque potentiæ euacuatæ, & super omnia hæc densa quædam & onerosa nubes animam premit, quæ illam coarctat, & quasi à DEO alienatam separat.

Hocque modo in *Obscuro* dicit se *securam* iter fecisse. Cuius securitatis causa recte est declarata, vt plurimum enim nunquam aberrat anima, nisi propter appetitus suos: vel propter delectationes suas, vel propter discursus suos, vel propter suas intelligẽtias, vel tandem propter affectus suos in quibus ordinarie excedit, vel deficit, vel variat, vel aberrat, & inde ad ea, quæ non expediunt, fit prouenſa. Vnde omnibus operationibus, motibusque istis præpeditis; & ligatis perspicuum est, remanere animam ab errore in illis committendo, tutam ac securam, non enim duntaxat à se ipsa libera euadit, verum etiam à duobus alijs inimicis, qui sunt mundus, & dæmon, qui affectibus & operationibus animæ extinctis nequeunt illam aliunde alioq; modo bello lacessere.

Hinc sequitur, eo animam securiorem esse, quo magis in obscuritate & à suis naturalibus operationibus vacua incedit. Nam vt Propheta ait: *Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum*: interitus perditioque animæ ex ipsa tantummodo originem trahit (hoc est, ab operationibus, appetitibusque suis interioribus & sensitiuis inordinatis) bonum autem (ait Dominus) tantum ex me. Quamobrem animæ hoc modo suis malis impetitæ, reliquum est, vt cõfestim conferantur vnionis cum Deo in appetitibus & potentijs suis bona, quæ vnio diuinas illas cælestesq; efficiet. Vnde tenebris istis durãtibus, si anima sese reflectere voluerit, optimè animaduertet, quam parum appetitus & potentiæ ad vanas & inutiles res diuagentur: quamque securam & alienam se à vana gloria & superbia, ac præsumptione, falso item gaudio, alijsque id genus multis rebus, sentiat. Benè ergo deducitur, quod quia anima in obscuro incedit, tantum abest, vt se perdendi periculum incurrat, vt etiam seipsam lucrifaciat: siquidem in hoc statu virtutes acquirit. *Osee 13.9*

Cur Deus in nocte ista obscuret potentias & appetitus animæ etiã respectu rerum bonarum.

Verum hinc confestim nascitur dubium quoddam, nimirum siquidem res diuinæ ex se prosunt animæ, illamque lucrifaciunt & securam reddunt, cur in nocte ista obscurat Deus appetitus, potentiasque illius, etiam respectu rerum bonarũ, idq;

taliter, vt etiam eis frui non possint, nec illis, sicut cæteris, vti & occupari, imò etiam aliqua ratione minus ? Dubitationi huic respõdetur, plurimum expedire tunc animæ operationum suarum gustuumque etiam in rebus spiritualibus vacuitatem, eo quod appetitus & potentias viles & impuras habeat: vnde quamuis potẽtijs istis, suauitas cõmunicatioq; supernaturalium & diuinarum rerum tribueretur, non possent illas, nisi vili infimoque modo recipere: nam quemadmodum Philosophus ait.

Dubij resolutio.

Omne quod recipitur ad modum recipientis recipitur. Vnde cum potentiæ istæ naturales, puritate, viribus, capacitateque ad res supernaturales, secundum ipsarum modum, videlicet diuinum recipiendas & degustandas sint destitutæ, suoque duntaxat modo illas delibare valeant: conueniens & necessarium est, vt etiam circa hæc diuina obscurentur, vt sit perfecta purgatio, vt postquam ablactatæ, repurgatæ, & annihilatæ in illo primo fuerint, vilem illum operandi, & recipiendi modum amittant, hocque modo dispositæ, & attemperatæ, vniuersæ istæ potentiæ & appetitus animæ, ad excelse sublimiterque recipienda, sentienda, & degustanda diuina remaneant; quod fieri nequit, nisi prius vetus moriatur homo. Hinc est quod vniuersa spiritualia dona nisi desuper à Patre luminum in arbitrium appetitumque humanum descendant, licet quam maximè appetitum, & gustum suum ac potentias circa Deum exerceat homo; licet etiam videatur illi quod insigniter Deo potentiæ istæ fruantur, non tamen illum, hoc diuino perfectoque modo, degustant.

Et ad hoc propositum (si iste esset locus oportunus) possemus hoc loco demonstrare quomodo reperiantur multi, qui multis suauitatibus affectibusque in Deo & rebus spiritualibus perfruuntur, & circa eum, potentiarum suarum operationes exerceant, & forsassis supernaturalia illa atque spiritualia esse arbitrantur, cum tamen nihil forte aliud sint, quam actus ac appetitus valde naturales & humani: cum enim huiusmodi actibus & appetitibus, in cæteris rebus vtantur, etiam illos cum eodem temperamento, circa res bonas, ob quandam naturalem facilitatem, quâ ad mouendum & excitandum appetitum atque potentias ad quamlibet rem præditi sunt, exercent. Si in illis quæ nobis dicenda supersunt oportuna sese attulerit occasio, de hac re agemus, nonnulla adducendo indicia, ex quibus dignosci possit, quando motus actionesque interiores animæ circa Deum sint solummodo naturales, quãdo verò spirituales tantum, quando verò spirituales & naturales simul. Nunc satis sit hic nosse, quod ad hoc, vt actus & motus interiores animæ possint à Deo sublimiter & diuine moueri, debere illos prius consopiri, obscurari, & tranquillari in naturalibus, quantum ad vniuersam ipsorum aptitudinem, operationemque spectat, donec deficiant.

O ergo spiritualis anima: quando appetitum tuum videris obscuratum, affectus tuos aridos & coarctatos, potentiasque tuas ad quodlibet interius exercitium inhabiles & ineptas, non propterea affligaris; quin potius, magnam tibi fælicitatem obuenisse reputa: siquidem iam te Deus à te ipsa, auferendo ex manibus tuis facultates tuas liberat, quibus licet, quam optimè negotiata fuisses, nunquam ita perfectè secureque ob potentiarum istarum impuritatem ac ruditatem fuisses operata, quemadmodum nunc, quando Deus

Consolatio animæ in desolatione tua.

porrecta tibi manu, te veluti cęcam in obscuritate, quò & quà te ignorante, ducit quo tu nunquam oculis pedibusque tuis vtens licet quam optimè incederes, iter facere sciuisses.

Causa porrò ob quam non solum secura graditur anima, quando hoc modo vata graditur in tenebris, sed etiam maiora in dies capit virtutum incrementa, magisque in via spirituali proficit, est, quia vt plurimum, quando anima nouas recipit robitatis profectusque accessiones, id fit per viam per quam illa minus cogitat, imò in qua ipsa se perire ordinariè arbitratur. Cũ enim ipsa nunquam nouitatem illam, quæ eam excæcat, & à suo primo procedendi modo deuiare facit, fuerit experta, potius se perdere, quam lucrari existimat; cum se videat in ijs quæ sciebat & degustabat perire, & per viam quam ignorat, & quæ illi minimè sapit, proficisci. Quemadmodũ viator, qui vt nouas atque ignotas regiones petat, alterius relationi nixus, nouis ac sibi ignotis & inexpertis itineribus graditur, non verò illis quæ ei fuerant ante explorata: (perspicuum siquidem est non potuisse eum nouas ingredi regiones, nisi itineribus nouis, nunquam cognitis, ac illis quæ nouerat prætermissis (eodem modo anima quãdo maximè in tenebris, & nesciens incedit, proficit. Propterea cum (sicuti dictum est) Deus in hoc statu, magister sit istius obcæcatæ animæ, optimæ potest illa, iam quod mysterium hoc intellexit, in veritate lætari dicereque:

In obscuro & satis tuta.

Aliaetiam subest causa, cur in tenebris istis, anima incesserit secura, estque quia patiebatur: via enim patiendi securior & vtilior est, quam via fruendi & faciendi. Primo quia in patiendo superadduntur ei diuinæ vires, in faciendo autem & fruendo, debilitates ac imperfectiones suas exercet. Secundo, quia in patiendo exercentur & acquiruntur virtutes, & purificatur anima ac sapientior cautiorque euadit.

Sed alia magis præcipua potest assignari causa, cur anima in tenebris ambulando secura incedat, quæ ex parte dictæ lucis, vel obscuræ sapientiæ se tenet. Nam taliter absorbet, & in se imbibit animam hæc obscura contemplationis nox, illamque adeò vicinam Deo constituit, vt ipse illam protegat, & ab omni eo, quod Deus non est, liberet. Cum enim in hoc statu anima medicamenta sumat, vt sanitatem, quæ est ipsemet Deus consequatur, exercet illam maiestas sua, dietâ & omnium rerum abstinentiâ habet appetitum nauseabundum respectu omnium illarum: quemadmodum vt infirmus aliquis sanetur qui in domo sua magni fit, adeò illum in intimis cubiculis custodiunt, vt ne leui quidem aura afflari patiantur, sed neque solis luce frui sinunt; neque permittunt, vt vestigia incedentium, domesticumque strepitum percipiat, delicatissimo denique eum cibo, & qui potius substantiale alimentum præbeat, quam gratum saporem, idque ad mensuram, nutriunt.

Cunctas proprietates istas (quæ omnes ad securitatem custodiamque animæ spectant) hæc obscura contemplatio illi ideo confert, quia ipsa Deo proximior est effecta. Et reuera quo amplius anima Deo appropiat, eo obscuriores tenebras profundioremq; obscuritatem ob suam debilitatem percipit; sicut ille qui propius ad solem accederet, maiores tenebras maioremq; cruciatum ab ipsius maximo splendore propter debilitatem, impuritatem ac breuitatem intuitus sui pateretur: vnde adeò immensa est lux spiritualis Dei,

Quo magis anima Deo appropinquat, eo obscuriores tenebras ob suam debilitatem experitur.

adeoq; intellectũ ſuperat, vt quãdo maximè ad eam accedit, illũ excæcet & obſcuret. Atque hæc eſt cauſa ob quã ait Dauid, poſuiſſe Deum latibulũ ſuum tenebras & tabernaculũ ſuũ in circuitu ſuo tenebroſam aquã in nubibus aëris. Quæ tenebroſa aqua in nubibus aëris eſt obſcura contẽplatio. Diuinaq; in animabus ſapientia, quemadmodum iam dicemus. Quod experiũtur ipſæ tanquã rem tabernaculo in quo ipſæ cõmoratur, vicinã, quando illas Deus magis ſibi coniungit. Atq; ita quod in Deo eſt lux, claritaſq; ſublimior, id homini eſt obſcura tenebra, quemadmodũ dicit S. Paulus, ſed & Dauid confeſtim in eodẽ Pſalmo declarat, dicens: *Præfulgore in cõſpectu eius nubes tranſierũt*, id eſt, propter ſplendorẽ, qui in eius præſentia reperitur, nubes & cataractæ egreſſæ ſunt (videlicet pro intellectu naturali) cuius lux ſicut dicit Iſaias. *Obtenebrata eſt in caligine eius.*

Pſ. 17. 12.

Ibid. 13.

Iſa 5. 30. *Miſerabilis vitæ noſtræ cõditio in qua tam difficulter veritatem agnoſcimus.*

O miſerabilis vitæ noſtræ conditio, in qua tanta cum difficultate veritas agnoſcitur; ſiquidem id quod ſplendidius veriuſq; eſt, nobis eſt obſcurius magiſq; ambiguũ, & idcircò etiã illud fugimus, & ab eo quãuis maximè nobis expediat abhorremus, id verò quod magis conſpicuũ eſt oculosq; noſtros adimplet, hoc amplectimur, & auide cõſectamur, cũ tamen illud tale ſit, quod nobis minus expedit, quodque nos ad ſingulos ferme paſſus facit corruere, ô in quanto timore diſcrimineq; viuit homo, ſiquidẽ ipſamet oculorũ ſuorum naturalium lux, quã ſequitur eſt prima quæ illũ infaſcinat, & ne ad Deũ tẽdat, decipit, quod ſi viam, per quam eundũ ſit, videre velit, neceſſariũ illi eſt oculos habere clauſos, & in obſcuritate iter peragere, vt poſſit ſecurus ab inimicis ſuis domeſticis, qui ſunt ſenſus & potẽtiæ ipſius proficiſci! Optime igitur abſconditur & protegitur hic anima in iſta tenebroſa aqua quæ eſt Deo vicina. Quemadmodũ enim ipſimet Deo, pro tabernaculo & cubiculo deſeruit, eodem etiã modo deſeruiet illi, pro perfecta protectione ac ſecuritate, ſicet hoc in tenebris ſit, in quibus protegitur, ſibiq; ipſi & omnibus alijs creaturarũ damnis abſconditur, quemadmodũ diximus. De huiuſmodi enim animabus intelligitur quoq; illud quod in alio Pſalmo ait Dauid. *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ, à cõturbatione hominum: Proteges eos in tabernaculo tuo, à contradictione linguarum.* Quibus verbis omne protectionis genus intelligitur: manere ſiquidem abſconditũ, in abſcondito faciei Dei, à cõturbatione hominum, eſt obſcura contemplatione iſta, cõtra occaſiones vniuerſas quæ ex parte hominũ poſſunt illi obuenire, eſſe roborata. Protegi verò in tabernaculo eius à contradictione linguarum, eſt manere animã huic aquæ tenebroſæ immerſam; quæ eſt tabernaculum de quo locuti ſumus. Vnde quoniam anima vniuerſos appetitus affectuſq; ſuos ablactatos & mortificatos habet, & potẽtias obſcuratas, eſt ab omnibus imperfectionibus, quæ ſpiritui repugnãt, immunis, ſiue illæ ex ſua propria carne, ſiue ex cæteris creaturis oriantur. Quamobrẽ hæc anima optime dicere poteſt ſe *In obſcuro & ſecuram incedere.*

Pſ. 30.

Alia quoque non minus quã antecedẽs efficax ratio ſubeſt, ad penitus pernoſcendum animam iſtam recte incedere, quãuis id in obſcuritate fiat: robur videlicet & fortitudo, quã hæc obſcura, dolorоſa, tenebroſaque Dei aqua confeſtim animæ confert. Licet enim tenebroſa ſit, aqua tamen eſt: & propterea recreat eã, reficit, ac roborat in ijs, quæ magis ei expediũt; licet hoc in obſcuritate & dolore perficiat. Illicò enim animã duertit in ſe anima vera quandam ſeriamq; determinationem & energiam nihil huiuſmodi perpetrandi, quod

quod Dei offensam esse arbitretur, nihilque eorum prætermittendi, quæ ad ipsius obsequium spectare videantur. Amor siquidem ille obscurus in ea cum quadam vigilanti solicitudine & interiori eorum, quæ illius causa facere vel prætermittere, ad placendum illi debet, cura succēditur; oculatè considerando, milleq; modis indagando, si forte aliquam illi indignandi causam præbuerit: idque multo maiori cum sollicitudine & anxietate, quā antea quemadmodum superius dictum est, cum de amoris anxietatibus ageremus. In hoc enim statu vniuersi appetitus, vires, potētiæq; animæ, cum ab omnibus alijs rebus auulsæ & abstractæ sint, vniuersum conatum ac vires suas in Dei sui duntaxat obsequio impendunt. Hocque modo anima egreditur ex seipsa, & ab vniuersis rebus creatis, & ad dulcem delectabilemque diuini amoris vnionem, in obscuro transit & secura.

CAPVT XVII.

Secundus proponitur Versus, & qua ratione hæc obscura contemplatio arcana sit, demonstratur.

Per secretam scalam personata.

TRes nobis proprietates ad trium dictionū, quæ præsenti versu continētur, intelligentiam, explicandæ sunt. Quarum duæ, *Secreta* videlicet & *Scala* ad obscuram contemplationis de qua agimus noctem spectant: tertia autem, nimirum personata ad modum quo in hac nocte vtitur anima, pertinet. Primo loco sciendum est, appellare in hoc versu animam obscuram contemplationem istam, per quam ipsa ad amoris vnionem egreditur, *secretam scalam* ob duas quæ in ea reperiuntur proprietates, quas iā explicabimus.

Primo contēmplationem istam tenebrosam, vocat *secretam*, eò quod sicuti superius attigimus, ipsa sit mystica Theologia, quam secretam sapientiam Theologi appellant: quæ sicuti sanctus Thomas docet, peculiarius communicatur infunditurque animæ per amorem, quod arcano ac secreto modo euenit, non interueniente naturali intellectus nec reliquarum potentiarum operatione. Vnde quoniam dictæ potentiæ hanc Mysticam Theologiam non attingunt, sed Spiritus sanctus infundit illam animæ (quemadmodum sponsa in Canticis asserit) ipsa qua id ratione fiat, minime agnoscente, appellatur *secreta*. Et reuera non solum ipsa rem hanc haudquaquā intelligit, sed nec quispiam alius, nec dæmon ipse. Magister siquidem, qui illam instruit in anima substantialiter moratur, sed non ob id duntaxat appellari potest secreta, verumetiam propter effectus, quos in anima producit. Non solum enim in tenebris purgationisque angustijs quādo hæc secreta sapientia repurgat animam, secreta & arcana est, vt anima nihil de illa proferre sciat, sed etiam postmodum in ipsamet illuminatione, quando manifestius hæc sapientia illi communicatur, est adeo animæ occulta, vt illam agnoscere, nomenque illi, ad eam verbis explicandā imponere nequeat, nam præterquā quod nullo tāgitur anima desiderio illam propalandi, nullum etiam reperit modum aut rationē, ficut similitudinem, quæ illi omnino ad intelligētiam adeò sublimem manifestādam, tamq; delicatum & infusum spirituale sentimentum exprimendum satisfaciat. Vnde etsi quam maximo teneretur desiderio ista explicandi, & licet plurimos declarandi modos,

eo ge-

congereret, semper tamen remaneret secreta. Cũ enim interior illa sapientia adeò simplex, generalis spiritualisque sit, vt nõ fuerit intellectum ingressa, aliqua specie, vel imagine sensui subiecta, obuoluta & contecta (sicut interdum euenire solet) hinc est quod imaginatiua & sensus, cum illa non fuerit per illos ingressa, nec modum coloremque ipsius perceperint, nesciant rationem illius assignare, nec illam taliter imaginari, vt de ea aliquid rectè enunciare valeant: quamuis manifestè videat anima se dulcem raramque illam sapientiam intelligere & degustare, illius instar, qui rem quampiam nunquam antea visam conspiceret, cuius etiam similitudinem nũquam vidisset: quamuis enim illam intelligeret, ac degustaret, nomen tamen illi imponere nesciret, nec licet maximè conaretur, quidnam sit posset depromere; atque hoc ita se haberet, etiamsi res illa sensibus fuisset percepta.

Styli idiomatiq; diuini notanda proprietas.

Quanto minus ergo exprimi aperirique poterit id, quod nequaquam sensuum interuentu ingressum est? Hoc siquidem diuino stylo idiomatique proprium est; vt quando illud est maxime intimum, infusum & spirituale, ac vniuersum sensum excedens, confestim vniuersam exteriorum interiorumque sensuum harmoniam, & aptitudinem cessare faciat, & obmutescere. Cuius rei suppetunt nobis authoritates simul & exempla in diuinis literis. Inopiam siquidem ac insufficientiam exterius diuinum idioma manifestãdi ac proferendi ostendit Ieremias, quando postquam Deus cum illo sermonem miscuisset, nihil aliud dicere sciuit, præterquam. A. A. A. Defectum quoque & insufficientiam interiorem, hoc est interioris imaginationis sensus, nec non etiam exterioris quantum ad præsens negotium spectat, ostendit etiam coram Deo in rubo Moyses, quando non tantummodo dixit Deo, se postquam cum illo verba fecisset loqui nescire; sed etiam (iuxta quod in Actis Apostolorum dicitur) ne considerare quidem audere, *tremefactus autem Moyses non audebat considerare*; existimando imaginationem remotam admodum & mutam esse. Cum enim contemplationis huius sapientia, idioma Dei sit ad animam puri spiritus, cuiusmodi nequaquam sunt sensus, minime illud percipiunt, atque hac ratione est illis secretum, neque illud norunt, neque verbis exprimere valent.

Isa. 1. 6. *Exo. 4. 10.* *Act. 7.*

Hinc elicere possumus causam, ob quam nonnullæ personæ, hac via incedentes quæ sortitæ sint animas bonas & timidas, cum rationem eorum quæ diuinitus percipiunt, rectoribus suis reddere cuperent, nullo id modo facere norunt aut valent, vnde & in proferendis illis magnã sentiunt renitentiam, præsertim verò quando contemplatio est aliquo modo simplicior, & quam anima vix percipit: idque solum dicere norunt manere animam satisfactam, & quietam, nec non se Deum experiri, resque illis iuxta arbitriũ suum ex animi sententia succedere, nulla tamen ratione exprimere valent, id quo potitur anima, præterquam generalibus loquendi modis, superius dictis, similibus. At aliter res se habet, quando illa, quæ recipit anima, particularia sunt, cuiusmodi sunt visiones, sentimenta &c. quæ quoniam vt plurimum sub aliqua specie, cuius sensus particeps est, recipiuntur; tũc sub illa specie, vel alia similitudine verbis exprimi possunt. Verùm non est de ratione ac proprietate contemplationis puræ, posse verbis efferri; vix enim hæc verbis explicari potest, & idcirco appellatur arcana.

Nec idcirco duntaxat hæc obscura cõtemplatio dicitur & est secreta, sed etiam quia

quia proprium est huic mysticæ sapientiæ, abscondere in se animam. Nam præter id quod ordinarie euenit, taliter aliquando absorbet animam, illamque in sua secreta abysso demergit, vt manifestè ipsa animaduertat, se ab omni creatura remotissimam derelictissimamq; manere, taliter vt videatur illi, quod in quadam profunda vastissimaque solitudine constituatur, ad quam nulla humana creatura peruenire potest, & veluti in quodam immenso deserto, quod nullos habet termines, quod illi tanto delectabilius, suauius, amabiliusque est, quanto magis profundũ, amplum & solitarium est, in quo anima tantò amplius se occultam, absconditamque conspicit, quãto se magis super omnẽ temporalem creaturam eleuatã intuetur: & tunc abyssus ista sapientiæ tantopere attollit & magnificat animam, collocando illam in venis scientiæ amoris, vt non solum faciat illam agnoscere vilem abiectamque esse vniuersam creaturam (quãtum ad istam supremam sapientiam & sensum diuinum attinet) verumetiam animaduertit quam viles & insufficientes, & aliqua ratione improprij sint vniuersi loquendi modi, quibus in hac vita de rebus diuinis agitur, neque posse via naturali (licet sublimissimè doctissimeque de ijs disseratur) de illis vt ipsæ in se sunt, notiam haberi & sentiri; nisi illuminatione mysticæ huius Theologiæ intercedente. Atque ita animaduertendo anima veritatem hanc in illuminatione illius, quod nimirum non possit attingi, & multo minus verbis humanis, aut vulgaribus declarari, merito illam appellat secretam.

Hanc proprietatem quod videlicet sit secreta; & super capacitatem naturalem diuina hæc contemplatio, non solum ideo habet quia est supernaturalis; sed etiam quia est dux, animam ad perfectiones vnionis cum Deo deducens; quæ cum humanitus sint ignotæ, ad eas nesciendo & diuino modo ignorando tendi debet. Loquendo enim mysticè (quemadmodum hoc loco loquimur) res istæ minime agnoscuntur, neque sicuti ipsæ sunt intelliguntur, quando inquiruntur, sed quãdo iam repertæ sunt, & ad praxim deductæ. Nam ad hoc propositum ait Propheta Batuch de sapienta ista diuina loquens. *Non est qui possit scire vias eius; neque qui exquirat semitas eius*: Regius quoque Propheta de hoc animæ itinere cum Deo loquendo ait: *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi tuæ: commota est & contremuit terra. In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis, & vestigia tua non cognoscentur.* Quæ omnia spiritualiter loquendo ad hoc, de quo tractamus, propositum intelliguntur. Illuminatio enim coruscationum Dei, quibus orbis terræ illuminatur, est illustratio, quam diuina hæc contemplatio in animæ potentijs efficit, commotio autem & tremor terræ, est dolorosa purgatio, quam in illa producit. Dicere autem, viam Dei, per quam anima ad illum pergit, esse mare, vestigiaque ipsius in aquis multis, & propterea non esse cognoscenda est dicere, quod hoc iter, quo ad Deum tenditur, adeò arcanum & sensui animæ occultum est, quemadmodũ sẽsui corporeo occultũ est maris iter, cuius semitæ & vestigia non cognoscuntur. Hac siquidem proprietate prædita sunt passus & vestigia, quibus Deus in animabus, quas ad se perducere vult, faciendo illas in vnione sapientiæ suæ insignes, graditur, vt nimirum non cognoscantur. Quam ob causam in libro Iob negotium istud inculcando, hæc dicuntur verba. *Nunquid nosti semitas nubium magnas & perfectas scientias?* Significando his verbis vias ac itinera, per quæ Deus ad insignem prouehit magnitudi-

Bar. 3. 31.

Ps. 76. 19.

Iob. 37. 16

nem animas, illasque in sapientia sua perficit, quæ hoc loco per nubes designantur. Manifestè itaque patet contemplationem istam quæ ad Deum deducit animam, esse sapientiam arcanam.

CAPVT XXVIII.

Qua ratione hæc sapientia secreta, sit etiam scala, demonstratur.

RElíquum est, vt iam secũdum videamus, qua ratione videlicet, hæc arcana sapientia, sit etiam scala. Ad quod propositum sciendum est, multas ob causas posse nos hanc arcanam sapiẽtiam appellare scalam. Primo, quia quemadmodum scalis conscendimus & ad diripiẽdos thesauros arcibus inclusos penetramus: sic etiam per hãc arcanam contemplationem, licet rei huius ignoretur modus, ad cognoscenda possidendaque cœlestia bona & thesauros acquirendos conscendit anima. Quam rem aptè exprimit Regius Propheta Dauid quando ait: *Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum, in loco quem posuit: Etenim benedictionem dabit legislator; ibunt de virtute in virtutem;* (veluti de gradu in gradum) *videbitur Deus Deorum in Sion,* qui est arcis Sion thesaurus, hoc est, æterna beatitudo.

Hæc arcana sapientia dicitur scala, quia per eam ad cœlestes thesauros conscendit anima. Psal. 83. 6.

Possumus etiam contemplationem hãc appellare scalam, quia sicuti in scala ijdem gradus ad ascendendum deseruiunt, & ad descendendum: ad eundem quoque modum hæc contemplatio arcana, ijsdem ipsis cõmunicationibus quas animæ confert; & quibus eam in Deum subleuat, etiam eã in seipsa deprimit & humiliat. Siquidem communicationes, quæ à Deo reuera promanant, hac præditæ sunt proprietate, vt simul & semel, humilient & subleuent animam. In hoc quippe itinere descendere, ascendere est, & ascendere descendere: hic enim, *Qui se humiliauerit exaltabitur, & qui se exaltauerit humiliabitur.* Et præterquam quod ipsa humilitatis virtus celsitudo est, & sublimitas; solet Deus ad exercendam in virtute hac animam, facere illam per scalam hanc ascendere, vt descendat, & facere illam descendere vt ascendat. Vt hac ratione impleatur id quod Sapiens ait. *Antequam conteratur, exaltatur cor: & antequam glorificetur, humiliatur.*

In hac scala descendere, ascendere est, & ascendere descendere.

Humilitatis virtus celsitudo est.

Prou. 18.

Ex hac quoque scalæ proprietate, optimè animaduertere poterit anima, si attẽtius considerare voluerit (vt nunc id quod spirituale est, & quod minime sentitur prætermittam) quot varietatibus & inæqualitatibus in hoc itinere subiecta sit; & qua ratione spirituali, qua perfruita est prosperitati, aliqua confestim tempestas & afflictio succedat, ita vt tranquillitas illa idcirco ei videatur collata, vt præpararetur roboraretur que ad præsentem afflictionem sustinendam; quemadmodum etiam calamitati illi tempestatique rursus rerum affluentia & tranquillitas succedit, ita vt videatur animæ, quod ad lætum illud festum ipsi celebrandum, in mœsta illa fuerit vigilia seu ieiunio prius collocata. Atque hic est ordinatius status contemplationis stylus & exercitium; vt nimirum donec ad quietum perueniat statum, nunquam in eodem permaneat statu, sed ascendat semper & descendat. Cuius rei ea est ratio, quia cum perfectionis status qui in perfecto Dei amore suique ipsius contemptu consistit, absque duabus istis partibus Dei videlicet ac sui ipsius notitia stare nequeat; debet necessario prius in vtraque exerceri anima, dum ei iam vnam degustandam præbent

Perfectionis status in Dei perfecta cognitione & sui ipsius contemptu consistit.

hoc-

hocque modo in sublime eam subleuant, iam verò alterius experimentum capere faciunt, hacque ratione eam humiliant, & deprimunt; donec perfectis iam habitibus comparatis, ascensus descensusque cessent, postquam ad exoptatum peruenerit terminum: iamque vnionem cum Deo, qui in huius scalæ summitate reperitur, cui etiam hæc scala innititur & adhæret, fuerit adepta. Hæc enim contemplationis scala, quæ (sicuti diximus) à Deo deriuatur, per illam scalam quam dormiens conspexit Iacob expressa figurataque fuit, per quam ascendebant & descendebant Angeli à Deo ad hominem, & ab homine ad Deum, qui summitati scalæ innitebatur. *Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ.* Quæ omnia asserunt diuinæ literæ noctu acta fuisse, & Iacob dormiente, vt intelligamus quam arcanum, quamque ab omni humana intelligentia diuersum sit hoc iter & ad Deum ascensus. Quæ res vel inde optimè apparet, quoniam vt plurimum id quod est maioris pro anima emolumenti, (cuiusmodi est seipsam amittere & annihilare) deterius sibi esse arbitratur: id verò quod minoris est momenti, (sicuti est consolationem suam & gustum reperire in quo iacturam potius patitur, quam lucrum consequitur) sibi melius ac salubrius esse existimat.

Gen. 28.

Sed magis nunc proprie, substantialiterque de ista contemplatione secreta loquendo, affirmare possumus, præcipuam causam & proprietatem ob quam hoc loco dicitur scala; esse, quia contemplatio, est scientia amoris, quæ est Dei notitia infusa, amorosa, & quæ illustrat simul & amore inflammat animam, donec eam gradatim ad Deum creatorem suum subleuet. Solus siquidem amor est ille, qui animam Deo copulat. Quamobrem vt hoc liquidius constet, adnotabimus hoc loco diuinæ huius scalæ gradus, enumerando breuiter indicia & effectus cuiuslibet ipsorum, vt hinc conijcere valeat anima, in quonam illorum versetur, & propterea cum sanctis, Bernardo & Thoma illos per suos effectus distinguemus; nam eos vt in se sunt pernoscere, cum hæc amoris scala adeò sit arcana, vt solus Deus sit ille qui eam metitur & ponderat; naturali via impossibile est.

CAPVT XIX.

Decem scalæ mysticæ amoris diuini gradus, secundum SS. Bernardi & Thomæ doctrinam, explicari incipiunt. Quorum primi quinque proponuntur.

DIcamus ergo, gradus scalæ istius amoris, per quos gradatim ad DEVM conscendit anima esse decem. Primus amoris gradus facit vtiliter infirmari animam. In hoc gradu constituta sponsa loquitur cum ait: *Adiuro vos filiæ Ierusalem si inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei quia amore langueo.* At infirmitas hæc non est ad mortem: sed pro gloria DEI, in ipsa quippe deficit anima peccato, vniuersisque rebus, quæ DEVS non sunt, idque ipsius DEI amore, quemadmodum testatur Dauid dicens. *Defecit spiritus meus* (hoc est, omnium rerũ creatarum intuitu in salutare tuum, vt alio in loco ait: *Defecit in salutare tuũ anima mea.*) Sicuti enim ægrotus vniuersorũ æduliorum appetitũ gustumq; amittit, & pristinũ colorem deperdit: ita etiam in isto amoris gradu perdit anima

Primus amoris gradus facit vtiliter animam infirmari. Cant. 5. 8.

Ps. 142. 7.

Ps. 118. 81.

gustum & appetitum rerum omnium, & instar amantis colorem mutat. Hæc infirmitas non euenit animæ nisi desuper immittatur illi caloris excessus, qui hoc loco est mystica febris, quemadmodū hisce Dauidis verbis exprimitur. *Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata est : tu verò perfecisti eam.* Infirmitatem istam & ab omnibus rebus defectionem seu mentis abalienationem quæ est principium & primus ad Deum eundi gradus, satis apte in superioribus explicauimus, quando de annihilatione egimus, in qua se conspicit anima hanc contemplationis purgatiuæ scalam ingredi incipiens, quando videlicet in nulla re fulcimentum, gustum, consolationem, aut requiem repetire valet. Quam ob causam ab isto gradu confestim incipit cæteros conscendere.

Ps. 67. 10.

Secundus gradus facit animā Deum sine intermissione quærere.

Secundus gradus facit animam Deum sine intermissione inquirere. Vnde quando sponsa dicit, quod cum illum noctu in lectulo suo requisiuisset (in quo secundum primum amoris gradum manebat languens) nec eum reperisset, subiunxit : *Surgam & quæram quem diligit anima mea*, quam rem (sicuti diximus) anima inceſſanter facit, prout Dauid consulit dicens. *Quærite Dominum, quærite faciem eius semper* : & in vniuersis rebus eum requirendo, in nulla earum quiescite, donec eum reperiatis. Quemadmodum fecit sponsa, quæ interrogatis de illo custodibus, illico transiuit, illosque deseruit. Maria quoq; Magdalenæ neque ad sepulchri Angelos reflexionem fecit. In gradu isto adeò sollicita viuit anima, vt in omnibus rebus inquirat amatum, quæcunque cogitat confestim de amato cogitat : quæcunq; itidem loquitur, quæcunque negotia pertractat, illicò de dilecto loquitur & tractat : cum vescitur, cum dormit, cum vigilat, cum quidpiam operis aggreditur, vniuersa ipsius cura est de dilecto, quemadmodum superius cum de amoris anxietatibus disputaremus, diximus. Hic quoniam iam conualescit, vires que resumit in hoc secundo gradu amor ; statim tertium medio aliquo nouæ purgationis noctis gradu, conscendere incipit (sicuti postmodum dicturi sumus) qui in anima sequentes producit effectus.

Cant. 3. 2.

Ps. 104. 4.

Tertius amorosæ scalæ gradus est, qui operari facit animam, caloremque illi præbere ne deficiat & fatigetur. De hoc gradu loquitur Regius Propheta : *Beatus vir qui timet Dominum : in mandatis eius volet nimis.* Vnde si timor, eo quod sit amoris proles, tanti desiderij producit effectum, quid obsecro faciet amor ipse ? In gradu isto heroica opera dilecti amore patrata, exigua iudicat : multa modica : prolixum quod in eius obsequio impendit tempus, ob amoris incēdium, quod in exardescit, breue reputat. Quemadmodū euenit Iacobo, quem cum septem annos seruire fecissent, super alios septē, quos in exantlauerat, videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine, *seruiuit ergo Iacob pro Rachel septem annis, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Si ergo amor, licet esset creaturæ, tantum in Iacob præualuit ; quid creatoris amor, cum in hoc tertio gradu occupauerit animam, efficere non poterit ? Patitur hic anima, ob immensum quo erga Deū flagrat amorem, ingentes afflictiones & dolores, eò quod ita modica illius causa præstet, & si permissum illi esset, vel millies propter eum interire, insignem hoc illi adferret consolationem. Idcirco in omnibus quæcunque agit inutile se esse reputat, & otiosam arbitratur. Et hinc nascitur illi quidam alius admirabilis effe-

Tertius gradus operari facit animam.

Psal.

Gen. 29. 20.

effectus, & videlicet certum exploratumq; illi videtur, te omnium pessimã esse, & abiectissimã, idq; duas ob causas. Primo, quia iam amor instruit illã, quãtum promereatur Deus. Secundo, quia cum in hoc statu multa propter Deum opera efficiat, illaq; imperfecta, & defectuosa agnoscat: ex o-ommbus confusionem, & afflictionem elicit, agnoscendo vilem & abiectum admodum esse suum illum operandi modum, respectu adeò excelsæ maiestatis. In hoc tertio gradu multum abest ab anima vana gloria vel præsumptio, & aliorum condemnatio. Istos sollicitos anxiosque effectus cum alijs eiusdem rationis multis, tertius iste amoris gradus producit in anima, & propterea acquirit in illo robur & animum, ad quartum vsque qui sequitur gradum conscendendum.

Quartus scalæ huius amoris gradus est, in quo confertur animæ quoddam ordinarium pati & sufferre, propter dilectum, idque absque lassitudine vlla. Vt enim S. Augustinus ait. Vniuersa grauia & molesta, leuia admodum & veluti nulla efficit amor. In hoc gradu constituta loquebatur sponsa, quando in vltimo se gradu collocari peroptans sponso dicebat. *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum, quia dilectio* (hoc est actus & operatio amoris) *fortis est sicut mors, dura sicut infernus æmulatio.* In hoc statu tantopere robustus est spiritus, vt carnem adeò habeat subditam, adeoque eam parui faciat, sicut arbor. foliorũ suorum vnum, nullo pacto hîc anima suam quærit consolationem aut gustum, nec in Deo, nec in alia quapiam re: neque hoc motiuo seu intuitu consolationis commodique proprij consequendi stimulata, postulat à Deo dona. Vniuersam siquidem cogitationem & studium suum ad hoc vnum collimauit vt Deo aliqua in re gratificari possit, aliquodque ei ob immensum ipsius meritum, & accepta ab eò beneficia obsequiũ, quamuis id plurimum illi esset constiturum, valeat exhibere. Dicitque in corde & spiritu suo: Heu Deus & Domine mi, quã multi reperiuntur, qui in te suas consolationes gustusque requirunt, & vt eis dona & beneficia largiaris postulant? at illi qui tibi rem gratam græstare, aliquidque suis expensis comparatum præbere, omni particularis sui commodi intuitu postposito, percupiunt, pauci admodum sunt: non enim deest Tibi Deus meus voluntas beneficia nobis conferendi. Sed nos ipsi dum iam acceptis in tuo obsequio non vtimur deficimus, vt te, ijs vt par est vtendo, ad ea nobis incessanter largienda obstringeremus. Sublimis admodum est iste amoris gradus, cum enim in hoc statu, adeò vero serioque amore, nec non spiritu pro eo patiendi, semper in Deum feratur anima; confert ei multoties & vt plurimum Maiestas sua, gaudia delectationesque suauiter eam in spiritu ac delitiose visitando: immensus enim amor verbi æterni IESV CHRISTI, nequit sufferre afflictiones se amantis, quin ei subueniat. Quod ipsemet per Ieremiam asseruit dicens: *Recordatus sum tui, miserans adolescentiã tuam, quando secuta es me in deserto.* Quod desertum spiritualiter loquendo, est auulsio abstractioque quam in hoc statu habet anima ab vniuersis rebus creatis, nulli inhærendo & in nulla quiescendo. Quartus iste gradus taliter inflammat animam, taliaque in ea Dei succendit desideria, vt eam quintum, qui iam sequitur, faciat conscendere gradum. *Ier. 2. 2.*

Quintus huius scalæ amoris gradus facit animã impatienter appetere, & cõcupiscere Deũ. In hoc gradu tanta est vehementia, qua amans ad complectendum dilectum, seque illi vniendum fertur, vt *Quintus amoris gradus facit animam impatienter Deum appetere.*

omnis minima etiam mora & dilatio prolixa, ei molesta, & grauis videatur, semperque se dilectum repetire arbitretur, quãdo verò desiderium suum frustratum animaduertit (quod ad singulos ferme passus momentaque euenit) in suo desiderio deficit & fatiscit, iuxta illud quod de

Ps.83. 1. isto gradu loquens Psalmista ait. *Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* In gradu isto necesse est amantem, aut potiri dilecto, aut emori, secundum illud quod Rachel in genti liberorum desiderio flagrans, viro suo Iacobo dixit:

Gen.30.1. *Da mihi filios; alioquin moriar.* In hoc statu, amore nutritur anima, siquidem ad mensuram famis, est satietas: ita vt hinc ad sextum possit transire gradum, qui sequentes producit effectus.

CAPVT XX.

Alij quinque proponuntur Amoris gradus.

Sextus gradus velocissime ad Deũ currere facit animam.

SExtus gradus velocissimè ad DEVM currere facit animam. Atque ita absque defectione & lassitudine spes currit, quam hic amor qui eam roborauit, expeditè volare facit. De gradu isto loquitur Isaias

Isa.40.31 dicens: *Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem: assument pennas sicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient*, ad hunc quoq; gradũ pertinet

Ps.41. 1. illud Psalmi. *Quemadmodũ desiderat cervus ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te Deus*; Cervus enim ob ingentẽ sitim celerrime ad aquas currit. Causa porro leuitatis

Velocitatis huius causa. huius & agilitatis amoris quã in hoc gradu consequitur anima, est quia iam charitas plurimum in ea est dilatata, & quia iam anima, est prope totaliter repurgata, quem-

Ps.58. 5. admodum in Psalm. dicitur: *Sine iniquitate cucurri.* Et in alio Psalmo: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*: atque *Psal.* ita ex isto sexto gradu, confestim ad septimum qui sequitur euolat.

Septimus scalæ huius gradus, efficit animam cum vehementia animosam & audacem: à qua vehementia, intense amoroseq; stimulata, nec iudicio se duci permittit, vt præstoletur, nec consilio vtitur, vt se retrahat; sed neq; verecundia, sese cohibere, valet: fauor namque & beneuolentia qua iam hoc loco prosequitur Deus animam, facit eam cum vehementia audacẽ. De gradu isto loquutus est Moyses quãdo dixit: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Huiusmodi homines id quod delectabiliter suauiterq; à Deo postulant, impetrant, vnde dixit Dauid. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* In hoc quoque gradu ausa est dicere Sponsa: *Osculetur me osculo oris sui.* At, illud hic oculate perpendendum est, nequaquam licere animæ, huiusmodi audaciã vti, nisi interiorem Regalis sceptri, ad se inclinati fauorem persentiat: ne forte ex cæteris, quos illuc vsque conscenderat gradibus, dilabatur & ruat, in quibus humilem se semper & verecundam conseruare debet. Ex hac animositate & libertate, quã Deus in hoc septimo gradu ad faciendam animã secum cum amoris vehementia audacem, cõmunicat, octauus sequitur gradus, qui apprehensio dilecti est, cum eoq; vnio.

Octauus amoris gradus facit inseparabiliter indissolubiliterque apprehendere & constringere dilectum, quemadmodum Sponsa ait. *Inueni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam.* In isto vnionis gradu explet anima desiderium suum, quamuis hoc intercalatè, & cum intermissionibus fiat: nonnullæ quippe animæ vnionem hanc attingunt quidem, sed con-

confestim ab ea resiliunt: nisi enim hoc ita esset, sed in gradu isto diutius persisterent quendam gloriæ modum in hac vita adipiscerentur: quam ob causam brevissimis temporum intervallis, in hoc gradu anima commoratur. Danieli Prophetæ eo quod vir desideriorum esset, nomine Dei dictum est, vt in gradu isto moraretur: *Daniel, sta in gradu tuo; quia vir desideriorum es.* Ex gradu isto sequitur nonus, qui perfectorum iam est, sicuti dicturi sumus.

Nonus amoris gradus facit animam suauiter ardere, qui gradus perfectorum est, qui iam suauiter in Deo ardent. Hunc siquidem suauem delectabilemque ardorem, producit Spiritus sanctus propter vnionem qua Deo sunt copulati: Propterea dicit S. Gregorius, Apostolos, quando Spiritus sanctus in eos visibiliter descendit, interius per amorem suauiter arsisse. Bona porro & diuitiæ diuinæ, quibus in hoc gradu perfruitur anima, nullis verbis exprimi possunt: quamuis enim multi de illis exararentur libri, plura de illis dicenda superessent. De quo gradu tum propter hanc causam, tum etiam quia aliquid postmodum dicturi sumus, nihil hoc loco amplius dicemus, nisi quod ex isto decimus postremusque scalæ huius amoris gradus sequitur, qui nequaquam iam ad præsentis vitæ statum pertinet.

Decimus vltimusque scalæ istius amoris gradus, facit animã Deo totaliter assimilari, propter claram ipsius visionem, quam confestim possidet anima, quæ postquam ad nonum peruenerit gradum, corpore egreditur. Atq; in istis (qui pauci sunt) idem efficere solet amor (dum eos in hac vita repurgatissimos relinquit) quod in alia efficit purgatorius ignis. Vnde S. Matthæus ait: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et quemadmodum diximus visio ista causa est, totalis animæ cum Deo similitudinis, sic enim asseruit S. Ioannes: *Scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* 1. Ioan. 3. 2. Vnde quidquid ipsa est, simile Deo erit: vnde vocabitur, & erit Deus per participationem.

Hæc itaq; est *secreta scala* de qua hic loquitur anima, quanquã in superioribus istis gradibus minime iam secreta occultaq; sit ipsi animæ, plurimum siquidem illi se manifestat amor, per immensos, quos in ea producit effectus. Sed in isto vltimo claræ visionis gradu, qui postremus est scalæ cui innititur deus (quemadmodum diximus) iam nihil animæ occultum obuelatumque est propter omnimodam assimilationem. Vnde Saluator noster ait. *Et in illo die non me rogabitis quidquam.* Ioan. 16. 23. Verum donec iste illucescat dies, quantumuis sublimiter incedat anima, aliquid illi occultũ remanet, tantũ videlicet, quantum illi ad omnimodã cum diuina essentia assimilationẽ deest. Hac itaque ratione per Theologiam istam mysticam arcanumq; amorem, ab omnibus rebus & à se ipsa egreditur anima, & ad Deum conscendit. Amor siquidem igni similis est, qui semper in superiora fertur, suæ sphæræ centro sese immergere exoptans.

CAPVT XXI.

Dictio hæc Personata: exponitur, necnon colores huius animæ, in nocte istæ transmutationis, enumerantur.

RElinquum nunc est, postquã exposuimus causas cur contemplationem istam *secretam scalam* appellauerit anima, vt nunc tertiam versus dictionem; videlicet *Personata* explicemus, & quare dicat

dicat anima se per istam *Secretam Scalam*, exiuisse *Personatam*. Pro manifestiori totius rei huius intelligentia, scire oportet, personam induere, seu transformari, nihil esse aliud, quam vestem formamque propriam sub alieno schemate, veste, seu figura simulare, & abscondere, idque propterea, vel vt sub formâ illâ seu veste voluntatem cordisque sui desiderium prodat, ad fauorem amoremque personæ dilectæ hoc modo luctifaciendum, vel certe vt se suis occultet æmulis, hacque ratione opus quod intêdit commodius perficiat. Tunc verò illam vestium formam coloremque assumit: qui magis cordis sui affectum repræsentet & significet, & per quem commodius aduersarijs suis celari abscondiq; possit. Anima itaque in hoc statu amore sponsi sui Christi succensa amorem ipsius & beneuolentiam adipisci peroptans, illo schemate illaque vestium formâ egreditur personata, quæ magis ad amussim spiritus sui affectus præseferat, ac repræsentet, & cuius præsidio magis ab aduersarijs inimicisque suis, qui sunt dæmon, mundus & caro, tuta incedat. Quamobrem vestis qua vtitur, tribus præcipuis coloribus Albo videlicet Viridi, & Rubeo constat, per quos colores, tres Theologicæ virtutes, Fides nimirum, Spes & Charitas significantur, quibus virtutibus non tantum conciliabit sibi gratiam amoremque sui dilecti, verumetiam tuta admodum ac secura à tribus suis inimicis incedet. Fides siquidē est quædam interior vestis, adeò excelsi candoris, vt omnis intellectus disgreget visum, quare dum anima fide induta incedit, non videt illam Dæmon, nec aggredi valet: per fidem enim non mediocriter contra Dæmonem qui fortissimus sagacissimusque inimicus est, protecta & defensa, viuit. Propterea quippe S. Petrus, nullum melius fide refugium, ad insidias ipsius inuadendas reperit, quando dixit. *Cui resistite fortes in Fide*. Iam verò ad conciliandum amorem dilecti & vnionem ipsius consequendam, nulla aptiori indui potest veste, seu indusio, quodque reliquarum virtutum principium sit & fundamentum, istô fidei candore. *Sine fide enim* (vt Apostolus ait) *impossibile est placere Deo*: cum illâ autem si fuerit viua grata est Deo & accepta: cum ipse per quendam Prophetam dicat: *Et sponsabo te mihi in fide*, quod perinde est, ac si dixisset, si cupis ô anima vniri mihi ac desponsari, fide interius vestitam te venire oportet.

Quid sit personam induere seu transmutari?

Fides est vestis candida & quare?

1. Pet. 5. 9.

Hunc fidei candorem in egressione noctis istius obscuræ gerit anima, quando nimirum (sicuti superius diximus) in tenebris angustijsque interioribus iter faciendo, nullo sibi intellectu suo, lucis leuamine præbente, non de supernis deriuato (siquidem cælum sibi videbatur occlusum Deusque absconditus) nec ex inferioribus petito (siquidem illi qui eam instruebant nequaquam ei satisfaciebant) constanter & perseueranter sustinuit & labores illos sine defectione, integramque dilecto fidem conseruando, perpessa est, siquidem dilectus in afflictionibus & tribulationibus sponsæ fidem experitur, ita vt possit illa postmodum illud Dauidis veraciter dicere. *Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.*

Candidæ huic fidei vesti, confestim hîc secundum colorem, vestem videlicet viridem, superinduit anima, per quem spei virtus significatur, cuius interuentu à secundo inimico, qui est mundus, defenditur, & fit immunis. Hæc enim viuæ in Deum spei viriditas, talem animæ viuacitatem animositatemque, necnon ad res sempiternæ vitæ eleuationem, confert, vt illorum quæ ibi sperat comparatione, vniuersus mundus (sicuti reuera est) aridus

illi flaccidus, vitâ destitutus, nulliusq; valoris videatur. Hic se ab vniuersis istis mundi indumentis schematibusque expoliat & denudat, nulli rei cor suum applicando, nihilq; illorum quæ in ipso sunt vel futura creduntur, sperando, sed æternæ vitæ spe, duntaxat, vestita viuendo. Quamobrem cum ita habeat cor à mundo eleuatum, non solum potest illam attingere ac detinere, sed ne visu quidem assequi. Atque ita hoc viridi vestitu & schemate induta anima, tutissima à secundo inimico qui mundus est incedit: Spem enim appellat S. Paulus *galeam salutis*; quæ est quoddam armorum genus vniuersum caput muniens, illudque taliter operiens, vt nihil in eo retectum præter foramina quædam, per quæ lucem aspicere possit, remaneat. Et hoc spei proprium est, vt vniuersos sensus capitis animæ, taliter contegat, vt nulli mundanæ rei immergi possint, nec aliquis pateat aditus, per quem aliquo mundi iaculo valeant sauciari, sed foramina duntaxat quædam illi relinquit per quæ oculi ad superiora eleuari possint, nihilque præterea aliud aspicere: & hoc ordinarium spei manus est, facere videlicet animam ad solum Deum intuendum oculos eleuare, quemadmodum ait Dauid. *Oculi mei semper ad Dominum.* Nullam aliunde sperando lucem, sed solummodo (sicut idem Dauid in alio Psalmo dicit) illud cantando: *Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum* (dum in eum speramus) *donec misereatur nostri.*

Viridis hæc vestis, cum semper Deum respiciat, nec quidpiã aliud intueatur, aut vlla alia re præter illum oblectetur, tantopere dilecto grata est & accepta, vt cum veritate dici possit, tantum ab eo obtinere animam, quantum ab eo sperat, propterea enim in Canticis ei dicit. *Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum.* Cant. 4.9 Absque huiusmodi viridi spei in Deum veste, non expediebat egredi animam ad hanc amoris prætensionem & acquisitionem, nihil quippe impetrasset; id enim quod Deum mouet superatque spes constans est, & perseuerans. Hac spei veste transformata, per secretam istam obscuramque noctem incedit anima: quoniam adeò est ab omni possessione ac innixione aliena & vacua, vt ad nullam aliam rem oculos & cogitatus suos dirigat præterquam ad Deum, ponendo in puluere os suum *si forte sit spes*, quemadmodum superius ex Hieremia diximus. *Spes constãs & perseuerans vincit Deum,*

Candido viridique colori veluti coronidem ac huius transformationis & vestitus consummationem, superimponit hîc anima tertium colorem, præstantissimam videlicet pulcherrimamque rubei coloris togam, per quam tertia virtus, quæ charitas est designatur, quæ non solum duos alios colores venustat & condecorat, sed etiam ad tantam perfectionem subleuat animam, eamque adeo formosam & gratiosam prope Deum constituit, vt audeat ipsa dicere. *Nigra sum, sed formosa filiæ Hierusalem*, ideo dilexit me Rex & introduxit in lectulum suum. Hac charitatis veste, quæ est vestis amoris, non solum protegitur ac occultatur anima tertio inimico, id est, carni (vbi enim verus DEI amor viget non patet amori suiipsius rerumque suarum aditus) sed etiam virtus ista cæteras virtutes reddit validas, vigorem illis roburque ad tuendam animam, necnon pulchritudinem ac venustatem ad placendum dilecto præbet. Quandoquidem absque charitate nulla virtus Deo accepta est. Hæc enim est purpura, vt in Canticis legitur, in qua requiescit DEVS. Cant. 3.10 *Colore rubeo charitas designatur.* Cant. 1.4

Reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constratum. Hoc rubeo vestitu induta est anima, quando (sicuti superius in primo Cantu explicatum est) à se & ab vniuersis creatis rebus anxietatibus amoris inflammata, in nocte obscura per secretam istam contemplationis scalam ad perfectam amoris DEI dilectæ salutis suæ, vnionem egreditur.

Hæc itaq; est transformatio, qua anima in fidei nocte per istam scalam secretam se indutam asserit: & isti sunt tres colores personati schematis istius qui sunt aptissima quædam dispositio ad vniendam Deo animam secundum tres ipsius potentias; memoriam videlicet, intellectum & voluntatem. Fides siquidem euacuat & obscurat intellectum ab omnibus intelligentijs suis naturalibus, per quod eum disponit ad copulandum illum sapientiæ diuinæ. Spes verò euacuat & ab omni creaturæ possessione separat memoriam: nam spes eorum est quæ non possidentur. Sicut ait S. Paulus, *Spes autem quæ videtur non est spes*: atq; ita ab omni eo quod in hac vita possidere potest diuellit memoriam, ac in eo quod possidere sperat, eam constituit. Et idcirco spes Dei solius, pure disponit memoriam, secundum vacuitatis mensuram, quam in ea producit, ad ipsam cum eo vniendam. Eodem prorsus modo charitas affectus appetitusq; voluntatis ab omni eo quod Deus non est euacuat, & in eo solo ipsos collocat: atque ita virtus hæc disponit potentiam istam & illam per amorem DEO coniungit. Vnde quoniam virtutum istarum munus & proprietas est diuellere & separare animam ab omni eo quod Deo minus est, consequenter etiam ad illas spectat, ipsam illi vnire. Atque ita nisi serio trium istarum virtutum schemate induta incedat anima, impossibile est eam ad perfectionem amoris diuini peruenire: quapropter ad obtinendum id quod optabat, hanc nimirum amorosam delectabilemque cum eo cum suo dilecto vnionem, necessarium admodum & conueniens schema & transformationem absumpsit. Magna quoque fælicitas forsque fuit huiusmodi elegisse vestes, ac in ijs, vsque ad tantopere exoptati finis assecutionem, ac est vnio amoris, perseuerasse, & propterea confestim sequentem versum canit.

Fides euacuat intellectum.

Spes euacuat memoriã. Rom. 8. 25

Charitas euacuat voluntatem.

CAPVT XXII.

Tertius Versus Cantus secundi explanatur.

O sortem fortunatam.

LIquido iam patet fortunatam animæ sortem fuisse tam arduum opus, ac est istud, ad exoptatum exitum perduxisse, per quod à dæmone, mundo, propriaque sensualitate libera euasit, pretiosamque & ab omnibus, expetitam spiritus libertatem obtinuit, & ab infimis ad sublimia conscendit ac tandem ex terrena facta est cælestis, ex humana diuina, in cælis iam, eorum instar, qui in perfectionis statu versantur (vt iam dicemus) conuersando. Quanquam compendiosius iam nobis hac de re agendum sit, quandoquidem id quod maioris erat momenti, & propter quod ego maxime hunc assumpsi laborem mediocriter demonstratum est, explicare enim volui, ac propalare noctem istam animabus multis, quæ cum in illa versarentur, per illamque transirent, nullam tamen ipsius notitiam (quemadmodum in proœmio dictũ est) habe-

habebant; præterea explicatum est à me (quanquam longe minus eo quod in rei veritate est) quam ingentia sint bona quæ nox hæc secum adducit animæ, quantaq; illorum fælicitas sit, qui per eam transeunt: vt si quando contingat eos tantorum laborum horrore difficultateque cõsternati, certa tantorum adeoque excellentium Dei bonorum spe, quæ per eam consequuntur, animum viresque resumant. Fortunata præterea fuit animæ sors, exitus iste, ob ea quæ sequenti versu confestim subiungit.

CAPVT XXIII.

Quartus exponitur Versus. Admirabile etiam describitur latibulum seu recessus, in quo in nocte ista collocatur anima, & qua ratione quamuis Dæmoni ad alios sublimissimos recessus latibulaque pateat aditus, nequaquam tamen ad istud.

In obscuro & bene celata.

Quid significent hæc verba.

CElata, idem est ac in abscondito vel occultè: atque ita, id quod hoc loco dicit anima, se in obscuro & bene celatam fuisse egressam, nihil aliud est, quam plenius & manifestius maximam quam primo Cantus huius exposuit versu, securitatem, quam mediâ istâ contemplatione obscurâ in via vnionis amoris Dei, adepta est, explicare.

Cum itaque dicit anima, *In obscuro & bene celata*, perinde est ac si dixisset, quod quoniam præfato modo in obscuro peragebat iter, se dæmoni eiusque technis & insidijs tectam & absconditam pertransisse. Causa porrò ob quam anima in contemplationis huius obscuritate ab insidijs dæmonis libera occultaque fuerit est, quia cõtemplatio infusa quæ hic potitur passiuo & arcano modo illi infunditur, absque interiorum videlicet exteriorumque sensuum & appetituum sensitiuæ partis operatione & intertuentu. Atque hinc prouenit, vt non ab impedimentis duntaxat, quæ ob naturam & debilitatem suam potentiæ istæ adferre possunt, abscondita liberaque euadat anima: sed etiam ab ipso dæmone, qui nulla ratione aliquid eorum quæ in anima sunt aut geruntur attingere inuestigareque potest, nisi medijs potentijs istis partis sensitiuæ. Vnde quo communicatio magis fuerit spiritualis, interna & à sensibus remota, eò minus eam dæmon agnoscere & explorare valet. Quãobrem maximi est momenti ad animæ ipsius securitatem vt interior cum Deo conuersatio taliter fiat, vt ipsimet partis inferioris sensus obscuri ab ea remaneant, vacui, & ieiuni, neque illam assequantur. Primo ad præbendum locum vt communicatio spiritualis copiosior sit, non impediente sensitiuæ partis debilitate, spiritus libertatem. Secundo, quia securius agit, dæmone nequaquam adeò interna penetrãte. Et ad hoc propositum spiritualiter loquendo, verba illa Saluatoris intelligere possumus. *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua*: quod est, ac si dixisset, id quod in parte dextera agitur, quæ est superior & spiritualis animæ, minime id sinistra sciat, hoc est, taliter id fiat vt inferior animæ tuæ portio, quæ est pars sensitiua, nequaquam illud assequatur: sed sit hoc secretum, inter spiritum duntaxat & DEVM. Quanquam verum sit non raro euenire, quod cum communicationes istæ spirituales intimæ & admodum arcanæ reperiuntur in anima, licet cuiusmodi sint, aut qualiter fiant, dæmon nequeat explorare, ob ingentem

Nullo modo potest dæmon aliquid eorum, quæ in anima sunt aut geruntur cognoscere nisi medijs potentijs sensitiuæ partis.

Matt. 6. 3.

tamen quietem ac silentium quod nonnullæ illarum in sensibus potentijsque sensitiuæ partis producunt, animaduertere potest illas fieri, animamque aliquo insigni bono potiri. Tunc autem cum videat, non posse se illas in fundo centroque animæ præpedire, facit quantum præualet, vt partem sensitiuam, quæ est illa quam ipse inuadere potest, inquietet & perturbet, iam doloribus, iam horroribus terroribusque, vt hac ratione & hoc medio partem superiorem & spiritualem animæ inquietet, bonumque illud quo potitur & fruitur præpediat. Verum multoties quando huiusmodi contemplationis communicatio purè spiritum irradiat & transuerberat, vimque suam in eo exercet: nulla dæmonem iuuat astutia industriaque ad illum inquietandum, quin potius recipit tunc anima nouum emolumentum & amorem, tutioremque pacem, statim enim ac turbatricem inimici præsentiam persentit (res profecto admiratione digna) ipsa quanã id ratione fiat, ignorante, intimiora interioris fundi petit ac ingreditur, optimè animaduertendo sentiendoque quod se in quodam collocat refugio, in quo se remotiorẽ esse & magis inimico absconditam conspicit, hocque modo augetur illi pax & gaudium, quo dæmon cupiebat illam priuare. Tunc autem omnis illa formido exterius illam impetit, hoc ipsa clarissime percipiente, nec mediocriter gaudẽte, quod se adeo tutam, tranquilla illa pace sponsique suauitate in abscondito frui conspiciat: quam nec mundus neque Dæmon dare possunt, nec auferre. Experiturque ibi anima veritatem dicti illius, quod Cant. 3. 7. Sponsa ad hoc propositum in Canticis ait: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt propter timores nocturnos.* Robur autem istud & tranquillitatem sentiet quamuis multoties carnem & ossa exterius torqueri percipiat.

Quæ sit causa cur dæmõ sanctos orationi vacantes, iã doloribus corporis iã terroribus &c. infestet.

Mirabile animæ latibulum.

Alijs vicibus quando spiritualis communicatio in sensum redundat, facilius Dæmon spiritum turbare eumque sensu mediante horroribus istis inquietare potest. Quo tempore maximum tormentum & afflictionem causat spiritui, & aliquando plus quam dici possit: cum enim negotium sit inter spiritum & spiritum, intolerabilis est horror quem malus bono incutit, animæ inquam, quando ipsius turbatio eam attingit. Quam rem etiam explicat in Canticis sponsa (cum sibi hoc modo euenisse ait, quando ad interiorem recollectionem vt bonis istis frueretur descendere vellet) his verbis. *Descendi in hortum nucum vt viderem poma conuallium, & inspicerem si floruisset vinea: nesciui, anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab*, qui est Dæmon.

Nonnunquam hæc Dæmonis contradictio euenit, quando Deus dona confert animæ boni Angeli ministerio: hæc enim interdum cognoscit Dæmon, eò quòd vt plurimum permittat Deus vt ea aduersarius agnoscat. Primò vt illa quantum potuerit impugnet, secundum iustitiæ proportionem, atque ita nequeat conqueri iusq; suum violatum asserere dicendo, non dari sibi locum ad impugnandam animam, quemadmodum eum cum Iobo fecisse legimus. vnde expedit Deũ præbere campum & locum vt quædã æqualitas paritasq; inter duos bellatores, Angelum videlicet bonum & malum, quantum ad animam spectat, intercedat vt victoria pluris fiat: victrixque & in tentatione fidelis anima, copiosius coronetur.

Quo loco animaduertere oportet, hanc esse

esse quam nuper assignauimus causam, ob quam Deus interdum dæmoni potestatem facit inquietandi tentandique animam in illo gratiarum & fauorum ordine, per quem Deus eam ducit, vt verbi gratia, quando boni Angeli interuentu visionibus veris perfruitur, permittit etiam Deus Angelo malo, vt eiusdem generis possit illas repræsentare falsas, ita vt propter ipsarum appatentiam probabilitatemque quandam, nisi cauta & sagax sit anima, facile decipi possit, quemadmodum multæ hoc modo fuerunt seductæ. Exod. 7. & 8. Cuius rei figuram habemus in Exodo, vbi legimus vniuersa signa vera quæ Moyses faciebat à Magis quoque Pharaonis apparetèr fuisse patrata. Si enim ipse educebat ranas, etiam ipsi eas educebant: si ille aquam vertebat in sanguinem, ipsi quoque eâ vertebant. Nec istud duntaxat corporalium visionum genus imitatur dæmon, sed etiam communicationes spirituales quæ per Angelum fiunt, si illas cognitione assequi potest, nam quemadmodum Iob de eo dixit. Omne sublime videt. Imitatur ergo vt dixi, & sese communicationibus istis spiritualibus sicut potest intermiscet. Quanquam spirituales istas, cùm forma figuraque careant (de ratione siquidem spiritus est illa carere) nequit ipse imitari, & aliarum instar quæ sub aliqua specie vel figura repræsentantur, efformare. Atque ita vt communicationem hanc secundum modum quo anima visitatur impugnet, repræsentat eam horribilis ipsius spiritus, sicut potest cum aliqua spirituali turbatione & formidine, valde interdum animæ molesta, idque eo ipso momento quo Angelus bonus communicat animæ spiritualem contemplationem. Tunc verò potest interdum anima cito sese expedire, antequam præfatus maligni spiritus horror illam possit inuadere, & ei imprimi seipsam interius recolligendo, spirituali illâ gratiâ quam ei tunc Angelus bonus confert, ad hoc faciendum adiuta.

Aliquando permittit Deus, vt horror iste & turbatio diutius durent, quæ res maioris est illi afflictionis, omni vitæ huius tormento, remanetq; postmodum horroris huius memoria, quæ ad non mediocriter affligendum satis est: vniuersa hæc quæ diximus fiunt in anima nihil ipsa ex parte sua, quantum ad repræsentationes istas, & sentimenta spectat vel admittenda, vel respuenda præstare valente. At sciendum est hoc loco quod quando permittit Deus dæmoni affligere animâ spirituali isto horrore, ad eum hoc finem facere, vt illam spirituali ista vigilia, vel ieiunio ad aliquod solenne festum, spiritualemque, quem illi conferre vult fauorem repurget, & disponat, nunquam enim ipse mortificat, nisi vt viuificet, neque humiliat, nisi vt subleuet. Quod paulò post euenire solet: anima enim secundum tenebrosæ purgationis quam passa est mensuram, dulci fruitur contemplatione spirituali, adeò interdum sublimi, vt eam verbis assequi impossibile sit.

Quæ hucusque dicta sunt, de illis fauoribus intelligi debent, quos Deus animæ confert boni Angeli ministerio, qua in re (sicuti dictum est) non est ipsa omnino secura, nec adeò in obscuro, beneque celata incedit, vt aliquid illius non agnoscat & exploret inimicus, sed quando per semetipsum visitat eam Deus, tunc optimè dictus versus verificatur: quandoquidem omnimodè in obscuro, & bene inimico celata, spirituales gratias à Deo percipit. Rei huius causa est, quia cum Maiestas sua supremus sit Dominus, substantialiter manet in anima, quo nec Angelus, nec cacodæmon, ad intelligendum quid in ea

agatur, attingere valet, sed neque intimas arcanasque communicationes, quæ inter ipsam & Deũ ibi fiunt agnoscere: communicationes enim istæ, in quãtum ipsas per seipsum facit Dominus, omnino diuinæ sunt, & sublimissimæ, & veluti quidã substantiales vnionis diuinæ inter Deum & animam attactus: in quorum vno (cũ iste sit supremus orationis gradus) maius recipit bonum anima, quam in omnibus alijs. Isti enim sunt tactus quos ipsa in Canticis poscebat dicens: *Osculetur me osculo oris sui.* Cum enim res hæc sit, quæ adeo coniunctè cum Deo peragitur, quo anima cum tot anxietatibus peruenire concupiscit, plus optat, pluriſque facit vnicum diuinitatis huius attactum, omnibus alijs donis quæ Deus ei confert. Quam ob causam postquam plurima ipsi dona in canticis contulisset, quæ ipsa cantu ibi celebrauerat, minime se satisfactam sentiens, diuinos tactus istos postulando ait: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ vt inueniam te foris, vt deosculer te* (ore videlicet animæ meæ) *& iam nemo me despiciat*, neque me aggredi, impetereque præsumat, significando verbis istis, optare se communicationem, quam Deus se solo facit foris exclusis, repudiatisque creaturis vniuersis: hoc enim innuunt verba illa; vt inueniam te sola & foris, sugentem vbera. Quod tunc fit, quando iam anima cum spiritus libertate, suauitate, & intima bonorum istorum pace fruitur, non impediente illam amplius sensitiua parte, neque dæmone illius interuentu, contradicente. Tunc etenim non auderet aggredi eam, & inquietare dæmon, eò quod hæc non assequeretur, neque ad intelligendos diuinos istos, in animæ substantia, cum amorosa Dei substantia, tactus posset peruenire. Immensum hoc bonum nemo cõsequitur, nisi per intimam purgationem, denudationem, ac spirituale ab omnibus creatis rebus latibulum. Et hoc est in Obscuro, in quo latibulo stabilitur & confirmatur anima, in vnione per amorem cum Deo. Et propterea tem hanc decantat ipsa, præfato versu dicens:

Cant. 1.1.

Supremus orationis gradus est vnionis diuinæ inter Deum & animã tactus.

Cant. 8.1.

In obscuro & bene celata.

Mirabile hoc exponitur anima superiora & inferiora in vnitiua potentia distingui.

Quando contingit dictas spirituales gratias fieri animæ secretè, hoc est, solummodo in spiritu, in nonnullis illarum solet anima (qua ratione id fiat ignorans) se ipsam secundum partem superiorem adeò ab inferiori portione elongatam conspicere, vt cognoscat in se duas partes inter se tantopere distinctas, vt videatur illi nihil vnã habere cum alia cõmune, videturq; illi rem otã admodum & separatã esse vnã ab altera. Et reuera quodãmodo ita est; secundum operationem enim, qua tunc operatur anima, quæ tota spiritualis est, nullam cum parte sensitiua communicationem habet. Isto modo tota anima spiritualis efficitur, & in isto vnitiuæ contemplationis latibulo, passiones, appetitusque spirituales, in sublimi gradu extinguuntur. Vnde de superiori animæ portione loquendo, vltimum confestim subiungit Versum.

CAPVT XXIV.

Cantus secundi explanatio absoluitur.

Cum iam domus mea esset tranquillata.

QVod idem est ac dicere: cum iam superior animæ meæ portio, sicuti & inferior, esset secundum appetitus potentiasque suas tranquillata & sedata, advnionem diuinam amoris diuini egressa sum,

Cum

Cum enim duplici modo illo noctis obscuræ, conflictu medio (sicuti dictum est, impugnetur, & repurgetur anima secundum partem videlicet sensitiuam, & secundum partem spiritualem, cum ipsarũ simul sensibus, potentijs, passionibusque; ita etiam dupliciter secundum duas istas partes, sensitiuam & spiritualem, cũ omnibus earum potentijs & appetitibus, pacem & tranquillitatem consequitur. Idcirco quippe (sicuti etiam dictum est) bis repetit versum istum, & in Cantu præsenti, & in præterito, propter duas istas animæ portiones spiritualem nempe & sensitiuam: quæ vt ad vnionem diuinam amoris peruenire possint, necessariũ est vt reformentur prius, ordinentur, & quantum ad sensitiua & spiritualia attinet quietentur, ad normam status innocentiæ, quæ in Adamo reperiebatur, quamuis non vndequaque à tentationibus inferioris partis sit immunis. Vnde versus iste qui in primo Cantu de partis inferioris, ac sensitiuæ tranquillitate accipiebatur, in hoc secundo de superioris & spiritualis peculiariter intelligitur, ideoque bis eundem repetijt.

Tranquillitatem hanc, & domus istius spiritualis quietem, perfecte & habitualiter, (quantũ præsentis viræ status patitur) medijs istis quasi substantialibus vnionis diuinæ, de quibus immediatè egimus tactibus, consequitur anima, quos bene celata & à dæmonis, sensuumque ac passionum perturbatione abscondita, à diuinitate suscepit, vbi anima pura, tranquilla, & robusta, constansque, & stabilis effecta est, ad plene perfecteque dictam vnionem (quæ est diuina inter animam & filium Dei desponsatio) recipiendam. Confestim enim ac duæ istæ animæ mansiones fuerint perfectè cum omnibus domesticis suis, potentijs videlicet & appetitibus tranquillatæ & roboratæ, consopitis iam illis ac in silẽtio omnium supernarum infernarumque rerum constitutis, immediatè diuina hæc sapientia, nouo possessionis amoris nodo iungitur animæ, & impletur illud quod ipsa ait: *Cum enim quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet: Omnipotens sermo tuus de cœlo à Regalibus sedibus venit.* Idipsum significauit sponsa in Canticis dicens: quod postquam pertransisset illos, qui eam noctu spoliarunt vestibus, & vulneribus affecerunt, inuenit quem diligebat anima eius. *Paululum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea.* Ad vnionem hanc peruenire nequaquam potest absque insigni puritate: puritas verò ista absque magna omnium rerum creatarum denudatione, & absque mortificatione viua acquiri nequit; quæ res per vestium sponsæ expoliationẽ, vulneraque nocturna; in inquisitione & desiderio sponsi inficta, significatur: neque enim noua desponsationis veste, quam ambiebat indui poterat, absque veteris expoliatione. Quamobrem ille qui in dictam iam noctem ad quærendum dilectum ingredi renuerit, nolueritque propria voluntate sua spoliari & mortificari, sed duntaxat in lectulo suo & proprijs commoditatibus (quemadmodum faciebat sponsa) illum requirit, nunquam illum reperiet, quemadmodum ista anima de se ipsa testatur, quod illum in obscuro, & cum anxietatibus amoris egrediendo inuenerit.

Sap. 18. n. 14.

Cant. 3. n. 4.

CAPVT XXV.

In quo Cantus tertius breuiter exponitur.

CAN-

CANCION III.

En la noche dichosa,
En secreto que nayde me veja,
Ni yo miraua cosa,
Sin otra luz y niguia,
Sino la que en el coraçon ardia.

SENSVS.

Illa nocte fœlici
In illo secreto in quo nullus me videbat
Nec aliquam ego rem intuebar
Absque alia luce & duce
Præter eam quæ in corde ardebat.

TEmporalis noctis metaphoram, similitudinemque in istâ suâ spirituali nocte prosequendo anima, cantat adhuc, laudibusque concelebrat optimas quæ in ea reperiuntur proprietates, & quod ipsius interuentu, cito & secure exoptatum suum finem sit consecuta. Quarum proprietatum tres in hoc Cantu proponit.

Prima (inquit) est, quod in ista fœlici contemplationis nocte, tam solitario, arcanoque contemplationis modo & tantoperè à sensu remoto, & alieno deducit Deus animam; vt nulla res ad sensum pertinens, aut creaturæ alicuius tactus, taliter eam exhilarare possit, vt eam in via vnionis amoris valeat interturbare & detinere.

Secunda, quam adfert proprietas ex spiritualibus noctis huius tenebris originem sumit, in qua nocte vniuersæ superioris partis animæ potentiæ in obscuro versantur: vnde nihil intuente anima, sed neque intueri valente, in nulla se re extra Deum detinet, vt ad illũ pergat: eò quod à formarum, figurarumque, nec non naturalium apprehensionum, (quæ impedire, ac retardare solent animam, ne semper cum Deo vniatur) obstaculis, libera & immunis incedat.

Tertia tandem proprietas est, quod quanquam nulli particulari interiori intellectus luci, neque alicui externo ductori, ad aliquam ab eo in hoc sublimi itinere satisfactionem, consolationemque percipiendam innitatur (cum illam omnibus istis adminiculis, hæ obscuræ tenebræ priuauerint) fides tamen, & amor cor in amatum stimulans, quo tempore isto ardet, est ille qui tunc mouet ac dirigit animam, & facit eam ad Deum suum solitudinis viâ, quamuis ipsa qualiter hoc & quomodo fiat ignoret; euolare,

NOCTIS OBSCVRAE FINIS.

FLAM-

FLAMMA AMORIS VIVA ET CANTVVM, IN QVIBVS DE MAGIS INTIMA ANIMÆ CVM DEO VNIONE, IN eumque transformatione agitur; explanatio.

AVTHORE

V. P. F. IOANNE A CRVCE PRIMO DISCALCEATO ORDINIS BEATÆ VIRGINIS DE MONTE CARMELO, A SERAPHICA VIRGINE SANCTA Theresia à Iesv reformati, eiusdemque Virginis Coadiutore fidelissimo.

COLONIÆ
In Officina Hæredum Bernardi Gualtheri.

ANNO M. DC. XXXIX.

PROLOQVIVM.

NOn sine aliqua mentis renitentia, quatuor sequentium Cantuum declarationem, vt quorũdam precibus satisfacerem, aggressus sum; eò quod de rebus adeò intimis, & spiritualibus, quibus dignè efferendis verba vt plurimum desunt, pertractent: spiritualia quippe sensum superant, & de medulla spiritus ægrè verba fieri possunt, nisi cum præcordiali spiritu; quem quoniam satis mihi exiguũ inesse sentio, ideo hucusq; explanationem hanc distuli. Nũc verò quia videtur Dominus impertijsse menti meæ & spiritui aliquid notitiæ & caloris, resumpto animo laborem hunc subire, decreui: optimè conscius, nihil me ex me, quod ad rem faciat, proferre posse, multò verò minus de rebus tam sublimibus, & substantialibus. Quare, si quid vtile proficuumque protulero, nequaquã mihi adscribo, sed errores duntaxat, & defectus, si qui irrepserint; vnde saniori iudicio, & sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ Romanę censuræ, sub cuius directione nemo potest aberrare, submitto vniuersa. Quibus suppositis diuinarum literarum authoritati innixus,

nixus, quidquid sciero, audentius proferre præsumam, illud vnum admonendo, quod quidquid tãdem dixero, longe illud minus esse eo, quod in intima illa cum Deo vnione peragitur. Nec est cur quispiam miretur, sublimes adeò, & præterordinarios fauores à Deo animabus, quas ipse delitijs cumulare statuit, concedi, si enim attentiùs pensitemus, ipsum DEVM esse, & tanquam DEVM immenso cum amore ac bonitate, eos elargiri; nequaquam nobis hoc præter rectam videbitur rationem: quandoquidem ipsemet dixit ad eum, qui ipsum dilexerit, Patrem & Filium & Spiritum sanctum venturos, mansionemque apud ipsum facturos, quod fieri debebat, ipsum in Patre, Filio, & Spiritu sancto vitam diuinam viuere, & manere, faciendo, quemadmodum anima in istis Cantibus significat. Quamuis enim in Cantibus superius explicatis, de perfectissimo supremoque, qui in hac vita obtineri possit perfectionis gradu, qui est transformatio in Deum, fuerimus locuti: præsentes tamen Cantus de magis consummato, perfectiorique, in eodem ipso transformationis statu amore pertractant. Nam licet indubium sit, id quod Cantus isti & illi proponunt, eundem esse transformationis statum, nec vlterius, in quantum talis est, progredi posse: temporis tamen successu exercitioque perenni, perfici potest, multoque amplius in amore substantiari seu cõcentrari. Sicuti euenire solet, quod quamuis ignis lignum

Ioã. 14. 23.

Quanam sit materia cantuum qui in hoc libro explicantur.

gnum ingressus, illud in se transformauerit, sibique iam vnierit: inflammato tamen magis & inardescente igne, longiorique mora, illud penetrante multo magis splendescit, flammescitque, donec scintillet, & euomat flammas. Atque in hoc ardentissimo gradu, intelligenda est hoc loco loqui anima, transformata iam & interius in amoris igne consummata : non enim vnita est duntaxat huic diuino igni, sed iam viuam ipse , in ea excitat flammam ; quod etiam ipsa experitur, vnde in Cantibus istis cum intima delicatissimaque amoris suauitate , flammis ipsius succensa de eo loquitur, stupendos quosdam, quos in ea producit effectus perpendendo, quos ego eodem, quem in alijs Cantibus obseruaui, ordine explicabo : Primo loco Cantus omnes coniunctim proponam ; confestim vero quemlibet Cantum breuiter explanabo. Et tandem vnumquemque versum singillatim elucidabo.

Apta similitudine res hac declaratur.

CANCIONES QVE HAZE EL ALMA EN LA intima Vnion con Dios.

I.

O Llama de amor viua
Que tiernamente hyeres
De mi alma en elmas profundocentro
Pues ya no eres esquiua,
Acaba ya si quieres
Rompela tela deste dulce encuentro.

II.

O canterio suaue!
O regalada llaga!
O mano blanda, o toque delicado
Que a vida eterna sabe,
Y tota deuda paga
Matando, muerte en vida lo has trocado

III.

O lamparas de fuego!
En cuyos resplandores
Las profundas cauernas del sentido,
Que estaua escuro, y ciego,
Con estranos primores
Calor, y luz dan junto a su Querido.

IV.

Quan manso y amoroso
Recuerdas en mi seno
Donde secretamente solo moras
Y en tu aspirar sabroso,
De bien y gloria lleno
Quan delicadamente me enamoras.

CANTVS QVOS IN INTIMA CVM DEO VNIONE decantat anima.

I.

SEmper ô viuax in amore flamma,
Quam saporosis teneriſque Centrum
Sauciasplagis, animæ profundum!
Non velut quondam crucias moleſta:
Si placet, finem facito, & suauis
Huius occurſus celer inchoatam
Rumpito telam.

II.

Dulcor ô cauterij amore facti!
O fauens illo veniens ab igne
Vulnus! ôblandam teneramque dextram!
Tactus ô lenis! ſapit auiternam
Dulciter vitam, pretio fideli
Debitum soluit. Perimendo vitâ
Funera mortis.

III.

Igneam ô clarâ face ſplendicantem
Lampadem, cuius radijs, cauerna
Intimæ ſenſus benèluminata,
(Quem nigreſcentem prius inter vmbras
Tetra caligo tenebris repleuit)
Vi nouâ lucem perhibent amato,
Atque calorem.

IV.

O quam amoroſus ſimul aque mitis
In ſinu noſtro vigil excitaris!
Hîc vbi ſolus latitans morabis:
Hîc vbi dulci grauidus ſapore
Spiritus totus tuus, & bonorum
Gloriæ plenus, mihi delicatè in-
rit amorem.

PRIMI

PRIMI CANTVS ELVCIDATIO.

SEntiens se iam anima totam in vnione diuina flammantem, & per amorem in Deum transformatam, flumina insuper aquæ viuæ (quæ Christus Dominus noster ex huiusmodi animabus manatura prædixit) ex ventre suo effluere animaduertens: arbitratur quod quoniam tanta vi in Deum est transformata, tamque excelsè à seipsa & creaturis vniuersis auersa, immensisque adeò virtutum ac donorum opibus ditata, existimet, inquam tantopere se æternæ beatitudini vicinam, vt tenuissima duntaxat leuissimaque ab ea tela separetur. Considerans autem quod quotiescunque delicatissima illa, quæ in ipsa ardet amoris flamma, eam impetit, semper illam dulcissimis gloriæ prælibationibus veluti glorioſam efficiat, ita vt semper dum ab ea impetitur, absorbeturque; vitam sibi ab ea sempiternam conferri, vitæque mortalis telam abrumpi, arbitretur: immenso cum desiderio flammam, Spiritum videlicet sanctum compellat dicens, vt in dulci illo congressu abrumpat iam mortalem vitam, & vt id, quod videtur se iam illi conferre velle, omnimodam videlicet & perfectam glorificationem, tandem ei seriò largiatur. Vnde & ait: Ioan. 7. 38

O flamma amoris viua.

VER-

VERSVS I.

O Flamma Amoris viua.

VT sensum & æstimationem, cum qua in istis quatuor Cantibus loquitur anima, graphicè exprimat, in omnibus illis dictionibus O & Quam, vtitur, quibus affectu plenam exaggerationem significat, quæ quotiescunque proferuntur, multò amplius de interioribus innuunt rebus, quam verbis explicetur. Porro interiectio. O ad desiderium ingens exprimendum, & ad instantes, cum persuasione preces significandas, deseruit: & ad vtrumque hunc finẽ, in isto Cantu interiectionem istam vsurpat anima: in ipso namque, immensum desiderium suum aperit, & exaggerat, cupiens amori persuadere, vt eam præsentis vitæ vinculis absoluat. Hæc amoris flamma est sponsi ipsius spiritus, hoc est, Spiritus SS. quem iam sentit in se anima, non modo velut ignem, qui eam absumpsit, in dulcemque transformauit amorem; sed etiam veluti ignem, qui in ea ardens, flammam emittit: flamma autem illa, rore gloriæ inspergit animam, æternæque vitæ temperamento refrigerat. Atque hæc est Spiritus sancti, in anima, in suum transformata amorem, operatio; actus nempe interiores producere, qui sunt ardere & flammescere, qui actus inflammationes sunt amoris, cui vnita voluntas in gradu excelsissimo amat, vnum per amorem cum illa flamma effecta. Vnde actus isti amoris, immensi sunt valoris, plusque eorum vno prometeretur anima, quam alijs multis, quos sine transformatione ista e licuerat. Et discrimen, quod inter actum, & habitum intercedit, etiam inter amoris transformationem, & amoris flammam reperitur, & idem quod inter inflammatum lignum, & eius flammam: flamma enim effectus est ignis, ibi manentis. Vnde ordinarium habitum animæ, quæ in statu transformationis amoris versatur, similem possumus asserere ligno igne semper penetrato & accenso: actus porro ipsius flamma sunt, ex amoris igne erumpentes, quæ flamma tanto impetuosius dissultat, quantò fuerit ardentior vnionis ignis, & quanto potentius rapta & absorpta fuerit voluntas in Spiritus sancti Flammâ, Angeli illius instar, qui ex Manue sacrificio in flamma ad Deum conscendit. Vnde in hoc actuali statu nequit anima istos producere actus, nisi à Spiritu sancto peculiarissimè moueatur; quamobrem etiam cuncti ipsius actus, in quantum hoc singulari modo à Deo excitantur, sunt diuini. Vnde etiam, quotiescunque flammescit ista flamma, faciendo illam cum suauitate ac temperamento diuino amare, vitam sibi sempiternam, quæ eam ad diuinam eleuat operationem, conferri arbitratur. Atque hîc est stylus seu modus loquendi quo cum animabus repurgatis, ac mundis vtitur Deus, verbis nimirum eas ardentissimis alloquendo, quemadmodum Dauid dixit: *Ignitum eloquium tuum vehementer*. Propheta quoque Hieremias: *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis?* Quæ (sicut ipse Dominus per S. Ioannem ait) *Spiritus & vita sunt*: quorum verborum vim & efficaciam illæ percipiunt animæ, quæ aures habent ad ea audienda: hoc est, animæ puræ, & amore capræ. Nam illæ quæ minimè sanum palatũ habent, sed saporibus alijs inhiant, nequaquã spiritum, vitamque verborum istorum degustare queunt. Et propterea, quo sublimiores filias

Actus isti amoris immensi sunt valoris.

filius Dei proferebat sermones, eo minus nonnullis, ob audientium impuritatem sapiebant: quemadmodum euenit, cum dulcissimam illam & amore plenam de Sacrosancta Eucharistia doctrinam proposuit; multi enim audientium abierunt retro: *Multi discipulorum eius abierunt retro.* Nec quia huiusmodi hominibus diuinæ Istæ allocutiones, quas in intimis profert Deus, minimè sapiunt, ab alijs etiam eas non degustari arbitrari debēt, sicuti eas S. Petrus degustauit, quando Christo Domino dixit: *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Samaritana quoque Dei verborum dulcedine capta, aquæ & hydriæ oblita est. Cum ergo hæc anima tantōpere Deo vicina sit, vt in flammā amoris, in quo communicatur ei PATER, FILIVS, & SPIRITVS SANCTVS, sit transformata; quid obsecro fidem superans dicimus, cum eam in ista Spir. S. inflammatione, tantillum æternæ vitæ degustare (quanquam non perfectè, non enim hoc vitæ præsentis status patitur) asserimus. Propterea hanc flammam appellant viuā, non quod non semper sit viua; sed quia eiusmodi in ea producit effectum, qui facit eam in Deo spiritualiter viuere, Deique vitam experiri: ad eum modum de quo loquutus est Dauid: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Non quia necesse sit dicere *viuum*: semper quippe viuit Deus: sed ad significandum à sensu ac spiritu viuo modo, degustari DEVM: & hoc est exultare in Deo viuo. Quamobrem in hac flamma adeò viuidè percipit anima Deum, cum tantaque eum degustat suauitate ac sapore, vt dicat;

O flamma amoris viua.

VERSVS II.

Quæ suauiter feris.

Quid sit suauiter ferire.

ID est: amore tuo suauiter me tangis. Quando enim hæc vitæ diuinæ flamma cum vitæ diuinæ teneritudine ferit animam, tam intimè præcordialiterque illam sauciat, & emollit, vt eam amore liquefaciat, vt in ipsa impleatur illud, quod de Sponsa in Canticis legimus, quod nimirum tantopere fuerit emollita, vt liquefieret, vnde & dicit: *Anima mea liquefacta est, vt loquutus est dilectus.* Hunc siquidem effectum allocutio diuina in anima producit.

Cant. 5. 6. Allocutio diuina liquefacit animam.

At qua ratione dici potest, sauciari animā, cum in ea nihil supersit sauciandum, eo quod iam tota sit amoris igne cōsumta & cauteriata? Est profectò res admiratione digna; sicut enim ignis nunquam otiatur, sed in perpetuo est motu, semper hinc & inde flammas eiaculans; sic & amor, cuius munus est, vulnere amorem succendere, delicijsque delinire; cum in huiusmodi anima in viuâ iam flammâ commoretur; sua spicula veluti tenerrimas delicati amoris flammationes illi intorquet, suauiter, festiueq; veluti in suarū nuptiarum palatio, artes, inuentionesq; amoris (tanquā Assuerus cum sua formosa Esther) exercens, opesq; ibi suas, ac magnificentiæ suæ gloriam ostentans, vt in ista anima impleatur illud, quod ipsemet in Prouerbijs dixit: *Et delectabar per singulos dies; ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ esse cum filijs hominum*: hoc est, eas ipsis impertiendo. Quamobrem vulnera ista, quæ sunt sapientiæ diuinæ lusus, delicatissimorum sunt tactuum inflammationes, quæ per

Mirabiles lusus festini quos in anima transformata exercet amor. Esther 2. 9 Prou. 8. 30 31.

Quid sint hæc vulnera anima.

momenta singula ex parte ignis amoris, qui nequaquam otiatur, tangunt animam, quos quidem tactus fieri ferireque asserit, animæ suæ profundissimum centrum.

VERSVS III.

Animæ meæ profundissimum centrum.

QVandoquidem hæc Spir. S. festiuitas in animæ substantia, quo nec dæmon, nec mundus, nec sensus peruenire possunt celebratur: idcirco etiam festiuitas hæc securior est, substantialior ac delectabilior, quo videlicet intimior. Quo enim est intimior, eo purior, & quo purior; eò affluentiùs, frequentiùs, vniuersaliusque sese communicat illi Deus, vnde etiam maioribus delicijs spiritus, animaque perfruuntur: Deus siquidem est ille, qui vniuersa absque vllâ animæ cooperatione, in sensu quē iam explicaturi sumus, operatur. Et quoniam anima naturaliter, industriaque suâ, nihil absque corporei sensus interuentu & ope, valet operari; à quo tamen in præsenti casu libertima est, & remotissima: hinc est, vt vniuersa ipsius occupatio nil aliud sit, quam à Deo duntaxat recipere, qui solus in fundo, seu centro animæ, absq; sensuum adiumento eam mouere, in eaque operari potest, quare vniuersi huiusmodi animæ motus diuini sunt: & quamuis à Deo proueniant, etiam ipsius animæ sunt; efficit siquidem eos Deus in illâ cum illa ascensum voluntatemque suam præbente.

Et quoniam dum asserit se in profundissimo animæ suæ centro feriri; alia non adeò profunda centra se habere significat, qua id ratione fiat animaduertendum est. Primo loco itaque sciendum est, animam in quantum spiritus est, nihil sublimis, nihil infimi, nihil magis minusque profundi in sua essentia habere, quemadmodum quantitatiua corpora habent: cum enim ea ex nullis partibus constet, neq; aliquid discriminis inter ipsam intus & foris intercedat, quandoquidem tota vnius rationis est, nequaquam habet centrum magis aut minus profundum, neque in vna parte maiore splendore irradiari potest, quam in alia; sicut accidit in Physicis corporibus: sed tota vniformiter illustratur. Verum ista centri, profunditatisque materialis, & quantitatiuæ acceptione prætermissa: illud profundissimum animæ centrum appellamus; quod est vltima meta, ad quam ipsius essentia, virtus, & operationis motusque vis, peruenire possunt, necinde vlterius progredi: sicut ignis, vel lapis, qui virtute, motuque naturali ad suæ sphæræ centrum attingendum pollent, nec inde vlterius progredi valent, aut in illo non sistere, nisi forte ab aliquo contrario obstaculo arceantur. His præsuppositis, dicere possumus; lapidem cum intra terram est, esse veluti in suo centro: versatur enim intra actiuitatis, motusque sui sphæram, quæ est terræ elementum: non tamen in profundissima terræ parte est, in ipsius videlicet medio illo; supereſt enim adhuc illi virtus & vis, illuc vsque descendendi, & si obstaculum amoueatur perueniendi, quando verò illuc peruenerit, nec amplius ex se virtutis ad sese mouendum habuerit, dicemus illum in profundissimo versari centro.

Animæ centrum Deus est, ad quem postquam ipsa, secundum essentiam suam, vniuersamque vim operationis suæ Deus per-

peruenerit, ad vltimum, profundissimumque animæ centrum peruenisse dicetur; quod tunc erit, cum ex totis viribus suis, eum dilexerit ac intellexerit, eoque fuerit perfruita; quando autem eousque non peruenit, licet in Deo, qui eius cẽtrum est, per gratiam & ipsius communicationem sit; si motu adhuc viribusque ad vlterius progrediendum prædita sit, nec adhuc contenta; licet in centro versetur, non tamen in profundissimo; quandoquidem ad vlteriora se extendere valet. Amor animam copulat Deo, & quo plures amoris obtinuerit gradus, eo in Deum profundius intrat, magisque cum eo concentratur. Quare secundum istam qua vtimur, loquendi normam, asserere, possumus, secundum numerum graduũ amoris, quibus anima in Deum fertur, plura quoque esse animæ in Deo centra, quæ sunt illæ multæ mansiones, quas Dominus in domo Patris sui esse dixerat. Atque ita si vnico amoris gradu fuerit prædita, iam in Deo, qui ipsius centrum est, versatur: vnus quippe amoris gradus, ad manendum in Deo per gratiam, satis est; quod si duos obtinuerit amoris gradus, in intimiori centro sese Deo concentrauit, si ad tres peruenerit gradus, in tertio quoque gradu Deo concentrabitur: si autem profundissimum assecuta fuerit amoris gradum, amor quoque diuinus in illud eam feriet, quod hoc loco profundissimum animæ centrum nuncupamus: à quo etiam amore in quodam eleuatissimo gradu secundum essentiam, potentiam, vimque suam transformabitur, intradiabiturque, donec simillima Deo euadat. Sicut crystallum limpidum & mũdum, quo plures lucis recipit gradus, eò magis lux illi concentratur, splendidiusq; redditur, donec eousque perueniat, adeoque copiosè lux in eo radicetur, vt totum, lux ipsa videatur, nec à luce discerni possit, quandoquidem iam quantum capax est, totum sit illustratum ab ea, quod nihil aliud est, quam illi simile videri. Atque ita cum dicit anima flammam profundissimum ferire centrum, perinde est ac si diceret, quod dum substantiam, virtutem, vimque animæ profundissimè tangit, eam saucit. Quod ideò dicit, vt gloriæ, voluptatisque suæ affluentiam exprimat: quæ voluptas eo maior teneriorque est, quo potentius, substantialiusque in Deum fuerit transformata, eique concentrata. Quæ res multis gradibus superat id, quod in vulgari amoris vnione euenire solet, secundum vehementiam intentioris ardoris ignis, qui hoc loco (vt diximus) viuam eiaculatur flammam. Hæc quippe anima, quæ dulci adeò perfruitur gloria, & anima quæ communi duntaxat amoris vnione potita est, igni diuino, quem Isaias in monte Sion militantem Ecclesiam adumbrantem esse dicit: & Camino Dei qui erat in Hierusalem, quæ visionem pacis significat: quoddammodo similes sunt. In hoc enim, de quo agimus statu, velut in quodam succenso camino versatur anima, in tanto pacatiori, glorioſiori, teneriorique vnione (vti diximus) quantò ardentior est camini huius flamma vulgari igne, vnde sentiens anima ab istâ viuâ flammâ, viuo sibi modo vniuersa communicari bona (amor enim iste diuinus omnia secum adducit) ait:

Quot gradus amoris sint animæ centra.

Ioan. 14.2

Anima ſe. multiplex.

Isa. 31. 9.

O flamma amoris viua!
Quæ suauiter feris.

Ac si diceret: O ardentissime amor, qui amorosis motibus tuis, in maxima animæ meæ capacitate, ac vi, me glorioſam

reddis ; diuinam videlicet mihi intelligentiam , iuxta totam intellectus mei aptitudinem tribuendo, amorem quoque secundum maximam voluntatis meæ amplitudinem mihi impertiendo , hoc est intelligentiâ diuinâ excellissimè intellectus mei aptitudinem , in quodam intensissimo voluntatis meæ feruore , substantialique iam explicata vnione , sublimando. Quod reuera ita accidit, imò multò amplius quàm verbis exprimi possit ; eo nimirum tempore , quo flamma hæc in anima exurgit. Cum enim anima tota repurgata sit , & mundissima, profundè, subtiliter, sublimissimoque modo eam in se per suam flammam absorbet sapientia : quæ quidem sapientia ob suam puritatem attingit à fine vsque ad finem: Atque in illa absorptione sapientiæ, exercet Spiritus sanctus glorioſas flammæ suæ , sicuti diximus, vibrationes. Quæ flamma , cum adeo suauis sit , confestim subiungit anima : *Quandoquidem iam non es molesta.*

VERSVS IV.

Quandoquidem iam non es molesta.

Quid est flammam hanc esse molestam.

ID est : quandoquidem non iam amplius affligis aut coarctas , neque sicut antea, defatigas : flamma siquidem ista, dum anima in purgationis spiritualis statu versaretur ; hoc est, quando contemplationem ingrediebatur ; non erat illi adeò iucunda & suauis, ac nunc est, in isto vnionis statu. Quamobrem sciendum est, Flammam istam antequam diuinus hic amoris ignis per purgationem, puritatemque perfectam, in intima animæ penetralia introducatur, illisque vniatur, inuadere animam , prauorum ipsius habituum imperfectiones demoliendo , & in nihilum redigendo.

Hæcque est Spiritus sancti operatio, in qua ad vnionem diuinam , transformationemque in DEVM per amorem illam disponit. Idem quippe amoris ignis, qui in ista amoris gloria postmodum vnitur illi ; ipse est, qui prius eam adoritur purgando ; quemadmodum etiam idemmet ignis, qui ligni interiora penetrat ; est ille , qui prius illud lambebat , feriebatque suâ flammâ exsiccando , ac à suis frigidis accidentibus illud denudando, donec calore suo præparatum penetraret, ac in se transformaret. In quo exercitio plurimum patitur anima , magnasque in spiritu sentit afflictiones, quæ interdum etiam in sensum redundant : cum illi hæc flamma molesta sit & grauis , quemadmodum in Noctis Obscuræ tractatu , & in Ascensus Montis Carmeli Libro fusius docuimus ; & propterea non placet nunc pluribus de hac re agere , satis nunc sit nosse eundem DEVM , qui per vnionem amorisque transformationem vult ingredi Animam , esse illum qui prius eam diuinæ suæ flammæ luce , & calore, ipsam repurgando feriebat, & inuadebat : vnde eadem flamma , quæ nunc ei suauis est & iucunda , erat antea grauis & molesta.

Proinde idem est , ac si Anima diceret : Siquidem iam non es mihi amplius , sicut prius obscura , & tenebrosa ; sed es diuinum intellectus mei lumen, quo te contemplari possum: nec amplius imbecillitatem meam deficere facis ; sed es potius voluntatis meæ robur & fortitudo, cuius præsidio tota iam in diuinum amorem conuersa, te amare & frui possum;

possum: neque iam es animæ meæ pondus & pressura: sed potius gloria ipsius, delitiæ & latitudo; quandoquidem de me affirmari illud potest, quod in Canticis dicitur: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, delicijs affluens, innixa super dilectum suum?* hinc & inde amorem spargens? *Impone iam si placet finem.*

Cant. 8. 5

VERSVS V.

Impone iam si placet finem.

Impetrare finem est, perfectè spirituale matrimonium cum gloria consummare.

IDest: age iam, consumma mecum perfectè spirituale matrimonium tui Visione beatifica.

Quamuis enim non inficier in isto tam sublimi statu, tanto magis resignatam esse animam, quanto fuerit amplius transformata; nullam enim rem nouit seipsam quærendo, petere, (nam in omnibus dilectum suum quærit, cum charitas bonum gloriamque dilecti duntaxat præ oculis habeat) quia tamen adhuc in spe viuit, in qua non potest non aliqua sentiri vacuitas, in tantum (quamuis suauiter & iucundè) ingemiscit; quantum sibi ad perfectam filij Dei adeptionem obtinendam deest. Quare postquam gloria sua fuerit consummata, appetitus quoque ipsius conquiescet, qui quantumuis in hac vita Deo fuerit vnitus, nunquam expletur, donec appareat gloria ista: præsertim cum iam suauitatem ipsius, ac primitias in hoc statu prægustet: quæ huiusmodi sunt, vt nisi Deus naturæ imbecillitatem dextera sua protegeret, tuereturque (quemadmodum eum cum Mose in petra fecisse legimus, vt absque interitu gloriam suam contemplari posset, ex cuius dexteræ protectione, delitias potius roburque percipit natura, quam aliquid detrimenti) ad singulas istas inflammationes interitura videatur, cum inferior hominis pars, tam ingentem, sublimemque ignem nequeat sustinere. Ac propterea appetitus iste non est in hoc statu molestus, iam enim hic anima vniuersas pœnas euasit: quin potius cum summa suauitate delectatione, ac resignatione id postulat. Propterea quippe ait: *Si placet.* Nam voluntas & appetitus ipsius, ita Deo, suo modo coniuncti sunt, supremam vt suam gloram in eo sitam arbitrentur, vt quidquid voluerit Deus, fiat; verum huiusmodi sunt hîc demonstrationes gloriæ, tantusque qui eluceſcit amor: vt exigui potius amoris argumentum esset, illam amoris perfectionem, consummationemque non postulare. Accedit ad hoc, quod anima duertit ibi anima in illa communicatione delitiosa, sese à Spiritu sancto incitari mirisque modis, ac suauissimis inuitari affectibus, ad immensam gloriam illam, quam ipsi præ oculis ponit, dicens illud, quod sponsæ in Canticis dixerat: *Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni: Iam enim hiems transijt, imber abijt, & recessit: flores apparuerunt in terra nostra: ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum: Surge amica mea speciosa mea & veni, columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Cuncta hæc sentit sibi dici à Spiritu sancto anima in dulci illa teneraque flamma. Et idcirco ipsa hoc loco respondet:

In hoc statu anima vniuersas pœnas euasit.

Cant. 2. 10

Impone iam, si placet finem.

quibus verbis duas illas postulat petitiones, quas Christus Dominus noster per sanctum Matthæum rogari iussit, nimirum. *Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua;* ac si diceret, finias iam istud mihi præbere regnum, quemadmodum tu ipse hoc

Matt. 6. 10.

vis. Quod vt ita fiat. *Abrumpe telam dulcis huius occursus.*

VERSVS VI.

Abrumpe telam dulcis huius occursus.

Tres sunt tela ad Deũ perfectè possidendum necessario abrumpendæ.

ILlud videlicet, quod tanti momenti præpedit negotium; facile siquidem est telis impedimentisque separantibus sublatis ad Deum peruenire. Quæ quidẽ telæ ad Deum perfectè possidendum necessario abrumpendæ ad tres reducuntur. Tẽporalem nimirum, sub qua vniuersæ comprehenduntur creaturæ. Naturalem, sub qua cunctæ operationes propẽsiones que purè naturales latent: Et Sensitiuam quæ vnionem animæ cum corpore duntaxat comprehendit, quæ est animalis & sensitiua vita, de qua loquitur S. Paulus. *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam æternam in cœlis.* Duæ telæ priores, necessario abrumpi debuerunt, vt ad istam Dei per vnionem amoris possessionẽ posset peruenire, per quem amorem vniuersæ mundi res abnegatæ sunt & repudiatæ, affectus quoque & appetitus mortificati, & denique operationes animæ effectæ diuinæ. Quæ omnia flammæ istius, dum adhuc esset molesta & ingrata, occursibus abrupta sunt. In purgatione siquidem spirituali, duas istas telas omnino abrumpit anima vniturque dilecto; nec aliud præter tertiam sensibilis videlicet vitæ telam frangendum, residuum est; atque hanc ob causam, hoc loco ait, *Telam* non verò *Telas*: nulla enim alia supereſt præter istã,

2. Cor. 5. 1.

Duæ telæ priores necessario abrumpi debent.

quam flamma hæc, minimè eo rigore ac asperitate qua cæteras aggreditur, sed suauiter ac iucundè. Vnde & huiusmodi animarum per mortem exitus dulcissimus est, & omnibus vitæ præteritæ delitijs iucundior: moriũtur quippe impetuosis & suauissimis amoris aggressionibus extincti, Cigni instar; dulcius dum mori vult, modulantis. Nam idcirco dixit Dauid: iustorum mortem esse pretiosam, in ipsa enim amoris animæ flumina in amidi pelagus intrant: & sunt ibi hæc flumina adeò lata ac tranquilla, vt iam ipsa maris videantur, cum iam ibi principium & finis prius & posterius ad associandum illustum qui ad regnum suum capessendum recedit coniungantur: audiunturque laudes finium terræ, gloria videlicet iusti: & sentit se anima in hoc statu gloriosis istis impulsibus seu occursibus imperitam iam, iam, in procinctu ingressionis in affluentias ad regnum perfectè possidendum. Animaduertit enim se (quantum fides præsentisque vitæ conditio patitur) puram & opulentam, & ad tantum bonum capiendum idoneam. Iam enim in hoc statu, sinit eam Deus propriam intueri pulchritudinem, donaque ac virtutes quibus eam insigniuit, fidentius ipsi committit, cuncta siquidem hæc, in amorem illi laudesq; cõuertuntur, procul iam ablegato fermento, quod massam corrumpit. Cumque cernat anima nihil iam desiderari amplius, quam vt tenuis hæc naturalis vitæ tela, qua intexta, capta, præpeditaque est ipsius libertas, abrumpatur; cupiens dissolui esseque cum Christo, destructa ista spiritus & carnis (quæ plurimum inter se discrepant) textura seu compage, & suam earum qualibet sortem capiente; carne videlicet in sua remanente terra, spiritu verò ad Deum qui dedit illum redeunte; (caro enim mortalis

Ioan.6.64 talis vt sanctus Ioannes ait, non prodest quidquam, (imo potius bonum istud spiritus præpedit) & vehementius dolens, vitam tam vilem & abiectam, aliam tam sublimem retardare; eam abrumpi postulat. Quam etiam vitam triplici ex capite Telam appellat. Primò, ob connexionem, quæ inter spiritum carnemque intercedit. Secundo, quia inter Deum & animam separationem constituit. Tertiò, quia quemadmodum Tela minimè ita densa opacaque est, quin lux eam penetrare possit; ad eundem modum videtur hæc connexio in statu isto, adeò subtilis esse & delicata tela, (cum tantoperè sit spiritualizata, illustrata & extenuata) vt non possit per eam diuinitas non effulgere. Cum verò alterius vitæ robur percipiat anima, præsentis vitæ imbecillitatem animaduertit, videturque illi subtilissima quædam esse tela, imò aranearum tela, quemadmodum eam appellat Dauid: Psal.10. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur.* & adhuc aliquid multò minùs in oculis animæ ad tãtam celsitudinem euectæ, appareret. Cum enim ad diuinum sentiendi modum sublimata sit, sentit & iudicat de rebus, sicut ipse Deus, in cuius conspectu Psal.89.4. Psal.40.7. (sicut etiam ait Dauid) *Mille anni, tanquam dies hesterna quæ præterijt.* Et secundum Isaiam. *Omnes gentes quasi non sint.* Et eodem prorsus modo apparent animæ, cui vniuersa nihil sunt, ipsaque in oculis suis nihil est, Deus duntaxat suus, est illi omnia.

Cur abrumpi potius telam, quam rescindi, aut certe perfici postulet.

Sed hoc loco perpendendum est, cur abrumpi potius telam, quam rescindi, aut certe perfici postulet; cum hæc idem esse videantur? Ob quatuor causas id fieri affirmare, possumus. Primò vt magis propriè loquatur; plus enim occurrat abrumpere quam scindere aut perficere, congruit. Secundò quia amor, violentiæ tactusque fortis ac impetu vigentis amicus est, quod in abruptione magis, quam in præcisione seu consummatione exercetur. Tertiò quia quum tanto æstuet amore, momentaneum esse abruptionis telæ actum exoptat, vt citiùs perficiatur; tantò enim vehementior est & preciosior, quantò velocior fuerit & spiritualior: virtus enim amoris in hoc statu coniunctior est, & potentior, introducitq; perfectionem transformatiui amoris instar formæ in materiam, quæ in instanti introducitur, nam eousque nondum actus transformationis informatiuæ interceserat, sed dispositiones duntaxat illius; desideria videlicet & affectus successiuè iterati, qui, in paucis admodum, ad perfectum Transformationis actum perueniunt.

Pauci ad perfectum transformationis actum perueniunt.

Vnde rectè disposita anima, multo plures intensioresque potest producere actus breui temporis interstitio, quam ea, quæ minus est disposita, longissimo. Hæc enim vniuersas in id collimat vires, vt spiritum disponat, & interdum etiam solet postmodum remanere ignis non penetrato vsquequaque ligno. At in eam quæ recte est præparata, per momenta singula illabitur amor, ac ad primum attactum esca arida concipit scintillam. Atque ita amore capta anima, compendium potius abruptionis expetit, quam scindendi perficiendique moram. Quartò, denique telam abrumpi postulat, vt mortalis vitæ tela velocius finiatur: ea enim quæ scinduntur & perficiuntur, maiori cum consilio fiunt, cum nimirum res est magis præparata, maiusque temporis spatium & maturitatem requirere videtur: ruptio porrò seu fractio nullam maturitatem, aut quipiam simile præstolatur. Cuperet siquidem huiusmodi anima

natu-

naturalem vitæ suæ terminum non expectari: vis siquidem amoris, nec non dispositio, quam in se agnoscit, eam ad vitæ ruptionem, per occursum aliquem & supernaturalem amoris impetum exoptandam cum resignatione inclinant. Probè siquidem in hoc statu nouit anima, proprium esse Deo, ante tempus huiusmodi abducere animas, vt illis conferat bona; easque è malorum medio eripiat, breui eas tempore ad consummationem producendo, ac medio amore illo ea illis præbendo, quæ ipsæ temporibus multis acquirere potuissent, quemadmodum Sapiens his verbis ait. *Placẽs Deo factus est dilectus, & viuẽs inter peccatores translatus est, raptus est, ne malitia mutaret intellectũ eius, aut ne fictio deciperet animam illius: consummatus in breui, expleuit tempora multa; placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum.* Idcircò maximi momenti negotium est, amoris exercitio plurimum esse addictum: vt anima hac in parte perfecta & consummata, non nimium hic vel illic detineatur, quin illum facie ad faciem intueatur.

Sap. 4. 10.

Cur hæc interior Spiritus sancti aggressio occursus appelletur.

Sed iam nunc videndum est, cur hanc interiorem Spiritus sancti aggressionem appellet anima *Occursum*: Huius rei ea est ratio: nam licet magno teneatur anima desiderio, præsentem finiendi vitam, quia tamen definitum nondum adest tempus, votis eius minime satisfit: vnde vt eã perficiat Deus, & à carne magis subleuet, diuinis eam gloriosisque aggressionibus, veluti quibusdam occursibus inuadit; sunt enim reuerà aggressiones istæ occursus quidam, quibus semper peruadit penetratque animæ substantiam Deificando, eamq. velut diuinã efficiendo, quo facto diuina essentia absorbet animã, eò quod occursu suo viuo modo per Spiritũ sanctum eam penetrauerit, cuius communicationes vehementes sunt & præcipites; cũ præsertim sunt inflammatę; cuiusmodi est hæc communicatio. In hoc occursu, quoniam anima viuidè deguſtat Deum, vocat eum dulcem; non quod multi alij attactus & occursus, quibus in hoc statu fruitur, non sint dulces & sapidi: sed ob eminentiam, qua cæteros omnes occursus iste antecellit: eo enim fine occursu isto vtitur Deus, vt animam perfectius dissoluat, glorioſamque efficiat. Quare ipsa sumit animum & fidenter ait. *Abrumpe telam dulcis huius occursus.*

Quamobrem vniuersi Cantus hic sensus est: O Spiritus sancti flamma! quæ tam intimè delicateque animæ meæ peruadis substantiam, eique ardoribus tuis cauterium inuris, quandoquidem iam adeo blanda es & amica, vt præteferas desiderium teipsam mihi in vitam æternam consummatam conferendi: si prius vota mea aures tuas non attingebant, quando nimirum cum anxietatibus laboribusque amoris (in quibus sensus spiritusque mei imbecillitas, ob plurimam, qua tunc afficiebar, amoris debilitatem, imputatem, exiguamque vim; laborabat) instantius efflagitabam, vt me vitæ mortalis nexu exolueres; (desiderio siquidem desiderabat te anima mea, quando impatiens amor, non me sinebat huic vitæ modo, quẽ tu me viuere volebas, adeò conformem esse, nec præteriti impetus amoris satis apud te ad obtinendum erant, cum nondum essent adeò solidæ substantiæ) iam nunc quando sum amore roborata, vt nõ solum non deficiat in te spiritus sensusque meus, sed potius cor meum & caro mea fortificata à te exultet in Deum viuum, idque summa cum partium conformitate & consensu, vnde etiam id quod tu me postulare vis, postulo, quod verò renuis, ego quoque renuo, sed nec velle posse videor,

deor, aut leui saltem desiderio ad illud petendum titillari: Et quãdoquidem iam preces meæ potentiores sunt, magisq; rationi in cõspectu tuo cõformes; à te enim promanãt, tuque ipse illas requiris; & præterea quia cum suauitate & gaudio in Spiritu sancto has meas tibi petitiones offero, cum iam iudiciũ meum à facie tua egrediatur; hoc est, quando iam preces magni pendis & audis: abrumpe subtilem huius vitæ telam, vt te cum ea, quam optat anima mea plenitudine & satietate, absq; limite & fine ab hinc diligere possim.

CANCION II.

O cauterio suaue,
O regalada llaga,
O mano blanda o toque delicado,
Que a vida eterna sebe,
Y toda deuda paga,
Matando muerte, en vida loas trocado.

SENSVS.

O cauterium suaue!
O delicatam plagam!
O manum blandam! O attactum delicatum
Aeternam qui vitam sapit
Et omne debitum exoluit
Occidendo mortem in vitam transmutasti.

EXPOSITIO.

IN præsenti Cantu exponit anima, qua ratione tres sanctissimæ Trinitatis personæ. PATER, FILIVS, & SPIRITVS SANCTVS sunt illæ, quæ in ea diuinum istud vnionis opus efficiunt, vnde *Manus* & *Cauterium* & *Attactus* vna eademque res substantialiter sunt, sed ista imponuntur illis nomina, eò quod effectui, quem eorum quodlibet producit proportionaliter conformia sunt. *Cauterium* SPIRITVS SANCTVS est, *Manus* ÆTERNVS PATER, *Attactus* denique FILIVS. Atque ita magnificat & exaltat hoc loco anima PATREM, FILIVM & SPIRITVM SANCTVM, tria ingentia dona ac bona, quæ in ea operatur celebrando, eo quod iam mortem suam in vitam transmutariteam, in se transformando. Primum donum est; *Delicata plaga*, & istud Spiritui sancto adscribit, & propterea appellat illam *Cauterium*. Secundum est æternæ vitæ gustus, & donum istud attribuit Filio, ac idcircò vocat illum *Tactum delicatum*. Tertium tandem est *Donum*, quo abundè animæ satisfactum est, & hoc Patri adscribit: & propterea appellat illum *Manum blandam*. Et quanquam nominet hoc loco tres Personas diuinas propter effectuum proprietates; cùm vnâ tamen solummodo loquitur *Essentia* dicens: *Mortem in vitam transmutasti*, vniuersæ enim Personæ diuinæ operantur in vnum, & vniuersa vni adscribit, & omnia omnibus.

VERSVS I.

O cauterium suaue!

IN Deuteronomij libro ait Moyses Deũ Dominum nostrum ignem esse consumentem: ignem videlicet amoris, qui cum infinitæ sit virtutis, supra omnẽ existimationẽ consumere potest, magnaq; cũ violentia quidquid attigerit comburendo in se trãsformare. Verumtamen vnumquẽque secundum quod eum reperterit aptũ, adurit quosdam plus, quosdam verò minus, & præterea tantum quantum ipsi placet, & qua ratione, & quando ipsi placet, & cũ ipse immensus sit amoris ignis, quãdo illi placet aliquãto arctius attactu premere animam; adeo immensus est ardor ipsius, vt arbitretur anima se super vniuersos mundi ardores exardescere. Et propterea *Tactum* istum *Cauterium* appellat, eo quod in ipso ignis intensior sit magisque radicatus, & concentratus, vnde & vehe-

mentiorem ardoris producit effectū cæteris ignitis. Cū autem iste Diuinus ignis transformauerit in se animam, non solum sentit ipsa cauterium, sed tota effecta est quoddam cauterium ignis vehementis. Estque res profecto admiratione digna, quod cum diuinus iste ignis tam sit vehemens ac consumens, vt multo cū faciliori negotio mille in nihilū redigeret mūdos, quam elementaris ignis paleam vnam; non tamen consumat destruatque spiritus, in quibus ardet: sed iuxta vitiū ardotisque ipsorum mensuram, illos oblectet & deificet, suauiter in ipsis secundum vires quas illis contulit ardendo. Quemadmodum in actibus Apostolorum euenisse legimus, vbi cum ignis iste magna cum vehementia fuisset delapsus, adūssit discipulos qui (vt S. Gregorius ait) suauiter intus arserunt, idipsum etiam est Act. 2. 3. quod canit Ecclesia. *Aduenit ignis diuinus, non comburens, sed illuminans; non consumens, sed lucens.* Cum enim communicationum istarum finis sit, sublimare & magnificare animam, non eam cauterium hoc premit; sed potius dilatat, non illam affligit, sed oblectat, illuminat & ditat, & propterea vocat illud *Suaue*.

Atq; ita fœlix anima quæ insignem hāc fortē adepta est vt istud obtineat cauteriū, omnia nouit, omnia gustat, quidquid libet facit & prosperatur, nulluſq; coram ea prævalet, aut eam attingit, hæc est enim 1. Cor. 2. illa anima, de qua Apostolus ait. *Spiritualis* 15. *autem iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur.* Et alio loco. *Omnia scrutatur etiam pro-* 1. Cor. 2. *funda Dei.* O ingens gloria vestra animæ 10. quæ ad istum supremum ignem peruenire dignæ fuistis! qui cum infinita virtute ad vos consumendas & in nihilum redigendas polleat, non vos consumēdo, immense vos in gloria consummat. Nec mirandum est, nonnullas animas ad hunc vsq; gradum à Deo prouehi, cum ipse solus sit, qui nonnullis in rebus in stupendis effectibus producendis singularis est. Cū itaq; cauterium istud adeò suaue sit; quēadmodum hoc loco explicatum est, quātis putamus delitijs affluet anima tam potenti igne adusta? vnde rem hanc cupiens exprimere anima, eam reticet, satisque illi est amplificationem eius & existimationem, isto indicare dicendi modo. O dicendo. *O delicata plaga.*

VERSVS II.

O delicatam plagam.

VVlneri huic ipsemet, qui illud infert medetur, dumq; illud it fligit sanat, quæ res similis est, aliqua ratione ferro naturali igne succenso; quod cum vulneri superponitur maius illud efficit, facitque, vt id quod prius erat vulnus ferro vel aliquo alio modo inflictum, iā vulnus ignis euadat: quod si pluries idem ferrum vulneri superponeretur, maius ignis vulnus fieret, donec destrueretur subiectum. Ad eundem modum, istud amoris diuini cauterium vulnus illud amoris, quod animæ intulerat sanat; & quotiescunque iterato cauteriū istud applicat, maius efficit vulnus. Amoris quippe medicina est, rē sauciaram denuo sauciare, donec tota anima in vulnus amoris conuertatur. Hocque modo, tota iam vnum amoris vulnus effecta, tota est sana in amorem transformata & in amore vulnerata. In hoc quippe euentu ille qui magis plagatus est, magis est sanus; qui verò totus est plagatus, totus est omnino sanus. Nec quia hæc anima tota iam sit sauciata, & tota sana, propterea cauterium munus suum quod est, amore sauciare non exercet: sed tunc iam,

jam, potius delinit & oblectat sanatum vulnus, modo nuper explicato: & propterea ait. *O delicatam plagam.* quæ tanto suauior delicioſiorque est, quanto à sublimiori & eminentiori amoris igne effecta est. Cùm enim vulnus istud Spiritus sanctus ad animam oblectandam inflixerit; desideriumque ac voluntas ipsius eam oblectandi sit ingens; necesse etiam est vulnus esse permagnum, vt anima cui infligitur, maximoperè delitijs deliniatur. O fortunatum vulnus! illius effectum manu, qui non nouit nisi sanare. O fœlix nimiumque fœlix plaga! quando quidem non ob aliud fuisti inflicta, nisi vt suauitate delitijsque permulceres animam. Ingens vulnus est, quia immensus est qui illud inflixit: ingentes quoque ipsius delitiæ; quoniam infinitus est amoris ignis. O ergo delicatã plagam! & eò sublimius delicatam, quo intimius animæ centrum, cauterium amoris attingit, quidquid inflammari potuit inflammando, vt quidquid oblectari potuit oblectaret. Cauterium & vulnus istud, quantum ego arbitror, est supremus qui in hoc statu obtineri potest gradus. Multi tamen alij reperiuntur modi, qui neque ad hunc perueniunt, nec huic sunt similes. Hoc enim cauterium à diuinitatis in anima attactu, absque forma, aut aliqua formali aut imaginatia figura promanat.

Cauterij hic à diuinitatis in anima actu promanas.

Alius quoq; animam cauterio adurẽdi modus sublimissimus contingere solet, fitque hoc modo. Euenit, vt dum anima amore isto flagrat (quanquam non ita cauteriata sit, vti eam hic descripsimus; licet vt huiusmodi sit, ad ea quæ iam dicturi sumus percipienda, plurimum expediat) euenit inquam, vt sentiat anima, se ab aliquo transfigi Seraphino, ardentissimo amore intincto telo transuerberante illam carbone isto accenso, vel vt melius dicã, cauterium ei sublimi modo inurente flamma illa; tunc verò in ista cauterij inustione, transfixa anima celeriter erumpit flamma, & impetu vehementi in sublime assurgit (ad eum modum, quo in ardentissimo clibano, aut fornace, cum mouentur aut vertuntur ligna, efferuescit flamma, ignisque inardescit) & tunc sentit anima vulnus istud cum voluptate, omnem æstimationem ponderationemque superante. Nam præterquam quod tota reuoluitur, & commouetur; eo quo commouetur tempore, atque ad ignis ipsius vehementem motionem (in quo igne immensus est amoris ardor, & liquefactio, vulnus perfectum, & herba, qua viuaciter attemperatum fuerat ferrum, efficacissima) sentit anima profundum spiritus sui centrum transuerberatum, purissimamq; ac perfectissimam delectationem, quæ nullis vt par est, verbis exprimi potest. Sentit ibi veluti granum sinapis minutissimum, viuacissimum, & ardentissimum, in intimo spiritus corde (quod est vulneris scopus & punctum, in quo substantia virtusque herbæ reperitur) indeque per vniuersas spirituales animæ venas, iuxta ardoris vires & efficaciam delicatissime deriuari & defluere percipit, adeoque excrescere, inualescere, ac perfici sentit amorem, vt in ea ignis maria vniuersa amore inundantia esse videatur. De ijs porrò quibus in hoc statu fruitur anima, nil aliud superest dicendum, nisi quod tunc experitur anima, quam rectè comparatum sit in Euangelio regnum cœlorum grano sinapis, quod ob ingentẽ, quo præditum est calorem, etsi ita exiguum sit, in magnam excrescit arborem: *simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod minimum quidem est omnibus seminibus: cum autem* *Stupenda plane Seraphi huius vulneris effectus.*

Matth. 13. 31.

autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres Cœli veniant, & habitẽt in ramis eius. animaduertit siquidem hic anima, se veluti immensum amoris ignem esse effectam. Paucæ animæ huc peruenerunt: illorum præsertim quorum virtus ac spiritus in sibi succedentes filios diffundi debuit, conferente Deo diuitias ac valorem capiti, iuxta futuram domus seu familiæ in primitijs spiritus successionem.

Paucæ huc animæ perueniũt.

Sed iam ad Seraphini illius opus reuertamur, quod reuera nihil aliud est, quam sauciare & vulnerare: quare si aliquando effectus aliquis foras ad corporeum sensum prodire permittatur; iuxta quod interius vulnus infixit (id est, Seraphin) pãditur exterius vulnus; quemadmodum euenit cum sanctum Franciscum Seraphinus plagis insigniuit; nam cum animam ipsius sauciasset amore, vulnerum effectus eodem modo foras prosilijt. Nullum siquidem fauorem præstat Deus corpori, quin primario eum animæ conferat; tunc verò, quo vehementior fuerit delectatio amorisque vis, qui in interioribus vulnus producit, eo intensior est dolor exterioris plagæ: crescenteq; vno, crescit & aliud. Hoc autem isto modo fit, cum istæ animæ repurgatæ sint, ac in Deo fortes, illarum spiritus fortis & sanus, spiritu forti & dulci Dei delectatur, qui tamen ipsorum infirmitati corruptibilique carni, dolorem infert & cruciatum. Vnde res est prorsus stupenda, sentire augeri dolorem per dulcedinem. Quod miraculum probè agnouit Iob in suis vulneribus, quãdo dixit Deo. *Reuersusque mirabiliter me crucias.* Nam reuera ingens prodigium est, resque diuina munificentia ac suauitate, quam abscondit timentibus se, digna, tanto nimirum maiorem gustum & delitias impertiri; quanto actiores dolores ac cruciatus sustinentur. O immensa magnitudo quæ in omnibus tuam prodis omnipotentiam. Quis posset Domine dulcedinem in medijs amaritudinibus producere, in medijs cruciatibus oblectare! *O delicatam plagam.* Quandoquidem tanto suauiùs deliniris, quanto maiora tuum vulnus capit incrementa. Sed quando vulnus animæ soli infertur, nec exterius communicatur, tunc multo intensius sublimiusq; esse potest: cũ enim caro frænum sit spiritus, quando ipsius bona carni communicantur, retrahit ipsa frænum, & pernicis equi huius ora coërcet, ac ingentes ipsius spiritus viuacitatemque compescit; *Corpus siquidem quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum, spiritalem, multa cogitantem.* Proinde qui corporeis sensibus nimis inniti voluerit, non admodum spiritualis euadet. Hæc propter eos dico, qui solo vilis abiectique sensus conatu & operatione, se ad spiritus vires sublimitatemque peruenturos arbitrãtur. Nõ peruenitur certè illuc nisi quãdo corporeus sensus remanet foris. Diuersa tamen res abista, cũ aliquod sentimentum affectus à spiritu deriuatur in sensum: hac enim in re plurimum spiritus interuenire potest, quemadmodũ in sancto Paulo videre licet, cuius summus dolorum Christi sensus in corpus redundabat, sicut ipse ad Galatas scribens significat dicens: *Ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Vnde qualis est plaga & cauterium, talis etiam erit manus, quæ huic operi intenta est. Et qualis Attactus, talis qui eum producit. Quam rem subsequenti versu ostendit Anima eum ait. *O manum blandam! O Attactum delicatum!*

Iob 10. 16. Ps. 30. 20.

VER-

VERSVS III.

O manum blandam!
O attactum delicatum!

O Manus, quæ cum non minus generosa sis quam potens & opulenta, potenter mihi tribuis dona. *O manum blandam*, tanto animæ isti blandiorem mollioremque dum eam suauiter attrectas: quanto, si illam aliquo modo premeres grauius, formidabiliorem; totum enim in abyssum præcipitaret orbem, quandoquidem dum respicis terram, facis eam tremere, paueſcunt gentes, & conteruntur montes. O ergo iterum *manum blandam*, quæ sicuti lobo dura fuisti & seuera, eò quòd eum tam asperè tetigeris; ita dum eam leniter super animam meam multumque gratioſe ac amicabiliter demittis, tantò mihi es blandior & suauior, quanto illi fuisti durior, amplius dulciori amore me contrectans, quam illum rigore tetigisti. Tu enim occidis & viuificas, & non est qui tuas effugiat manus. Sed tu O vita diuina, nunquam occidis, nisi vt viuifices; sicuti nunquam saucias, nisi vt sanes, sauciasti me vt sanares me. *O manus diuina!* mactasti in me, quod me mortuam detinebat absque Dei vita, quâ me nunc viuente conspicio. Hoc autem liberalitate generosæ gratiæ tuæ erga me fecisti, interueniente Attactu splendoris gloriæ tuæ, figuræque substantiæ tuæ, qui est vnigenitus Filius tuus, quo tetigisti me, in quo (cum ipse sit Sapientia tua) à fine vsque ad finem fortiter propter ipsius puritatem attingis. O ergo *Attactus delicate Verbum Fili Dei*, qui ob diuinæ essentiæ tuæ subtilitatem, subtiliter animæ meæ penetras substantiam, & dum eam delicatè molliterque tangis, totam eam in diuinos suauitatum nunquam in terra Chanaan auditarum, neque in Teman visarum modos absorbes. O igitur multum & insigniter mihi delicate *Attactus verbi*! cum subuersis montibus, petrisque in monte Oreb potentiæ virtutisque tuæ vmbra, quæ te præcedebat, contritis, te sentiendum in sibilo auræ tenuis & delicatæ, Prophetæ tribuisti. O tenuis aura, dic quæso cum tam tremendus sis & potens, qua ratione subtiliter delicateque tangis? O fœlix & nimium fœlix anima, quam cum ita metuendus sis & potens, delicatè molliterque tetigeris! Enarra tu ô anima, rem hanc mundo, sed potius sile; non enim ipse auram tenuem delicatamque nouit, sed neque tibi aures præbebit, neque enim huiusmodi celsitudines recipere valet. O Deus meus & vita mea! illi te in attactu tuo sentient & videbunt, qui sese extenuauerint, benè sibi consentiente subtili cum subtili; quos tu eo subtilius delicatiusque tangis, quo manens in animæ subtilitate absconditus ipsos ab omnibus creatis rebus, ac earum vestigijs abalienatos, potentius abscondis *in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum*. O ergo iterum, & multoties *delicate Attactus*, qui subtilitatis tuæ vi, consumis animam, eamque ab vniuersis alijs tactibus separas, tibi soli adiudicas, tamque delicatum in ea effectum sensumque tui relinquis, vt cæterarum omnium rerum, siue inferiorum, siue superiorum Tactus, rudes illi spurijq; videantur; imo ipso eorum aspectu offendatur, graueque illi & permolestum sit de illis agere, aut eos vel leuiter delibare.

Baruch 3. 22.

3. Reg. 19. 13.

Quinam diuinæ huius manus attactum experientur?

Psal. 30. 21.

Eo res latior capaciorq; est, quo fuerit subtilior: & eo magis sui diffusiua est, & communicatiua, quo magis fuerit subtilis & delicata. O ergo *Attactus delicate!* qui eo

copiosius te infundis, quo subtilior es. Iam animæ meæ vasculum, propter attactum tuum, simplex est, purum, tuique capax. *O igitur attactus delicate!* in quo cum nihil materiale pcipiatur, eò tamen amplius profundiusque tangis animã, ex humana mutando eam in diuinam; quo diuinum tuum Esse, quo illã tangis, ab omni modo magis est alienum, & ab omni formarum figuratumque cortice liberum & expeditum. O ergo postremò *Attactus delicate & nimis delicate*, quandoquidem simplicissima purissimaque essentia tua (quæ quoniam infinita est, infinite est subtilis & delicata) tangis animã. Et propterea subiungitur. *Æternam qui vitam sapit.*

VERSVS IV.

Æternam qui vitam sapit.

QVamuis non in gradu perfecto & consummato; tandem tamen, est quædam æternæ vitæ prælibatio & sapor (quemadmodũ superius dictum est) qui in isto Dei attactu degustatur. Nec rem hanc ita se habere, incredibile est: credendo (sicuti credendum est) *Attactum* istum substantialissimum esse, substantiamque diuinam animæ tangere substantiam ad quem attactum multi sancti in hac vita peruenerunt. Vnde delectationis suauitatisque, quæ in attactu isto præcipitur subtilitas nequit verbis explicari: nec ego de ea verba facere vellem, ne existimetur, nil eam amplius esse, quam id quod verbis effertur: sed neque suppetunt verba, ad res diuinas adeo sublimes, cuiusmodi sunt, quas istæ animæ experiuntur, diludandas, & nominandas: quarum proprium idioma est, vt ille qui eas percipit, sibi ipsas intelligat, sentiat, ijs fruatur, & silentio inuoluat. Optime siquidẽ in hoc statu animaduertit anima, huiusmodi res quodammodo esse instar calculi illius, quem S. Ioannes vincenti dandum dixit: *Vincenti dabo calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum quod nemo scit, nisi qui accipit.* Vnde hoc solum in veritate dici potest: *Æternam qui vitam sapit.* Etsi enim attactu isto in hac vita non ea, qua in sempiterna gloria fruamur perfectione; nihilominus tamẽ attactus iste, cum ipsius Dei sit, æternam sapit redoletque vitam. Atq; ita admirabili quodam modo & participatione, vniuersas res diuinas degustat, cõmunicaturq; illi fortitudo, sapientia & amor, pulchritudo, gratia & bonitas. Cum enim Deus sit hæc omnia, in vno solo ipsius attactu, eminenti quodam modo cuncta hæc degustat. Et ex isto animæ bono nonnihil interdum vnctionis spiritus in corpus deriuatur, videturque ossa ipsa penetrare, secundum illud quod Dauid ait: *Omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi?* Et quoniam, quidquid hac de re dici potest minus est, sat est dicere *Æternam qui vitam sapit.*

Multi sancti ad attactũ istũ diuinum in hac vita peruenerunt.

VERSVS V.

Et omne debitum exoluit.

NEcesse est hoc loco explicare, quæ sint debita ista, quæ sibi in hoc statu exoluta sentit anima? Et sciendum est, animas quæ ad Regnum istud perueniunt, multos vt plurimum labores afflictionesque superasse: nam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum, quæ iam in hoc statu præterierunt.

Illi porrò qui ad vnionem diuinam perueniuri

senturi sunt, multiplices afflictiones & tentationes sensus: necnon labores, tribulationes, tentationes, tenebras & angustias spiritus patiuntur, vt hoc modo ambarum partium istarum purgatio perficiatur, secundum ea, quæ in monte Carmeli Ascensu & in Nocte obscura diximus. Istarum autem tribulationum causa est; quia notitiæ & deliciæ diuinæ nequeunt recte collocari stabilitrique in anima, nisi prius sensus & spiritus ipsius optimè fuerint repurgati & attenuati. Et quoniam tribulationes & vitæ asperitates repurgant & extenuant sensum & afflictiones, tentationes, tenebræ, & angustiæ attenuant & disponunt spiritum; ad obtinendã transformationẽ in Deum, expedit tribulationes istas pati, & superare (sicut euenit illis, qui eum in altera vita per purgatorij pœnas visuri sunt) quosdam in intensiori gradu, quosdam verò in remissiori: quosdam breuiori, quosdam verò diuturniori tempore, secundum vnionis gradus, ad quos voluerit eos Deus prouehere; & secundum id, quod ipsi repurgandũ habuerint. Per tribulationes istas quibus exercet Deus animam & sensum, acquirit ipsa per amaritudinem virtutes, fortitudinem ac perfectionem. *Nam virtus in infirmitate perficitur*, vt inquit Apostolus & afflictionum passionumq; exercitio excolitur: neque enim ferrum artificis ideæ deseruire potest, nisi ignis malleiq; interuentu, quod non sine ferri detrimento, quantũ ad id quod prius erat, fieri potest. Hoc enim modo se à Deo edoctum fuisse ait Ieremias: *De excelso misit ignem in ossibus meis, & eruditi me.* De malleo quoque ait. *Castigasti me*, Domine, *& eruditus sum.* Quamobrem Ecclesiast. dicit. *Qui non est tentatus quid scit?*

Obseruare hoc loco acuratè oportet, cur adeò exiguus sit eorum numerus, qui ad tam sublimem statum perueniunt? Huius rei hæc est ratio, quia in tam sublimi excelsoque quod Deus auspicatur opere, multi debiles sunt & infirmi, qui confestim fugiunt laborem, nec vel minimam sustinere desolationem mortificationemque volunt, neque solida cum patientia operari. Hinc est, quòd cum non reperiat eos in suscipiendo beneficio, quod illis, eos excolendo, impendebat fortes ac constantes in repurgandis illis, & è puluere terræ subleuandis minimè progrediatur, ad quam rem maior fortitudo & cõstantia requirebatur. Vnde hominibus istis, qui minora sufferre recusant, neque se subdere ad ea sustinenda volunt, illud Ieremiæ dici potest. *Si cum peditibus currens laborasti, quomodo contendere poteris cum equis? cum autem in terra pacis securus fueris, quid facies in superbia Iordanis?* Quod perinde est ac si dixisset, si tu in tribulationibus, quæ ordinario & humano cursu eueniunt omnibus viuentibus, adeo parco breuique passu gradiebaris, vt tibi currendum esset, magnamque te afflictionem ac laborem subire arbitrareris; qua ratione equi passus assequi poteris? quod nihil aliud est, quam vulgarium cæteriscque hominibus communium tribulationum metas transilire, aliasque vehementiores, ac velociores subire? Et si tu noluisti inferre bellum paci, gustibusque terræ tuæ; id est sensualitati tuæ, sed pacem consolationemque ipsius peroptas, quid facies in superbia Iordanis? hoc est, qua ratione præcipites vehementesq; tribulationum & laborum spiritus aquas, quæ interiores sunt, sustinebis? O animæ, quæ tutas & consolatæ viuere optatis? si agnosceretis, quam expediat vobis afflictiones sustinere, vt ad istum peruenire statum possitis; quantæque sit vtilitatis, passionum

eorum numerus qui ad tã sublimè perueniunt statum?

Ieremi. 12. 5

Pulchra ad afflictiones tolerãdas adhortatio.

ſonum tolerantia, & mortificatio ad obtinenda tam ſublimia bona: nullo modo in quapiam re conſolationem quæreretis: quin potiùs crucem felle acetoque puro deliburam portaretis, magnæque id adſcriberetis fœlicitati conſiderando, quod iſto modo, mundo, & vobis ipſis emoriendo, Deo in ſpiritus delicijs viueretis; & æquanimiter exteriora ſuſtinendo, meretemini, vt Deus conijceret in vos oculos, ad vos emundandas & interius à tribulationibus ſpiritualibus repurgandas. Multa quippe obſequia Deo præſtitiſſe neceſſe eſt, multamque habuiſſe patientiam & conſtantiam ac Deo placitam duxiſſe vitam eos, quibus huiuſmodi gratiam collaturus eſt. Vnde Angelus Sanctus Tobiæ dixit. Quod quia acceptus erat Deo; ideo gratiam illam conſecutus fuiſſet, vt tribulatione affligeretur. *Et quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit vt tentatio probaret te*, vt eum amplius probaret, præſtantioreſque illi impenderet fauores. Et ſic (ait ſcriptura) poſt tribulationes ſuperatas reſiduum vitæ ſuæ eum in gaudio exegiſſe. Idem videre licet in Iobo, quem poſtea quam in præſentia bonorum malorumque ſpirituum in ſeruum ſuum acceptaſſet: confeſtim hanc illi præſtitit gratiam, vt duras illas immitteret ei tribulationes, vt poſtmodum illum ſublimaret: quemadmodum & fecit, multo eum amplius quam antea, ſpiritualiter temporaliterq; exaltãdo. Hoc modo ſe gerit Deus cum ijs, quos ſecundum meliorationem magis principalem, præ alijs euehere cupit: permittit illos nimirum interius exteriuſque tentari, affligi, cruciari, & repurgari; idque in ſupremo quo fieri poteſt gradu, vt illos, conferendo eis cum ſua ſapientia vnionem, Deificet; qui eſt ſublimiſſimus omnium ſtatus: priùs tamen eos hac ipſa repurgando ſapientiâ, ſecundum quod obſeruauit Dauid dicens: ſapientiam Domini, argentum eſſe igne examinatum, in terra carnis noſtræ probatum & purgatum. Nec eſt cur diutius immoremur, explicando qua ratione quælibet iſtarum purgationum fiat, vt ad iſtam diuinam ſapientiã poſſit perueniri: quæ in hoc mortalis vitæ ſtatu eſt velut argentum: quod licet defæcatiſſimum ſit, nunquam ad pretioſiſſimi auri perfectionem perueniet, quod pro ſtatu gloriæ reſeruatur.

Tob. 12. 13

Iob 2.

Quapropter non mediocriter expedit animæ, tribulationes iſtas, exteriores quoque & interiores, ſpirituales & corporales, maiores & minores afflictiones, magna cum conſtantia & patientia ſuſtinere. Vniuerſas eas veluti de manu Dei ad vtilitatem remediumque ſuum permiſſas acceptando, nec eas declinando, cum ſint ſanitas animæ, quemadmodum conſulit Sapiens dicens. *Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris* (hoc eſt locum ſitumque cordis tui, qui eſt tribulatio illa) *quia curatio faciet ceſſare peccata maxima*: id eſt, peccatorum imperfectionumque tuarum filum (quod eſt conſuetudo praua) ne vlterius ſerpant præſcindet. Vnde interiores anguſtiæ ac afflictiones, prauos imperfectoſque animæ habitus extinguunt & repurgant. Quam ob cauſam magni beneficij inſtar reputare debet, quoties Dominus interiores illi afflictiones immiſerit; recogitando, exiguum eſſe illorum numerum qui iſto fine pati promerentur, vt tam excelſum conſequantur ſtatum, ac eſt, per paſſiones & afflictiones conſummari.

Cum itaque venit hoc loco in mentem animæ, cumulatè ſibi hic omnes præteritos perſolui labores (quando quidem iam: *Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius*) & quod ſicut particeps fuit tribulationum, ita nunc eſt conſolationum: omnes præteritæ inte-

interiores exterioresque afflictiones bonis diuinis copiosissimè remuneratas sibi esse, ita vt nullam fuerit passa tribulationem ; cui non ingens præmium correspondeat : palam fatetur in hoc versu, abundè sibi satisfactum esse, dicens:

Et omne debitum exoluit.

Sicut etiam Dauid hoc suo versu canit dicens. *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas, & conuersus viuificasti me: & de abyssu terræ iterum reduxisti me : Multiplicasti magnificentiam tuam, & conuersus consolatus es me.* Atque hoc modo anima ista, quæ prius extra portas Palatij Dei morabatur (velut Mardochæus in plateis Susan vitæ suæ discrimen deplorans cilicio indutus, nec vestem à Regina Esther sibi transmissam admittens, nulloque propter obsequia Regi præstita , & fidem in honore & vita Regia tuenda egregiè probatam præmio insignitus) præstituta die omnium suorum obsequiorum ac afflictionum remunerationem accipit; neque permittitur duntaxat interiora Palatij subire , vestibusque Regijs indura præsens Regi adstare , sed etiam imponitur capiti eius diadema, & tanquam alteri Esther confertur Regni possessio , vt quidquid voluerit, in sui sponsi faciat regno. Quidquid enim homines status istius voluerint obtinent, vniuersumq; debitum, abunde est illis persolutum, extinctis iam & interfectis appetituum suorum inimicis, qui vita eos priuare moliebantur, etiam in Deo viuendo. Propterea quippe confestim subiungit anima.

Psa. 20.

Esther 4.

Quidquid homines status istius voluerint obtinent in Deo.

Occidendo mortem in vitam transmutasti.

VERSVS VI.

Occidendo mortem in vitam transmutasti.

MOrs nihil aliud est, quam vitæ priuatio: statim enim ac aduenerit vita, nullum quantum ad spiritualia spectat, mortis supereſt vestigium. In duplici differentia vita reperitur, quarum vna Beatifica est, quæ in Deo videndo est sita : & hanc naturalis & corporea mors præcedere debet, sicut Sanctus Paulus ait. *Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra, huius habitationis dissoluatur , quod ædificationem ex Deo habemus , domum non manufactam æternam in cœlis.* Alia est vita spiritualis perfecta, quæ nil aliud est , quam Dei per vnionem amoris possessio : hæc autem vita , vitiorum omnium & appetituum mortificatione obtinetur. Et quousque hoc fiat , non potest ad vitæ istius spiritualis vnionis cum Deo perfectionem peruenire : quemadmodum etiam Sanctus Paulus his verbis asserit. *Si enim secundum carnem vixeritis , moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Vnde obseruandum est id , quod hoc loco mortem appellat anima , veterem esse hominem , vsum videlicet Potentiarum , Memoriæ , Intellectus, & Voluntatis circa sæculi res occupatarum, necnon appetituum vsum , creaturarum delectationibus deditorum. Quæ vniuersa vitæ veteris (quæ est nouæ vitæ, scilicet spiritualis interitus) exercitatio sunt , qua nequaquam viuere valebit perfectè anima , nisi etiam veteri homini perfectè moriatur , sicut Apostolus admonet dicens: *Expoliantes vos veterem*

Duplex vita reperitur, Beatifica & spiritualis perfecta. 2. Cor. 5. 1.

Quid sit vita spiritualis perfecta?

Rom. 8. 13.

Quid sit vetus homo?

Eph. 4. 24. & ad Coloss. 3. 9.

 veram

rem, hominem & induentes nouum, qui secundum DEVM creatus est in iustitia & sanctitate. In qua vita noua, quando vnionis cum Deo perfectionem attigit (vt de ea hic loquimur) vniuersi animæ affectus, potentiæque ac operationes ex se imperfectæ & viles, efficiuntur propè diuinæ. Quoniã autem (vt Philosophi docent) omne viuens, operatione sua viuit: cum anima operationes suas propter vnionem, quam cum Deo habet in Deo habeat, Dei vita viuit, morsque ipsius in vitam transmutata est. Intellectus namque, qui ante vnionem istam parce cognoscebat; iam ab alio principio superioriq; ordinis Dei videlicet lumine mouetur & informatur. Voluntas quoque quæ tepide & remisse prius diligebat, iam nunc in vitam diuini amoris transmutata est; sublimiter enim affectu amoris diuini amat, à Spiritu sancto in quo iam viuit mota. Sed & memoria, quæ solas creaturarum formas figurasque ex se percipiebat, est etiam mutata, vt in mente habeat annos æternos. Appetitus etiam, qui antea creaturarum pascui inhiabat, nunc oblectatur cibo diuino, ab alio iam principio excitatus (in quo nobilius viuaciusque omnes suauitates reperiuntur) quod est suauitas diuina. Et tandem vniuersi motus & operationes, quas antea habebat anima, à vitæ suæ naturalis & imperfectæ principio; in vnione ista iam sunt in motus diuinos permutatæ. Siquidem iam anima, sicuti vere DEI filia à spiritu DEI mouetur, quemadmodum ait S. Paulus. *Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei.* Substantia autem animæ, quanquam Dei substantia non sit, nequit enim in ipsum conuerti, sed cum illi sit vnita, in ipsumque absorpta, Deus est per participationem: quod euenit in isto statu perfecto vitæ spiritualis, licet non cum ea, qua in futura vitâ, perfectione. Et hoc modo rectè dicit:

Rom. 8. 14 *Animæ quæ huc peruenit Deus est per participationẽ.*

Occidendo mortem in vitam transmutasti. Vnde iure merito potest hic dicere anima cum S. Paulo. *Viuo autem iam non ego, viuit* Gal. 2. *verò in me CHRISTVS.* Et ita id quod mortuum frigidumque huius animæ est, in vitam transmutatur diuinam, absorpta anima in vitam; vt verificetur in ea Apostoli dictum. *Absorpta est mors in victoria.* Et illud Oseæ: *Ero mors tua ô mors, dicit Dominus.* 1. Cor. 15. Osee 13. 14.

Hoc pacto anima, in vitam absorpta, ab omnique eo quod seculare est & temporaneum abalienata; à naturalibus insuper deordinatis libera & expedita, in Cellaria Regis introducitur, vbi lætatur & exultat in suo dilecto, memor vberum eius super vinum, & dicens, *Nigra sum sed formosa, filia Hierusalem:* natiua siquidem mea nigredo in cælestis Regis transijt pulchritudinem. Cant.

O igitur cauterium ignis! quod super omnes ignes infinite vris, & quo me magis aduris, dulcius iucundiusq; mihi es. O delicatam plagam! suauiorẽ delicioſiorem- que mihi, præ omni mundi salute & delicijs. O manum blandam, blanditates teneritudinesque omnes in immensum excedentem tantò mihi blandiorem molioremq; quantò me illa arctius premis. O attactum delicatum cuius delicioſitas vniuersarum creaturarum subtilitates ac pulchritudines subtilitate ac elegantia infinito excessu vincit: dulciorque est melle & fauo; quandoquidem vitam æternam sapit: quam eo mihi affluentius præguſtandam præbes, quo me intimius tangis; auro denique lapidibusque pretioſis infinitè pretioſiorem; siquidem ea exoluis debita, quæ vniuersis rebus alijs persolui non possent; tu enim mortem in vitam stupendo plane modo permutas,

In hoc tam perfectæ vitæ statu, semper anima veluti festiua incedit & iucunda, ac ingenti quodam perfruitur Dei iubilo, & veluti nouum quoddam semper percipit canticum, lætitiâ, amore, ac excelsi status sui notitia permixtum; Et interdum exultans in illa Iob verba in spiritu suo prorumpit. *Gloria mea semper innouabitur, & sicut palma multiplicabit dies.* id est, non permittet DEVS veterascere, sicut prius gloriam meam: & ipse dies meos multiplicabit (hoc est merita mea vsque ad cælum) sicut palma germina sua. Quidquid tandem Psalmo 29. dicit Dauid, cantat ipsa intra se Deo, præsertim verò duos illos postremos versus scilicet: *Conuertisti planctum meum in gaudium mihi, concidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia: vt cantet tibi gloria mea & non compungar* (in hoc enim statu nullus illam attingit dolor) *Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.* Experitur namque hic anima, tam sollicitum Deum in se delicijs demulcenda, adeoque pretiosis, delicatis ac euisceratis se verbis magnificari ac sublimari sentit; iamque vnum, iam alium ab eo recipere fauorem; vt videatur illi, nullam aliam in mundo superesse animam, cui blandiatur, & quâ oblectet, nec aliqua alia re occupari, sed totum illum esse pro illa sola. Et sic ipsa rem hanc in Canticis fatetur dicens: *Dilectus meus mihi & ego illi.* Cant. 2. 16

CANTVS TERTIVS.

CANCION III.

O Lamparas de fuego!
En cuyos resplandores
Las profundas cauernas del sentido,
Que estaua escuro, y ciego,
Con estranos primores
Calor, y luz dan junto a su Querido.

SENSVS.

O Lampades ignitæ
In quarum fulgoribus
Profundæ sensus cauernæ
Obscuri prius ac cæci,
In consuetis excellentijs
Calorem lucemque simul suo præbent dilecto.

EXPLICATIO.

SVmmè nobis est hîc necessarius fauor diuinus, ad Cantus huius profunditatem explicandam, magnaque requiritur Lectoris attentio: nisi enim rerum istarum experimentum habeat, non mediocriter obscura, illi erunt ea de quibus in Cantu isto disseritur: sicut è contra, si ista experientia sibi sunt comperta, manifesta illi erunt & iucunda.

In Cantu isto intimas refert gratias anima Sponso suo, pro ingentibus donis, quæ per vnionem cum eo consecuta est: præsertim quia vnione ista mediante, multas sublimissimasque sui ipsius notitias contulit illi; quibus illuminatæ, amoreque inflammatæ ipsius potentiæ, & sensus, qui ante vnionem hanc obscurus erat & cæcus; Amoris calore ad correspondendum dilecto illustratur, quod & faciunt, eandem ipsam lucem & amorem ei qui eas adeo, diuinorum donorum infusione, amore inflammauit offerendo. Verus siquidem amans, tunc contentus satisfactusque est, cum quidquid est, & valet, & valere potest, & quidquid habet & habere potest, impendit dilecto, & quo istud maius ac præstantius est, eò libentius illud tribuit. *Veri amantis proprium.*

VERSVS I.

O Lampades ignitæ!

Duæ sunt Lampadū proprietates, lucere videlicet & ardere.

SVppositō primo loco duas esse Lampadum proprietates: Lucere videlicet & ardere; ad versum istum intelligendum, sciendum est, Deum in sua vnica & simplici essentia, omnes attributorum suorum virtutes esse & excellentias. Est namque omnipotens, est sapiens, est bonus, est misericors, est iustus, est fortis, est suauis & amabilis: est denique cætera attributa & virtutes, quas de ipso in hac vita non cognoscimus. Et cum ipse sit hæc omnia; quando vnitus est animæ, & placet illi, seipsum singularissimâ ei manifestare notitiâ, animaduertit ipsa, & quantum patitur fides, perfectè profundeque virtutes istas, & excellentias omnes in vnica & simplici essentia agnoscit. Et cum quælibet earum, sit ipsum esse Dei, quod est, PATER, FILIVS, & SPIRITVS SANCTVS, cumque vnumquodq; attributorum istorum sit ipsemet Deus, & Deus infinita lux sit, & immensus ignis diuinus (vt superius dictum est) hinc est, quod secundum quodlibet attributorum istorum luceat & ardeat tanquam verus Deus. Atque ita secundum notitias istas, quas ibi de Deo habet anima in vnitate cognitas est animæ, ipsemet Deus, lampades multæ; siquidem vniuscuiusque notitiam habet, & quælibet illarum, amoris calorem suo modo præbet illi, & omnes illæ in vna sunt simplici essentia, omnesq; sunt lampas vna; quæ lampas est omnes istæ lampades, lucet enim & ardet omnibus modis. Quam rem cum cognoscit anima hæc sola lampas, est illi multæ lampades; licet enim ipsa vna sit, omnia potest, & vniuersas continet virtutes, & omnes colligit spiritus. Et sic dicere possumus multifariam lucere illam & ardere, in modo vno: lucet enim & ardet vt omnipotens, & lucet & ardet vt sapiens, & lucet & ardet vt bonus &c. intelligentiam & amorem conferendo animæ, seque illi (quantum capax est) secundum omnes illas manifestando. Nam splendor, quem illi lampas præbet, in quantum est omnipotentia, efficit in anima lucem calorem- que diuini amoris quatenus est omnipotens: & secundum hoc, iam Deus est illi lampas omnipotentiæ, lucens & ardens, secundum istud attributum. Splendor quoque, quem præbet illi lampas ista in quantum est sapientia, producit in ea amoris diuini calorem, quatenus sapiens est, & eodem modo de reliquis attributis Philosophandum est: lux etenim quam vnuscuiusque attributorum istorum & cæterorum omnium confert illi Deus, producit simul in anima diuini amoris calorem, in quantum talis est, atque ita in sublimi communicatione ista, & prælibatione (quæ, vt ego arbitror, est ex supremis, quas ei in hac vita præstare potest) est illi Deus innumeræ lampades, lucem & amorem ei præbentes. Lampades istæ in monte Sinai Mosi ostensæ sunt, vbi celeriter coram eo transeunte Deo, festinus procidit in terram, & quasdam ex illis, quas in eo intuitus est, protulit excellentias, & secundum illa quæ viderat ardenter eum amando, ea hisce verbis distinctè deprompsit. *Dominator, Domine Deus misericors & clemens, patiens & multæ miserationis, ac verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem & scelera atque peccata; nullusque apud te per se innocens est.* Ex quibus constat, præstantiora quæ ibi agnouit & dilexit Moses

Attributa diuina sūt lampades ignitæ.

Deus est anima lampades multæ.

Exod. 34. 6. 7.

attribu-

attributa & virtutes ; fuisse omnipotentiam, dominium, & misericordiam, iustitiam Deique veritatem ; quæ certe sublimissima fuit cognitio , & excelsissima amoris delectatio.

Vnde obseruandum est 1. delectationem raptumque amoris, quem in igne lucis lampadum istarum suscipit anima, immensum esse, & prorsus admirabilem, adeoque copiosum ac esse oportet, à multis ortum lampadibus, quarum quælibet vrit amore; vnius ardore ad alterius ardorem; & vnius flammâ , ad alterius flammam conferente; sicuti etiam vnius lux, alterius promouet lucem; vniuersæque vna lux, & vnus ignis effectæ, & quælibet ignis vnus. 2. Animam in subtiles & delicatas flammas infinitè absorptam ; & in vnaquaque illarum subtiliter sauciatam , & in omnibus illis amplius plagatam, subtiliusque in amore vitæ vulneratam, optimè animaduertere amorem illum , vitam esse sempiternam, quæ est bonorum omniũ aggregatio: dicti etiam illius Sponsi in Canticis veritatem agnoscere nimirum, *Lampades eius, lampades ignis atque flammarum.* Si enim vna sola istarum lampas quæ coram Abraham transijt non mediocrem illi incussit horrorem , Deo per quandam rigidæ iustitiæ, qua cum Cananeis erat vsurus, notitiam transeunte: quantò plus lucis delectationis amorisque vniuersæ istæ notitiarum Dei lampades, quæ hîc tam amicabiliter amabiliterque fulgent, producent, quam , sola illa tenebrarum horrorisque Abrahamo ingesserit.

Quanta , quamque præstans, & quot modorum erit lux & voluptas tua! (ô anima) quandoquidem in omnibus, & ex omnibus istis , sentis tibi gaudium amoremque ipsius ab eo communicari , dum te secundum virtutes suas , & attributa proprietatesque diligit. Ille enim qui diligit alium, eique benefacit, secundum conditionẽ suã ac suas proprietates, honorat illum, & ei benefacit. Eodẽ modo sponsus tuus in te ; cum sit omnipotens, confert tibi dona , & te amat cum omnipotentia: & cum sapiens sit , percipis te amari cum sapientia ; cum sit ipse bonus , sentis te amari cum bonitate, cum sit sanctus , sentis te cum sanctitate amari , & sic in alijs: Cumque ipse liberalis sit , sentis etiam eum te liberaliter , absque alicuius commodi intuitu, sed duntaxat vt tibi benefaciat amantem hilariterque faciem istam suam gratiarum plenam ostendentem ac dicentem tibi. *Tuus sum ego, & pro te; & placet mihi, quod talis sim qualis ego sum, vt me tibi dem & sim tuus.* Quis igitur ô fortunata anima verbis assequetur id , quod tu sentis; videndo te hoc modo dilectam ac cum tanta æstimatione sublimatam: & exaltatam! ventrem tuum qui est voluntas tua, *Can. 7. 2.* dicemus esse sicut aceruum tritici obtectum & vallatum lilijs ; nam in istis panis vitæ granis, quæ tu coniunctim degustas, virtutum lilia, quæ circumdant te, delicijs te demulcent. Istæ enim regis filiæ, quæ sunt virtutes specierum suarum aromaticarum fragrantiâ (quæ species , notitiæ sunt quas tribuit tibi) stupendo modo te oblectant, & ipsis tu tantopere es immersa & perfusa, vt etiam sis puteus aquarum viuentium , quæ fluunt impetu de monte Libano, qui est Deus; in quo tu secundum vniuersam animæ tuæ harmoniam mirum in modum lætificaris; vt etiam impleatur in te illud Psalmistæ effatum dicentis: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei:* *Ps. 45. 5.* ô rem plane mirabilẽ quod tempore isto eructet anima aquas diuinas, quodque erumpant ex ea, velut ex quodam copioso fonte, qui vitam respicit sempiternam. Licet enim verum sit communicationem istam, lucem esse , & istarum Dei lampa-

Ignis lampadũ istarum est etiam fons aquæ viuæ.

dum ignem, est tamen ignis iste hoc loco ita suauis, vt quamuis sit immensus, sit tamen instar aquarum vitæ, quæ satiant, & cum eo impetu ac plenitudine quam spiritus desiderat sitim sedant. Atque ita, quamuis sint lampades ignis, sunt nihilominus aquæ spiritus viuæ. Sicut etiam aquæ illæ, quæ super Apostolos descenderunt, etiamsi lampades essent ignis, erant etiam purissimæ & limpidissimæ aquæ (Ita enim appellauit illas Ezechiel Propheta, quando aduentum illum Spiritus sancti prædixit dicens: *Et effundam super vos aquam mundam: & spiritum meum ponam in medio vestri.* Eodem modo communicatio ista quamuis ignis sit, est etiam aqua: fuit enim sacrificij igne, quem abscondit Hieremias figuratus, qui quamdiu latuit aqua erat; quando verò exterius inseruiebat sacrificio, erat ignis. Et eodem modo spiritus iste diuinus, quatenus in venis animæ est absconditus, est velut aqua suauis ac delectabilis, spiritus sitim extinguens: quatenus vero in sacrificio amandi exercetur, est viua ignis flamma & istæ sunt actus dilectionis lampades de quibus loqui in Canticis, Sponsam dicebamus dum ait. *Lampades eius, lampades ignis atque flammarum*; quas hoc loco sic appellat anima; quia non solum illas in se, tanquam sapientiæ aquas; sed etiam tanquam amoris ignem in actu amoris degustat dicens:

Ezech. 36. 25. & 27.

O Lampades ignitæ!

Et quicquid tandem in isto passu dici potest, minus est eo, quod reuera est, sed si consideretur, animam istam in Deum esse transformatam: aliqua ratione intelligi poterit, qualiter in rei veritate effecta sit fons aquarum viuentium, in igne amoris qui Deus est, ardentium & æbullientium,

VERSVS II.

In quarum fulgoribus.

Fulgores istos communicationes iam dictas nouit.

IAm explicaui fulgores istos, communicationes esse diuinarum istarum lampadum, in quibus vnita anima potentijs suis; memoria scilicet, intellectu & voluntate iam illustratis, & in notitijs istis amabilibus vnitis, fulget & splendet. Quod hoc modo accipiendum est, nimirum hanc fulgorum seu splendorum illustrationem, nó esse illius instar, quam materialis flamma producit, cum flammigerationibus suis, res quæ sunt extra illam, illuminat & calefacit: sed esse velut illam, quæ res intra se manentes illustrat & accendit, & hoc modo se anima in hoc statu habet & propterea ait:

In quarum fulgoribus.

Quod idem est ac dicere; intra, non prope, intra ipsarum splendores, in ipsis lampadum flammis, anima in flammam trasformata ipso, vnde simile eam dicemus, aëri intra flammam manenti accenso & in ignem transformato; flamma quippe nil aliud est, quam inflammatus aër, motus autem quibus flamma illa mouetur, nec solius sunt aëris, nec solius ignis, sed aëris simul & ignis, ignis verò aërem, quem in se inflammatum continet, ardere facit. Ad eundem modum & formam, intelligemus; Animam cum suis potentijs, intra splendores diuinos illustratam esse, motus quoque flammæ istius, qui sunt euibrationes & eiaculationes flammæ (vti diximus) nec à sola fieri anima, quæ in Spiritus sancti flammam est transformata, neque à solo illo; sed ab ipso & anima

anima simul, mouente eò animam, sicut ignis inflammatum aërem mouet. Et sic motus isti Deo & animæ communes, sunt veluti Dei glorificationes, quibus animam beat. Vibrationes enim istæ & motiones, lusus sunt & iucunda festa, quæ in secundo Primi Cantus Versu Spiritum sanctum exercere, & celebrare in anima dicebamus, in quibus videtur semper illi velle vitam sempiternam perfectè conferre. Et ita motiones illæ, flammarumque eiaculationes, quasi prouocationes sunt & irritamenta, quibus stimulat animam, vt finiat transferre illam ad perfectam suam gloriam, seriò iam illam in seipsum introducendo. Ad eum prorsus modum, quo ignis vniuersos motus & agitationes, quas in aëre, quem intra se inflammatum continet efficit, eò dirigit vt illum ad suæ sphæræ celsitudinem euehat: omnesque illæ vibrationes eò tendunt, vt quantocius illum sursum abripiant: sed quoniam aër in sua propria versatur sphæra, idcirco conatus ignis irritus est. Vnde etiamsi motus isti Spiritus sancti, ardentissimi potentissimique sint ad animam, ad multam gloriam absorbendam nihilominus res hæc non perficitur, donec adueniat tempus, in quo ex sphæra aëris vitæ huius mortalis egrediatur, possitque spiritus sui centrum, vitæ perfectæ in Christo introire. Apparitiones istæ seu demonstrationes gloriæ in Deo, quæ dantur hîc animæ, frequentiores sunt, quam esse solebant & perfectiores ac magis stabiles; in futura vero vita, perfectissimæ erunt, nullique alterationi maioris vel minoris visionis obnoxiæ, & absque vlla morum vicissitudine aut interstitio. Tuncque manifestè cernet anima, quomodo, licet illi hîc videretur in illa moueri Deus, in seipso tamen minimè moueatur: sicut & ignis in sua sphæra non mouetur. Porrò fulgores, seu splendores isti inæstimabiles sunt gratiæ & fauores, quos Deus exhibet animæ, qui alio nomine obumbrationes dicuntur. Istæ autem in hoc statu (meo iudicio) ex maioribus sunt sublimioribusque quæ in hac vita in via transformationis esse possunt.

Splendores isti alio nomine obumbrationes dicuntur.

Pro cuius rei intelligentia, animaduertendum est; obumbrationem vmbræ effectionem significare: obumbrare autem, idem esse quod protegere & fauoribus cumulare: confestim enim, ac attingit vmbra, signum est, personam cuius est vmbra, propè esse ad fauendum & protegendum. Et idcirco Virgini Sacratissimæ dictum fuit, altissimi virtutem illi obumbraturam; adeo quippe propè eam accessurus erat Spiritus sanctus, vt superueniret illi.

Quid nam sit obumbratio.

Luc. 1. 35.

Obseruandum autem est, vnamquamque rem habere & efficere vmbram, iuxta proprietatem figuramque suam, si res spissa est & opaca; obscuram spissamque reddet vmbram: si rarior fuerit & lucidior, vmbram quoq; efficiet clariorem: quemadmodum videre est in ligno & crystallo, quorum vnum quia opacum est reddit vmbram obscuram; quia verò aliud pellucidum efficit eam claram. Eodem etiam modo in spiritualibus euenit rebus; mors, est rerum omnium priuatio, vmbra igitur mortis, erunt tenebræ quæ etiam aliqua ratione omnibus rebus priuant. Ita appellat illam Psalmographus dicens: *Sedentes in tenebris & vmbra mortis*; siue illæ spirituales sint, spiritualis mortis, siue corporeæ, corporalis mortis. Vmbra etiam vitæ, lux erit: si vmbra fuerit diuina, lux erit diuina; si humana, lux erit naturalis. Atq; ita pulchritudinis vmbra, erit velut alia pulchritudo, secundum formã & proprietatẽ pulchritudinis illius

Ps. 106. 10

illius, cuius est vmbra. Et fortitudinis vmbra erit sicut alia fortitudo, iuxta figuram & proprietatem ipsius. Vmbra etiam sapientiæ, altera erit sapientia: vel vt melius dicam, erit ipsamet pulchritudo, ipsamet fortitudo, ipsa sapientia in vmbra, in qua cognoscitur eius rei forma & proprietas, cuius est vmbra. His suppositis, qualis obsecro erit vmbra, quam Spiritus sanctus facit animæ, omnibus virtutum attributorumque suorum magnificentijs? præsertim tam prope illam manendo, vt non qualitercunque tangat illam in vmbra, sed maneat vnitus in vmbra, cum ipsa intelligente & degustante formam & proprietates Dei in vmbra Dei? hoc est, intelligente & degustante, diuinæ potentię proprietatem in omnipotentiæ vmbra, & intelligendo ac degustando sapientiam diuinam, in vmbra diuinæ sapientiæ: & denique gloriam Dei degustando, in vmbra gloriæ, quæ cognoscere & degustare facit proprietatem & formam gloriæ Dei; & hæc omnia in lucidis & accensis transeunt gerunturque vmbris: quandoquidem Dei attributa, eiusque virtutes, lampades sunt, quæ cum splendentes sint & accensæ: secundum formam proprietatemque suam, splendentes & accensas, & plurimas in vna sola essentia vmbras efficere debent. O quid erit, videre hîc animam experimentum capientem virtutis, figuræ illius, quã Ezechiel in illo quatuor formarum & figurarum animali, & in illa quatuor rotarum rota conspexit! intuentem inquam, earum aspectum lampadum & aspicientem rotam, quæ est sapientia, plenam oculis intus & foris, quæ sunt admirabiles sapientiæ, notitiæ, audientem etiam sonitum, quem incedendo faciebant, qui erat sonitus, quasi multitudinis exercituum, qui significant multas res in vnum conglobatas (quas hic anima in vno solo Dei, per eam vnico passu transeuntis sonitu, cognoscit) & tandem sonitum illum, quem alas suas concutiendo edebant, degustantem, quem Prophera ait, velut sonitum aquarum multarum fuisse, & velut sonitum altissimi Dei: quæ omnia impetum aquarum diuinarum significant, ad quarum defluxum Spiritus sanctus in amoris flammâ transuerberat animam, fruiturque hîc anima Dei gloria in sua protectione, & fauore vmbræ ipsius, sicut etiam dicit ibi Propheta visionem illam, gloriæ Domini similitudinem fuisse. *Hæc visio similitudinis gloriæ Domini.* O quam sublimata est hîc fœlix ista anima! O quam magnific[illegible]! Quanta admiratione tenetur rerum earum, quas intra limites fidei conspicit, quis digne verbis assequi poterit? cum quanta insuper abundantia aquis diuinorum istorum splendorum immersa, vbi Pater æternus larga & liberali manu, irriguum superius & inferius concedit: siquidem dum aquæ istæ irrigant animam, corpus etiam penetrant.

O certè rem admirabilem, quòd cum istæ attributorum diuinorum lampades, sint vna simplex essentia: in ipsa tamen concipiatur & cognoscatur lampadum istarum distinctio, videaturque quælibet earum ita accensa, sicut alia, quamuis vna substantialiter sit alia! O deliciarum abyssus! tanto affluentior copiosiorque, quanto diuitiæ tuæ in vnitate & simplicitate infinitâ, magis sunt collectæ. Vbi taliter cognoscitur & degustatur vnum; vt non impediatur cognitio, & suauitas alterius: imo quælibet res in te lux est, quæ non impedit aliam: Et propter puritatem & claritatem tuam: ô sapientia diuina! multa cognoscuntur in te in vno: tu es enim thesaurorum æterni Patris depositum.

(†)

VER-

VERSVS III.

Profunda sensus cauernæ.

§. 1.

Quibus cauernæ, potentiæ sunt animæ: memoria nimirum, intellectus & voluntas: quæ tam sunt profundæ, quam ingentium bonorum capaces; siquidem non explentur, nisi infinito: ex eo etiam quod dum sunt vacuæ patiuntur, aliquo modo conijcimus, quantum lætentur & delicijs affluant, quando Deo suo sunt plenæ cum per vnum contrarium cognoscatur aliud. Obseruandum est in primis; istas potentiarum cauernas, quando ab omni creaturarum amore repurgatæ & emundatæ nõ sunt, nequaquam ingens profundæ capacitatis suæ vacuum sentire. Nam quælibet minima res, quæ illis adhæreat, satis est in hac vita ad illas implicandas, & velut stupidas efficiendas, vt damnum suum non sentiant, neq; immensorum bonorũ suorum defectum seu iacturã animaduertãt, iusmque agnoscant capacitatẽ. Estq; res profecto admiratione digna, quod cum immensorum bonorum capaces sint, sufficiat minimum illorum ad taliter illas intricandas, vt illa perfectè recipere non valeant, donec omnino (sicut iam dicemus) euacuentur. At quando vacuæ sunt & mundæ, intoleranda prorsus est sitis & fames ac spiritualis sensus anxietas: cum enim profundi sint cauernarum istarum stomachi, profundè patiuntur; nam cibus, cuius inopia laborant, profundus etiam est, qui (vt dixi) Deus est. Iste porro tam acutus dolor seu sentimentum, vt plurimum circa illuminationis & purificationis animæ fines contingere solet, priusquam ad vnionem perfectam, vbi iam potentiæ satiantur perueniant. Cum enim spiritualis appetitus ab omni creatura, amoreque ipsius vacuus sit & purus; naturali temperamento amisso, iam est diuino attemperatus modo, habetque iam dispositum vacuum: nec tamen communicatur illi diuinum in vnione Dei: vacuitatis porro sitisque istius dolor, plusquam mortis angustias parit, præsertim cum per foramen aliquod seu rimam, aliquis illi radius diuinus affulget, nec tamen communicatur. Et isti sunt, qui impatienti amore cruciantur, nec diu subsistere queunt, nisi aut optatis potiantur, aut intereant.

Quibusdam non profunda cauerna.

Beatitudo & emunditia animæ facit, vt ingens Dei sitis laboret.

Quando hæc sitis sentiri cæpit.

§. 2.

Quod ad primam cauernã, quam hîc intellectum esse supponimus spectat: vacuum ipsius, est Dei sitis, quæ tam ingens est, vt conferat eam Dauid siti cerui (nullam aliam inueniendo maiorem, cui eam compararet) quando dixit. *Quemadmodum desiderat cerua ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te Deus.* Sitis verò hæc in aquas sapientiæ diuinæ fertur, quæ est obiectum intellectus. Secunda cauerna est voluntas, & vacuum ipsius est fames Dei tam immensa, vt deficere faciat animam: iuxta illud quod ait Dauid. *Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Fames porrò ista, est perfectionis amoris, quam anima intendit & optat. Tertia cauerna memoria est, & vacuum ipsius est consumptio, & animæ propter Dei possessionem liquefactio. Quemadmodum rem hanc obseruat Hieremias dicens: *Memoria memor ero* (hoc est valde recordabor) *& tabescet in me anima mea: Hæc recolens in corde meo, ideo sperabo* Est ergo profunda cauernarum istarum capacitas; id

Prima cauerna est intellectus.

Ps. 41. 1.

Secunda cauerna est voluntas.

Ps. 83. 1.

Tertia cauerna est memoria.

Thren. 3. 20. 21.

enim quod ipsæ capere possunt, hoc est Deus, profundum est & infinitum, & sic earum capacitas, erit quodammodo infinita: ipsarum sitis infinita; fames etiam infinita & profunda: liquefactio quoque & dolor ipsarum, suo modo infinitus. Vnde quando dolorem hunc patitur anima: quanquam non sit ille tam intensus, sicut in alia vita: videtur tamen viua quædam illius imago, eò quòd sit anima in quadam dispositione, suam plenitudinem recipiendi, cuius plenitudinis priuatio, est illi maximus cruciatus: Quanquam afflictio hæc, alterius est temperamenti & naturæ; residet enim in finibus amoris voluntatis: in hoc autem statu amor non mitigat dolorem: siquidem quanto maior est: tanto est propter Dei sui possessionem impatientior, quem cum immenso desiderio per singula expectat momenta.

§. 3.

SEd ô Deus meus! cum certum sit, quando anima in veritate desiderat DEVM: iam habere eum quem amat (vt Sanctus Gregorius ait) quomodo ergo patitur propter id, quod iã habet? Quod si in desiderio, videndi filium Dei quo Angeli flagrant (vt dicit S. Petr.) nullus reperitur dolor vel anxietas, eò quod iam eũ possideant: consequens etiam videtur vt si anima desiderat Deum, quo plus eum desiderat, plus eum possideat: possessio autẽ Dei delectationem adfert & satietatem: tantò ergo maiorem sacietatẽ delectationemque deberet sentire hîc anima, in desiderio isto: quantò maiori tenetur desiderio: siquidem tanto amplius Deum habet; vnde merito nec dolorem, nec afflictionem pati deberet.

Discrimẽ inter possessionem Dei per gratiam, & possessionem eius per vnionem.

In hac quæstione notandum est discrimen quod inter possessionem Dei solummodo per gratiam, & possessionem eius etiam per vnionem reperitur: possessio enim per gratiam est reciproca beneuolentia, possessio verò per vnionem singularissimam quandam communicationem significat. Quod discrimen intelligere possumus ex differẽtia, quæ inter desponsationem & matrimonium intercedit: in desponsatione namq; contractus dunta-xat quidam, & vna vtriusque partis voluntas, cum nonnullis desponsatæ monilibus & ornamentis, quæ illi Sponsus liberaliter largitur; interuenit: sed in matrimonio, personarum quoque vnio, & communicatio reperitur. In desponsatione, quamuis interdum videant se inuicem Sponsus & Sponsa, muneraque sicut diximus conferantur: sed non interuenit personarum vnio, quæ est desponsationis finis. Eodem modo, quando anima ad tantam in se suisque potentijs puritatem peruenit, vt voluntas ab alijs delectationibus & appetitibus peregrinis, secundum inferiorem superioremq; partem repurgatissima sit, ac integrè consensum suum, circa omnia ista Deo dederit; cum iam voluntas Dei & animæ in consensu prompto & libero vna sit, tunc dicemus peruenisse eam ad Deum per gratiam, in desponsatione & voluntatis conformitate possidendum. In quo desponsationis spiritualis animæ cum *Verbo* statu, infigres illi Sponsus exhibet fauores, & crebrissimè amantissimeque visitat eam, qua interemaximas ipsa recipit gratias & delectationes: quæ tamen nullo pacto cum fauoribus delicijsque matrimonij spiritualis possunt conferri. Licet enim certum sit, ista fieri in anima ab omni creaturarum amore repurgatissima (non enim celebratur desponsatio spiritualis, donec istud fiat) nihilominus ad vnionem & matrimonium alijs dispositionibus positius

Dei

Dei & visitationum ipsius ac ampliorum donorum indiget anima, quibus illam exactius repurgat & pulchriorem, subtilioremque reddit, vt ad tam sublimem vnionem decenter sit præparata: qua in re non parum consumitur temporis, in quibusdam animabus plus, in quibusdam verò minus. Res hæc in illis, pro rege Asuero electis puellis, adumbrata fuit: quæ licet è regionibus suis, parentumque suorum domibus abductæ fuissent: nihilominus antequam ad Regium admitterentur thalamum, anno vno (quanquam in Palatio) fuerunt reclusæ: ita vt dimidio anno quibusdam vnguentis myrhinis, aliisque odoribus aromaticis disponerentur: altero verò dimidio anno, sublimioribus alijs linimentis: quibus peractis regium subibant cubile.

Tempore itaque desponsationis istius & expectationis matrimonij spiritualis, in spiritus sancti vnctionibus, quādo iam sublimiora sunt dispositionum pro vnione, cum Deo vnguenta, solent esse cauernarum animæ; anxietates præstantissimæ & delicatæ. Nam cum vnguenta illa immediatius iam ad vnionē Dei disponant; (sunt enim Deo cōiunctiora) maiori propterea demulcent suauitate animā, eamq; deliciosius ad ipsum alliciunt: vnde cauernarum istarum desiderium, subtilius multo est, ac profundius; nam Dei desiderium, ad vniendum se cum eò, dispositio est.

Dei desiderij dispositio ad vnionem cum eo.

§. 4.

O quam opportunus erat locus iste, ad animas quas Deus ad istas vnctiones delicatas perducit admonendas, vt animaduertant quid faciunt, & quorum se manibus seu directioni committunt, ne retrocedant: nisi extra propositum nostrum, in quo nunc versamur hæc tractatio videretur. Verum tanta est compassio ac cōmiseratio, qua in intimis præcordijs meis tāgor, videndo nonnullas retroire animas quæ non solum non se sinunt taliter inungi, vt vnctio vlterius progrediatur: sed etiam effectuum ipsius tacturam faciunt: vt omnino prætermittere nolim, quin eis consulam quidnam illis ad tārum effugiendum damnum hac in parte facto opus sit: & licet tantisper à proposito deflectamus, absque mora tamen ad illud reuertemur: Et reuera vniuersa ista, ad intelligentiam proprietatis cauernarum istarum conferunt. Quia verò non animabus duntaxat istis, de quibus in præsenti agimus, & quæ tam prospero incedunt passu, ista sunt adeo necessaria; sed etiam omnibus alijs, quæ dilectum suum inquirunt, placet hac de re disserere.

Primo itaq; loco sciendum est quod si anima Deum quærit, multo eam magis à dilecto suo quæri: & si ipsa transmittit illi sua amore prægnantia desideria, quæ grata illi suauiter olent, *sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris* procedens: ipse vicissim odorem vnguentorum suorum ei transmittit, quibus eam trahit, & ad se currere facit; quæ vnguenta, Diuinæ sunt inspirationes & attactus: qui, semper quod ab eo promanant, motiuis & incitamentis perfectionis legis diuinæ ac fidei (per cuius perfectionem debet semper anima ad Deum amplius accedere) præcincti sunt, & regulati. Quare intelligere debet anima, voluntatem desiderium que Dei in vniuersis gratijs, quas illi vnctionibus istis, vnguentorumque suorū odoribus præstat, esse, disponere & præparare illam, ad alia sublimiora & delicatiora Deique temperamēto magis cōformia vnguenta, donec adeò delicatam puramq; obtineat dispositionē, vt vnionem Dei omniumq; potentiarū, suarū trāsformationē mereatur. Animaduertēdo ergo

Reciproca Dei & animæ correspondentia. Cant. 3. 6.

Indicia ex quibus agnosci potest inspirationes seu instinctus à Deo prouenire.

anima ; in negotio isto Deum esse agens principale, qui illâ debet dirigere, & quo ipsa ire nesciret (nempe ad supernaturalia; quæ qualiter se habeant, nec intellectus ipsius, nec voluntas, nec memoria nosse possunt) manu ducere: hæc inquam considerãdo, præcipuam suam curã studiumque ad hoc dirigere debet, ne ductori qui est Spiritus S. in via, per quam illam ducit, quæ in lege Dei & fide (sicut diximus) ordinata est & præscripta, obstaculum ponat.

Obstaculum istud seu impedimentum ponere illa potest ; si se ab alio cæco duci permittat : cæci autem, qui eam à recto itinere abducere possent, sunt tres : Magister videlicet spiritualis, cacodæmon, & ipsamet anima.

Necesse est animæ proficere cupienti idoneum quærere magistrũ.

Quantum ad primum spectat, non mediocriter necessarium est animę proficere & non retrocedere cupienti considerare, cuius sese manibus credat, qualis enim fuerit magister, talis erit & discipulus; & qualis Pater, talis & Filius. Pro itinere porro isto saltem pro sublimioribus eius rebus, imò etiam pro mediocribus, vix ductorem aliquem perfectum, secundum omnes quæ ad officium istud requiruntur partes reperiet. Debet enim esse sapiens, discretus, & rerum istarum experientia conspicuus. Ad rectam enim directionem gubernationemque spiritus, etsi fundamentum necessarium scientia sit & discretio ; si tamen sublimiorum rerum experientia desit, ignorabit in illis quando à Deo conferuntur animæ, eam dirigere, magnoque posset illi detrimento esse: cum enim inexperti Magistri itinera spiritus non intelligant, sæpe faciunt animas delicatorum vnguentorum istorum vnctionem, quibus Spiritus sanctus sibi illas disponit perdere ; eò quod alijs vilibus, quas ipsi legerunt modis eas dirigant qui solis deseruiunt incipientibus. Cum enim eorum scientia ad solos se extendat, incipientes (quod vtinam ita sit) nolunt permittere animas, à principijs illis, discursiuisque & imaginarijs modis euolare (licet Deus velit eas ad maiora prouehere) quibus tamen ipsæ exigua admodum lucra conquirere possunt.

§. 5.

Vt autem res hæc manifestius constet sciendum est : Incipientium statum esse, meditationi insistere, & in actibus discursiuis sese exercere. In statu isto necessarium est, vt suppeditetur animæ materia, vt ex se, seu naturaliter discurrat, & interiores actus exerceat ; & igne feruoreque spirituali sensibili vtatur : hoc enim modo sensus appetitusque, rebus bonis assuefacere conuenit, vt suauitate ista illecti à sæculi rebus diuellantur.

At postquam istud aliquatenus iam effectum est, confestim incipit Deus prouehere eos ad istum contemplationis statum : quod valde citò breuique tempore fieri solet, præsertim in personis Deo in religione dicatis, eò quòd magis tempestiuè repudiatis sæculi rebus. Sensum appetitumque Deo adaptent & accommodent : quo facto, nil superest aliud, quam vt à meditatione ad contemplationem confestim gradum faciant: quod tunc fit, quando iã discursiui actus, propriæque animæ meditationes, necnon succi primique sensitiui feruores cessant, & euanescunt, non valente iam anima sicut prius discurrere, nec aliquid adminiculi per sensum reperire ; sed in ariditate remanente : eò quòd præcipua negotiationis ipsorum summa mute-

mutetur, & ad spiritum, qui sensui non subest transferatur. Et quoniam vniuersæ operationes animæ, quas ipsa ex se naturaliter exercere valet nonnisi sensuum interuentu fiunt: hinc est quod in statu isto Deus sit particulare agens, qui infundit & docet; anima verò est illa, quæ recipit, cui Deus in cõtemplatione bona admodum spiritualia confert, hoc est, notitiam simul & amorem diuinum, notitiam videlicet amorosam, absque eò quod anima actibus discursibusque suis vtatur, non enim potest amplius eos sicut prius exercere.

§. 6.

Vnde tempore isto, contrario omnino modo deducenda est anima, quam fuerit prius. Si enim antea suppeditabatur ei materia ad meditandum, & meditabatur; nunc potius illi est subtrahenda; nec meditandum: siquidem (vt dixi) licet meditari conetur, nequibit, distractionemque patietur. Quod si prius succum ac feruorem quærebat & reperiebat; iam illum reipuat nec requirat: tantum enim abest vt illum inueniat industria sua, vt ficcitatem potius eliciat; eò quod à bono quieto & pacifico quod in spiritu secretè illi confertur, per actionem seu operationem, quã ipsa medio sensu exercere vult, sese diuertit & distrahit; sicque vnius iacturam faciendo aliud quoque non exercet, eò quod non amplius tribuantur illi bona sensu mediante, sicut prius. Et propterea in statu isto nullatenus debet illi meditatio iungi, aut actuum vi discursus elicitorum exercitium, sed neque consolationi & feruori anxiè & cum adhæsione inhiare debet. Hoc enim nil esset aliud, quam agenti primario, qui Deus est, obstaculum ponere, qui secretè & pacificè instillat animę sapiẽtiam & amorosam notitiam, absque nimia actuum differentia, expressione vel multiplicatione, quanquam interdum faciat eos cum aliqua temporis mora in anima distinctè fieri & expresè, tunc autem debet etiam anima soli amorosæ ad Deum aduertentiæ seu attentioni intenta esse, nullos alios distinctos exprimendo producendoq; actus, præter eos, ad quos se sentit ab eo stimulari & inclinari, veluti passiuè se duntaxat gerendo, nullamque ex se adhibendo industriam; sed cum amorosa, simplici, sinceraque manendo aduertentia illius instar, qui cum aduertentia seu attentione amoris aperit oculos. Nam cum Deus tunc tractet cum anima (quantum ad dandi modum spectat) per notitiam sinceram & amorosam; debet etiam anima agere cum eo; quantum ad receptionis modum attinet per notitiam & aduertentiam sinceram & amorosam, vt hoc pacto notitia cum notitia & amor cum amore connectantur. Necessarium quippe hîc est, vt qui recipit, secundum eius quod recipit modum sese habeat, & non secundum alium, vt sic valeat eo illud recipere & retinere modo, quo illi confertur. Ex quibus manifestè patet, quod si tunc anima modum suum consuetum discurrendi non intermitteret, minime bonum illud, nisi parce & imperfectè reciperet: vnde nec cum ea, cum qua ei tribuitur perfectione, illud communicaret: cum enim bonum illud tam superioris sit ordinis & infusum, tam angustus imperfectusque modus illud capere nequit. Vnde omnino, si tunc vellet anima ex se operari; aliter se habendo, quã cum aduertentia passiua, amorosa, passiue admodum & tranquillè, absque pristino discursu manendo; bona quæ in notitia illa amorosa communicat ei Deus omnino impediret. Quæ bona in principijs communicantur ei in exercitio purgationis (vt diximus) postmodum autem, in

Cur anima in hoc statu nequeat per notitiam amorosam operationibus vti.

maiori suauitate amoris. Quæ suauitas (vti dico & in veritate ita se res habet) si passiuè & iuxta Dei, non vero secundum animæ modum in anima recipienda sit; consequens est, quod ad eam suscipiendam, debeat manere anima ab omnibus valdè expedita, otiosa, pacifica, & secundum Dei modum serena: veluti aër, quem quo fuerit ille purior, simplicior & pacatior; sol copiosius illuminat & calefacit. Quare nulli rei adhærere debet anima; non meditationi, non suauitati, siue illa sensibilis sit, siue spiritualis. Requiritur enim hic spiritus adeò liber, & in nihilum redactus, vt quælibet res, quam tunc anima efficere vellet, aliquid singulare cogitando, vel discurrendo, vel consolationi cuipiam inhærere volendo; impeditura sit, perturbatura, strepitumque in profundo silentio, quod necesse est habere animam, tam in sensu quam in spiritu, editura, ne adeò profundam delicatamque Dei vocem, qua ad cor in solitudine ista loquitur, percipere possit, quemadmodum hoc per Oseam ipse dixit, & ne in pace summaque tranquillitate auscultet & audiat anima sicut Dauid quid loquatur Dominus Deus; hanc enim pacem loquitur in ea. Quod cum ita contigerit, vt nimirum sentiat se anima in silentio & auditione collocari; amorosa etiam, de qua locutus sum aduertentia simplicissima esse debet, absque sollicitudine aut reflexione aliqua: ita vt quasi obliuiscatur illius, vt tota auditioni inhiet: vt hac ratione libera remaneat ad id quod tunc ab ea requiritur.

Ose. 2. 14.
Ps. 84. 9.

§. 7.

Hic otiositatis obliuionisque modus, cum aliqua semper interiori absorptione contingere solet. Quamobrem postquam iam anima istum sincerum & otiosum contemplationis statum ingredi cœperit, nullo tempore, nullaque occasione debet velle meditationes præ oculis habere, aut consolationibus suoisque spiritualibus inniti (quemadmodum Libri Primi Noctis Obscuræ capite decimo, & antea vltimo capite Libri Secundi, & Capite primo Libri tertij Ascensus Montis Carmeli fusè dictum est) sed potius debet manere abstracta & super omnia ista erecta, quemadmodum se facturum dixit Abacuc Propheta dicens. Super sensuum meorum custodiam stabo (hoc est inferius eos relinquendo) & figam gradum super munitionem potentiarum mearum (id est, non permittendo eas vel vnicum cogitationis propriæ passum progredi) & contemplabor vt videam quid dicatur mihi (hoc est, id quod mihi communicatum fuerit passiue suscipiam) Iam enim diximus; contemplationem, esse receptionem, fieri autem non potest vt sublimissima sapientia ista contemplationisque genus recipi possit, nisi in spiritu taciturno, & à succis notitijsque particularibus abstracto. Ita enim rèctè dicit Isaias: *Quem* (inquit) *docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? abstractos à lacte.* (hoc est à succis & consolationibus) *& auulsos ab vberibus* (hoc est, à particularium notitiarum adminiculis.) Auferergo atomum, nebulam, & pilos & munda oculum, lucebitque tibi serenus sol, & videbis. Constitue in libertate serenæ pacis animam, eamque ab operationis tuæ iugo & seruitute libera; hæc enim est Ægyptiaca captiuitas (cum vniuersas istas operationes exercere paulò amplius sit, quàm paleas ad coquendos lateres congregare) & duc eam ad promissionis terram, quæ fluit lacte & melle.

Abac. 2.

O spiritualis Magister considera; ad istam

istam libertatem otiumque filiorum sanctum, vocari à Deo ad desertum animam, in quo festiuis induatur vestibus, aureisque & argenteis monilibus despoliata iam Ægypto, diuitijsque ipsius diuersis exornetur: hostibus præterea ipsius in contemplationis mari demersis, vbi Ægyptius, hoc est sensus, fundum, cui innitatur pes eius non reperiens, dimittit filium Dei liberum (qui est spiritus, angustos operationis suæ limites, ac terminos egressus) à vili suo intelligendi modo à suo rudi sentimento, & à sua paupere degustatione: vt DEVS suaue Manna præbeat illi cuius sapor, quamuis vniuersos istos sapores & gustus, in quibus tu (ô Magister spiritualis) vis labore occupare animam contineat; nihilominus quia tantoperè delicatus est, vt in ore liquefiat, non sentietur, si alium gustum, seu suauitatem in aliqua alia re voluerit degustare, non enim illum recipiet. Studeas igitur eradicare ab anima vniuersas gustuum, consolationum ac meditationum cupiditates, nec illam aliqua cura aut sollicitudine rerum superiorum, & multo minus inferiorum perturbes ac inquietes, in omni quæ possibilis sit abalienatione ac solitudine eam collocando. Quo enim hoc amplius obtinuerit, & quo citius ad istam otiosam tranquillitatem peruenerit: eò affluentius copiosiusque spiritus sapientiæ diuinæ amorosus tranquillus, solitarius, pacificus, suauis, raptor spiritus illi infundetur; sentietque se interdum blandè sereneque raptam & sauciatam, nec tamen sciet à quo, nec vnde, nec quomodo; eò quod absque propria operatione in sensu iam explicato, fuerit illi spiritus iste communicatus. Et tantillum istius, quod Deus in isto sancto otio ac solitudine, operatur in anima, bonum est inæstimabile, plus etiam quam anima, & ipsius director cogitare possint; nec tunc apparet, quantum suo splendebit tempore. Ad summum, id quod in præsenti percipere poterit anima, est abalienatio & quædam ab omnibus rebus abstractio aliquando maior, aliquando minor, cum quadam suaui respiratione amoris, vitaque spiritus: & cum quadam ad solitudinē pronitate, creaturarumque ac rerum sæcularium tædio; nam cum spiritus degustatur, quidquid carnis est insipidum fit. Interiora porrò bona, quæ arcana hæc & quieta contemplatio imprimit animæ, quamuis ipsa nihil sentiente, prorsus sunt inæstimabilia: tandem enim sunt secretissimæ & delicatissimæ Spiritus sancti vnctiones, per quas diuitijs, donis & gratijs, arcanè replet animam: nam cum DEVS sit, facit sicut DEVS, & operatur sicut DEVS.

§. 8.

Hæc itaq; bona, istæ opes immensæ, istæ sublimes, delicatæque vnctiones & Spiritus sancti notitiæ, quas ob suam subtilitatem, exquisitamque puritatem, nec anima, nec qui de illis cum ea agit intelligūt, sed duntaxat ille, qui eas ad gratificandam sibi magis animam confert; hæc inquam vniuersa, nullo negotio, hoc est, minima etiam, quam anima exercere voluerit operatione, sensum appetitumq; notitiæ alicui seu consolationi applicare volēdo, perturbātur & impediūtur: quod certè graue damnum est magnoq; dolore ac commiseratione dignum. O casum acerbum multæque admirationis! quod cum non appareat detrimentum, & nihil fere illius, quod sese interposuit; tunc tamen maius incurratur damnum, magisq; dolendum, & deplorandū damno illo quod multo

multo maius in animabus vulgaribus, quæ in ſtatu adeò excelſæ exquiſitæque elaborationis minimè verſantur; apparet. Vt ſi exempli gratia faciem aliquam perfectiſſimè depictam, rudis aliqua & imperita manus, vilibus impropriſque coloribus corrigere vellet; multo grauius notabiliuſque eſſet hoc damnum, maiorique dolore & commiſeratione dignũ, quam ſi alias vulgariores deturparet imagines. Et cum tam ingens ſit damnũ iſtud, maius etiam quam verbis exprimi poſſit; eſt tamen adeò commune & ordinarium, vt vix aliquis reperiatur ſpiritualis magiſter, qui illud animabus, quas incipit Deus hoc modo ad contemplationis ſtatum prouehere, non inferat. Quoties .n. inungit Deus animã, delicatiſſima aliqua notitiæ amoroſæ, ſerenæ, pacificæ, ſolitariæ, ac valdè à ſenſu omnique eo quod cogitari poteſt alienæ, vnctione, nec permittit eam aliquid, ſiue de ſuperioribus, ſiue de inferioribus deguſtare aut meditari (eò quod occupet eam Deus vnctione illa ſolitaria ad otium ſolitudinemque prona) ecce aderit aliquis, qui fabri ferrarij inſtar, nil nouit aliud, quam malleis tundere, ictuſque ſæpius repetere, & quia nullam ipſe aliam callet artem, dicet: Abi, relinquas iſta, nil enim aliud ſunt, quam tẽporis amiſſio ac otioſitas, ſed reſume potius, meditationis actuumque exercitium; requiruntur enim ex parte tua actus & induſtriæ: iſta enim alia, nil aliud ſunt, quam deceptiones ac ſtoliditates. Atque ita, cum homines iſti orationis gradus, ſpirituſque itinera minimè intelligant, non animaduertunt actus illos, quos ab anima elici volunt iam finitos eſſe, diſcurſuſque viam, quam carpere illam iubent iam eſſe peractam: ſiquidẽ iam anima illa ad ſenſitiuam peruenit abnegationem: non animaduertunt inquam, quod cum iam ad terminum peruentum ſit, viaque peracta, non eſſe cur amplius iter fiat, hoc enim nil eſſet aliud, quam iterum à termino recedere vnde non intelligendo, animam illam eſſe iam in via ſpiritus, conſtitutam, in qua non reperitur amplius diſcurſus, ſenſuſque ceſſat, nec cogitãdo Deum eſſe particulare agens, qui ſolitariam animam arcanè alloquitur, alia craſſiorum notiarum & ſuccuum vnguenta, ad quæ animam inducunt, illi ſuperliniunt: eamque ſolitudine ac recollectione priuant, & conſequenter ſublime quod in ea depingebat Deus opere, & ita nec vnum exercet anima, nec etiam proficit in altero.

Vix aliquis ſpiritualis magiſter reperitur, qui damnum notabile animæ in hoc ſtatu conſtitutæ nõ inferat.

§. 9.

Animaduertant enim huiuſmodi homines & conſiderent, Spiritum ſanctum præcipuũ eſſe agens primariumq; animarum motorem, qui nunquam earum curam deponit, & ea, quæ ad illarum profectum, & vt melioti modo compendioſiuſque ad Deum perueniant, alicuius eſſe poſſunt momenti, ſollicitè prouidet: ipſos autem nequaquam agentes eſſe, ſed inſtrumenta duntaxat, ad animas per fidei legiſque diuinæ regulas dirigendas, ſecundum ſpiritum quem vnicuique largitur Deus. Quamobrem hoc ſit vnicum ipſorum ſtudium, nõ vt ſuo ipſorum modo, ac propriæ cõditioni diſpoſitionique accommodent & attemperent animam; ſed vt animaduertant (ſi tamen ſciunt) per quam viam ducat illam Deus: quod ſi hoc eos lateat, relinquant illam, nec perturbent: & diuino ductui ſeſe conformando, ſtudeant ad maiorem ſolitudinẽ, libertatem ac tranquillitatem eam inducere, amplam illi præbendo facultatem, vt nulli rei alliget ſpiritum, quando eam Deus hac deducit via. Neque affligantur, ſintque anxij, nihil hoc modo fieri exiſti-

mando:

mando: dummodo enim anima ab omni notitia propria comparata industria & ab omni appetitu, ac partis sensitiuæ amoribus in pura paupertatis spiritus abnegatione & in omnis tenebræ succique vacuitate auulsa & separata permaneat, ab omni insuper vbere & lacte auulsa (hæc quippe sunt illa, ad quæ ex parte sua præstanda, vniuersum studium conatumq; suum adhibere debet anima, nec minus spirituales Magistri ei in rebus istis omnibus abnegandis opem ferre) si inquam hoc se modo gesserit anima, impossibile est secũdum modum procedendi bonitatis, misericordiæq; diuinæ, vt non faciat Deus id, quod ex parte ipsius requiritur; imo multo impossibilius est, quam vt sol serenũ apertumque locum radijs suis non feriat. Quemadmodum etenim matutinus sol domum tuam irradiat vt illam si recludas aditus ingrediatur: ita Deus; qui dũ custodit Israelem non dormitat, euacuatam intrabit animam, & eam bonis adimplebit. Deus enim veluti sol animabus imminet; vt illas ingrediatur: latis ergo sit spiritualibus Magistris iuxta Euangelicæ legis perfectionem illas disponere; quæ in nuditate, sensusq; ac spiritus vacuitate consistit, nec velint vlterius in ædificando progredi; officium enim istud solius Domini est, à quo omne datum perfectum descendit. Nisi enim Dominus ædificauerit domum in vanum laborat qui ædificat eam. Ædificabit ipse ædificiũ supernaturale in qualibet anima, sicut illi placuerit; dispone tu id, quod naturæ est, operationes ipsius in nihilum redigendo: istud enim est officium tuum: Dei autem (vt Sapiens ait) est, ad supernaturalia bona, modis & vijs, tibi & animæ ignotis eam dirigere. Non dicas ergo, animam non progredi, nihilque agere. Nam si tunc non magis sapiunt ei intelligentiæ aliæ quam antea; ad vlteriora progreditur, ad supernaturalia tendit. Sed dices; nihil distinctè intelligit. Imò si tunc distinctè intelligeret; non progrederetur: Deus enim incomprehensibilis est, intellectumque excedens. Vnde quo magis progreditur anima, eò magis debet à se ipsa recedere, in fide ambulando, credendo, non autem videndo, hocque modo magis approximat Deo, non intelligendo, quam intelligendo in sensu explicato. Et propterea non affligaris inde; si enim non retroeat intellectus, notitijs distinctis, alijsque vitæ huius intellectionibus occupari volendo ad vlteriora progreditur; ad vlteriora autem progredi, est, in fide magis ambulare. Intellectus verò cum nesciat neque possit comprehendere qualis sit Deus, pergit ad eũ non intelligẽdo. Vnde hoc quod tu in eo reprehendis ad ipsius bonum potius expedit illi, nimirum vt intelligentijs distinctis sese non implicet, sed ambulet in fide perfecta.

Quo magis progreditur anima eò magis debet à se ipsa & operationibus suis recedere.

Anima ex parte sua præstare debet quæ vt à Deo illuminetur.

Psal. 10. 4.

Perfectio Euangelicæ nuditatis ac sensus & spiritus vacuitate consistit. Deut. 12. 27 Psal. 126. 1.

§. 10.

Sed dices; voluntatem, nisi intellectus distincte cognoscat, ad minus otiosam futuram, neque amaturam: non enim amari potest nisi cognitum? Respondeo ita se rẽ habere in operationibus præsertim, actibusque animæ naturalibus, voluntatem scilicet, non amare, nisi id quod distinctè cognoscit intellectus. Sed illo tẽporis spatio, quo contemplatio, de qua loquimur durat, quam infundit Deus in animã, minimè necessarium est notitiam distinctã interuenire, & animam multos facere discursus; tunc enim communicat illi Deus notitiam amorosam, quæ simul est veluti lux calida indistinctè, tunc autem secundum intelligẽtiæ modum, est etiam amor in voluntate. Nam cum notitia generalis sit & obscura; non valente intellectu distinctè intelligere, quod intelligit: voluntatem etiam in genere, absq; distinctione

NOTA. *Vtrũ voluntas amare possit, si intellectus amoris obiectum distinctè non cognoscat.*

Dubij resolutio.

aliqua amare necesse est. Nam cum in subtili ista communicatione Deus lux sit & amor; æqualiter duas istas informat imbuitque potentias; quamuis interdum vnam feriat amplius, quam aliam. Vnde nonnunquam plus sentitur intelligentiæ, quam amoris: nonnunquam verò intensior percipitur amor quam intelligentia. Et propterea non est cur in statu isto voluntatis otiositas timeatur: si enim ab exercitio actuum, per particulares notitias, (in quantum ab ipsa proficiscebantur) directorum & gubernatorum desistat, inebriat illam Deus amore infuso, mediante contemplationis notitiâ; sicuti nuper diximus. Sunt autem tanto meliores, dulciores, magisque meritorij actus, qui contemplationis huius infusæ ductu eliciuntur: quanto melior est motor, qui amorem istum infundit animæ & in ea accendit: manet enim voluntas Deo vicina, & ab alijs gustibus abstracta & aliena. Propterea sollicite inuigiletur, vt voluntas à suis amoribus vacua sit & abstracta: si enim non retrocedat, aliquem cupiendo degustare succum, vel consolationem; etiamsi illam particulariter in Deo non sentiat, ad vlteriora progreditur: ad Deum super omnia ascendendo; quandoquidem nullius rei gustu delectatioueque tangitur. Et quanquam adeò particulariter & distinctè Deum non degustet, nec eum ita distincto actu diligat, plus tamen degustat eum in illa infusione generali, obscurè & arcanè; quam si notitijs distinctis regeretur, siquidem manifestè tunc illa agnoscit, nullam notitiam tantam sibi delectationem adferre, quantam quieta illa & solitaria: amatque illum super omnia amabilia: quandquidem omnes alios succos, vniuersarumque rerum delectationes repudiauerit & sint illi insulsæ. Vnde non est cur affligatur: si enim nequit anima succis gustibusque actuum particularium occupari & oblectari; ad vlteriora tendit: nam non retroire, aliquid sensibile amplectendo, est in inaccessibili, quod est Deus, vlterius progredi. Atque ita voluntas, ad hoc, vt ad Deum tendat, potius hoc facere debet, ab omni se re delectabili ac dulci abstrahendo, quàm illi intendo. Hocque modo optimè satisfacit præcepto amoris, quod præscribit: Deum super omnia diligendum. Quod vt cum omni perfectione fiat, cum ista nuditate, & omnium rerum peculiari vacuitate exerceri debet.

§. 11.

Nec etiam est, cur vereamur, memoriâ à suis formis figurisque vacuam remanseram: cum enim Deus nullam formam, nullamque habeat figuram; tuta securaque est memoria à forma & figura euacuata, ac Deo amplius fit vicina. Nam quo imaginationi magis fuerit innixa; eo magis à Deo fit remota; maiorique est periculo exposita: cum enim Deus sit (vt est) incogitabilis, imaginationi non subest. Cum itaque isti spirituales Magistri animarum statum, quæ viam hanc contemplationis quietæ & solitariæ carpunt, non intelligant; eò quod ipsi nondum ordinarium quendam vulgaremque discurrendi & actus exercendi modum tranßlerint (imò nec fortassis ad eum peruenerint) huiusmodi animas otiosas arbitrando: *Animalis enim homo* (hoc est, qui à sensu animali sensitiuæ partis non egreditur) *non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.* (vt ait 1. Cor. 2. sanctus Paulus) pacem contemplationis quietæ & tranquillæ qua fruebantur, quamq; illis tribuebat Deus, perturbant; coguntque illas meditari & discurrere, actusque elicere, non sine graui tædio, repugnãtia, ariditate, & distractione

mis-

animarum ipsarum, quæ in quieta pacificaque recollectione sua vellent permanere: persuadent illis insuper Magistri isti, vt conentur succos feruoresque elicere; cum tamen contrarium potius deberent illis consulere. Quod cum ipsæ præstare nequeant, nec sicuti prius in huiusmodi rebus sese exercere; (iam enim tempus rerum istarum transijt, neque hoc est amplius earum iter) duplicate inquietantur, se perditionis viam arripuisse existimando; ad quod etiam credendum Magistri isti eas inducunt & spiritum earum exsiccant, ac pretiosis vnctionibus, quas in solitudine ac tranquillitate infundebat illis Deus, eas priuant, (quod certè, vt dixi ingens damnum est) & attis cœnosisque vnctionibus eas illiniunt, quandoquidem in vno iacturam patiuntur, in alio verò absque fructu laborant. Ignorant isti, quid sit spiritus, & insignem Deo iniuriam ac irreuerentiam faciunt; rudem impolitamque suam manum operi diuino adhibendo. Nec enim parum Deo constitit, eousque deduxisse animas, magnique æstimat eas ad hanc solitudinem, potentiarumque suarum ac operationum vacuitatem peruenisse, vt possit loqui ad cor earum, quod ille semper exoptat: ipse earum curam gerit, & in eis cum abundantia pacis regnat, actus potentiarum discursiuos, quibus tota nocte laborando nihil capiebant, deficere & cessare faciendo: illasque iam in spiritu, non verò in operatione sensus pascendo: cum sensus & ipsius operatio, incapax sit spiritus. Quanti autem ipse faciat tranquillitatem istam, vel consopitionem, seu annihilationem sensus, optime ex illa tam notabili efficacique adiuratione, quam fecit in Canticis apparet, dum ait. *Adiuro vos filiæ Hierusalem, per capreas cer-*
Cant. 3. 5.

uosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Quibus verbis significauit, quantum obdormitionem, solitariamque obliuionem amet, quandoquidem solitaria hæc, & recessui dedita animalia interponit. At spirituales isti Magistri, nolunt quiescere animam: sed laborare semper, taliterque operari, vt non præbeat locum operationi diuinæ, conanturque vt id quod ipse operatur, animæ operatione destruatur & aboleatur, vulpes paruulas quæ florentem vineam demoliuntur non ejciendo. Et propterea conqueritur Dominus per Isaiam dicens. *Vos enim depasti estis vineam meam.* Isa. 3. 14. Verum fortassis homines isti bono ducti zelo, in errorem labuntur, eò quod eorum scientia non se amplius extendat. Non tamen propterea excusati sunt dum consilia temeraria dant, non intellecta prius via spirituque, quo anima ducitur: quod si illius notitiam non habent, cur rudem suam manum rei quam ignorant, adhibere non verentur, nec tales animas ad eos, qui melius eas intelligant & dirigant, transmittunt? Nec enim exigui res est oneris & culpæ in causa esse vt inæstimabilium bonorum iacturam faciat anima ob inepta consilia, imo vt tota pessum eat: vnde ille qui temerarie errat, cum obligatus sit non errare (sicut vnusque in officio suo tenetur) non erit absque pœna, secundum modum damni quod intulit. Diuina siquidem negotia, consideratè admodum oculateque tractanda sunt, præsertim quæ res tam delicatas sublimesque concernunt, in quibus quasi immensum lucrum, si non erretur, sperari potest, immensum verò detrimentum imminet si aberretur.

Magistri spirituales notent & timeant.

§. 12.

Doctrina contra Cõfessarios & Magistros animas in seruitute quadã detinentes.

Sed iam quod dicere velis, habere huiusmodi hominem excusationem aliquã (quanquam ego eam non videam) saltem dicere non poteris, eam habere illum, qui curam alicuius animæ gerens nunquam eam è potestate sua liberam dimittit, idque ob fines respectusq; vanos, quos nouit ipse, qui certè impunè non abibũt. Est enim extra controuersiam, quod cum anima illa progredi debeat in spirituali via proficiendo, (ad quod semper Deus fert illi opem) mutare illam debere stylum orationisq; modum, & alia iam sublimioríque, ea quam præbet illi Magister iste doctrina alioq; spiritu indigere. Non enim omnibus sufficiens est doctrina, ad omnibus casibus successibusq; qui in via spirituali occurrunt, consulendũ: nec omnes adeò perfecto consummatoque spiritu præditi sunt, vt cognoscant, qua ratione anima, in quocunque spiritualis vitæ statu deduci gubernatique debeat: ad minus nequaquam sibi persuadere debẽt, se omnibus, quæ ad negotiũ istud requiruntur, præsidijs instructos esse, & Deum animam illam ad vlteriora non esse deducturum. Quemadmodum non quilibet qui nouit edolare lignũ, imaginem quoque sculpere nouit: nec qui illam sculpere didicit, continuo læuigare illam & perpolire callet: sed nec qui læuigare callet, artem depingend illam habet: nec tandem qui pingere eam nouit, vltimam illi imponere manũ & perfectionem scit: quilibet enim istorum, nil amplius præstare potest imagini, præter id quod nouit, & si aliquid amplius attentare voluerit, nil aliud hoc esset, quàm eam destruere. Iam ergo rem hanc penitus inspiciamus: si tu, ô spiritualis Magister, cũ sis solummodo edolator vis ad mundi contemptum, appetitumq; mortificationem inducere animam, vel ad summum sis sculptor, & in sanctis illam meditationibus exerces, nec præter hæc aliud nosti: quomodo tu ad vltimam vsque subtilis picturæ perfectionem deduces animam istam, quæ pictura nõ iam amplius in edolando, neque in sculpendo, aut etiam in expoliendo cõsistit, sed in operatione, quam successiuè Deus in ea perfecturus est? Vnde perspicuum est, si doctrinæ tuæ, quæ semper vna est, eam perpetuò alligatam esse volueris, vel retro eundum illi esse vel ad minus non progrediẽdum. Quis enim esset obsecro exitus imaginis, si nihil aliud in ea efficeres, quam eam edolare, malleique tundere ictibus (quod spiritualiter loquẽdo nihil est aliud quam potentias animæ exercere) Quãdo perficeretur hęc imago? Quando vel quomodo dimittenda esset vt eam depingat Deus? Estne possibile, te omnia hæc officia tibi soli vsurpare? tamque te perfectum consummatumq; arbitrari, vt nunquam anima ista alterius opera, præter tuam, opus sit habitura? Et dato casu, quod sufficiens sis alicui animæ, eo quod dotibus ad vlterius progrediẽdum sit destituta, est tamen quasi impossibile, vt talis sis pro omnibus, quas è tuis elabi manibus non permittis: quamlibet enim diuersa via deducit Deus vt vix vnus reperiatur spiritus, qui in dimidia parte modi, quo vtitur & procedit, cum alterius spiritus modo conueniat. Quis enim erit sicut S. Paulus, qui potens sit omnia fieri omnibus, vt omnes lucrifaciat? Tu verò tali tyrannide opprimis animas, taliterque illas libertate priuas, tibi ipsi latitudiné libertatemq; Euangelicæ doctrinæ vendicãdo, vt non solum ne ab eis deseraris labores, sed quod deterius est, si forte scias illarum aliquam cõsilij petendi gratia alium adijsse, aut quidpiam aliud cum eo, quod tecũ conferre nõ expediebat, contulisse, vel

vel si fortè illam ipse Deus direxerit ad eũ, vt ab eo disceret, quod tu non doces: tu te sic cũ ea geris (quod nõ sine rubore dico) sicut matrimonio iunctæ personæ ob zelotypiam contendentes, facere consueuerunt: qui certe zelus, quo tu flagras, non est honoris diuini, sed superbiæ ac præsumptionis tuæ. Quo enim pacto tu scire potes, animam illam alterius opera non indiguisse? Grauiter indignatur Deus hominibus huiusmodi, vindictamq; illis per Ezechielem Prophetam minatur dicens. *Va Pastoribus Israel, lac comedebatis, & lanis operiebamini: requiram gregem meum de manu vestra &c.*

Nota.

Ezech. 34. 2. & 10.

Debent itaq; homines isti in libertate relinquere huiusmodi animas; tenẽturque permittere eas ad alios se cõferre, & grato eas redeuntes excipere vultu; non enim sciunt qua via velit Deus illas proficere: præsertim verò, quando ipsius doctrina non illis amplius placet & sapit; quod est indicium, Deum eas alio itinere ad vlteriora prouehere, & alio iam indigere Magistro: imò potius ipsimet debent hoc illis consulere, quidquid vero aliter fecerint, exstulta id nascitur superbia & præsumptione.

§. 13.

Verum prætermittamus nunc istum procedendi modum, & loquamur de alio prorsus pestifero, quo homines isti vel alij ipsis peiores vtuntur. Eueniet aliquando vt vngat Deus aliquas animas desiderijs sanctis incitamentisq; ad deserendũ mũdum, vitamque ac statum in melius mutandum, ac Deo, spreto sæculo inseruiendum (quod Deus plurimi facit, eousque videlicet eas perduxisse; res enim sæculi, non sunt secundum cor Dei) ipsi verò obrationes humanas, ac respectus Christi doctrinæ, ipsiusque mortificationi, ac rerum omnium despectui repugnantes: vtilitati videlicet suæ vel consolationi attendendo, vel vbi nihil erat timendum metuendo, tem hanc differunt, vel difficilem reddunt, vel (quod deterius est) ab hac cogitatione eas diuertere conantur: cùm enim homines isti deprauato parumque deuoto ac nimium mundo vestito, modiceque in Christo mansuefacto præditi sint spiritu; nec intrant ipsi, nec alios intrare permittunt. Sicut Saluator noster ait. *Væ vobis legis peritis qui tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introibant prohibuistis.* Verè enim affirmare possumus istos esse veluti vectem ac offendiculum, ad cœli ianuas positos: dum non considerant Deum eos in hoc constituisse officio; vt illos quos ipse vocat, intrare compellãt, quemadmodum eis in suo Euangelio iniunxit: ipsi verò è contra repellunt, ne per angustam portam ad vitam ducentem ingrediantur. Hoc igitur modo spiritualis Magister est cœcorum vnus, qui Spiritus sancti ductum in anima impedire potest: quod sicuti diximus, multis cõtingit modis, quidam enim scienter, alij ignoranter labuntur, vtrisq; tamen impune non erit: siquidem cum officio isto fungantur, scire considerareque quid agant tenentur.

Luc. 11. 52

Luc. 14. 23

§. 14.

Alter cœcus, quem diximus impedire posse animam in hoc recollectionis genere, est Cacodæmon, qui sicut ipse cœcus est, ita etiam animam cupit esse cœcã qui in altissimis solitudinibus istis, in quibus infunduntur delicatæ Spiritus sancti vnctiones (quod ei maximoperè displicet, planeque inuidia ringitur videndo auolare sibi animam, nec à se amplius posse capi, plurimumque ditescere) conatur in istã nuditatem & abalienationem aliquas notitiarum catarrhactas seu maculas intrudere, & aliquas sensibilium delectationũ, interdũ etiam bonarũ tenebras offundere

Nota.

vt alliciat magis animam, eamque iterum ad sensuum commercium & vsum retrahat, & vt rerum illarum consideratione vacet, illasque quo ad Deum ire possit, notitijs illis bonis, succisque sensibilibus innixa amplectatur, persuadet. Qua in re distrahit eam, & facile ab illa solitudine & recollectione, in qua Spiritus S. stupendas res illas arcanè operabatur, abducit. Tunc verò anima cum ad sentiendum & degustãdum prona sit (maximè si res istas ambiat) nullo negotio notitijs delectationibusque illis adhæret, & ab illa solitudine, in qua Deus operabatur recedit. Cũ enim ipsa iudicio suo, in pacifica illa de qua in præsenti agitur solitudine nihil ageret, sed esset otiosa, videtur illi istud melius esse, quando quidẽ hic est aliquid, & ibi nihil. Est res profecto miserabilis, quod seipsam anima nõ intelligẽdo, dũ vni buccellæ inhiat, ne tota ipsa à Deo depascatur, sibi ipsi impedimẽto est, quod facit Deus eã in spiritualib. ac solitarijs vnctionibus palati sui absorbendo. Atque hoc modo propter rẽ nullius propè momenti, maxima dæmon infert mala & detrimẽta, faciendo perdere animã immẽsas diuitias, & exigua esca (sicut euenit pisci) è mari purissimarum spiritus aquarũ, in quibus immersa erat in Deo absq; vllo, cui inniteretur adminiculo, illã educendo. Et ita adlitus extrahit eã, adminiculũ illi & fulcimẽtum suppeditando, facitque eam reperire fundũ, & vt per terrã cum labore gradiatur, ne in aquis Siloe quæ in silẽtio currũt, diuinis delibuta vnctionibus natet, persuadet. Totque & tanta hac in parte operatur dæmon, vt res sit planè stupenda: & cum exiguum damnum, quod hac in parte animabus infert, maximum cẽsendum sit, vix tamen reperitur anima, quæ hac via incedat, cui non ingentia irroget, damna, eamq; grauem pati iacturam compellat.

Vix in hoc itinere aliqua reperitur anima cui graue non inferat dæmon detrimentũ.

Malignus siquidem iste magnã cũ sagacitate, sese hic in transitu, qui inter sensum spiritumque reperitur, collocat, ipsomet sensu decipiendo & imescando animã, res nimirũ sensibiles vt in illis detineatur, nec vngues eius euadat, obijciendo. Anima porro summa cũ facilitate confestim sese detinet, nihil .n. amplius præter illud nouit, nec putat aliquod in re illa latere dãnũ: quin potius fœlici hoc adscribit sorti, auideque arripit, à Deo se visitari arbitrãdo: sicq; in interiora sponsi nõ ingreditur, sed ad portam duntaxat remanet, quid ibi agatur inspiciendo. *Omne sublime videt*, ait Iob (hoc est omne sublime animarum) vt illud nimirũ impugnet. Quod si forte fortuna earũ aliqua ad recollectionẽ ei elabatur, horroribus ipse, terroribus, vel doloribus corporalibus, seu strepitibus, exterioribusque sonis, illã perdere conatur, facitq; eam ad sonitũ sese reflectere, vt hoc modo illam foras extrahat, & ab interiori spiritu diuertat, idque eousq; donec prævalere non valens, eã relinquat. Tantaque cum facilitate, tantas impedit diuitias, & istas pretiosas destruit animas; vt licet ipse multo pluris hoc faciat, quã multas alias prosternere animas, nihilominus ob facilitatẽ, qua id cõsequitur, & ob modicũ quẽ ea in re impẽdit laborẽ, parui hoc æstimat.

§. 15.

Ad hoc propositum intelligere possumus id, quod ipsemet Dominus dixit Iobo: *Ecce sorbebit fluuiũ & nõ mirabitur: & habet fiduciã quod influat Iordanis in os eius*: (qui sublimiora perfectionis significat) *in nasalibus eius quasi hamo capiet eum, & in fudibus perforabit nares eius* (hoc est, notitiarũ cuspidibus, quibus ferit illam, diuertet spiritum ipsius: siquidẽ aër, qui ex naribus egreditur vnitus, si illæ fuerint perforatæ, per multas dissipatur partes. Et infernus sit. *Sub ipso erunt radij solis, & sternet subarram* quasi

quasi lutum; efficiendo nimirum vt admirabiles diuinarum notitiarum radios amittant illuminatæ animæ, & pretiosum ornamentorum diuinorum aurum, ex opulentis animabus ipse dissipat & effundit.

O igitur animæ, quando tam sublimia dona à Deo recipitis, vt per solitudinis, recollectionisq; statum vos deducat à vestro laborioso sensu vos separãdo, ne quæso ad eũ reuertamini; sed operationes vestras relinquite: si enim prius vobis adiumento erant, ad mundum vosq; ipsas abnegandas, cum in incipientium statu versaremini, nunc cum Deus hunc vobis insigné exhibet fauorẽ, vt ipsemet operarius & artifex esse velit, erũt vobis obstaculo, & maximo impedimẽto. Dũmodo enim curetis in nulla re operationes vestras occupare, ab omnibus rebus eas abstrahendo, nec illas implicando, (hoc enim vobis ex parte vestra in statu isto faciendum incũbit) & præterea vt simul aduertentiã seu attentionem amorosam & simplicẽ adhibeatis, nullam animæ vim in ferendo (nisi forte abstrahendo illã ab omnibus & subleuando, ne pacẽ ipsius perturbetis & alteretis) his inquam præstitis, cœlesti refectione cibabit illam Deus, quandoquidem nullum ipsi in ea ponitis obstaculũ.

§. 16.

Tertius tandem cœcus, est ipsamet anima, quæ seipsam non intelligẽdo, turbat seipsam, sibiq; detrimentum infert. Cum enim nihil sciat aliud, nisi per sensus operari, quando vult eã Deus in vacuo illo ac solitudine collocare, in qua suis nequit vti potentijs, neq; actus vt dictũ est exercere: cũ videatur illi, nihil se operari aut agere, sensibilius expressiusq; conatur suos actus elicere: hocq; modo distrahitur, & impletur ariditate & desolatione quę fruebatur prius otiositate pacis silentioque spirituali, in quo Deus suauitatem illi occultè infundebat. Imò eueniet interdum vt contendat conetur que Deus in tranquilla illa quiete detinere animam, ipsa verò è contra obstinatè reluctetur, imaginatione vociferari, intellectuque incedere nitendo: sicut accidit puerulis, quos cum eorũ matres absque vllo ipsorum labore & incessu, suis gestent vlnis: vociferantur ipsi, seseque propipiunt, suis incedere pedibus cupientes, sicq; nec ipsi ambulant, neque matres ambulare permittunt, vel certe quemadmodũ si pictor aliquã depingeret imaginẽ & ipsa sese hinc & inde moueret, nil profectò illũ sineret efficere. Animaduertat igitur anima, quod licet non se sentiat tunc ambulare; multo tamen plus itineris cõficiat, quam si suis graderetur pedibus: Deus enim in suis vlnis portat eam, vnde illa non sentit iter; & quãuis videatur illi, nihil se agere; multo tamẽ plus præstat, quã si ipsa operaretur; Deus enim operatus est. Quod si ipsa nõ animaduertat ista, non est mirũ; nã ea quæ operatur Deus in anima, non assequitur sensus. Diuinis ergo se manibus committat, ipsique cõfidat, si enim ita faciat, tuta secura q; incedet: nullũ enim ei metuendũ est periculum, nisi quando illa ex se, vel propria industria, suis potentijs voluerit operari.

Ea quæ Deus operatur in anima non assequitur sensus.

§. 17.

Sed reuertamur iam ad propositam nobis de profundis istis potentiarum cauernis tractationem, in quibus diximus, maximas tunc esse solere animæ afflictiones, quando eam Deus ad secum illam veniendam subtilibus istis & delicatis vnctionibus inungit & disponit; quæ solent interdum adeò subtiles esse ac sublimes, vt intimum animæ fundum penetrando, taliter illam disponant, & suauitate deliniãt, vt dolor, & ob ingens desideriũ defectio, cum immenso cauernarum istarũ vacuo, sit quasi infinitus. Reuertamur inquam

inquã ad id de quo tractabamus, nimirũ si vnctiones quæ cauernas istas, ad spiritualis matrimonij vnionem disponebant, tã nobiles & excelsæ sunt, sicuti diximus; qualis obsecro erit possessio, qua modo in vnionis statu fruuntur? Indubium est, secundum sitis, famis, dolorisque cauernarũ istarũ magnitudinem; satisfactionẽ quoque, satietatem ac delectationem ipsarum futuram, & secundum dispositionum subtilitatem fore etiam fruitionis & possessionis sentimenti animæ præstantiã, quod sentimentum seu sensatio animæ est vigor & virtus, qua ipsius substantia prædita est, ad sentiendum & fruendum potentiarum obiectis.

Cur potẽtias animæ Cauernas appellent.

Potentias istas, cum magna proprietate appellat hoc loco Cauernas anima. Cum enim sentiat Cauernas istas intelligentias profundas, lampadumque istarũ splendores capere, manifestè animaduertit, tantã inesse illis profunditatem, quãta est intelligẽtiæ & amoris profunditas: tantamque ipsarum capacitatem, & tot earum sinus quot distinctas causas seu origines intelligentiarũ, delectationum, & gaudiorũ recipit: quæ vniuersa in ista seu sensus sensationis animæ Cauerna recipiũtur & stabiliuntur, quæ sicut dixi est virtus capax, quã ipsa habet ad res istas possidendas, sentiẽdas & degustandas, sicut communis phãtasiæ sensus, est omnium obiectorum quæ sensibus externis repræsentantur receptaculum, eodem modo sensus iste communis animæ, est tam nobili excellentique possessione illustratus & locupletatus.

VERSVS IV.

Obscuri prius ac cæci.

DVas ob causas potest oculus non videre; vel quia in obscuro versatur loco, vel certè quia est cæcus. Deus lux est, & verum animæ obiectum: & quando illa à luce ista non illuminatur, in obscuro est: licet perspicacissimos habeat oculos. Quãdo verò in peccato manet vel alia re occupat appetitum, cæca est: & quamuis tunc lux diuina non desit; quia tamẽ cæca est, non illam propter animæ obscuritatẽ, quæ est ignorantia practica qua tenetur cernit; quæ etiam antequam per transformationem istã illuminaretur à Deo, tenebrosa erat, & tantorum bonorũ Dei ignara, sicut sibi contigisse, antequã à Deo illuminaretur, ait Sapiẽs, verbis istis: Ignorãtias meas illuminauit. Spiritualiter autem loquendo, aliud est manere in obscuro, aliud vero manere in tenebris. Nam manere in tenebris, est cæcum esse in peccato; sed manere in obscuro, esse potest absque peccato. Hoc autem duobus modis euenire potest; videlicet respectu rerum naturalium carendo luce alicuius earum exillis. Vel certè respectu rerum supernaturalium, multarum ex illis lucem non habendo. Et respectu duarum rerum istarum dicit hic anima, obscurum fuisse sine Deo intellectum suum. Donec enim dixisset Dominus: *Fiat lux*; tenebræ erant super faciem abyssi Cauernarum sensus, qui quanto abyssalior est, profundiorumque Cauernarum, quando Deus, qui est lumen, non eas illuminat: tantò abyssaliores profundioresque tenebræ in illo reperiuntur. Vnde impossibile est illum ad diuinam lucem attollere oculos, sed ne in mentem quidem illi eam venire: cum enim illam nunquam viderit, neque sciat qualiter se habeat, nequibit desiderare illã; quin potius tenebras appetet, & ab vna tenebra labetur in aliã, ab illa priore ductus tenebra, neq; enim potest vna tenebra ducere, nisi ad aliã tenebram, siquidem vt Dauid ait: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Et sic vna tene-

tenebrarum abyssus, inuitat aliam; & vna lucis abyssus, inuitat aliam lucis abyssum, qualibet similem sibi inuitante: atque ita gratiæ lux, quam Deus animæ isti prius infuderat, & per quam, abyssi suæ aperuerat illi oculos, ad lucem diuinam intuendam (qua in re gratam illam & amicam effecerat) aliam gratiæ abyssum inuitat: quæ est diuina ista animæ in Deum transformatio, per quam oculus sensus illuminatissimus remanet & acceptissimus.

Superioris sensus cæcitatem appetitus causat.

Cæcus præterea erat sensus in quantum alia re præter Deum oblectabatur; nam superioris rationalisq; sensus cæcitatem, Appetitus causat; qui velut catarrhacta & nubecula sese interponit, cordisque oculo inhæret, ne res quas coram se habet cernat. Et ita in quantum sensus oblectamenta consectabatur, ad videndas immensas diuitias pulchritudinesque diuinas, quæ retro erant, cæcus erat. Quemadmodum enim aliquid etiam minimũ, oculo superpositum, satis est ad visionem impediendam, & ne obiecta alia præsentia licet maxima possit videre: ita vel vnicus appetitus cui anima obnoxia sit, satis est pro illo tempore, quo viget, ad vniuersas istas stupendas gratias diuinas impediendas, quæ ab appetitibus & delectationibus, quas anima cupit, plurimum distant. Quis posset hîc dignè assequi verbis quam impossibile sit animam appetitibus subditam de rebus diuinis, vt illæ in se sunt iudicare? Nam ad rectum de rebus diuinis ferendum iudicium, debent appetitus & delectatio omnino profligari, nec debet eas anima cum ipsis iudicare: secus enim res diuinas pro non diuinis accipiet, & reputabit, & res non diuinas pro diuinis. Inhærente namque catarrhacta & nubecula illa iudicij oculo, nil aliud nisi nubeculam, iam vnius, iam alterius coloris, sicuti sese obijciet videbit: & nubeculam illam Deum esse arbitrabitur, eò quòd nihil aliud præter nubeculam sensui inhærentem videat; Deus autem sub sensum non cadit. Vnde appetitus & delectationes, sublimium rerum cognitionem impediunt, quemadmodum Sapiens significat dicens: *Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentia transuertit sensum sine malitia.* Quamobrem qui nondum eum spiritualis vitæ obtinuerunt gradum, vt ab appetitibus & delectationibus purgati sint, sed adhuc aliquo modo in ipsis animales sunt, credant & sibi persuadeant se viles abiectasque spiritus res (cuiusmodi sunt illæ quæ magis ad sensus, in quibus ipsi adhuc viuunt accedunt) magnas insigneſque reputaturos; res verò sublimes & præstantes spiritus, hoc est, quæ à sensibus magis remotæ sunt, parui facturos & despecturos.

Sap. 4. vers.

Quid differentiæ sit ad iudicia de rebus diuinis referenda.

Quis sit animalis homo.

Animalis homo est ille, qui viuit adhuc cum naturæ suæ appetitibus, qui appetitus licet interdũ res spiritus attingant; si tamen voluerint naturali suo appetitu illis adhærere; iam sunt naturales appetitus. Parum enim refert, vt obiectum spirituale sit, si illius appetitus ex seipso originem trahat, vimque ac radicem suam in natura habeat defixã. Sed dices: Quãdo ergo desideratur Deus, nonne hoc supernaturale est? Respondeo; non semper esse, sed quando desiderij huius motiuum seu incitamentum supernaturale est, & Deus insuper huiusmodi appetitus vim & efficaciam præbet: hoc autem longè diuersum est. Sed quando tu ex teipso desiderium istud habere vis, quantum ad eius modum spectat: non est amplius quam aliquid naturale. Vnde quando ex te vis gustibus spiritualibus adhærere, & in eis appetitum tuum naturalem exerces; iam opponis catarrhactas, & es homo animalis,

Quã graviter decipiantur multi orationi dediti.

Quando desideria nostra spiritualia sint & supernaturalia.

malis, neque de spiritualibus, omnem sensum appetitumque naturalem superantibus, iudicium ferre poteris, aut illas intelligere. Quod si tibi hæc adhuc dubia videantur: nil tibi amplius dicendum occurrit, nisi vt ista denuo legas, & fortassis libera à dubitatione euades: satis enim veritatis substantia enucleata est, nec locus hic patitur prolixiorem istis de rebus, tractationem. Hic itaque sensus, qui antea absque ista luce diuina obscurus erat, & suis obcæcatus appetitibus iam taliter constitutus est, vt profundæ ipsius cauernæ, hac diuina vnione mediante

In consuetis excellentijs
Calorem, lucemque simul, suo præbeant dilecto.

VERSVS V. & VI.

In consuetis excellentijs Calorem lucemque simul, suo præbeant dilecto.

CVm enim istæ potentiarum cauernæ, adeo stupendo modo in admirandis lampadum illarum splendoribus, quæ in ipsis ardent, positæ collocatæque sint, cumque iam illustratæ, & in Deo sint accensæ, præter integram, quam suiipsarum illi faciunt, traditionem; eosdem ipsos splendores, quos ab eo cum amorosa gloria susceperunt, ad Deum in Deo transmittunt, inclinatæ iam ipsæ ad Deum in Deo, effectæ etiam ipsæ lampades, in splendoribus diuinarum lampadum accensæ eandem lucem, & amoris calorem quem suscipiunt ad suum reflectendo dilectum. Hic enim eodem prorsus modo, quo ipsum amoris calorem suscipiunt & cum eadem perfectione ac excellentia, cum qua ipsis ab eo tribuitur, eidem eum præbent. Quemadmodum vitrum solis radijs transuerberatum, facere solet. Quanquam in nostro casu multò sublimius hoc fiat, eo quòd hac in re voluntatis exercitium interueniat.

In consuetis excellentijs.

Hoc est, peregrinis, & ab omni communi sensu alienis, omnemque verborum apparatum superantibus. Nam secundum excellentiam perfectionemque cum qua intellectus diuinam suscepit sapientiam, est quoque excellentia ac perfectio, cum qua præbet illam anima. Et secundum excellentiam, cum qua voluntas cum diuina est vnita bonitate, est etiam excellentia cum qua dat illa Deo in Deo eandem bonitatem: ad hunc quippe finem recipit eam vt eam det. Et eodem prorsus modo, secundum excellentiam & perfectionem cum qua in Dei magnitudine cognoscit, manendo vnita in illa lucet, & calorem amoris præbet. Et iuxta excellentias & perfectiones aliorum attributorum diuinorum quæ communicat ibi animæ, fortitudinis videlicet, pulchritudinis, iustitiæ &c. sunt etiam excellentiæ, quibus spiritualis sensus, lætabundus dat dilecto suo in suo dilecto eandem ipsam, quam ab eo recipit lucem. Nam cum ipsa in hoc statu sit facta vna eademque res cum eo; est ipsa Deus per participationem: & quanquam non in tam perfecto gradu, sicut in alia vita, est tamen (sicuti diximus) velut in vmbra Dei. Atque ita cum ipsa, per transformationem istam sit vmbra Dei facit ipsa in Deo per Deum id, quod facit ipse in ea per semetipsum: eo quod amborum voluntas, sit vna. Hocque modo, sicut Deus seipsum illi dat cum libera & gratuita voluntate: sic ipsa etiam, tãto liberiorem ge-

Nota

nero-

neroſiorem que habens voluntatem, quãto magis Deo in Deo vnitam: quodammodo per amoroſam complacentiam, quam de eſſentia diuina perfectionibuſq; ipſius habet, dat Deo ipſum Deum. Eſtq; hoc myſticum quoddam, & affectiuum animæ, donum factum Deo: verè enim videtur ibi animæ, Deum eſſe ſuum, & quod ipſa tanquam filius Dei adoptiuus, cum proprietate iuris, per gratiam, quam Deus ſui ipſius fecit illi eum poſſideat. Dat igitur illũ dilecto ſuo, qui eſt ipſemet Deus, qui ſeſe dedit illi. Qua in re, quicquid debet exoluit: voluntariè enim & libenter tantundẽ dat illi, cum delectatione & inæſtimabili gaudio, Spiritum ſanctum veluti rem ſuam ſpontanea traditione dando, vt ametur ſicut ipſe amari dignus eſt. In quo inæſtimabilis conſiſtit animæ delectatio, cum nimirum videt quod ipſa det Deo rem, quæ illi ſecundum infinitam ipſius eſſentiam cõgruat & quadret. Nam licet verum ſit; non poſſe animam dare denuo Deum ipſimet Deo; ſiquidem ipſe ſemper in ſe ipſemet eſt: nihilominus anima perfectè & prudenter hoc facit, dando quicquid ipſi ab eo datum fuerat, ad perſoluendum amorem: quod nihil aliud eſt, quam tantundem dare, ſicut ſibi datur: Deus autem contentus & ſatisfactus eſt illo animæ dono, & cum minori non illi eſſet ſatisfactum, libenterque hoc & gratè accipit, veluti rem propriam animæ, quæ res in ſenſu explicato datur Deo, & in hoc ipſo eam diligit, & denuo liberè ſeſe tradit animæ; & in hoc ipſo amat anima: & hoc modo actu inter Deum & animam quidã reciprocus reperitur amor in vnionis conformitate, & matrimoniali traditione, in qua amborum bona, quæ ſunt eſſentia diuina, ab vtriſque in voluntaria vnius alteri traditione coniunctis, poſſidentur vno alteri dicente illud, quod

Mirabiliter Dei & animæ ſpirituale matrimoniam deſcribitur.

filius Dei dixit ſuo Patri, apud ſanctum Ioannem videlicet: *Omnia mea tua ſunt, & tua mea ſunt, & clarificatus ſum in eis.* Quod in alia vita in fruitione ſine intermiſſione fit, in iſto verò vnionis ſtatu tunc fit, quando ad actum & exercitium amoris communicatio animæ & Dei reducitur: tunc inquã poteſt anima illud offerre donum, quamuis maioris entitatis, quam ſit ipſius capacitas & eſſentia. Perſpicuum ſiquidẽ eſt, quod ille, cui multa regna ac nationes velut propriæ ſubditæ ſunt, quamuis ipſæ multo plus illo entitatis habeant poteſt tamẽ eas ipſe optimè cui voluerit dare. Et hæc eſt ſumma animæ ſatisfactio & lætitia conſiderare videlicet: plus ſe Deo quã ipſa in ſe valeat dare tanta cũ liberalitate Deũ ipſi Deo, veluti rem ſuam dando, idq; cum ea luce diuina, amoriſque calore, cum qua fuit illi datus: quod in alia vita fit, lumine gloriæ & amore mediante; in præſenti verò per illuminatiſſimam fidem, & ardentiſſimum amorem. Atque iſto modo

Ioan. 17. 10.

In conſuetis excellentijs.
Calorem, lucemque ſimul,
ſuo præbent dilecto.

ſimul; coniuncta eſt enim Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, in anima communicatio, qui ſunt lux & ignis amoris.

Sed notandæ hoc loco à nobis ſunt, excellentiæ exquiſitæque perfectiones, cum quibus facit Deo hanc traditionem anima. Circa quod animaduertere oportet, quòd cum in actu vnionis iſtius, quadam fruitionis imagine perfruatur anima, quæ ab vnione intellectus & affectus in Deo producitur, oblectata ipſa in ſe, & obligata, facit Deo traditionẽ Dei, & ſuiipſius ſtupendis planè modis. Nam quantum ad amorem ſpectat, gerit ſe circa Deum anima

Mirabiles excellentiæ cum quibus facit anima hãc Dei Deo traditionem.

In consuetis excellentijs.

Et eodem omnino modo, circa vestigium fruitionis: & etiam circa laudem: & similiter circa gratitudinem. Et quantum ad primum, hoc est, ad amorem attinet, tres præcipuas amoris excellentias habet. Prima est, quia amat hîc Deum anima, per ipsum Deum: quæ certè admirabilis excellentia est: amat enim à Spiritu sancto inflammata, & habens in seipsa Spiritum sanctum, sicut Pater amat filium, vt per Sanctum Ioannem dicitur: *Vt dilectio qua dilexisti me* (ait Filius Patri) *in ipsis sit, & ego in ipsis.* Secunda excellentia est; amare Deum in Deo. In ista enim vehementi vnione absorbetur anima in Dei amorem; & Deus etiam cum vehementia magna sese tradit animæ. Tertia excellentia amoris principalis est, amare eum ibi, ob id quod ipse est. Non enim propterea duntaxat amat illum, quia est ipsi largus, bonus, liberalis, &c. Sed multo fortius quia in se, est omnia ista essentialiter. Circa verò istam fruitionis imaginem, habet alias tres præcipuas excellentias admirabiles. Prima est, quia fruitur ibi anima Deo, vnita cum ipso Deo. Nam cum hic anima vniat intellectâ cum sapientia & bonitate, &c. quas tam clare cognoscit (quanquam non ita, sicut in alia vita futurum est) mirum in modum in omnibus rebus istis distinctè (vti superius diximus) intellectis oblectatur. Secunda dilectionis huius præcipua excellentia est, in solo DEO, absque aliqua creaturæ admixtione, ordinatè oblectari. Tertia delectatio est; frui illo solummodo propter id, quod ipse est, absque proprij gustus, aut alterius cuiuscunque rei creatæ admixtione. Quod verò ad Laudem spectat, quam in ista vnione concinit anima DEO, tres in ea repetiuntur excellentiæ. Prima est: quia facit hoc anima ex officio; anima duertit siquidem DEVM eam ad laudem suam creasse, sicut per Isaiam dicit: *Populum istum formaui mihi, laudem meam narrabit.* Secunda excellentia est: dicere DEO laudes, ob beneficia quæ accipit & propter voluptatem, quam in laudando magno isto Domino experitur. Tertia est; laudare eum ob id, quod ipse in se est: quamuis enim anima, nullam inde perciperet delectationem; laudaret tamen eum propter id quod ipse est. Ad gratitudinem porrò quod attinet, tres alias habet excellentias. Prima est: gratam esse, & agere gratias pro naturalibus & spiritualibus bonis, necnon pro vniuersis alijs beneficijs. Secunda est; ingens delectatio, quam in laudando DEO percipit: vehementissime enim in hanc absorbetur laudem. Tertia est, laudare ob id duntaxat, quod Deus est: quod efficacius multò est, & delectabilius.

Prima est quia amat Deum per Deum.

Ioan. 17. 26.

Secunda, quia amat Deum in Deo.

Tertia, quia amat Deum ob id quod in se est.

Isa. 43.

CAN-

CANTVS QVARTVS.

CANCION IV.

Quan manso y amoroso
Recuerdas en mi seno
Donde secretamente solo moras
Y en tu aspirar sabroso,
Debien y gloria lleno
Quan delicadamente me enamoras.

SENSVS.

Quam mitis & amorosus
In sinu euigilas meo,
In quo secrete solus morari!
Et in tua aspiratione dulci,
Bonorum & gloria plena,
Quam delicatè me amore succendis!

DILVCIDATIO.

VErtit se hoc loco multo cum amore ad sponsum anima, magnifaciens agensque gratias pro duobus admirandis effectibus, quos ipse interdum in ea per vnionem istam producit, notando etiam modum, quo eos efficit, necnon effectum, qui inde in eam redundat.

Primus effectus, est Expergefactio Dei in anima: modus verò quo fit est mansuetudo & amor. Secundus effectus est, Aspiratio Dei in anima: modus autem eius bona sunt & gloria, quæ in aspiratione ei communicantur. Id vero quod hinc redundat in animam, est; tenera delicataque amoris inflammatio: vnde perinde est, ac si diceret. Expergefactionem quam *O Verbum Sponsi*, in centro & fundo animæ meæ facis, in quo secretè & silenter, solus tanquam ipsius Dominus moraris, non solum vt in domo tua, neque solum vt in lectulo tuo, verum etiam sicut in proprio sinu meo, intimè arctissimeque vnitus; quam mansuetè amabiliterque illam facis (hoc est, mansuetus valde & amorosus) & in dulci aspiratione, quam in hac tua expergefactione suauem mihi facis, quæ plena bonorum est & gloriæ; quam delicatè me amore succendis, tibique deuincis! Qua in re vsurpat anima similitudinem illius, qui postquam è somno euigilauerit, respirat; quia reuera ita se rem habere sentit.

(***)

VERSVS I. & II.

Quam mitis & amabilis
In sinu euigilas meo.

MVltos excitationum seu expergefactionum modos facit animæ Deus: quas si enumerare deberemus, nunquam esset finis. Verum euigilatio ista à filio Dei facta, quam hoc loco explicare vult anima est (meo iudicio) ex sublimissimis & quæ magis animæ prodest: Hæc quippe expergefactio est motus, quem verbum in profunditate animæ producit tantæ præstantiæ, dominij, & gloriæ, tamque intimæ suauitatis vt vniuersa balsama, speciesque odoriferæ, & denique omnes mundi flores, spargi, moueri, & reuolui ad fragrantiam excitandam videantur, cuncta præterea mundi regna & dominia, omnes eriam cæli virtutes & potestates videntur moueri: neque hoc duntaxat, sed etiam vniuersæ omnium rerum creatarum virtutes, substantiæ, perfectiones, & pulchritudines resplendent, & eundem cõcorditer & in vnum faciunt motum. Vt enim S. Ioannes ait. Omnia, *in ipso vita sunt*. Et alius etiam Apostolus. *In ipso viuunt, sunt, & mouentur*: Hinc est; quod volendo se magnus iste imperator, manifestare animæ, & hoc illustrationis modo sese in anima mouendo non se tamen mouente in ea illo, qui (vt Isaias ait) gestat principatum suum super humorem suum: hoc est, trinas machinas, Cælestem, Terrestrem, & infernalem, & omnia quæ in eis sunt, sustentando omnes illas, (sicut S. Paulus dicit) *Verbo virtutis suæ*) hinc inquam est, quod omnes simul moueri videantur. Quemadmodum si moueretur terra, cunctæ res naturales quæ in ea sunt, moverentur: eodem modo fit quando Princeps iste qui aulam suam ipse gestat, non verò aula ipsum (in sensu explicato) mouetur. Quanquam similitudo hæc, valde sit impropria, hîc enim, non solum moueri videntur, sed etiam essentiæ, virtutis, pulchritudinis ac venustatis suæ elegantiam, nec non durationis & vitæ suæ in illo radicem patefacere. Ibi quippe cognoscit anima, qualiter vniuersæ creaturæ inferiores & superiores vitam, virtutem, durationemque suam in eo habeant: intelligit etiam illud, quod ipse in libro Sapientiæ dicit: *Per me Reges regnant: per me Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam, eamque intelligunt*. Et licet verum sit; animadvertere ibi animam, res istas distinctas esse à Deo, in quantum esse creatum habent, cognoscereque eas ibi in ipso, cum earum vi, radice, & vigore; tantam nihilominus adeoque infinitam essentiæ Dei superillas agnoscit eminentiam; vt melius agnoscat illas in isto suo principio, quam in illis ipsis. Et hæc est ingens expergefactionis delectatio; cognoscere videlicet effectus, per causam ipsorum. Qualiter autem hic motus in anima fiat, cum Deus sit immobilis, est profectò res admirabilis. Nam absque eo quod moueatur Deus, innouatur ipsa, & ab eo moueatur; & cum admirabili quadam nouitate, manifestatur ei vita illa diuina, & essentia ac harmonia omnium creaturarum, vsurpante ac mutuante causa nomen effectus, quem producit: secundum quem effectum dici potest moueri Deus sicut Sapiens ait. *Sapientiam mobiliorem esse omnium mobilium*: non quod moueatur ipsa, sed quia principium & radix est omnis motus: & ipse stabilis permanens (vt immediate subiungit Sapiens) innouat vniuersa: & hic id, quod ibi dicere vult, est sapientiam magis esse actiuam, omnibus rebus actiuis. Atque ita debemus hîc dicere; Animam

Quidnam sit hæc euigilatio seu expergefactio de qua in Cantu isto loquitur anima.

Ioan. 6. 64
Act. 17. 28

Isa. 9. 6.

Heb. 1. 3.

in motu isto ; esse illam, quæ mouetur & expergiscitur, & propterea propriè illi imponere nomen expergefactionis, Deus tamen semper eo manet modo , quo illum vidit anima; mouendo scilicet gubernando, & essentiam , virtutem , pulchritudines, & dona cunctis tribuendo creaturis, & omnes illas in se virtualiter, præsentialiter, & eminentissimè continendo; videtque anima, quid Deus in se sit, quid verò in creaturis ; veluti ille cui palatium aliquod aperitur , vnico actu eminentiam personæ intus manentis, & simul quidquid operatur, videt. Vnde (quantum ego capio) modus quo expergefactio ista, seu intuitus animæ fit, est : quod aufert illi Deus , aliqua ex multis velaminibus & cortinis, quas ipsa ante se habet, vt cernere possit, quidnam ille sit: tunc vero translucet; & à longè discernitur (quamuis aliquantum obscure , nõ enim vniuersa sublata sunt velamina, siquidem velamẽ fidei remanet) facies illa diuina plena gratiarũ: qui cum vniuersa virtute sua moueat , simul cum eo, quidquid operatur apparet. Et hæc est cuigilatio & excitatio animæ: quamuis etiã reuera , cum vniuersum hominis bonum à Deo oriatur, & homo nihil ex se boni possit : in veritate dicatur, excitationem expergefactionemque nostram, expergefactionem Dei esse ; & subleuationem nostram , subleuationem esse Dei. Et ita quando Dauid dixit. *Exurge, quare obdormis Domine*, perinde est, ac si dixisset: Eleua nos, & excita nos : corruimus enim & obdormiuimus. Vnde quia anima sopore , ex quo nunquam ipsa ex se euigilare potuisset erat consopita: soluisque Deus est qui oculos ipsius potuit aperire, hancque facere expergefactionem propriissimè vocat illam Dei expergefactionem dicens:

In sinu euigilas meo.

Quomodo fiat hæc Dei expergefactio.

Psal. 43.

VERSVS II.

In sinu euigilas meo.

EXcita nos tu Domine mi & illumina, vt bona , quæ nobis semper proponis cognoscamus & amemus, tunc enim cognoscemus , quod te ad facienda nobis beneficia moueris , & nostri fueris recordatus.

Est prorsus inuisibile id, quod anima in ista excitatione, de excellentia Dei in intimis suis, quæ sunt sinus ipsius, de quib. hic loquitur cognoscit, & sentit, nam immẽsa quædã potentia , voce multitudinis excellentiarum, milliũ millium virtutum, resonat in anima , in quibus subsistendo, sesequedetinendo, remanet ipsa terribilis solideque tanquam castrorum acies ordinata: dulcorata etiam & gratiosa in eo , qui vniuersas creaturarum suauitates & gratiositates in se complectitur.

Verum dubium hoc loco emergit: qua ratione possit anima carne mortali circũsepta tam fortem sustinere communicationem; cum reuera non reperiatur in ea subiectum & virtus , ad tanta sine defectione sufferenda? Ex solo enim Regis Assueri in throno suo sedentis, regijs induti vestibus, & auro gemmisq; preciosis splẽdentis aspectu; tantum timoris Esther Regina adeo illum vultu terribilem videndo, concepit , vt deliquium fuerit passa; sicut ipsa fatetur ibi, dicens: *Vidi te Domine quasi Angelum Dei*, & faciem tuam plenam gratiarum , *& conturbatum est cor meum, præ timore gloriæ tuæ* : nam gloria, quando eum non glorificat, opprimit intuentem.

Qua ratione anima mortali inclusa corpore tãtam fortem possit sustinere communicationẽ.

Esth. 15.16

Quãto magis ergo deberet deficere hic anima ; quandoquidem ille quem cognoscit

noscit & videt, non est Angelus sed ipsemet Deus & Dominus Angelorum, faciem suam ostendens gratijs creaturarum omnium plenam, terribilis potentiæ & gloriæ ac vocis multitudinis excellentiarum. De qua voce ait Iob: *Cum vix paruam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudnis illius intueri*: si vix exiguum ipsius sibilum sustinere valemus, qua ratione tonitrui eius magnitudinem sufferre poterimus? Et alio loco dicit. *Nolo multa fortitudine contendat mecum, ne magnitudnis suæ mole me premat.* Causa autem, ob quam in ista potenti ac gloriosa excitatione non deficiat nec timeat anima, est duplex.

Iob 26.14.

Iob 23.6. *Duæ sunt causæ ob quas potest anima tã fortes Dei communicationes sustinere. Prima.*

Prima est; quia cum iam anima in perfectionis statu maneat (sicuti hic manet) in quo pars inferior repurgatissima est, maximeque spiritui conformis, non sentit detrimentum ac dolorem, quem spiritus non repurgatus, & ad diuina recipienda indispositus in spiritualibus communicationibus pati solet.

Secunda.

Secunda magisque præcipua huius rei causa est illa, quæ primo Cantus huius versu assignatur: nimirum, quia Deus mansuetum se ei & amabilem ostendit. Sicut enim ipse magnitudinem istam ac gloriam ostendit animæ, ad illam delectandam & sublimandam, ita recreat roboratque illam, naturam ipsius protegendo, dum spiritui magnitudinem suam benignè & cum amore manifestat. Quod optime potest facere ille, qui dextera sua protexit Moysen, vt videret gloriam suam.

Atque ita tantam in eo mansuetudinem ac amorem experitur anima: quantam potentiam, dominium, & magnitudinem; in Deo enim omnia ista vnum idemque sunt. Cum quibus fortis est delectatio & protectio in mansuetudine & amore, fortis ad fortem delectationem sustinendam. Vnde fortis potius & potens remanet anima, quam languida & defectionem patiens.

Nam si Regina Esther deliquium passa est, id fuit, quia in principio Rex sese illi minimè fauentem ostendit; sed (sicut ibi dicitur) ardentibus & accensis oculis pectoris sui furorem illi indicauit. Verum confestim ac benignè illam intuitus est, sceptrumque suum eo illam tangens extendit, & eam amplexus est; ad se rediit præsertim postquam illi dixisset, ego sum frater tuus, noli metuere. Ad eundem modum, cum se hic Rex cælestis, ab ipso principio, cum anima tanquam sponsus & frater gerat non timet ipsa.

Nam ostendendo illi in mansuetudine, & non in furore fortitudinem potentiæ suæ, & amorem bonitatis suæ; pectoris simul sui fortitudinem & amorem communicat ei è throno etiam suo tanquam ex thalamo suo, in quo latebat ad eam prosiliendo, eique se inclinando, sceptro Maiestatis suæ tangit illam, & velut frater complectitur. Ibi ergo vestimenta regalia, ipsorumque fragrantiæ, quæ sunt admirabiles Dei virtutes, ibi splendor auri, quod est caritas, ibi lapidũ pretiosorum, notitiarum videlicet supernaturalium fulgor, ibi tandem facies verbi gratiarum plena, transuerberant & vestiunt Reginam animam, ita vt ipsa in virtutes istas cælestis Regis transformata videat se creatam Reginam, & quod possit cum veritate de illa dici illud, quod dicit Dauid. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Et quia omnia ista in profundo animæ celebrantur, subnectit illa continuo. *In quo secretè solus morari.*

Ps. 44.

VER-

VERSVS III.

In quo secretè solus moraris.

DIcit eum in sinu suo secretè morari; nam sicuti diximus, in fundo substantiæ animæ ac potentiarum dulcis hic celebratur amplexus. Sciendum ergo est, in cunctis Animabus, & in ipsarum substantia, arcanè & latenter manere DEVM: si enim ita non esset, non possent ipsæ subsistere. Verum in mansione ista latum intercedit discrimen: in quibusdam enim libenter manet & contentus, in alijs verò minimè. In quibusdã manet velut in propria domo imperando, & omnia gubernando: in alijs verò sicut extraneus in aliena domo, in qua non permittitur ei imperare, nec aliquid efficere. Vbi pauciores appetitus, proprijque gustus vigent; ibi ipse magis solus, magis contentus, & velut in domo sua moratur, regendo illam & gubernando: tantoque magis secretus manet, quantò magis solus. Vnde in Anima ista in qua nullus iam appetitus, nullæ imagines aut aliarum rerum creatarum formæ manent, secretissimè moratur, cum tantò intimiori, interiori arctiorique amplexu, quanto ipsa purior est, & magis ab omni re præter DEVM solitaria. Atque ita manet secretus: nam istum situm & complexum non potest attingere dæmon, nec eum intellectus aliquis sicuti est assequi. At verò ipsi Animæ, in hac perfectione constitutæ, non est secretus: semper enim eum in se experitur: nisi fortè est illi secretus, respectu excitationum istarum, quæ quando fiunt, videtur animæ, quod expergiscitur ille, qui prius in sinu suo dormiebat: & licet sentiret gustaretque illum: id tamen erat, veluti dilectum, in sinu suo consopitum sentire. O quam fortunata est anima ista quæ semper sentit DEVM in sinu suo quiescentem! ô quantum expedit illi ab omnibus separari rebus: fugere negotia, cum immensa viuere tranquillitate? ne fortè minima aliqua atomus perturbet, & inquietet Dilecti sinum. Ibi ordinariè manet velut consopitus in isto cum Anima complexu: quem ipsa optimè sentit, & ordinariè, optimè illo fruitur. Si enim semper maneret in illa, quasi expergefactus (quod esset notitias illi & amores communicando) iam hoc esset manere in gloria. Nam si vna euigilans vice, oculum duntaxat aperiendo, talem efficit Animam: quid esset si ordinariè maneret in ea omninò expergefactus? In animabus alijs, quæ ad istam vnionem non peruenerunt: quamuis non maneat malè contentus & inuitus, quia tamen necdum sunt ad eam rectè dispositæ, secretus manet: non enim illum ordinariè sentiunt, sed tantum quando aliquas illis dulces facit excitationes, quanquam non sint eiusdem cum hac de qua agimus generis, nec possint cum ea comparari. Sed dæmoni & intellectui, non sunt adeò sicut ista occultæ: adhuc enim posset aliquid ex sensus motibus cognoscere: eò quod, donec ad Vnionem perueniat, non est rectè annihilata: nam adhuc aliquas exercet actiones, eò quòd non sit totaliter Spiritualis. At in excitatione ista, quam hîc sponsus in ista perfecta facit Anima, omnia sunt perfecta: ipse enim facit omnia, in sensu explicato. Tunc verò in excitatione illa & euigilatione illi simili, cum quispiam expergiscitur &

In cunctis animabus & in ipsarum substantia secretè manet Deus.

Primum Deus manentem manet.

Quàm fortunata est Anima quæ sentit semper Deum in sinu suo quiescentem.

respirat, percipit Anima Dei respirationem. Et propterea dicit:

Et in tua aspiratione dulci.

VERSVS IV. V. & VI.

Et in tua aspiratione dulci
Bonorum & gloria plena
Quàm delicate me amore
succendis!

DE illa Aspiratione Dei, nollem loquiego, sed neque volo: manifestè enim animaduerto me nescire de ea loqui; & minorem apparituram, si eam verbis exprimerem. Est enim aspiratio quædam, quam DEVS facit Animæ, in qua, in illa sublimis notitiæ Deitatis excitatione, aspirat illi Spiritum sanctum ad notitiæ proportionem: qui profundissimè illam absorbet, amore illam delicatissime inflammando, secundùm illud quod vidit, cum enim aspiratio bonorum & gloriæ sit plena, bonitate illam & gloria repleuit Spiritus sanctus, qua in re amore illam sui succendit, super omnem gloriam & sensum; & propterea ab hac tractatione supersedeo.

(o)

CANTICVM SPIRITVALE INTER ANIMAM ET CHRISTVM SPONSVM:

VBI MVLTIPLICES TENERIQVE Orationis, & Contemplationis affectus & effectus declarantur.

AVTHORE

V.P.F.IOANNE A CRVCE PRIMO DISCALCEATO ORDINIS BEATÆ VIRGINIS DE MONTE Carmelo, à Seraphica Virgine Sancta THERESIA à IESV reformati, eiusdemque Virginis Coadiutore fidelissimo.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
In Officina Hæred: BERNARDI Gualtheri.
ANNO M. DC. XXXIX.

PROLOGVS.

QVONIAM hi Cantus aliquo Amoris Dei feruore prolati videntur, cuius sapientia & amor tam est immensus, vt, quemadmodum in lib. Sapientiæ dicitur, attingat à fine, vsq; ad finem, anima verò Amore informata, & mota, eandem quodammodo dicendi copiam & impetum præferat; propterea non est hic animus explanare latitudinem, & abundantiam spiritus fœcundi ab Amore, quo agitur in illis: imo crassa nimis esset ignorantia cogitare quod Amoris Dei dicta, mysticæque intelligentiæ effata (qualia sunt hæc de quibus agunt hi Cantus) aliquo verborum genere apte possint explicari. Spiritus enim Domini, qui adiuuat infirmitatem nostram, vt ait D. Paulus, in nobis manens, *Postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* id, quod nec satis capere, nec comprehẽdere ad illud manifestandum valemus. Quis etenim describere poterit ea, quę dat intelligere animabus amantibus se? quis verbis manifestare, quæ illis tribuit experiri? quis denique eloqui poterit, quæ facit illas desiderare? Nemini sane id licet, imo nec illimet, qui ista experiuntur id possunt. Idcirco enim figuris, aut Rom. 8. 26.

similitudinibus siue parabolis, reuelant potius aliquid eorum, quæ in se sentiunt atque ex abundantia spiritus arcana euomunt mysteria, quam rationibus illa dilucidant. Quæ similitudines nisi ea sinceritate spiritus amoris, & intelligentia, quam præferunt legantur, deliria potius, quam locutiones sensatæ videntur. Quemadmodum videre est in Diuinis Canticis Salomonis, inque alijs diuinæ Scripturæ libris: in quibus cum nollet Spiritus sanctus vsitatis, vulgaribusque locutionibus sensus sui affluentiam indicare, idcirco peregrinis quibusdam figuris, ac parabolis loquitur mysteria. Hinc fit quod Dd. Sancti quamuis multa dixerint, & in dies noua dicant, nunquam tamen verbis id satis explicare valeant; sicuti reuera verbis effari nequit: ac proinde quod regulariter de eo exprimitur, est minimum quod in se continet. Cum itaque hæc Cantica composita sint amore superabundantis intelligentiæ mysticæ omnino perfecte dilucidari non poterunt, neque is est scopus meus, sed adferre solum modo generaliter aliqualem lucem, siue notitiam: quod & satius duco. Præstat siquidem amoris dicta in sua latitudine relinquere, vt ex eis vnusquisque pro modo, & capacitate spiritus sui proficiat, quam ad vnum dumtaxat sensum illa restringere, cui omnium palatum non attemperetur. Itaque etiamsi aliquo modo elucidentur, necesse non est elucidationi sese alligare. Etenim sapientia mystica (quæ per amorē intelligitur, de qua agitur in sub-

in subiectis Cantibus) non est opus vt intelligatur distinctè, ad hoc vt effectum amoris, & affectus in Anima producat, habet enim se ad instar fidei, in qua Deum amamus, quem tamen distincte, & clare non cognoscimus. Quapropter breuitati maximè studebo, tametsi aliquibus in locis, materia id exigente, oblataq; occasione agẽdi, & explicandi nonnulla puncta, & effectus orationis, fieri non poterit quin aliquando fusior sim; cum enim pleraq; eorum in Cantibus perstringantur, non licebit non agere de aliquibus. Verum tamẽ communioribus prætermissis, quæ magis sunt insolita, & extraordinaria, quæque Animabus incipientium statũ prętergressis eueniunt, paucis indicabo. Idque ob duplicem hanc rationem, inprimis, quoniam de communioribus, plura scripta reperiuntur. Secundo quia eos alloquor, quos Dominus noster tanto munere affecit, vt ab istis primordijs eductos in sinum diuini amoris sui penitius intromisit. Vnde futurum spero, quod licet nonnulla Theologiæ Scholasticæ hic puncta scribantur, ad internam animæ cum Deo conuersationem spectantia, non erit nihilominus ad puritatem spiritus superuacaneum, aliquid hac ratione disseruisse: esto namque nonnulli careant exercitio Theologiæ Scholasticæ, qua veritates Diuinæ intelliguntur, non carent tamen exercitio Mysticæ, quæ per Amorem sapitur, quo non solum sapitur, sed etiam gustatur.

Vt autem quidquid dixero (quod & saniori iudicio, & to-

& totaliter ſanctæ Matri Eccleſiæ ſubijcere volo) maiorem fidem faciat, nihil ex me aſſerere cogito, confiſus experientiæ propriæ, aut his quæ in alijs perſonis ſpiritualibus nouerim, aut ab illiſmet audiuerim (quamuis iſtis etiam adminiculis vti in animum induxerim) niſi ſacræ Scripturæ teſtimonijs comprobetur, ac dilucidetur, ſaltim in his, quæ intellectu difficiliora videbuntur. In quibus teſtimonijs adferendis tenorem hunc obſeruabo, primum verba Textus citabo, & immediate poſt iuxta ſubiectam materiam illa explanabo. Cantica verò omnia ſimul præponam, deinde vero illa declarabo, quolibet ſeorſim ordine ſuo appoſito vna cum propria declaratione.

CAN-

CANCIONES ENTRE EL ALMA Christo su Esposo.

I.

Esposa.

ADonde te escondiste
Amado, y me dexaste con gemido
Como cieruo huiste
Auiendome herido
Sali trasti clamando, y eras ido.

II.

Pastores, los que fueredes
Allá, por las majadas al otero
Si por ventura vieredes
Aquel que yo mas quiero
Dezidle que adolesco, peno, y muero.

III.

Buscando mis Amores
Irepor esses montes i, riberas
Ni cogere las flores
Ni temere las fieras,
I pasare los fuertes, y fronteras.

IV.

O, bosques y espessuras
Plantadas por la mano de mi amado
O prado de verduras
De flores esmaltado
Dezid si por vosotros ha pasado.

Respuesta de, las Criaturas.

V.

Mil gracias derramando
Paso por estos sotos con presura
I yendolos mirando
Con sola su figura
Vestidos los dexo de su hermosura.

CANTVS INTER ANIMAM & Christum Sponsum eius.

Sponsa.

I.

QVo te condens abiuisti,
Chare, quas in latebras:
Instar cerui auffugisti,
Vt me sauciaueras.
Mœsta, lugens, destituta,
Sum te clamans insequuta:
O dolor! euaseras.

II.

Vos Pastores qui transitis
Per caulas in speculam,
Si fors, ei facti sitis,
Quem amamus obuiam:
Nunciate quod languescit,
Et in mortem colliquescit,
Quam reliquit sauciam.

III.

Montes, ripas (quasitura
Meum istud corculum)
Cita scandam: non lectura,
Ne sit mora flosculum:
Neque feras formidabo,
Sternam fortes, permeabo
Limitum obstaculum:

IV.

Virens nemus, syluæ densæ
Luci delectabiles,
Queis serendis sunt impensæ
Sponsi manus nobiles,
Prata multo picta flore
Per vos nome cum decore
Gressus egit niobiles.

Creaturæ.

V.

Per hos saltus eius iuit
Mille stillans gratijs,
Quos videndo insigniuit
Queis fulgebat radijs.
Sola sua vi figuræ
Eis sua dans naturæ
Clarere vestigijs.

Esposa. VI.

Ay quien podra sanarme
Acaba de entregarde ya devero
No quieras embiarme
De oy mas mensajero
Que no saben dezirme loque quiero.

VII.

Y todos quantos vagan
De ti me van mil gracias refiriendo
I todos mas me llagan
Y dexame muriendo
Vn no se que, que quedan balbuciendo.

VIII.

Mas como perseueras
O vida no viuiendo donde viues
Y haziendo porque mueras
Las flechas que recibes
De lo que del amado enti concibes.

IX.

Porque pues has llagado
A queste coraçon no le sanaste?
Y pues mele has robado
Porque assi le dexaste
Ino tomas el robo que robaste?

X.

Apaga mis en ojos
Pues que ninguno basta à deshazellos
Y vea te mis ojos,
Pues eres lumbre dellos
Y solo para ti quiero tenellos.

Sponsa. VI.

Heu quis meæ quibit pœnæ
Adferre suppetias?
Age tandem da te plenè
Veraſque delitias.
Nescientes indicare
Quod sic opto, ne legare
Nuncios adjicias.

VII.

Quotquot Deo sunt vacantes
Quos dotasti plenius,
Plura de te sunt narrantes,
Meque plagant acrius
At me necat quid ignotum
Quod hi meum citra votum
Indicant obscurius.

VIII.

Sed qui vita, qua non viuis
Vbi vitam accipis,
Perseueras hic inviuis
Quando tela recipis?
Tela nata necem dare
Ab his orta quæ præclarè
De dilecto concipis.

IX.

Quod potenter vulneraſti
Cor, tui notitia,
Cur id quoque non sanaſti
Oblata præsentia?
Cur (siquidem rapuisti)
Dimisisti, nec tulisti
Prædatuæ gloriæ

X.

Leni turbas has dolorum
Nam solus sufficies,
Quorum lux es oculorum
Te videat acies,
Ad hoc ambos nam seruasti,
Vt his tua quam amaui
Sit obiectum faciei.
Basium.

XI.

Descubre ni presencia
Y materne tu vista y hermosura
Mira que la dolencia
De amor no bien se cura
Sino con la presencia, y la figura.

XII.

O, Christalina fuente
Si en essos tus semblantes plateados
Formasses de repente
Los ojos descados
Que tengo en mis entrannas debuxados.

XIII.

Apartalos amado
†Esposo. Que voy de buelo † Bueluete paloma
Que el ciervo vulnerado
Por el otero asoma
Y al ayre de tu buelo fresco toma.

XIV.

Mi amado las montannas
Los valles solitarios nemorosos
Las Insulas estrannas,
Los rios sonorosos,
El siluo de los ayres amorosos.

XV.

La noche sosegada
En par delos leuantes del Aurora,
La musica callada
La soledat sonora
La cena que recrea y enamora.

XI.

Pande tuæ faciei
Decorem eximium,
Vi tam miræ speciei
Cedat amans nimium:
Nam amoris non sanatur
Plaga, nisi concedatur
Vultus in remedium.

XII.

Fons ô purè pellucente
Cristallo limpidior.
Ah ocellos si repente
(Quibus sic afficior)
Hos in tuos argentatos
Vultus formes quos vmbratos
Mens habet interior.

XIII.

Hos auerte mi dilecte
Quia volans rapior.
Sponsus. O Columba viam flecte,
Redi niue purior,
En, è colle vulneratus
Ceruus paret, & volatus
Captat aures lætior.

XIV.

Sponsa. Sponsus meus celsi montes
Valles solitariæ,
Et quæ rigant auri fontes
Insulæ extrariæ,
Altum æquor ac sonorum
Amorosa zephirorum
Auræ flantes variæ.

XV.

Nox quieta cum aurora
Primo nascens radiat,
Solitudoq; sonora
Quâ quid magis rapiat:
Quæ musica quæ silens tacet,
Cana pinguis, quæ dum placet
Amorem conciliat

XVI.

Nuestro lecho florido
De cuevas de leones enlazado
En purpura tendido
De paz edificado
Con mil escudos de oro coronado.

XVII.

Azaga de tu huella
Las jovenes discurren al camino,
Al toque de centella
Al adobado vino,
Emisiones de balsamo diuino.

XVIII.

En la interior bodega
De mi amado beui, y quando salia
Por toda aquesta vega
Ya cosa no sabia
I el ganado perdi que antes seguia.

XIX.

Alli medio su pecho
Alli me ensenno ciencia muy sabrosa,
Y yo le di de hecho
A mi sin dexar cosa
Alli le prometi de ser su esposa.

XX.

Mi alma se ha empleado
Y todo mi caudal en su seruicio
Ya no guardo ganado
Ni ya tengo otro oficio
Que ya solo en amar es mi exercicio.

XXI.

Pues ya si en el exido
De oy mas no fuere vista ni hallada

XVI.

Rosis olet absque spinis
Lectus noster floridus,
Septus antris leoninis
Cocco rubet splendidus
Pace structus, & auratis
(In tutelam praparatis)
Mille scutis fulgidus.

XVII.

Hinc discurrunt iuniores,
Tuum post vestigium,
Ad contactus, & sapores
Scintillarum dulcium:
Ad melliti gustum vini,
Emissionum diuini
Balsami delicium.

XVIII.

In interna introui
Dilecti cellaria:
Ibi bibi, dum exiui
Tota per hac spatia.
Nihil sciebam, nil loquebar,
Ipsum gregem quem sequebar,
Amisi per auia.

XIX.

Mihi pectus hic porrexit:
Hyble melle dulcius,
Et doctrina me direxit,
Qua nec nectar gratius:
Illi totam me despondi
Et futuram me spopondi
In sponsam constantiæ.

XX.

Illi totam se dicauit,
Plena mens officio:
Vimque totam consecrauit
Illius obsequio,
Grex non vltra mihi cura,
Nullum munus, soli purè
Charitati seruio.

XXI.

Posthac erga si in pratis
Non inuenta fuero:

Direis

Direijs, que me he perdido
Que andando enamorada
Me hize perdidiza y fui ganada.

XXII.

De flores y esmeraldas
En las frescas mannanas escogidas
Haremos las guirnaldas
En tu amor florecidas
I en vn cabello mio entretexidas.

XXIII.

En solo aquel cabello
Que en mi cuello bolar consideraste
Miraste le en mi cuello
I en el preso quedaste
I en vno de mis ojos te llagaste.

XXIV.

Quando tu me mirauas
Tu gracia en mi tus ojos imprimien,
Por esso me ademauas
Y en asso merecian
Los mios adorar loque enti Veian.

XXV.

No quieras despreciarme
Que si color moreno en mi hallaste,
Ya bien puedes mirarme
Despues que me miraste
Que gracia y hermosura en mi dexaste.

XXVI.

Cogednos las raposas
Que esta ya florecida nuestra vinna,
En tanto que de rosas

Perijsse me dicatis,
Nam verè periero.
Perij namque ardens nimis,
Memet perdens sed opimis
Hinc lucris exubero.

XXII.

E smaragdis & collectis
Primo mane floribus,
Construemus serta lectis
Ingemmata coribus,
Verna tuo ab amore
Crinis mei (nouo more)
Colligata nexibus.

XXIII.

Quem in meo respexisti
Collo crine crispulo,
Quem aspectans remansisti
Vinctus vt funiculo,
Ac plagatus tu meorum
Es in vno oculorum
Ceu potenti spiculo.

XXIV.

In me quando intendebas,
Oculorum acie
In me (mirum) imprimebas
Tuæ decus gratiæ:
Adamabas; hinc mœrebam
Adorare, quod cernebam
Tua visa facie.

XXV.

Noli sponse, noli precor
Noli me despicere,
Nam si fuscus oris decor
Fuit, iam me cernere
Tutò potes, cum spectasti:
Nam spectando me donasti
Raro formæ munere.

XXVI.

Vulpes nobis colligate,
Nulla prorsus transeat;
Cum gemmarum vbertate
Nostra vitis floreat.

Hazemos vna pina
Y no parezca nadie enla montinna.

XXVII.

Detente cierço muerto
Ven austro que recuerdas los amores
Aspira por mi huerto,
Y corran sus olores
Y pacera el amado entre las flores.

XXVIII.

Esposo. *Entrado se ha la Esposa*
En el ameno huerto deseado
Y a su sabor reposa
El cuello reclinado
Sobre los dulces braços del amado.

XXIX.

Debaxo del mançano
Alli conmigo fuiste desposada
Alli te di la mano,
Y fuiste reparada
Donde tu madre fuera violada.

XXX.

Alas aues ligeras
Leones, ciervos, gamos saltadores,
Montes valles riberas,
Aguas, ayres, ardores
Y miedos delas noches veladores.

XXXI.

Por las amenas liras
Y canto de sirenas os conjuro
Que cesen vuestras iras,
Y no toquen al muro
Porque la Esposa duerma mas seguro.

Veris rosas dum legemus,
Hisque conum construemus,
Nemo collem adeat.

XXVII.

Adsis auster (sacros rores
Fuge siccans aquilo)
Fla per hortum, qui amores
Vrges leni sibilo,
Fluant eius vt odores,
Et pascatur inter flores
Dilectus in imbilo.

XXVIII.

Sponsus. *Iam intrauit in optata*
Sponsa viridaria,
Vbi rosis sociata
Alba candent lilia,
Et quiescit reclinata
Collum inter adamata
Sponsi suis brachia.

XXIX.

Subtus malum te despondi
Licet esses extera;
Meam fidem hic spopondi
Data tibi dextera:
Esque per me reparata,
Vbi tua violata
Mater est adultera.

XXX.

Leues aues, ac leones
Fidi ciues montium,
Cerui, damæ saltatores
Tam amici fontium,
Montes valles, & ardores,
Ripæ, flatus, & timores
Vos vigiles noctium.

XXXI.

Vos adiuro per lyrarum
Melle melos dulcius,
Perque cantum Sirenarum
Quo nihil iucundius:
Ira cessent, nec adire
Murum tentent vt dormire
Sponsa quiescat tuta.
Elpola.

XXXII.

Esposa. *O Ninfas de Iudea*
En tanto que en las flores y rosales
El ambar perfumea,
Morà en los arrabales
Y no queràys tocar nuestros vmbrales.

XXXIII.

Escondede carillo,
Y mira contu haz alas montannas.
Y no quieras dezillo
Mas mira las campannas
Dela que va por insulas estrannas.

XXXIV.

Esposo. *La blanca palomica*
Al Arca con el ramo se ha tornado
I ya la tortolica
Al socio deseado
En las riberas verdes ha hallado.

XXXV.

En soledad viuia,
Y en soledad ha puesto ya su nido
I en soledad la guia
A solas su querido
Tam bien en soledad de amor herido.

XXXVI.

Esposo. *Gozemonos amado*
Y vamonos auer entu hermosura
Al monte, ò al collado
Do mana el agua pura
Entremos mas adentro enla espessura.

XXXVII.

I, luego alas subidas
Cauernas de la piedra nos iremos

XXXII.

Sponsa *Nymphæ Iudæ per virores*
Campi per pomaria,
Dum ambarum inter flores
Halat & rosaria:
Rogo nostrum ne tangatis
Limen, tantum incolatis
Remotæ suburbia.

XXXIII.

Te, te meæ vitæ vitæ
Te conde dilectule,
Lustra vultu montes ritè,
Clamque serua sedule:
Sed ad eius arua vide
A qua transeuntur fide
Peregrinæ insulæ.

XXXIV.

Sponsus. *Iam columba pura tersa*
Ad arcam de fluctibus
Ramum portans est reuersa,
Foliis recentibus:
Turtur suum iam consortem
Inuenit, ô, bonam sortem!
Ripis in virentibus.

XXXV.

Incolebat grata sibi
Tesqua solitudinum,
Solus nactam nidum sibi
Regit sponsus virginum:
Hic est quoque sauciatus,
Et internis vulneratus
Iaculis amantium.

XXXVI.

Sponsa. *Sponse chare gaudeamus,*
Nos ad tuum speculum
Inspecturi subeamus
Montem, aut colliculum,
Vnde manat flos aquarum,
Penetremus in syluarum
Densius vmbraculum.

XXXVII.

Dein altas in cauernas
Petra, simul ibimus,
Tam profundas & internas Quo

Que estan bien escondidas
Y allí nos entraremos
I el mosto de granadas gustaremos.

XXXVIII.

Allí me mostrarias
Aquello, que mi alma pretendia
Y luego me darias
Allí tu vida mia
Aquello que me diste el otro dia.

XXXIX.

El aspirar del ayre
El canto dela dulce Filomina
El soto y su donayre
En la noche serena
Con llama que consume, y no da pena.

XL.

Que nadie lo miraua
Aminadab tam poco parecia
I el cerco sosegaua
Y la caualleria
A vista de las aguas decendia.

Illuc introibimus,
Nec hoc solum, sed malorum
Dulce mustum granatorum
Simul degustabimus.

XXXVIII.

Quod cor meum ambiebat
Hic mihi ostenderes,
Et quod amor cupiebat
Vita! non renueres:
Hic quod nuper impertisti,
Et gustandum præbuisti,
Denuo concederes.

XXXIX.

Molles, blandos, & suaues
Flantis aura zephiros,
Et quæ veris vincit aues
Philomelæ iubilos,
Syluæ decus, sub serenam
Noctem: flammæ citra panam
Consumentis sibilus,

XL.

Eam nemo iam videbat
Latentem interius,
Nec Tyrannus apparebat
Aminadab amplius,
Obsidio quies cedat,
Equitatus descendebat,
Secus aquas suas.

FINIS.

INCI-

INCIPIT EXPLANATIO SPIRITVALIVM CANTICORVM, INTER SPONSAM, AC SPONsum Diuinum.

CANTVS PRIMVS.

CANCION I.

Adonte te escondiste
Amado, yme dexaste con gemido
Como ciervo huiste,
Auiendome herido
Salistraste clamando; y eras ido.

SENSVS.

VBi te abscondisti
Dilecte, & me reliquisti cum gemitu
Instar cerui aufugisti,
Me prius vulnerata,
Post te clamans exiui, sed iam abieram.

IN hoc primo cantu anima Verbi filij Dei sponsi sui amore ardens, per claram & essentialem visionem ei copulari desiderãs, amoris sui anxietates, de absentia illius conquesta, illi proponit: ex eo maximè quod eius amore saucia, cuius gratia rebus omnibus, etiam se ipsa exiuit; absentiã nihilominus dilecti sui, inuita debeat sustinere, nec à vinculis carnis mortalis dissolui, vt illo perfrui liceat in æternitate gloriæ, ait itaque:

Vbi te abscondisti.

Cant. 1.8. Quod idem est ac si diceret. Verbum sponse mi, indica quæso locum, vbi abscõditus delitescis? quibus verbis diuinã illius essentiã sibi postulat manifestari, locus enim vbi Dei filius latet, vt D. Ioannes ait, est sinus Patris, essentia nimirum diuina, quæ cuiuis oculo mortali, & cũcunque intellectui creato abscondita est, ac peregrina in hac vita. Quod indicare voluit Isaias, cum dixit: *Vere tu es Deus absconditus.* Vbi notandum est, quod licet maximas Dei communicationes, & præsentias, etsi sublimes perfectissimasque Dei notitias habeat anima in hac vita, nequaquam illas esse Deum essentialiter, neque habere affinitatem cum illo; reuera enim adhuc animæ absconditus est. Eique expedit super vniuersas eiusmodi magnitudines semper absconditum reputare, & vt latentem inquirere, dicendo:

Isa. 45. 15.

Diuinæ communicationes, & notitiæ licet perfectissimæ, nõ sunt Deus essentialiter, nec habent affinitatẽ cũ illo.

Vbi te abscondisti.

Non enim sublimis communicatio, sensibilisque præsentia, est maius præ-

sentiæ illius testimonium; neque ariditas, istarumve rerum carentia, minus est eiusdem præsentiæ argumentum in anima.

Iob 9.11. Quapropter ait Iob. *Si venerit ad me non videbo eum, si abierit non intelligam*, quibus verbis denotatur, quod licet anima grandem aliquam communicationem, Deive notitiam, & sensum percipiat, non debet propterea sibi persuadere, id esse Deum magis habere, seu magis in illo esse: neque etiam quod illud, quod experitur, aut intelligit, sit Deus essentialiter, quantumlibet magnum illud sit: quin immo nec cogitare debet Deum procul à se abesse, si ijs omnibus sensibilibus donis careat, cum reuera ex neutro istorum, certo scire possit, vtrum in gratia Dei constituta sit, an non. Scopus itaque animæ in hoc versu est, non solùm petere effectiuam, & sensibilem deuotionem, in qua nulla est certitudo, nec euidentia gratuitæ possessionis sponsi in hac vita, sed etiam præsentiam, & claram visionem diuinæ essentiæ, qua certior reddita, & contenta esse cupit in gloria. Hoc idem sibi voluit sponsa in diuino Cantico, quando hãc vnionem diuinitatis verbi sponsi sui desiderans à Patre eam poposcit dicens: *Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie*, dum enim vbi pascatur inquirit, essentiam Verbi sibi manifestari postulat: Pater enim in vnico filio suo solummodo pascitur: dum verò interrogat, vbi cubet in meridie, idem etiam petit. Pater enim alibi non cubat, nec alio pascitur, quam filio suo, in quo recumbit, totam essentiam eidem communicando, in meridie, hoc est, in æternitate, vbi iugiter illum generat. Hunc igitur pastum, quo Pater pascitur, hunc floridum lectum diuini Verbi, vbi creaturis omnibus recubat absconditus, auide poscit hoc loco sponsa cum ait:

Nec deuotio sensibilis est signũ infallibile gratiæ Dei, neque ariditas carentia eiusdem.

Cant. 1. 6.

Vbi te abscondisti.

Notandum est autem, ad hoc vt quis sponsum hunc sciat inuenire; quod Verbum simul cum Patre, ac Spiritu sancto latet essentialiter in intimo animæ centro: ac proinde animæ illum inuenturæ, expedit rebus omnibus egredi, secundum voluntatis affectum, summumque recessum ingredi intra se, omnia, ac si non essent, æstimando. Propterea enim D. Augustin. in Soliloquijs cũ Deo locutus aiebat, *Circuiui vicos & plateas ciuitatis huius mundi quærens te, & non inuenj, quia male quærebam foris, quod erat intus*, latet igitur absconditus in anima, ibique à viro contemplatiuo est inquirendus; dicendo; *vbi te abscondisti.*

.i. Dilecte & me reliquisti cum gemitu.

Dilectum vocat, quo eam amplius moueat, & ad preces suas flectat. cũ enim Deus diligitur, facillimè exaudit preces amãtis se, tunc autẽ vere dilectus nũcupari potest, quando anima tota cum ipso est, nulli rei extra illum per affectũ adhærens. Hinc dilectum nonnulli vocitant, quorum vere dilectus non est, vtpote qui ei minime toto corde adhæreant, ac proinde illorum preces coram illo non sunt tanti valoris: in eo verò quod mox ait,

Et me reliquisti cum gemitu,

Animaduertere oportet, quod dilecti absentia efficit in anima amantis assiduum gemitum. Cum enim extra ipsum amet nihil, nullibi requiescit, aut leuamen recipit. Hinc facile dignoscitur, qui vere.

verè diligit Deum, si nimirum nulla re infra Deum sit contentus. Præclare D. Paulus hunc gemitum expressit, cum aiebat: *Et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes.* hic igitur est assiduus animæ gemitus, ex sensu absentiæ amati sui ortus, tunc maxime, cum post præibaram dulcem aliquam, sapidamque communicationem, arida, & solitaria remanet: & ideo sequitur

Rom. 8.

Instar cerui aufugisti.

Notandum est, quod sponsa in Canticis comparat sponsum ceruo, & capreæ montensi dicens. *Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum*, propter velocitatem, qua se abscondit, & ostendit, prout solet facere dilectus, dum præsentia sua animas visitat, & ab illis recedit, huiusmodi visitationis gratiam subtrahendo: propter quod grauiore dolore, absentiam suam eas sentire facit; quemadmodum hic anima significat, dum ait:

Cant. 2. 9.

Me prius vulnerata.

Quod idem est ac si diceret, nonne satis mihi erat dolor & afflictio, quam, dum abes plerumque sustineo, nisi etiam amoris tui telis vehementius me ferias, desiderioque, & appetitu te videndi adaucto, instar velocissimi cerui aufugias, nec paulisper saltem te comprehendi permittas? Ad pleniorem præsentis versiculi dilucidationem sciendum est, quod præter quam plures alias visitationum differentias, quas Deus animæ confert, quibus eam sauciat, & in amore sublimat, solet etiam accensos quosdam amoris tactus in ea efficere, qui veluti ignita iacula, animam feriunt, & transuerberant, igneque amoris prorsus cauteriatam relinquunt. Hæc propriè loquendo amoris vulnera nuncupantur, de quibus hic anima loquitur; quæ vsque adeo inflammant voluntatis affectum, vt igne flammaque amoris inardescat, ita vt à flamma illa absumi videatur, quæ animam seipsam exire, totam renouari, & ad nouum esse transire facit, instar Phœnicis, qui seipsum exurens, denuo renascitur. Hac de re locutus Dauid inquit: *Inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt, & ego ad nihilum redactus sum & nesciui.* Appetitus, & affectus quos Propheta hoc loco renes vocat, omnes commouentur in illa inflammatione cordis, & in diuinos mutantur; & anima præ amore resoluitur, & exinanitur, aliud nesciens quam amorem. Tunc autem hæc rerum commutatio maximè eam torquet, & angit præ desiderio videndi Deum; adeò vt intolerabilis videatur animæ rigor amoris erga se; non quidem ex eo quod vulnera infligat, hæc quippe potius sanitatem reputat, sed ex eo quod ita languentem reliquerit, nec amplius feriendo, peremerit, vt sic eum videret, eique perenniter adhæreret in gloria: idcirco dolorem suum exaggerans, & manifestans ait:

Ps. 72. 22.

Appetitus, & affectus per inflammationem amoris in diuinos mutatur.

Me prius vulnerata.

Porro hic sensus tam grandis, ita contingit; nam in illo vulnere amoris, quod Deus infligit, velociter consurgit voluntas ad possessionem dilecti sui, cuius tactum percepit; eademque velocitate absentiam illius pariter, ac gemitum sentit. Hæ siquidem visitationes, non sunt similes alijs, quibus Dominus animam recreat & satiat, pacifica eam suauitate replendo, has enim solummodo facit, vt vulneret, non vt sanet, vt pungat potius, quam vt animæ satisfaciat: vtpote quæ solummodo deseruiunt, vt notitiam acuant, augeant appetitum, &

Amoris vulnera qua.

consequenter dolorem. Hæc nunc apantur amoris vulnera, quæ animæ sunt sapidissima, quapropter dum his amoris haſtis traijcitur, millies mortem lubens oppeteret, quippe quæ eam se ipsa egredi, & in Deum ingredi faciunt, quod in versiculo sequenti indicat, dicens:

Exiui post te clamando, sed iam abieueras.

Amoris vulneribus medicina non prodest, nisi adhibeatur ab eo, qui ea inflixit; ac propterea exiuit clamando insequuta vulnerantem se præ vehementia ignis à vulnere accensi compulsa clamare. Sciendum autem quod exitus hic dupliciter accipitur; imprimis exeundo rebus omnibus, quod fit per abnegationem, & illarũ contemptum. Secundo exeundo à se ipsa per sui ipsius oblitionem: quod per sanctum odium sui, in amore Dei perficitur, qui ita animã exaltat, vt eam extra se ferri, proprijsque cardinibus, & connaturalibus modis, ad Deum clamando, exire faciat; quod insinuare voluit anima cum ait. *Exiui post te clamando*, quod est idem ac dicere; sponse mi, tactu illo tuo, & vulnere amoris eduxisti animam meam, non solum à rebus omnibus, verumetiam se ipsa egredi compulisti, (nam reuera etiam è corpore animam extrahere videtur,) & eleuasti ad te clamantem, at à rebus omnibus auulsam, vt adhæreret tibi.

Sed iam abieueras.

Quasi diceret, quando volui te præsentem comprehendere, minime inueni, sed inanis, & à rebus omnibus auulsa tui causa remansi, nec tibi adhæsi, suspensa pendens in aura amoris, nec tibi innixa, nec mihi. Id autem quod hoc loco anima exire vocat, vt dilectum adeat, surgere appellat sponsa in Cãticis, his verbis. *Surgam &c. & circuibo ciuitatem per vicos & plateas, quaram quem diligit anima mea, quæsiui illum & non inueni.* Hic surgere spiritualiter intelligitur ab infimis ad altiora, quod est idem ac à se exire, hoc est, à modo suo & infimo, ad Dei sublimem amorem: ait autem se amore vulneratam fuisse, eo quod sponsum minime inuenerit: quapropter qui Dei flagrat amore, ob dilecti absentiã assidue torquetur, eo quod iam se illi tradiderit, reciprocã amati traditionem expectans, & minime conceditur: cumque propter eũ se ipsam perdiderit, tacturæ tamen suę concupitum lucrum non reperit, cum amati careat possessione. Et ideo qui propter Deum angitur, iam se totum illi dedisse, eumque diligere manifestat; porro dolor iste, sensusque propter Dei absentiam, tam immanis esse solet in his qui perfectioni appropinquant, quo tempore hæc deifica vulnera infliguntur, vt nisi Dominus auxiliaretur, vita decederent. Cum enim voluntatis palatum, spiritum nitidum, sanum, Deoque rite dispositum habeant, ibique aliquid de diuini amoris dulcedine, quam ipsi supra modum concupiscunt, degustẽt, etiam supra modum patiuntur: quia nimirum quasi per rimas, immensum illis ostenditur bonum, nec conceditur; vnde ineffabilis est eorum pœna atque tormentum.

CAN-

CANTVS SECVNDVS.

CANCION II.

Pastores los que fueredes
Alla por las majadas al otero
Si por ventura vieredes
Aquel que yo mas quiero
Dezidle que adolesco, peno, y muero.

SENSVS

Pastores quotquot ibitis
Eo per mapalia ad collem,
Si forte videbitis
Quem præ omnibus diligo
Dicite illi quia langueo, crucior ac morior.

DECLARATIO.

IN hoc cantu cupit anima mediatorum, ac intercessorum opera vti apud dilectum suum, quos enixe precatur; vt de pœnis, ac doloribus suis eum faciant certiorem: amantis quippe proprietas est, vt si per præsentiam se communicare nequit, oportunioribus, quibus possit medijs, id efficiat, ac proinde anima, desideria, affectus gemitusque tanquam internuntios interponere decernit, qui secreta cordis optime manifestare norunt; ait igitur:

Pastores quotquot ibitis.

AFfectus ac desideria pastores appellat, ipsa enim, animam pascunt bonis spiritualibus (pastor enim idem est quod pascens) quibus mediantibus Deus sese illi communicat, & non aliter: ait autem, *quotquot ibitis*: quæ nimirum ex puro amore emanaueritis, nõ enim omnia desiderja eunt, sed illa duntaxat, quæ ab amore fideli proficiscuntur.

Eo per mapalia ad collem.

Choros Angelorum Mapalia vocat, per quæ à choro in chorum gemitus, & orationes nostræ ad Deum ascendunt: quẽ collem appellat, seu speculam; nam sicut collis locus altus est, ita Deus summa celsitudo est: tum etiam quia in illo tãquam in specula, omnia, mapalia, superiora, & inferiora videntur, & explorantur: ad quẽ preces nostræ tendunt, Angelorum ministerio oblatæ, prout dictum est. Quemadmodum Tobiæ Angelus dixit in hæc verba. *Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos; ego obtuli orationem tuam Domino.* Possunt etiam nomine pastorum animæ ipsi Angelici spiritus designari; etenim non tantum offerunt Deo mandata nostra, verum etiam ipsius Dei mandata ad animas nostras deferunt, suauissimis inspirationibus, Deique muneribus eas pascendo, tanquam boni pastores: quorum etiam ministerio in illis conferendis vtitur Dominus; ipsi etiam à lupis, nempe dæmonibus, nos protegunt, atque defendunt.

Si forte videbitis.

Quod est idem ac dicere, si fœlicitas, & sors mea tulerit, vt ad illius deueniatis præsentiam, ita vt vos videat, & auscultet. Vbi animaduertẽdum est, quod quamuis Deus omnia sciat, & cognoscat, videat etiam, ac noter minimas animæ cogitationes, nihilominus tamen tunc necessitates nostras videre, & supplicationes audire dicitur; cum illis remedium adhibet,

& istas exaudit. Non enim quæcunque necessitates petitionesque eo vsque pertingunt, vt à Deo exaudiantur, illas adimplendo; donec coram illo, tempus, numerus, & opportunitas adsit annuendi votis, & adhibendi remedium, tunc non dicitur illas videre & exaudire; vt constat ex libro Exodi; vbi post quadringentos annos seruitutis Ægyptiacæ filiorum Israel,

Exod. 3. 7. dixit Deus ad Moysen: *Vidi afflictionem populi mei in Aegypto, & clamorem eius audiui &c. & descendi vt liberem eum.* esto eam semper viderit. Sic etiam dixit Zachariæ Gabriel Angelus. *Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua.* dum filium quem per plures annos impensius postulauerat,

Luc. 1. 13. Deus illi concessit; etiamsi semper eum audierit. Quapropter scire vnusquisque debet, quod licet Deus non statim occurrat necessitatibus, ac precibus suis, nõ propterea tamen opportuno tempore opem suam denegabit, qui teste Proph.

Ps. 9. 10. Dauid est *Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione*, nisi ipse animum despondeat, & orationẽ intermittat. Hoc igitur significare vult anima, cum ait, *Si forte videbitis*, id est, si fortassis adest iam tempus quo petitiones meas exaudire dignetur, *ille quem magis diligo*, hoc est, super omnia; quod spiritualiter loquendo, tũc contingit, quando nihil occurrit quo anima ab agendo, aut quælibet propter illum patiendo impediatur.

Nunciate ei quia langueo, crucior & morior.

Triplex indigentia animæ.

Triplicem hoc loco necessitatem anima repræsentat, ægritudinem scilicet, dolorem ac mortem; anima enim, quæ verè amat, cum dilectus abest, tribus plerumque patitur modis, secundum triplicem animæ potentiam, intellectum, nimirũ, voluntatem, atque memoriam. Circa intellectum languet, seu infirmatur, quoniam non videt Deum, qui intellectus salus est. Circa volũtatem cruciatur, quia Dei possessione caret, qui est voluntatis voluptas, & refrigerium. Denique circa memoriam moritur, nam dum reminiscitur omnibus se bonis intellectus carere, Dei scilicet visione, cunctis etiam voluntatis delectationibus priuari, eiusdem scilicet Dei possessione: nec non fieri adhuc posse vt illius fruitione careat in æternum; quasi mortis oculeos hac recordatione patitur. Triplicem hanc indigentiam repræsentauit etiam Deo Hierem. in Threnis dicens: Thren. 3. *Recordare paupertatis meæ, absynthij & fellis*, paupertas ad intellectum refertur, quia ad illum pertinent diuitiæ sapientiæ diuinæ, *in quo* (vt ait D. Paulus) *sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Absynthium, quæ est herba amarissima, voluntati tribuitur, ad hanc siquidem potentiam spectat suauitas possessionis Dei, quadum caret amaricata remanet: quemadmodum Angelus D. Ioanni in Apocalypsi Apoc. 10. dixit, *Accipe librum & deuora illum, & faciet amaricari ventrem tuum*, ventrem ibi pro voluntate vsurpans, fel ad memoriam refertur, quod denotat animæ mortẽ, prout Moyses in Deuteronomio significat de Deut. 32. damnatis loquens his verbis: *Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile*, quod Dei priuationem significat, quæ est mors animæ. Porro hæc triplex animæ indigentia & pœna, in tribus virtutibus Theologicis fundatur, fide, spe, & charitate, quæ ad tres animæ prædictas potentias, memoriam, intellectũ, & volũtatem referuntur, licet non correspondeant singulæ singulis virtutibus præfatis, tanquam proprium illorum subiectum. Notandum vero est, quod anima in præfato verficulo solummodo proponit dilecto indi-

indigentiam, & dolorem suum; nam qui prudenter amat, solicitus non est petere, quæ non habet, & habere cupit, sed suam indigentiam insinuare contentus est, vt dilectus faciat, quod placuerit: prout B. V. in nuptijs Canæ Galileæ fecit, quæ quidé non petijt à dilecto filio directe vinũ, sed solum dixit; *Vinum non habent.* Lazari quoque sorores miserunt ad Iesum, non quidem petendo vt frater redderet sanitati, sed solum dicendo: *Ecce quem amas infirmatur.* Expedit autem in hunc modum se gerere propter tria. Primum quia Deus melius scit, quid nobis expediat, quam nos ipsi. Secundo quia magis ad commiserationem mouetur amatus, si diligentis se indigentiam simul & resignationem videat. Tertio quoniã anima à securior est ab amore proprio, & spirituali proprietate, suam necessitatem repræsentando, quam si determinate petat, quæ sibi deesse videntur. Eodem prorsus modo se gerit nunc anima, triplicem necessitatem suam repræsentans, idem enim est, ac si luculentius diceret; dicite dilecto meo, quod siquidem langueo, & ipse solus est mea salus, salutem tribuat; & quoniam crucior, & ipse dumtaxat est meum solatium, consoletur me; & quandoquidem morior, & ille solus vita mea est, largiatur vitam.

Solus Deus est salus, refrigerium, & vita animæ.

CANTVS TERTIVS.

CANCION III.	SENSVS.
Buscando mis Amores	*Quærendo meos amores,*
Irepor esses montes i, riberas	*Ibo per istos montes atque ripas:*
Ni cogere las flores	*Neque colligam flores,*
Ni temere las fieras,	*Neque feras timebo,*
I pasare los fuertes, y fronteras.	*Et fortes & confinia pertransibo.*

EXPLANATIO.

NOn sufficit animæ orare, desiderare, & intercessorũ subsidio vti, vt amatũ inueniat, prout præstitit in Cantibus præcedentibus, nisi simul etiam opere illum exquirat, idque se facturam in hoc Cantu pollicetur; dum ait, post dilectum suũ abituram, eum inquirendo per virtutum opera, & mortificationes, exercendo vitam actiuam, simul & contemplatiuam: quod vt fœliciter consequatur, nulla bona, nullasque delitias admissuram se ait; & quod vires omnes; & insidiæ trium hostium animæ, mundi scilicet, dæmonis, & carnis eam retardare, aut impedire non poterunt in hoc itinere; dicens. *Quærendo meos amores,* hoc est, dilectum meum,

Ibo

Ibo per istos montes atque ripas.

Virtutes, appellat montes, tum propter illarum celsitudinem, tum etiam propter difficultates & labores, qui subeuntur ascendendo ad illas, per exercitium vitæ contemplatiuæ. Ripas verò nuncupat, humiliationes, & mortificationes & sui contemptum, vitæ quoque actiuæ exercitijs incumbendo: siquidem ad virtutes adquirendas, vtraque est necessaria: quare tantundem est, ac dicere. Quærendo dilectum meum virtutes heroicas opere exercebo, nec non ad infima, & abiecta quæque, per mortificationes, & humilitatem descendam, quod ideo ait, quia iter quærentis Deum, est bonum in Deo operari, & mala in se mortificare, subiecto modo.

Iter animæ quærẽtis Deum est, bonum operari in Deo, & mala in se mortificare.

Neque colligam flores.

Quoniam ad inquirendum Deum, cor denudatum, ac forte requiritur, liberumque à cunctis malis, ac bonis, quæ nõ sunt pure Deus, nec ad illum conducunt; idcirco in hoc carmine, & sequentibus exprimit libertatem, ac fortitudinem, quam habere debet. Et quidem in præsenti ait, minime decerpturã se flores in hoc itinere obuios; quorum appellatione omnes delitias, ac voluptates occurrentes comprehendit; sunt autem in triplici differentia: temporales, sensibiles, & spirituales; porro quia tam hæ, quam illæ cor occupant, veroque itineri spirituali plurimum obsistunt. si immoretur, aut consistat in illis; propterea se flores istos minime lecturam, neq; cor illis appositurum pollicetur: itaque idem est ac dicere; nec diuitijs, neque bonis, quæ mundus offert cor apponam, neque carnis propriæ oblectationes, & voluptates admittam, neque immorabor, aut quoquo modo intẽdam cõsolationibus, & saporibus spiritus, ita vt vel minimum retarder à dilecto meo indagando, per mõtes & ripas virtutum, & laborum Hoc autem propterea dicit, vt sequatur in hoc itinere consilium Dauidis Proph. aientis. *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere*: hoc est, nolite affici erga illas, quod tam de voluptatibus sensibilibus, quam etiam de bonis temporalibus, & spiritualibus delitijs intelligit. Vbi animaduertendum est, quod non modo iter ad Deum impediunt delectamenta corporis, eique repugnant, verum etiam delitiæ, & consolationes spiritus, si cum adhæsione cordis suscipiantur, virtutum itineri obstant; proinde proficere cupienti expedit flores istos non insequi: nec his contentus, forti animo sit oportet ad dicendum:

Neque feras timebo. Et fortes & confinia pertransibo.

In quibus carminibus, tres animæ hostes proponit, mũdum scilicet, dæmonem & carnem, à quibus oppugnatur, iterque difficile redditur. Ferarum nomine mundum, fortium dæmones, confinium verò, carnem subintelligit. Mundum feras appellat; animæ quippe Dei iter ingredienti, mundus in phantasia repræsentari videtur, ad instar ferarum, minas terroresque iactantium, tribus potissimum modis; inprimis deterret eam, minaturque mundanæ auræ, fauorisque defectu, amissione charorum, existimationis, reique familiaris iactura. Secunda quæ inacculat, non minus atrox fera est, nimirum, quomodo ferre poterit, æternum valedicere voluptatibus, ac delitijs mundanis, omnibusque

busque illius oblectamentis carere? Tertia denique quæ adhuc atrocior est fera, videlicet, quod maledicæ linguæ aduersus eam insurgentes, ludibrio sint habituræ, & quod ab omnibus debeat vilipendi. Quæ omnia ita obijciuntur nonnullis animabus, vt non solum perseuerare aduersus huiusmodi feras, verum etiam incipere, esse soleat difficillimum.

At vero, quibusdam alijs nobilioribus animabus aliæ feræ intimiores, magisque spirituales, difficultatum, tentationum, tribulationum, laborumq; multiplicium occurrunt, quæ Deus immittit, & permittit euenire illis, quos experiri vult, & probare tamquam aurum in fornace, iuxta dictum Proph. dicentis: *Multæ tribulationes iustorum.* Cæterum amatrix anima, quæque dilectum suum rebus omnibus anteponit, sponsi sui amore, fauoreque suffulta, animose audebit cantare:

Psal. 33. 20.

Neque feras timebo
Et fortes & confinia pertransibo.

Dæmones qui inter hostes animæ secundum locum obtinent fortes vocat; ipsi enim violenter contendunt huius itineris aditum intercludere; tum etiam quia illorum astus, tentationesque fortiores sunt, & ad superandum duriores, quæque difficilius percipiuntur, quam quæ à mundo, & carne procedunt. Tum deniq; quia auxilio amborum, mundi, videlicet, & carnis se firmant, & muniunt; vt animã acerrime oppugnent; quapropter de illis

Psal. 5. loquens Proph. Dauid, inquit: *Et fortes quæsierunt animam meam.* Quorum etiam

Iob 41. 24. virtutem & fortitudinẽ describit Iob, his verbis: *Non est super terram potestas, quæ cõparetur ei, qui factus est vt nullum timeret:* hoc est, nulla humana potestas poterit conferri cum illo. Et ideo Dei duntaxat potentia eum superare, solum Dei lumen stratagemata illius poterit discernere. Quamobrem anima illius vires absque oratione nõ poterit superare, neque fraudes, sine humilitate, ac mortificatione intelligere. Ideo enim D. Paulus admonendo fideles dixit: *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli: quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem.* Sanguinis appellatione mundum, armaturæ vero Dei, orationem & Christi crucem subintelligens, in qua humilitas, & mortificatio prædicta continetur. Ait præterea anima, quod etiam confinia pertransibit: quibus carnis repugnantias, & rebelliones innatas aduersus spiritum designat, prout idem Apostolus ait. *Caro enim concupiscit aduersus spiritum:* & quasi ex aduerso intrepida fronte consistit, spirituali itineri resistendo. Hæc igitur cõfinia transilire debet anima, rumpendo quaslibet difficultates, omnesq; sensuales appetentias, & propensiones innatas vigore, ac energia spiritus prosternẽdo: quamdiu. n. in anima residẽt, vsq; adeo illis spiritꝰ subijcitur. vt ad verã vitã, deliciasq; spirituales migrare non possit. Per hoc tamẽ non excludimus vitam gratiæ, imo illam præsupponimus in eo, qui ad perfectionẽ mysticæ, ac spiritualis vitæ conscendere debet, quod optime expressit D. Paul. cum ait. *Si autẽ spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Ait igitur anima in præsenti cantu, expedire sibi methodum hanc seruare ad inuestigandum dilectum suum, animi scil. magnitudinẽ & constantiam habere, ne se ad flores colligendos inclinet; ac intrepidam esse, ne feras pertimescat; vires etiam ad fortes & confinia transilienda habere; id solummodo spectando, vt per montes ac ripas, modo iam exposito gradiatur.

Anima nequit absq; oratione demonis vires infringere.

Oratio. & crux Christi armatura Dei.

Gal. 5. 17.

Appetitus, & naturales inclinationes impediunt veram animæ vitã & delicias.

Rom. 8. 13.

CANTVS QVARTVS.

CANCION IV.

O, bosques y espessuras
Plantadas por la mano de mi amado
O prado de verduras
De flores esmaltado
Dezid si por vosotros ha pasado.

SENSVS.

O silua, ô densitates
Plantatæ manu dilecti mei:
O semper virens pratum,
Floribus decoratum:
Dicite an per vos transiuit amans.

DECLARATIO.

POstquam anima explicuit modum sese disponendi ad hoc iter aggrediendum, q in magnitudine animi consistit, qua contemnuntur delitiæ, & voluptates, & in robore quo vincuntur tentationes, ac difficultates; in quo consistit exercitium cognitionis propriæ, quod est primum, quod anima præstare debet, vt ad Dei, cognitionem tendat; in præsenti cantu incipit, per creaturarum considerationem, & cognitionem, ad cognitionem amati sui, earum conditoris ascendere. Hæc namque rerum creatarum meditatio, post cognitionem sui, prima est in hoc itinere spirituali ad cognoscendum Deum, cõsiderando illius magnitudinem & excellentiam per illas: iuxta illud Apostoli dicentis. *Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Alloquitur itaque anima in præsenti cantu res creatas, easque de dilecto suo sciscitatur. Est autem notandum quod secundum D. Augustin. hæc animæ interrogatio, qua creaturas sciscitatur; est consideratio, quam in illis, de illarum creatore concipit. Vnde in hoc cantu continetur meditatio Elementorum, & cæterarum rerum sublunarium; Cælorum etiam, & aliarum creaturarum, rerumq; materialium, quas Deus creauit in illis, comprehenditur etiam cœlestium spirituum contemplatio, dum ait:

O silua, & densitates.

Elementa siluas appellat; hæc sunt, terra, aqua, aër, & ignis, quia ad instar amœnissimarum siluarum, innumeris, crebrisque creaturis sunt referta, quas vocat densitates, ob innumerabilem illarum multitudinem, in vnoquoque elemento; in terra namque sunt innumeræ animantium species, & differentiæ; In aqua piscium: in aëre etiam magna diuersitas volatilium. Ignis quoque elementum cum istis omnibus, ad eorum vitam, & conseruationem conducit: & sic quælibet species animalium in suo degit elemento, & in illo plantata, & collocata est, tamquam in silua, ac reginone proptia, vbi nascitur, ac nutritur. Et sane ita Deus, dum illa conderet, præcepit Terræ vt animalia produceret; Mari & aquis, vt prisces generarent: Aerem vero auium mansio-

nem

né effecit: ac proinde videns anima, quod sic ille mandauit; & quod sic factum est, protinus ait,

Plantata manu dilecti mei.

Hæc est consideratio, quod has excellentias, & diuersitates creaturarum, dilecti solummodo manus condere potuit: vbi signanter dixit *manu dilecti*. Quamuis enim plura alia Angelorum manu efficiat: hoc tamen creationis opus numquam aliena, sed manu propria semper exequitur. Et propterea res creatæ excitant vehementer animam ad amorem dilecti sui, dum propria illius manu conditas animaduertit.

O semper virens pratum.

Hæc est cœli meditatio, quod pratum viriditatum vocat; nam quæ in illo creata sunt, nec aliquando finem habent, nec temporis successu marcescunt, sed instar viriditatum herbescentium, quibus iusti recreantur & pascuntur, in suo esse immarcescibili iugiter perseuerant; sub qua consideratione etiam stellarum cælestium, & planetarum omnium diuersitas comprehenditur. Hoc viriditatum nomen rebus cælestibus Ecclesia sancta imponit, quando pro animabus fidelium ad Deum preces effundens ait. *Constituat te Christus Filius Dei viui intra Paradisi semper amœna virentia.* addit præterea anima hoc viriditatum pratum, esse.

Floribus vermiculatum.

Per flores istos Angelicos spiritus, & sanctorum animas exprimit, quibus locus iste tam venuste ornatus, & con- decoratus existit, sicut vas auri pretiosi emblemate venusto, ac pretioso exornatur. *Angeli & animæ sanctorũ flores.*

Dicite an per vos transiuit.

Interrogatio hæc, est supradicta meditatio: & ita idem est ac si dicatur: dicite quas perfectiones, & excellentias in vobis creauit?

CANTVS QVINTVS.

CANCION. V.

Mil gracias derramando
Paso por estos sotos con presura
I yendolos mirando
Con sola su figura
Vestidos los dexo de su hermosura.

SENSVS.

Mille gratias diffundendo
Transiuit per hæc nemora festine
Quæ dum aspiciebat
Sua tantum figura
Ea vestita reliquit pulchritudine suæ.

EXPLANATIO.

REspondent animæ, in hoc Cantu, res creatæ, quarũ responsum, vt ait D. Aug. Est testimoniũ magnitudinis & perfectionis diuinę, quod in se perhibent ipsi animę, quæ eas per considerationẽ scisciatur. Vnde in hoc cantu summatim continetur quod *S. August.*

Deus O.M. facillime, citissimeque vniuersa creauit, & aliquod sui esse vestigium in illis impressum reliquit: non tantum illa ex nihilo producendo, verum etiam innumeris gratiarum donis, ac virtutibus eas ditando, & condecorando, miro ordine, & indeficiente ab inuicem dependentia; quod præstat sapientia sua, qua vniuersa creauit (Verbo scilicet vnigenito filio suo) ait igitur:

Mille gratias diffundendo.

Mille gratiarum nomine designatur innumerabilis multitudo creaturarum. Propterea enim millenum numerum, qui supremus est, adducit, vt illarum multitudinem denotaret, quas gratias appellat, propter plurimas gratiarum dotes, quib. vnamquamque locupletauit, easque diffundendo, hoc est, mundum vniuersum illis replendo;

Transiuit per hæc nemora festinè.

Per nemora transire, est elementa creare, quibus nemoris nunc nomẽ imponit, ac per ea illũ transisse ait, mille gratiarum dona spargendo; quia creaturis omnibus quę gratiosæ sunt, ea decorabat. Mille insuper gratias diffundebat in eas, tribuẽdo virtutẽ, ad cooperandum illarum productioni & cõseruationi. Ait autẽ eum transisse; quoniam res creatæ sunt quasi vestigium gressus Dei, quo illius magnitudo, potentia, sapientia, & reliquæ virtutes diuinæ inuestigantur: Dicit etiam quod hic Dei transitus fuerit festinus, quia nimirum creaturæ sunt minima Dei opera, quas veluti per transennam, obiterq; effinxit. Opera enim maiora, & excellentiora, quæque maiori studio, maiorique potentiæ suæ manifestatione perfecit, sunt mysteria incarnationis, verbi, & fidei Christianæ, cum quibus, si reliqua opera conferantur, quasi festinanter, obiterque fuerant effecta.

Res creatæ vestigia Dei.

Quæ dum aspiceret
Sua dum taxat figura
Vestita reliquit pulchritudine sua,

Iuxta Diu. Pauli dictum Dei filius est *Splendor gloriæ & figura substantiæ eius.* Sciendum igitur est, quod Deus Opt. Max. hac sola filij sui figura res vniuersas aspexit: hoc est, naturale esse contulit, donaque & perfectiones naturales innumeras eis cõmunicauit, & absolutas, perfectasque effecit, prout dicitur in libro Genes. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona,* valde bona conspicere, erat in Verbo filio suo valde bona facere. Nec solum Esse, & gratias naturales, intuẽdo illis impertiuit (vti diximus) sed etiam hac sola figura filij sui, veste pulchritudinis exornauit, cõmunicando illis Esse supernaturale: quod tunc præstitit, cum homo factus ad Dei pulchritudinem, hominem sublimauit: atque adeò omnes res creatas in ipso, eo quod omnium naturis in assumpto homine sese coniunxerit. Propterea idem Dei filius ait: *Et ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipsum.* Itaque in hac incarnationis exaltatione, & gloria resurrectionis filij sui secundum carnem, non solum Deus Pater creatas res ex parte decorauit; sed etiam dicere possumus, quod decore & honorificentia omnino indutas reliquerit. Verum præter hæc omnia, loquendo nunc aliquid iuxta sensum, & affectum contemplationis, in viuida contemplatione, & cognitione creaturarum: clare, & aperte nimis animaduertit anima inesse illis tam copiosam gratiarum

rum, virtutum, & pulchritudinis abundantiam, quibus Deus illas locupletauit: vt non immerito omnes vestitas putet mirabili quadam pulchritudine naturali, ab infinita illa supernaturali pulchritudine diuinæ figuræ egressa, & communicata: cuius intuitus, lætitia, & decore vestit mundum, & omnes cælos; quemadmodum etiam, aperiendo manum suam, vt ait Proph. implet omne animal benedictione. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Ac propterea anima amore plagata ex hoc vestigio, quod in rebus creatis inuenit pulchritudinis dilecti sui, solicita præ desiderio cernendi inuisibilem illam pulchritudinem, subiectum cantum pronuntiat. *Ps.144.16*

CANTVS SEXTVS.

CANCION VI.

Ay quien podra sanarme
Acaba de entregarte ya de vero
No quieras embiarme
De oy mas mensajero
Que no saben dezirme loque quiero.

SENSVS.

Heu quis me sanare poterit
Age iam te totum tradas vere
Neque mittere velis
Posthac tuos nuncios
Qui effari nesciunt quod cupio.

DECLARATIO.

QVoniam res creatæ, nutibus animæ indicarunt dilectum suum, pulchritudinis vestigium, atque excellentiæ illius in seipsis eidem ostendendo: idcirco amor erga illum adauctus est; atque adeo dolor ex illius absentia creuit. Nam quo magis anima Deum cognoscit, eo etiam amplius appetitus eum cernendi augetur. Iam vero dum videt, nihil aliud superesse quod languori suo mederi possit, quam præsentia dilecti sui, & ipsius visio; aliunde sibi adfuturum remedium diffidens, præsentiæ illius omnimodam traditionem in præsenti cantu exposcit, inquiens: vt nolit deinceps, quibusuis alijs sui notitijs & communicationibus eam occupare, vtpote quæ desiderio, ac voluntati suæ minime satisfaciunt: cui nihil aliud satisfacit, quam ipsius præsentia & aspectus, & idcirco in consummato perfectoque amore, dignetur iam serio se ipsum tradere; ait itaque:

Quanto magis Deũ anima cognoscit, tãto magis crescit desideriũ eũ clare cernendi in gloria.

Heu quis me poterit sanare
Age iã te totũ tradas vere:

Quasi diceret: inter omnes mundi delicias, & sensuum oblectamenta, nec non inter omnes spiritus dulcedines, ac suauitates, haud dubie nihil me sanare poterit, nihil satisfacere: quod cum ita sit;

Age iã te totũ tradas vere:

Vbi notandum est, quod anima, quæ vere amat, nequit esse contenta, & satisfacta, donec vere Deum possideat. Nam quæuis alia creata, non modo animam non satiant, sed potius (sicut diximus) adaugent famem, & appetitum videndi eum sicuti est; ac proinde quæuis visitatio no-

titiæ, siue sensus, aut quæcunque communicatio, quam à dilecto recipit, quæ sunt velut nuntij denunciantes animæ notitiam Essentiæ illius; augent potius,) & irritant appetitum: sicut panis micæ, dum fames acriter exstimulat; & ideo acerbe ferens circa tam modica occupari ait,

Age iam te totum tradas vere.

Nam quicquid cognosci potest de Deo in hac vita, quantumcumque illud sit, non est vera cognitio, id est, integra, & perfecta, vtpote quæ sit cognitio ex parte, valdeque remota: at Deum essentialiter cognoscere, vera cognitio est, quam nunc anima requirit, istiusmodi alijs communicationibus minime contenta. Ideo protinus ait,

Neque mittere velis Post hac tuos nuntios

Ac si clarius diceret: ne quæso velis, vt deinceps cognoscam te per internuncios, notitiarum, & sentimentorum, quæ de te recipio, quæque remota valde sunt, & dissentanea his, quæ anima mea cupit de te. Nosti enim ô Sponse mi internuncios, animæ anhelanti ad præsentiam, potius augere dolorem. Tum quia addictâ per eos notitiâ, plagam renouant: tum etiam quia videntur procrastinationes, aduentus tui. Eia igitur noli deinceps hasce remotas notitias mittere, nam etsi hactenus poteram illis esse contenta, eo quod modicam tui cognitionem & amorem haberem, iam nunc amoris vehementia qua feror ad te, hisce mandatis tuis contenta esse non possum. Proinde agedum, te totum trade: ac si luculentius diceret: Domine sponse mi, hoc quod animæ meæ per partes largiris, age iam penitus dona, & quod veluti per timas indicas, iam nunc palam ostende: hoc denique quod per media confers, quæ videtur quasi communicatio quædam iocosa, serio iam temetipsum exhibendo præsta. Aliquando enim in tuis visitationibus, possessionis tuæ pretiosam margaritam conferre velle videris, at dum in se reflectitur anima, inanem se, & vacuam deprehendit, eo quod illam abscondas, quod est quasi iocose donare serio: igitur. iam dedas te totum, toti animæ meæ, vt ipsa tota, te totum habeat, necin posterum tuos internuntios ad me mittas;

Qui effari nesciunt quod cupio.

Quasi diceret: Ego te totum volo, ipsi vero, nec sciunt, nec valent effari te totum; nulla enim res creata, siue terrestris, siue cælestis illa sit, potest conferre animæ notitiam, quam de te habere cupit; ac proinde nesciunt effari quod cupio. Horum ergo mandatorum vices subiens, ipsemet nuntius esto, & mandata.

CAN.

CANTVS SEPTIMVS.

CANCION VII.	SENSVS.
Todos quantos vagan	*Et omnes quotquot vacant*
De ti me van mil gracias refiriendo	*Mille de te gratias referunt*
Y todos mas me llagan	*Et omnes me magis plagant,*
Y dexame muriendo	*Et me pene exanimem relinquit*
Vn no se que, que quedan balbuciendo.	*Nescio quid, quod balbutiunt, nec dicunt.*

DECLARATIO.

IN antecedenti cantu ostendit anima, se amore sponsi sui sauciam, & infirmam esse, ratione notitiæ illius, quam ab irrationabilibus creaturis accepit. In præsenti vero eodem amore se plagatam ostendit, ratione sublimioris cuiusdam notitiæ dilecti sui, quam accipit medijs rationalibus creaturis, quæ cæteris nobiliores sunt, Angelis, videlicet, & hominibus. Neque id solum; sed etiam ait, se præ amore deficere, ratione admirabilis cuiusdam immensitatis, quæ medijs hisce creaturis patescere incipit, nec omnino detegitur, quod hic (*Nescio quid*) appellat, eo quod ineffabile sit, cæterum huiusmodi est, vt animam præ magnitudine amoris faciat interire. Hinc inferre licet, quod in hoc commercio amoris, triplex languendi modus propter dilectum reperitur, iuxta triplicem notitiam, quæ de illo haberi potest. Primus vocatur, vulnus, quod remissius est, citiusque præterit, non secus ac vulneris ictus, quia oritur ex cognitione creaturarum, quæ sunt infima Dei opera. Huius etiam vulneris, quod & languorem vocamus, meminit Sponsa in Canticis dicens. : *Adiuro vos Filiæ Hierusalem si inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia amore langueo.* Filiarum Hierusalem appellatione creaturas subindicans. Secundus languendi modus vocatur (PLAGA) quæ magis residet in anima, quam vulnus, ideoque diuturnior est; est enim instar vulneris in plagam conuersi quo, anima reuera se sentit amore plagatam. Porro plaga hæc fit in anima, mediante notitia operum incarnationis Verbi, & mysteriorum fidei, quæ cum sint maxima Dei opera, quæque vberiorem in se ipsis includant amorem, quàm opera rerum creatarum: propterea maiorem etiam amoris effectum in anima efficiunt: adeo vt si primus amor est ad instar vulneris, hic secundus sit instar plagæ iam factæ, & permanentis: de qua sponsus in Canticis loquens ait. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum, in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Oculus namque hoc loco, fidem incarnationis sponsi designat, capillus vero eiusdem incarnationis denotat amorem. Tertius denique modus languendi præ amore, est ad instar mortis, quod est, quasi habere vulnus fistulosum, tota anima reddita fistulosa, quæ moriendo viuit, donec amore confossa, amoris vita donetur, transformata in amorem. Hæc autem amoris internecio, fit in anima medio quodam sublimissimæ notitiæ

Triplex modus languēdi propter amorē dilecti.

Vulnus amoris fit ex cognitione creaturarum. Can. 5. 8.

Plagatur anima per notitiam mysterij incarnationis. Canti 4. 9.

Mors amoris fit contactu notitiæ sublimissimæ ipsius Deitatis.
Amor impatiens.
Gen. 30. 1.
Iob 6. 9.

notitiæ Deitatis contactu, quod est illud (*Nescio quid*) quod in hoc cantu creaturas balbutire ait: qui tactus nec assiduus, nec diuturnus est (secus enim anima corporis vinculis dissolueretur) sed cito transit. Vnde præ magnitudine amoris moritur: & amplius moritur, dum videt se nondum mori, morte amoris. Hic appellatur amor impatiens, de quo agitur in libro Geneseos, vbi scriptura testatur, tam intensum fuisse Rachelis desiderium liberos concipiendi, vt dixerit Iacobo sponso suo. *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Et Propheta Iob aiebat: *Quis mihi det, vt qui cœpit, ipse me conterat*: hoc duplex, pœnæ amoris, genus, plagæ nimirum, & mortis, ait in præsenti cantu inferri sibi à creaturis rationalibus. Plagam in eo quod ait: Mille dona gratiarum sibi referri de dilecto suo in mysterijs fidei, Deique sapientia, qua imbuitur ab illis: Mortis verò, in eo quod dicit, remanere balbutientes, quod est, sensus, & notitia diuinitatis, quæ interdum in his qua de Deo alios recensentes audit, reuelatur, ait igitur in hunc modum.

Et omnes quotquot vacãt.

CReaturas rationales, prout diximus, *vacantium* nomine hic intelligit, qui sunt Angeli, & homines. Nam isti tantum inter cætera creata Deo vacant, intendentes in eum; id enim significat verbum *vacant*. Itaque tantundem est, ac si dicatur, omnes quotquot Deo vacant, quod alij in cœlo illum contemplando, eoque fruendo, vt Angeli, alij in terris eum amando, ac desiderando, præstant, vt homines. Et quia per istas creaturas rationales expressius Deum anima cognoscit, siue per considerationem excellentiæ illarum supra omnes alias res creatas, siue etiam propter illa, quæ nos docent de Deo, illi quidem, nempe Angeli, interius arcanis instinctibus: isti vero, id est, homines, exterius sacrarum scripturarum veritatibus; ideo ait,

Mille de te gratias referunt.

Hoc est: referunt res admirabiles de gratia, & misericordia tua, ostensa in opere incarnationis, & fidei veritatibus, quæ mihi de te referunt, & amplius referre pergunt, siquidem, quo plura dicere voluerint, eo plures de te gratias & excellentias poterunt manifestare.

Et omnes me magis plagãt.

Quæcumque enim Angeli inspirant, & homines me docent, ad te amandum me magis alliciunt; atque adeo omnes me magis plagant amore.

Et me penè exanimem relinquit,

Nescio quid, quod balbutiunt, nec dicunt.

Quasi diceret: verum præter hoc, quod creaturæ istæ me plagant, mille gratias tuas referendo, illud *Nescio quid*: quod adhuc dicendum restare censetur, & quædam res, quæ adhuc in lucem proferenda cognoscitur, & sublime quoddam Dei vestigium, quod animæ detegitur, quodque adhuc remanet inuestigandũ, & sublime quoddam Dei intelligere, omnino ineffabile, quod propterea *nescio quid* appellat, adeo sublime est; quod si id quod capio, & intelligo me plagat & sauciat amore, hoc

quod

quod plane percipere nequeo, & magni æstimo, me penitus necat. Accidit hoc nonnũquam animabus iã prouectis: quibus, hoc Deus beneficium præstat, vt in his quæ audiunt, vident, aut intelligunt (& interdum etiam absque his omnibus) sublimem quandam largiatur notitiam, in qua Dei celsitudo, & magnitudo, animæ intelligenda, & sentienda exhibetur; in quo sensu, tam altè de diuina Mai. sentit, vt non obscure cognoscat totum adhuc intelligendum restare. Porro illud sentire, & intelligere, tam immensam esse diuinitatem, vt perfecto cognosci non possit, altissima quædam cognitio est. Vnde inter præcipua Dei magnalia, & beneficia, quæ Deus in hac vita confert animæ per modũ transeuntis, illud recensendum est, q̃ euidenter cognoscat, & tam altè de Deo sentiat, vt luce clarius intelligat, non posse eum omnino cognosci, neque sentiri. Accidit enim in eum ferè modum, quo beati Deum vident in cœlo, vbi qui amplius eum cognoscunt, clarius, distinctiusque intelligunt infinitum, quod de illo remanet intelligendum, quam illi, qui minus perfecte vident, quibus nõ ita distincte apparet, quod eis supereſt videndum, quam illis, qui perfectius eum vident. Hęc quæ dicta sunt, neminem plene perceptu-

Beati quo clarius Deum vident eo amplius cognoscunt infinitum, quod de illo supersit cognoscendum.

rum existimo, qui non fuerit expertus; cæterum anima, quæ hoc experitur, cognoscens sibi adhuc supereſſe intelligendum illud, cuius altissimum habet sensum, *nescio quid* appellat: nam quemadmodum nõ intelligitur, ita neque verbis potest exprimi: tametsi (vti dixi) sentiri possit ac percipi. Idcirco enim ait: *Balbutiunt*, quia perfecte explicare nesciũt, hoc enim significat balbutire, quod est infantium idioma, id est, hæsitare, & titubare in verbis, & explicare nescire, quod dicendum est. Circa alias res creatas cõtingunt etiam animæ illustrationes aliquæ, præfato modo (quamuis non semper ita sublimes) quotiescunque Deus dignatur ipsi aperire notitiam, & sensum spiritualem in eis, quæ indicare videntur de Deo magnalia, quæ plenè non explicant: non secus ac si vellent aliquid exprimere, quod tamen adhuc supereſt intelligendum: ac proinde est

Nescio quid, quod balbutiunt, nec dicunt.

Quapropter anima suam prosequitur querimoniam, vitamque animæ suæ alloquitur in sequenti Cantu, dicens:

CANTVS OCTAVVS.

CANCION VIII.

Mas como perseueras
O vida no viuiendo donde viues
Y haziendo porque mueras
Las flechas que recibes
De lo que del amado enti concibes.

SENSVS.

Sed quomodo perseueras
O vita, dum non viuis vbi viuis
Cum tibi necem inferant
Iacula quæ recipis
Eorum, quæ de dilecto in te concipis.

CVm anima præ magnitudine amoris, videat se deficere, vt nuper aiebat, nec tamẽ penitus moriatur, quo amoris amplexibus perfrui non possit liberius, de vitæ corporeæ diuturnitate conqueritur, quæ in causa est, cur spiritualis vita differatur. Itaque animæ suæ vitam affatur, doloris sui acerbitatem amplificans, in hunc modum. O vita animæ meæ, quomodo permanere vales in hac corporis vita, siquidem tibi mors est, & priuatio veræ illius vitæ, in qua tu verius per amorem, & desiderium, quam in corpore vitam ducis? Maximè vero, quod ad necem tuam sufficiant vulnera, quæ recipis à contactibus amati, & vehementia amoris, quem accendunt ea, quæ de illo sentis, & cognoscis, quæ sunt vulnera amoris necem afferentia.

Sed quomodo perseueras
O vita, dum non viuis, vbi viuis.

Ad cuius rei intelligentiam sciendum est, quod anima potius viuit in eo quod amat, quam in corpore quod animat; non enim in corpore habet vitã suam, immo hanc corpori tribuit; ipsa vero viuit in eo quod amat. Attamen præter hanc vitam amoris, quo anima viuit in qualibet re dilecta, habet & vitam suam naturalem in Deo, iuxta illud D. Pauli. *In ipso enim viuimus, & mouemur & sumus.* Iam vero cum anima videat se habere vitam naturalem in Deo, propter esse quod in illo habet, vitam etiam spiritualem, propter amorem quo eum complectitur; conqueritur quod adhuc in vita hac corporali detineatur, vtpote quæ obstat, ne ibi vere viuat, vbi vere habet vitam suam per essentiam, & amorem (vt dictum est) vbi maxima est animæ exaggeratio, innuit enim in duobus versiculis, se à duobus sibi inuicem aduersantibus impugnari; quod enim in illis ait, idem est, ac dicere. Anima mea, quomodo in hoc statu permanere potes, dum viuis non viuendo, vbi vere per amorem vitam ducis?

Act. 17. 28.

Anima viuit in Deo vita naturali propter esse naturale. Vita vero spirituali propter amorem erga ipsum.

Cum tibi necem inferant
Iacula quæ recipis.

Quasi dilucidius diceret: ad hæc quæ dicta sunt, siquidẽ persistis in corpore, vbi non habes veram vitam, quomodo nihilominus detineris in illo, cum soli tactus amoris, (id enim iacula designant) quos in corde tuo recipis, ab his quæ sentis & intelligis de dilecto, te necare sufficiant? id enim exprimit cum ait:

Eorum quæ de dilecto in te
concipis.

Id est, pulchritudinis, magnitudinis, & sapientiæ, atque virtutum, quas de illo cognoscis.

CANTVS NONVS.

CANCION IX.

Porque pues has llagado
A queste coraçon no le sanaste?
Y pues mele has robado
Porque assi le dexaste
I no tomas el robo que robaste?

SENSVS.

Cur quæso dum plagasti
Hoc cor, non etiam illud sanasti?
Et siquidem illud furatus es
Cur id sic reliquisti
Nec prædam accipis quam egisti?

DILVCIDATIO.

ITerum in hoc Cantu dilectũ alloquitur, doloris sui iterãdo querelam. Amor siquidem impatiens, quo anima hic ardere se ostendit, nec patitur otium, nec requiẽ dat: dolo-

dolori suo sed modis omnibus anxia desideria sua proponit, donec remediũ inueniat. Quoniam vero se plagatam videt, ac solam, non habens alium medicum, aut medicamentum, præter dilectũ, à quo sauciata est, ideo ait illi: quandoquidem cor illius plagauerit amoris sui notitia, cur etiam illud non sanauerit intuitu præsentiæ suæ? & quãdoquidem illud etiam deprædatus sit amore, quo ad se allexit, è potestate propria illud auferendo, cur sic illud reliquerit? nimirum è potestate propria erutũ, (qui enim amat, cor suum vltra non possidet) nec cordi suo verè coniunxerit, accipiendo illud sibi per perfectam, & consummatam, transformationem amoris, inquiens:

Cur quaso dum plagasti
Hoc cor, non etiam illud
sanasti?

Non cõqueritur ex eo, quod ipsam sauciauerit, amans enim quo magis est sauciatus, eo amplius est cõtentus; sed ideo potius expostulat, quod cũ cordi vulnus infixerit, non illud sanauerit perimẽdo. Amoris quippe vulnera ita dulcia, atque suauia sunt, vt nisi vsq; ad internecionem sauciẽt, cordi satisfacere nequeant. Verũtamen tã illi suauia sunt hæc vulnera, vt tã diu illis sauciari cupiat, donec penitus occidatur; ac proinde ait. *Cur quaso dum plagasti, hoc cor, non etiam illud sanasti*: ac si luculentius diceret, cur siquidẽ illud vulnerasti, vsq; ad plagas amoris, non etiã illud amore perimẽdo sanasti? Et quandoquidẽ languoris & plagæ amoris ipse sis origo, tu quoq; esto salutis auctor, per necẽ amoris; sic enim cor absentiæ tuæ acerbo dolore traiectum, dulcissimæ præsentiæ tuæ gloria, & voluptate sanabitur, & statim subdit:

Et siquidem illud furatus
es,
Cur id sic reliquisti.

Furari nihil aliud est, quam possessionem alicuius rei à legitimo Domino auferre, furemque eiusdem possessionem vsurpare, hanc ergo querelam hic anima proponit, inquiens, quod cum cor suum deprædaus sit, è potestate & possessione sua extrahendo illud, cur illud ita deseruerit, nec in suam serio potestatẽ redegerit, sibi illud assumendo, sicut prædo sublatũ furtum secum accipit; quod fieret, è vita præsenti illam educendo, idcirco amans dicitur habere cor suum prædatum, & raptum, ab illo quem amat, quia nimirum habet illud extra se, in eo, quod amat: vnde nõ habet illud sibi, sed rei amatæ. Hinc manifeste poterit anima discernere vtrum Deum diligat, nec ne; nam si eum diligit, non sibi, sed Deo dumtaxat cor habebit. Et enim quo illud amplius sibi retinet, eo minus Deo tradit; porro hoc indicio apparebit, vtrum cor omnino deprædatum sit, si nimirum sollicite angitur amore dilecti, prout anima hic ostendit. Ratio huius est, quia cor humanum in pace & tranquillitate esse nequit, absque aliqua possessione, quod cum alicui rei per affectum adhæret, neque se ipsum, neq; aliud quidpiam possidet; vnde à molestia immune esse non potest, donec possideat id quod cupit: quamdiu enim id non possidet, est veluti vas vacuum & inane, plenitudinem suam expectans, & quasi esuriens appetens cibum, & quasi æger ingemiscens pro sanitate, ac denique instar illius, qui in aëre pendet, non habens fulcrum cui innitatur. In hunc modum sentit cor amantis; quod dum anima perceptibiliter experitur, ait,

Cur illud sic reliquisti,

Vacuum, scilicet esuriens, derelictum, sauciatum, amore etiam languens, & in aura suspensum.

Nec pradam accipis quam egisti.

Nimirum vt illud repleas, saties, comiteris, & perfecte sanes, donando ei sedem, ac requiem in te. Nequit amans non appetere stipendium, & solutionem amoris sui, cuius intuitu famulatur dilecto suo, secus enim non esset amor: quæ solutio siue stipendium non est aliud, nec anima (cum verus est amor) aliud appetere potest, quam amoris incrementum, vsque ad perfectionem amoris: qui alio non rependitur, quam amore. Solutionem hanc, & stipendium amoris egregie expressit Proph. Iob dicens. *Sicut ceruus desiderat vmbram, & sicut mercenarius præstolatur finem operis sui; sic & ego habui menses vacuos & noctes laboriosas numeraui mihi. Si dormiero dicam: quando consurgam? & rursum expectabo vesperam, & replebor doloribus vsque ad tenebras.* Anima diuino æstuans amore exoptat complementum, & consummationem amoris, vt inibi completum habeat refrigerium, quemadmodum ceruus æstiuo calore fatigatus, ad vmbræ refrigerium anhelat: & sicut mercenarius præstolatur finem operis sui, ita anima finem operis sui, & consummationem expectat. Vbi notandum est, non dixisse Iobum, quod mercenarius præstolatur finem laboris sui, sed finem operis sui; quia opus animæ amantis, est amare, cuius operis, amoris, nimirum, finem præstolatur, perfectionem scilicet, & complementum amoris Dei. quod vsque dum adueniat, eo modo anima affecta est, sicut seipsum Proph. Iob depinxit, loco citato, menses dicsque vacuas habétem, & noctes laboriosas. Ex quo patet, quomodo anima, quæ Deum adamat, aliud ambire, aut ab illo expectare non debet, quam amoris illius perfectionem.

Iob 7.2.

CANTVS DECIMVS.

CANCION X.

Apaga mis en ojos
Pues que ninguno basta à deshazellos,
Y veante mis ojos,
Pues eres lumbre dellos
Y solo para ti quiero tenellos.

SENSVS.

Extingue meas molestias
Quas nemo alius mitigare sufficit:
Et te videant oculi mei
Cum sis eorum lumen
Quos pro te solum habere cupio.

DECLARATIO.

PEgit anima in præsenti Cantu, obsecrans dilectum vt angoribus, & molestijs suis terminũ imponere iam dignetur, cum nemo alius id præstare sufficiat; ita tamen, vt animæ suæ oculi eum videre possint, quandoquidem solus ipse sit lumen, in quod intendunt; nec in aliam rem eos impendere cupiat, quam in ipsum, sic inquiens:

Ex-

Extingue meas moleſtias.

Proprium eſt concupiſcentiæ amoris, quod quidquid non quadrat, aut conuenit, cum re à voluntate amata, eam defatiget, diſcruciet, moleſter, ac moroſam reddat, dum vota, & deſideria ſua impleri non videt. Quæ omnia, nec non anxietates, & ſolicitudinem videndi Deum, moleſtias appellat, quas nulla res alia mitigare ſufficit, quam ipſius amati poſſeſſio. Propterea ait, vt ſua ipſe præſentia eas extinguat, ac refrigeret omnes, ſicut potus aquæ frigidæ calore defatigatum refrigerat. Ideo enim hoc loco verbum *Extinguere*, vſurpat, vt indicet, ſe amoris igne cruciari.

Quas nemo alius mitigare ſufficit.

Vt anima maiori efficacitate moueat, ſuadeatque dilecto, vt votis, ac precibus ſuis annuat, dicit: quod ſiquidem præter ipſum nemo ſufficit indigentiæ ſuæ ſatisfacere, ſuas moleſtias extinguat. Vbi notandum eſt, quod tunc Deus O. M. præſto eſt, vt ſuccurrat, & ſoletur, ac medeatur animæ indigentijs, cum illa nec ambit, nec habet alia ſolatia extra ipſum. Quapropter anima quæ extra Deum nulla in re oblectatur, non diu manere poteſt abſque amicabili dilecti ſui viſitatione.

Qui nulla aliæ extra Deum oblectatur, à Deo viſitari meretur.

Et te videant oculi mei.

Hoc eſt videam te facie ad faciem, oculis animæ meæ,

Cum ſis eorum lumen.

Præterquam quod Deus eſt ſupernaturale lumen oculorum animæ, ſine quo verſatur in tenebris; nunc etiam ex affectu cordis lumen oculorum ſuorum eum nominat, amatoris inſtar, qui in ſignificationem amoris, eum quem amat, oculorum ſuorum lumen appellare ſolet. Itaq; idem eſt ac ſi diceret, quandoquidem oculis meis aliud non affulget lumen, neque per naturam, neque per amorem; propterea *Videant te oculi mei*, quandoquidem modis omnibus eorum lumen exiſtis.

Quos pro te ſolum habere cupio.

In ſuperiori verſu ſignificauit anima, quemadmodum oculi ſui verſarentur in tenebris, non videndo dilectum, cum ipſe ſolus ſit eorum lumen, ſic eum inducendo vt hoc lumen gloriæ ſibi largiatur; in præſenti vero amplius eum deuincire volens, ait: in nullos alios vſus velle ſe illos habere, quam ad ipſum videndum. Nam ſicut meritò hoc diuino lumine orbatur anima, quæ voluntatis ſuæ oculos, circa aliud lumen proprietatis, ſeu adhæſionis rei alicuius extra Deum apponere voluerit, vtpote quæ ponit obicem, ne illud recipiat; ita etiam congruenter ſibi dari meretur anima, prædictos oculos ſuos erga extranea quæque occludens, vt illos ſolum aperiat Deo ſuo.

CANTVS VNDECIMVS.

CANCION XI.

Deſcubre tu preſencia
Y matame tu viſta y hermoſura:
Mira que la dolencia
De amor no bien ſe cura
Sino con la preſencia, y la figura.

SENSVS.

Reuela tuam præſentiam
Et viſio, & pulchritudo tua me occidant,
Vide quod ægritudo
Amoris, non bene ſanatur
Niſi per præſentiam & figuram.

CVpiens igitur anima ab hoc immenso Deo omninò possideri, cuius amore se deprædatã, & cor plagatũ sentit, idq; impatienti ferens animo donec fiat; signanter postulat in hoc Cantu, eius sibi pulchritudinem reuelari & ostendi: Essentiam scilicet diuinam, cuius visione vitam auferat, carnis vinculis dissolutis. siquidem dum adhuc detinetur in illa, eum videre, eoque frui nequit, vt habet in votis: quod vt obtineat, cordis sui languorem & anxietatem, quam ob amorẽ illius perseueranter sustinet, proponit; cui aliter mederi nequit, quam per diuinæ illius essentiæ beatam visionem; sequitur Versus.

Reuela tuam præsentiam.

Triplex Dei præsentia in anima.

Pro explicatione huius rei, scire operæ pretium est, triplicem Dei præsentiã posse esse in anima. Prima est essẽtialis, quo pacto non tantum est in animabus iustis, ac sanctis, verum etiam in peccatoribus, tum etiam in alijs omnibus rebus creatis; per hanc siquidem præsentiam, esse eis largitur, & vitam, qua deficiente omnes redigerentur in nihilum. Itaque hæc essentialis præsentia iugiter perseuerat in anima. Secũda præsentia est spiritualis per gratiã, qua mediante inhabitat, sibi complacet, & delectatur in illa. Quæ tamen præsentia non est cõmunis omnibus animabus; nã quæ in leæle peccatum labuntur, eam amittunt; neq; anima naturaliter scire potest, vtrum illam habeat. Tertia denique præsentia est per affectum spiritualem. Pluribus deuotis animabus solet Deus nonnullas spirituales sui præsentias conferre varijs modis, quibus eas recreat, delectat atque lætificat. Cæterum tam istæ præsentiæ spirituales, quam omnes aliæ occultæ sunt; non enim in eis sese manifestat Deus sicut est, cum hoc minimè ferat huius vitæ conditio. Quapropter de quauis earum versus supradictus intelligi potest: nimirum

Reuela tuam præsentiam.

Quoniam vero compertum est, Deum saltem primo modo semper esse animæ præsentẽ, propterea non dicit anima vt ei præsens fiat: sed quod præsentiam istam latentem, qua illi præsens est, siue sit spiritualis, siue naturalis, siue affectiua, reuelet iam, & aperiat; ita tamen vt in *Esse*, ac decore suo eum cernere possit: vt quemadmodum per suum *Esse* præsens, dat animæ esse naturale, & per præsentiam gratuitam eam perficit: ita etiam gloriæ suæ manifestatione eam glorificet. Iam vero quia huiusmodi anima diuini amoris affectibus, & ardoribus stimulatur, scire nos oportet, quod illa præsentia, quam hoc loco à dilecto expetit, potissimè intelligatur, de præsentia quadam affectiua, alias animæ exhibita, quæ tam sublimis erat, vt immensum ibi bonum latere senserit, è cuius fonte subobscuros quosdã pulchritudinis suæ radios illi Deus communicauit; imo talem etiã effectum in anima efficit, vt quod inibi latere sentit, id eam faciat concupiscere, & præ illius desiderio deficere: quod sane non dissonat ab illo Proph. sensu aientis *Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* Deficit enim tunc temporis anima, desiderans in altum prouehi, illius summi boni, quod ibi præsens, & contectum est; nam licet ita contectum sit, & obuelatum, sentit nihilominus valde notabiliter bonum, & iucunditatem ibi existentem. Et ideo vehementius attrahitur, & rapitur anima ab hoc sum-

summo bono, quam quæuis res naturalis trahitur à suo centro; cuius cupiditate, & cordiali appetitu stimulata, seipsam vltro continere non valens anima, ait:

Reuela tuam præsentiam.

Idem accidit Moysi in monte Sinai, vbi stans coram Deo, altitudinis, & decoris diuini numinis obuelati, tam reconditos, & profundos radios percepit, vt id sustinere non valens, semel iterumque Deum precaretur, vt gloriam suam sibi ostenderet, dicens. *Si ergo inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, vt sciam te, & inueniam gratiam ante oculos tuos.* Ais Domine quod me ex nomine noueris, & quod in conspectu tuo inueni gratiam: si ergo coram te gratiam inueni, age iam faciem tuam ostende, vt sciam, & cognoscam te; & inueniam ante oculos tuos optatam, & cõpletam gratiam; quod est, ad perfectum gloriæ Dei amorem peruenire. Veruntamen respondit ei Dominus. *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo & viuet.* Ac si luculentius diceret: rem difficilem postulas ô Moyses; tantus enim est decor faciei meæ, tanta visionis voluptas, vt anima tua, in istius tam imbecillis vitæ statu adhuc constituta eam sustinere non possit. Vnde anima huius veritatis conscia, siue ex Dei responso ad Moysen, siue etiam ex eo quod hoc loco in Dei præsentia obuelatum sentire eam diximus, sciens, inquam, quod in huius vitæ statu eum videre non poterit in decore suo; siquidem vti diximus, solum conspiciendo illius pellucentes radios, deficit: idcirco anteuertit responsum, quod saltim, sicut & Moysi hoc donum sibi conferatur, ait igitur.

Et visio, & pulchritudo tua me occidant.

Quod idem est ac dicere; quandoquidem *Essentia*, & decoris tui tanta est voluptas, vt anima eam sustinere nequeat, sed ipsa visa è corpore sit migratura, idcirco

Duplex aspectus hominem interimit. Basiliſci, & visio Dei.

Visio, & pulchritudo tua me occidant.

Notum est duos esse aspectus, qui hominem interficiunt, quòd vim, & efficaciam visionis ferre non possit. Alter est Basiliſci, de cuius aspectu dicitur, quod hominẽ continuo interficiat. Alter verò est Dei visio, attamen longe diuersæ vtriusque sunt causæ, alter enim aspectus videlicet Basiliſci, interficit hominem ob maximam veneni malitiam: at visio Dei hominem vita priuat, salutem, & immensum bonum gloriæ conferendo. Quapropter mirum non est, si hoc loco anima ante conspectum Dei pulchritudinis cupiat interire, quò illa perfruatur æternùm. Si enim anima vel minimum olfaceret, vel quoquo modo prænosceret decorem Dei, non semel tantum mortem oppeteret, vt eum in sempiternum videret, prout nunc desiderat; sed mille, licet acerbissimas mortes læta subiret, quo saltem per temporis instans illum cernere posset.

Pro pleniori elucidatione huius versus, sciendum est, animam hic loqui sub conditione, cum optat, vt pulchritudinis illius aspectus eam occidat; ex suppositione, nimirum, quod nisi moriatur, eam videre non possit; secus enim ab illo necari non postularet, siquidem optare mortem imperfectio naturalis est. suppositio tamen quod vita hæc corruptibilis simul stare nequeat, cum immmarcescibili vita Dei, propterea ait,

Visio,

Visio & pulchritudo tua me occidant.

2. Cor. 5. 4 Hanc eandem doctrinam tradidit Apost. ad Corinthios scribens. *Nolumus*, inquit, *expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur, quod mortale est à vita.* id est, non cupimus expoliari carne, sed superuestiri gloria; porro videns quod in carne non posset viuere vita gloriæ, ait ad Phil. se cupere

Phil. 1. 23. dissolui, & esse cum Christo. *Desiderium habens dissolui & esse cum Christo.* Verum suboritur hoc loco dubiū, cur scilicet filij Israel, antiquitus recusabant, metuebantque videre Deum, ne morerentur, quem-

Dubium notatu dignum. admodum Manue dixit vxori suæ: *Morte*

Iudic. 13. 22. *morieмur, quia vidimus Deum.* cur tamē hæc anima ante conspectum Dei cupiat dissolui? Cui dubitationi respondeo: olim PP. duplici de causa metuisse mortē. Imprimis quia illis sæculis, tametsi in gratia constituti decederent, Deum non erant visuri, vsque dum Christus veniret: præstabat autem in carne viuere merita cumulando, vitaq; naturali fruendo, quam in limbo absque vllo merito manere, tenebris offusos, Deoque spiritualiter absentes; quapropter tunc maximi beneficij loco habebatur ab illis, vita longæua. Secūda causa est, ex parte amoris, cum enim non adeo essent fortes, & in amore corroborati, neque ita Deo per amorem propinqui, idcirco illum videre formidabant. Iam vero sub lege gratiæ, quando defuncto corpore, potest anima confestim Deū videre, salubrius est vitam breuem, & mortem ipsam optare ad eum clare videndum. Et licet hoc non esset, dum hæc anima amore in Deum fertur, coram illo mori non trepidaret: verus siquidem, amor quidquid à dilecti sui manu venit, siue prosperum, siue aduersum sit, etiam supplicia, si ipsi ita visum fuerit, eadem suscipit æquanimitate, pariterque delectatur in illis. Nam vt D. Ioan. ait. *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem.* Nequit esse amara mors, animæ amanti, quandoquidem inibi reperit omnes delitias, & suauitates amoris; nequit illius memoria adferre tristitiam, quoniam in illa reperit suum gaudium ac lætitiam; nequit tandem molesta esse & grauis, cum in illa inueniat molestiarum, pœnarumque suarum finem, & totius boni exordium: chara illi est, & quasi sponsa, cuius recordatione exultat, sicut in die desponsationis, & nuptiarum suarum; diem; horamque adfuturæ mortis suæ præstolatur ardentius, quam Reges, ac Principes terræ ad Regna, & Principatus suos anhelant. De huiusmodi namque morte inquit Sapiens. *O mors, bonum est iudicium tuum, homini indigenti*, quæ si bona est homini indigenti rebus huius sæculi, cum inopiam illius supplere non debeat, imo potius illis omnibus, quas possidebat, eum spoliare, quanto melius erit illius iudicium animæ indigenti amore, qualis est ista, quæ clamare non cessat pro incremento amoris? siquidem non solum eam nō denudabit amore, quem iam habebat, sed etiam concupiti amoris complementum, & omnium indigentiarum suarum erit satisfactio. Iure ergo anima intrepide dicere audet. *Visio & pulchritudo tua me occidant.* Non enim ignorat, quod eodem, quo eam conspicaretur momēto, adeandem pulchritudinem raperetur, & transformaretur in ipsam, esset que instar pulchritudinis pulchra, & tanquam pulchritudo ipsa, abundans, & opulenta. Propterea enim ait Dauid, pretiosam esse iustorum mortem corā Deo. *Pretiosa in conspectu Domini mors SS. eius*, quæ vtiq; pretiosa nō foret, nisi magnalium, & perfectionū ipsius essent participes. Nihil enim in con-

conſpectu Dei pretioſum præter id, quod ille in ſe ipſo eſt; ideo anima quæ vere amat, mori non veretur, immo deſiderat. Peccator vero ſemper formidat: ſuſpicatur enim mortem bona omnia erepturã, & mala cuncta allaturam: nam vt, ait idem Proph. Dauid: *Mors peccatorum peßima.* Et propterea dicit Sapiens. *O mors quam amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantijs ſuis*: dum enim huius ſæculi vitam immodice diligunt, modiceque futuram: idcirco mortem nimium perhorreſcunt. Cæterum anima, quæ Deum amat, in futura potius, quam in præſenti vita viuit: quippe quæ magis viuit vbi amat, quam vbi animat; vnde & vitam hanc temporalem paruipendit; idcirco ait: *Viſio & pulchritudo tua me occidant.*

Pſal. 22. Eccl. 41. 1.

Vide quoniam ægritudo Amoris, non bene ſanatur Niſi per præſentiam & figuram.

Ratio ob quam ægritudo amoris alia curatione non ſanatur, quam dilecti præſentia & figura, ſicut hoc loco ait, ea eſt; quia cum amoris infirmitas à cæteris ægritudinibus differat, oportet vt etiam illius curatio à cæteris curationibus diſſentiat; in reliquis quippe morbis, ſi ſecundum ſanam Philoſophiam procedatur, contraria contrarijs curantur: amor vero alio non curatur, quam rebus conſonis amori. Cuius potiſſima ratio eſt, quia ſalus animæ eſt amor Dei, ac proinde cum non habet cõpletum amorem, nec completã ſalutẽ habebit, ideoq; infirmatur, cũ infirmitas aliud non ſit, quã defectus ſanitatis. Itaque quando anima nullum habet gradum amoris Dei, mortua eſt; cum autem aliquem gradum amoris habet, licet minimum, vita viuit, eſt tamen valde debilis & infirma, propter exiguum, quem habet amorem: at quo plus amoris accedit, eo amplius ſanitatis habebit. cumque perfectum amorem habuerit, illius quoque ſalus completa erit. Vbi ſcire oportet, quod amor ad ſuam perfectionem non pertingit, vſque dum amici ita coæquantur inter ſe, vt ad inuicem transformentur; & tunc amor eſt totus ſanus. Quoniam vero hic anima veluti prima quædam amoris delineamenta experitur, in quibus conſiſtit hæc infirmitas, de qua loquitur: cupiens conformari figuræ cuius eſt delineatio, Sponſo ſcilicet ſuo, Verbo filio Dei, qui, vt Apoſt. ait: *Eſt ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ eius* (hæc namque figura eſt, quam hic anima intendit, & in quam transformari deſiderat) propterea ait,

Anima cuius tuxta gradum amoris Dei quem habet.

Hebr. 1. 3.

Vide quoniam ægritudo Amoris non benè ſanatur Niſi per præſentiam & figuram.

Non incongrue vocatur ægritudo, amor imperfectus; nam quemadmodum ægrotus debilis eſt ad laborandum, ita anima in Dei amore languida, & debilis eſt ad virtutes heroicas exercendas. poteſt & alio modo intelligi, quod qui ægritudinem amoris ſentit in ſe, hoc eſt, amoris defectum, ſignum habet alicuius amoris; nam ex eo amore quem habet, in eius quem non habet, deuenit cognitionem: qui autem hunc defectum non ſentit, nullum ſe amorẽ habere indicat, vel certè quod ſit in amore perfectus.

ANNOTATIO PRO CANTV ſequenti.

HOc tempore ſentiens anima vehemẽs deſideriũ tendendi ad Deũ, non ſecus

aclapis,quo magis apropinquat ad suũ centrum:sentiens præterea, se esse ad instar cerę impressionem sigilli primum recipientis, quod tamen perfecte non imprimitur; cognoscens insuper, quod sit tamquam leuis imaginis adumbratio,absolutam suam formam,& perfectionem à pictore clamando requirentis; denique quod adeo illustratam fidem habeat, vt celsitudinis Dei sui diuinos quosdam vultus valde lucidos eam discernere faciat; quid agat aliud ignorat, quam ad eandem fidem se conuertere, vtpote quæ amati sui figuram, & decorem in se claudit, & contegit. à qua etiam recipit ea, quæ diximus pignora, & rudimenta amoris. Vnde eam alloquens cantum sequentem pronuntiat.

CANTVS DVODECIMVS.

CANCION XII.	SENSVS.
O, Christalina fuente	*O crystalline fons*
Si en essos tus semblantes plateados	*Si in tuis hisce vultibus argentatis*
Formasses de repente	*Repente formares*
Los ojos deseados	*Oculos desideratos*
Que tengo en mis entrannas debuxados.	*Quos habeo in visceribus adumbratos.*

ELVCIDATIO.

QVoniam anima vehementi desiderio expetit vnionem sponsi, nullumque ad hoc remedium,seu medium in cunctis rebus creatis inueniri animaduertit; ad fidem eam alloquutura conuertitur,tanquam ad eam,quæ dilecti sui clariorem lucem sit allatura;in quem finem eam vt medium assumit. Nam reuera non est aliud, quod ad veram cum Deo vnionem conducat;quemadmodum per Oseam Proph. sponsus significat dicens: *Sponsabo te mihi in fide.* Eam itaque ingenti desiderio sic alloquitur. O fides Christi sponsi mei:vtinam veritates dilecti mei,à te cum obscuritate, actenebris, animæ meæ infusas,clare iam manifestares! ita vt quod in fide contines notitias nimirum informes ostenderes,& palam faceres, perfecteque ab illis discreta, repente eas fortiter, & perfectè commutares in manifestationem gloriæ,ait igitur:

Non est aliud medium ad vnionẽ cum Deo,quã fides. Osee 2.20.

O Crystalline fons.

Crystallinam appellat fidem ex duplici capite.Imprimis quia est Christi sponsi sui. Secundo: quia habet proprietates crystalli, in eo quod est pura, & fortis in veritatibus,clara item,ac nitida ab erroribus, formisque naturalibus. Porro fontem nuncupat,quia ab illa præsertim cum viua est,promanant in animam aquæ omnium bonorum spiritualium. Hinc Christus Dominus cum muliere Samaritana loquendo,fidem fontem nuncupauit dicens: quod in eis qui in se crederent fieret *Fons aquæ salientis in vitam æternam*; quæ aqua erat spiritus, quem accepturi erant credentes in eum.

Si in-

Si in tuis hisce vultibus argentatis.

Propositiones, & articulos, quos fides nobis credendos proponit, vultus argentatos nominat. Ad cuius euidentiam tum etiam aliorum versuum, Nota: Quod fides comparatur argento, in propositionibus, quas docet: sed veritates & substantia, quam continet, assimilantur auro: eandem quippe substantiam, quam nunc argento fidei vestitam, & contectam credimus, palam in futura vita conspecturi sumus, eaque fruituri, auro iam à fidei velamine denudato. Hinc Dauid de illa loquens, sic ait: *Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri.* Id est, si mentis oculos clauserimus, tam circa superiora, quam etiam circa quæuis inferiora (quod vocat dormire in medio) in sola fide manebimus (quam columbam appellat, cuius pennæ, veritates nimirum, quas docet, deargentatæ erunt) quia fides in hac vita obscuras, & obumbratas proponit; idcirco enim vultus deargentatos vocat. At cum euacuabitur fides, tunc scilicet, cum consummabitur per claram Dei visionem, fidei substantia, hoc est, veritates quas tradit, denudato argenti velamine, fiet auri pallori persimilis. Fides itaque Deum ipsum nobis dat, & communicat, velatum tamen argento fidei; neque propterea non dat nobis verè ipsum Deum: quemadmodum, qui alicui donat vas aureum argento tectum, non ideo, quod argento contectum sit, aureum vas non dat. Vnde quando Sponsa in Canticis, hanc Dei possessionem optabat, qualis in hac vita haberi potest, eam se daturum pollicitus, dixit: *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento*, quibus verbis sub velamine fidei sese illi communicaturum promisit; ait itaque nunc anima ad fidem: vtinam in istis vultibus tuis deargentatis (qui sunt præfati articuli) quibus diuinorum radiorum aurum tegis, qui sunt oculi optati, quos proximus addit dicens,

Ps. 67. 14.

Cant. 1. 11.

Repente formares Oculos desideratos.

Radij veritatesque diuinæ, oculorum nomine exprimuntur, vti diximus, quas fides nobis proponit in suis articulis informes, & obuelatas, prout etiam tradidimus, vnde idem est ac si diceret: vtinam veritates istas, quas informiter & obscure, in fidei tuæ articulis latentes me doces, clare iam formatas & detectas in illis præberes, sicut exigit meum desiderium. Porro veritates istas, oculos appellat, propter singularem, quam percipit amati præsentiam, qua anima iugiter à dilecto respici arbitratur. Proinde ait,

Quos habeo in visceribus adumbratos.

In visceribus inquit, se habere illas delineatas, nempe in anima sua, secundum intellectum, & voluntatem; nam secundum intellectū habet hasce veritates per fidem infusas in anima. Et quia illarum notitia perfecta non est, propterea dicit esse adumbratas; nam quemadmodum delienatio non est pictura perfecta, ita fidei notitia non est perfecta cognitio; idcirco veritates, quæ animæ infunduntur per fidem, sunt veluti quædam imaginis delineamenta; at in clara Dei visione erunt in anima, instar imaginis iam perfectæ & consummatæ, iuxta illud Apost. dicentis. *Cum autem venerit quod perfectū est*

1. Cor. 13. 10.

euacuabitur, quod ex parte est: videlicet cognitio per fidem: Verum præter hanc fidei adumbrationem, residet in anima amantis, alia delineatio amoris, secundum voluntatem, in qua ita efficaciter adumbratur figura dilecti, & tam proximè, & adiumbratim, vt dici solet, illum exprimit, quãdo amoris vnio intercedit: vt verum sit dicere, amatum viuere in amante, & vicissim amantem in amato; immo talem similitudinem facit amor, in transformatione se inuicem amantium, vt verè pronunciari possit, quemlibet esse alterum, & ambo vnum. Cuius rei ratio est, quia in vnione, & transformatione amoris, alter transfert in alterum possessionẽ, & dominium sui, & vnusquisque se relinquit, dat, & permutat pro alio: & sic quiuis ipsorum viuit in altero, & vnusquisque est alter, & ambo vnum sunt per transformationem amoris. quod exprimere voluit Gal. 2. 20. D. Paulus cum dixit: *Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Christus*; nam dum ait, viuo ego iam non ego, significauit, quod etiamsi ipse viueret, non tamen vita sua, siquidem tam erat transformatus in Christum, vt vita sua diuina potius esset quam humana: & propterea ait, non se, sed Christum in se viuere. Possumus itaque dicere, quod secundum hanc transformationis assimilationem, vita eius, & vita Christi, eadem prorsus vita erat, per vnionem amoris: quod perfectè adimplebitur in cœlesti gloria, in vita diuina, in his omnibus, qui se ipsos in Deo videre digni erunt. Nã in Deum transformati viuent vita Dei, non sua; immo etiam vita sua, siquidem vita Dei vita ipsorum erit. Tunc autem vere cantabunt, viuimus nos, sed non nos, viuit enim in nobis Deus: quod licet in præsenti vita possit fieri, prout in Apost. Paulo factum est, non tamen omnino perfectè, & absolutè, etiamsi anima eam amoris transformationẽ assequatur, quæ sit matrimonium spirituale, qui est status excellentissimus omniũ, qui in hac vita obtineri possunt. Quidquid enim in hac vita accidit, non nisi amoris adumbratio dici potest, si cum illa perfecta imagine gloriosæ transformationis cõferatur. Cæterũ cum anima in hac vita hanc amoris transformationem adipiscitur, maxima fælicitas est: etenim summopere ex eo lætatur dilectus. ideo enim cupiens in anima sponsæ tamquam amoris delineatio collocari, dixit in libro Canticorum. *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum*; Cor animam designat, in qua iuxta superius dicta, sponsus habitat in hac vita, veluti adumbratum fidei signaculum: Brachium vero signat voluntatem fortem, in qua (vt nuper dicebamus) residet tanquam delineatio amoris. Cant. 8.

CANTVS DECIMVSTERTIVS.

CANCION XIII.

Apartalos amado
Que voy de buelo † Bueluete paloma;
Que el ciruo vulnerado
Por el otero asoma:
Al ayre de tu buelo fresco toma.

SENSVS.

Auerte eos dilecte
Quia auolo, Reuertere columba,
Nam ceruus vulneratus
Per collis summitatem apparet,
Et tui volatus aurare frigeratur.

EXPLI-

EXPLICATIO.

INter accensa desideria, ardoresque amoris, quos in præcedentibus Canticis ostendit anima, solet dilectus sublimiter, suauiter, amanterque, & ingenti cum amoris vi, inuisere sponsam suam; plerumque enim prout ingentes fuere ardores, & anxietates amoris, quæ præcesserunt in anima, magna quoque esse solent beneficia, & visitationes, quas recipit à Deo: iam verò quoniam anima tam solicitis desiderijs concupiuerat diuinos hosce oculos, quos nuper in præcedenti cantu commemorauit: nonnullos magnitudinis, & diuinitatis suæ radios ei amatus detexit, prout ipsa cupiebat, qui adeo sublimes fuerunt, tantaque violentia communicati, vt eam cælesti impulsu à sensibus amoueri per raptum, & extasim compulerint: qui raptus initio accidit; non absque magno dispendio, & horrore naturæ: quare cum illius excessum in subiecto tam imbecilli ferre non possit, ait in præsenti Cantu.

Auerte eos dilecte.

OCulos nimirũ tuos diuinos, quia me auolare cogunt, deserendo corpus per summam cõtemplationem, supra naturæ vires. Hoc ideo dicit, quia iam putabat animam suam è corpore auolare, prout habebat in votis; idcirco obtestata est, vt auerteret eos, nimirum desinendo illos in corpore communicare sibi, cuius ponderi prægrauata, nec sustinere eos, neque frui illis potest sicuti vellet: sed potius in volatu suo extra corpus, eos sibi conferre velit, cuius desiderium, volatumque è vestigio impediuit sponsus dicens,

Reuertere columba.

Communicatio enim, quam nunc à me recipis, nondum spectat ad statum gloriosum, quem expetis; veruntamẽ ad me cõuertere, quem amore plagata quæris, nam & ego cerui instar tui amore vulnerati me ipsum tibi, per altam contemplationem tuam, manifestare incipio, atque ex amore contemplationis tuæ recreationem, ac refrigerium capio; ait itaque anima sponso.

Auerte eos dilecte.

Iuxta ea qua dicta sunt, anima pro immensis suis desiderijs, quibus ferebatur in oculos istos diuinos, qui diuinitatem designant, talem interius notitiam, communicationemque accepit, vt dicere compulsa sit,

Auerte eos dilecte.

Adeo quippe miserabilis est natura nostra, dum adhuc viuimus, vt id, quod animæ maior vita est, quodque ipsa tantopere concupiscit (communicatio videlicet, notitiaque dilecti) cum datur, fere recipere nequeat, absque dispendio vitæ: ita vt oculi, quos per tot vias, tam solicite, anxieque inuestigabat, dum illos recipit, in hæc verba prorumpat,

Auerte eos dilecte.

Etenim aliquando tam dirum est tormentum, quod sentit anima in hisce raptibus, vt nullum aliud ita ossa disiungat, & coanguster naturã, in tantum, vt nisi Deus animæ prospiceret, vita finiretur. Et in rei veritate ita putat anima, quæ ista experitur; sentit enim quasi separari animam à carne, corpusque deserere. Cuius ratio est, quia huiusmodi beneficia, nequeunt plane recipi in corpore, eo quod spiritus eleuetur ad cõmunicandum cum spiritu diuino, ad animam veniente; & sic necessario debet ex parte destituere

carnem, atque adeo caro pati, & consequenter anima in carne, propter vtriusque vnitatem in vno supposito; ac proinde immane tormentum quod sustinet anima tempore huius diuinæ visitationis, nec non ingens pauor conceptus ex eo, quod per viam supernaturalem tractari se videat, eam dicere faciunt,

Auerte eos dilecte.

Cæterum, etiamsi anima dicat, vt eos auertat, non est sic accipiendum, quasi ex animo velit, & cupiat, vt eos à se auertat: nam (vti demonstrauimus) est dictum quoddam à naturæ timore profectum: quin imo etiamsi multo plura eam pati oporteret, harum visitationum beneficiorumque dilecti iacturam facere nollet, licet enim patiatur natura, spiritus tamen auolat ad supernaturalem recessum, vt amati sui spiritu perfruatur, quod ipsa optabat, & petebat: nollet tamen in carne illa recipere, vbi perfecte, completeque id fieri nequit, nisi parce, & cum molestia; sed in volatu spiritus extra corpus, vbi libere illis perfrui licet; idcirco ait, *Auerte eos dilecte*, i.e. abstine in corpore existenti illa communicare,

Quia auolo.

Quasi manifestius diceret: quoniam è corpore euolo, vt eos mihi extra illud existenti communices, siquidem in causa sunt, vt carnem euolando deseram. Sed vt melius percipiamus, qualis sit volatus iste, Notandum est; quod sicuti explicuimus, in illa diuini spiritus visitatione, maxima vi rapitur spiritus animæ ad communicandum spiritualiter cum spiritu diuino, corpusque deserit, neque in illo sentit, neque actiones suas in illo exercet, vtpote quę in Deo illas habet. Nam propterea dixit S. Paulus, nescire se, an raptum illum reciperet anima in corpore, vel extra illud: *siue in corpore, siue extra corpus, nescio.* Neque propterea putandum est, spiritum deserere, aut destituere corpus, vitaque naturali priuare, sed quod in illo non fungatur actionibus suis. Et hæc est ratio, cur in illis raptibus, & volatibus corpus reddatur insensibile, & licet acerbissime discrutietur, non sentiat: non enim hic res se habet, sicut in alijs naturæ deliquijs: tunc enim si aliquo afficiantur dolore, mox redeunt ad se. Et hæc sentimenta habent in his visitationibus illi, qui perfectionis statum nondum sunt assecuti, progrediuntur tamen in statu proficientium; qui enim ad perfectionem peruenerunt, in pace, suauique amore diuinam communicationem recipiunt, cessantque hi raptus, qui sunt dona ad hanc perfectiorem communicationem disponentia. Opportunus sane hic locus erat agendi de differentijs Raptuum, & Extasium, aliarumque eleuationum, & sublimium volatuum spiritus, quos spirituales animæ pati solent. Verum tamen cum scopus meus non sit alius, quam succincte hos cantus explanare; prout in præfatione promisi, illi labor iste reseruabitur, qui me aptius, meliusque id nouerit pertractare. Tum etiam quia B. Theresia de Iesu mater nostra præclare etiam & mirabiliter scripsit de internis hisce spiritus affectionibus, cuius scripta vt spero in Domino, breui in lucem typis cusa prodibunt.

Quod igitur hoc loco anima dicit de volatu, intelligendum est, de volatu et Raptum, & extasim spiritus ad Deum dilectum amatus protinus occurrit dicens,

Reuertere columba.

Æquissimo animo migrabat è corpore anima, in volatu illo spirituali, tam quod vita

vitâ ſua iam iam eſſet habitura finem, nec non quod in æternum collætari poſſet, cum ſponſo ſuo, & apud illum abſque vllo velamine manere. At ſponſus illius conatus compeſcuit, dicens,

Reuertere columba,

Hoc eſt, columba in ſublimi, celerique volatu contemplationis, in quo verſaris, columba in eo quo flagras amore, columba deniq; in ſimplicitate qua progrederis (nam triplicem hanc proprietatem habet columba) reuertere è celſo illo volatu quo peruenire cupis ad me verè poſſidendum; nondum enim aduenit tempus tam ſublimis notitiæ, ſed iſti inferioti, quod tibi nunc in hoc ſpiritus exceſſu cõmunico, te ipſam attẽpera, eſtoq; contẽta.

Nam ceruus vulneratus.

Comparat ſeipſum ſponſus ceruo: nam hic cerui nomine ſe ipſum intelligit: ſciendum eſt autem proprium eſſe ceruo, alta loca petere, & cum ſaucius eſt, algentium aquarum refrigerium celerrime inueſtigare; quod ſi fæmellam conſortem ſuam eiulantem audiat, aut ſauciatam animaduertat, illam demulcere, eique blandiri cõſueuit: ſic etiam hoc loco ſe gerit ſponſus, nam dum videt ſponſam vulneratam, amore ſui, ipſe quoque audito gemitu illius reciproco amore ſaucius ad illam accurrit; in his enim qui ſe inuicem amant, alterius vulnus, vtrique commune eſt, & idem ſenſus. Itaque perinde eſt ac dicere: Reuertere ad me ô ſponſa mea, nam ſi tu amore mei vulnerata procedis, ego etiam inſtar cerui, hac tua plaga ſauciatus venio ad te, è ſublimi colle apparens tibi. Nam propterea ait,

Per collis ſummitatem apparet,

Id eſt, per altitudinem contemplationis, quam habes in iſto volatu. Cõtemplatio enim eminẽs locus eſt, per quam Deus incipit in hac vita animæ apparere, & cõmunicari, nõ tamẽ perfectè. Idcirco. n. nõ dixit, omnino apparet, ſed apparet ſimpliciter: quia licet ſublimes Dei notitiæ animæ in hac vita conferantur, oẽs tamẽ ſunt quaſi remotæ quædam apparitiones. Sequitur deinde tertia proprietas cerui, cuius iam meminimus, quæ in ſequenti verſu continetur.

Et tui volatus aura, refrigeratur.

Volatus ſignificat præfatæ Extaſis contemplationẽ: Aura vero, amoris ſpiritum denotat, quem volatus iſte contemplationis in anima producit. Appoſitiſſimè autem amorem hunc à volatu productum, auram, appellat hoc loco, quia ſpiritus ſanctus, qui amor eſt, etiã in ſcriptura auræ comparatur; ſiquidem à Patre, & Filio ſpiratur, & ſicut ibi eſt Aura volatus, hoc eſt, ex contemplatione, & ſapientia Patris, & Filij procedit, & ſpiratur per voluntatem: ita etiam ſponſus hunc animæ amorem aurã hic appellat, quia prouenit ei ex Dei contemplatione, & notitia, quam tunc habet. Eſt autem hoc loco notandum, quod non ait ſponſus, ſe ad illius volatum accurrere, ſed ad volatus Auram; quia Deus non ſe communicat animæ, propriè loquendo, per volatum ipſius animæ, qui (vt diximus) eſt cognitio, quam de Deo habet: ſed per amorem, à cognitione profectum: nam ſicut amor eſt vnio inter Patrem, & Filium, ita eſt vnio animæ cum Deo. Hinc eſt quod licet anima altiſſimas Dei notitias, & contemplationes habeat, & nouerit myſteria omnia; ſi charitatem non habeat, nihil illi proſit, vt ait Apoſt.

ad

1.Cor.13. 1.3. Coloſ.3.14 ad vnionem cum Deo. Et ratio eſt, quia vt idem etiam teſtatur. *Charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* Hæc itaq; charitas & amor animæ, ſponſum currentem trahit ad bibendum è fonte iſto amoris ſponſæ ſuæ; quemadmodum algentes aquæ ſitibundum, & ſuaciũ ceruum attrahunt, vt capiat refrigerium: ac proinde ſequitur,

Aura refrigeratur.

Nam quemadmodum aura gratiſſima, recreat, refrigeratque æſtu fatigatum: ita hæc aura amoris refrigerat, recreatque igne amoris æſtuantem. Hæc quippe eſt proprietas huius ignis amoroſi, vt aura, qua refrigeratur & recreatur, ſit incremẽtum ignis amoris; amor enim in amante, eſt flamma ardens, amplius ardere cupiẽs, ſicut flamma ignis naturalis. Propterea complementum huius appetitus amplius ardẽdi in ardore amoris ſponſæ ſuæ, quod eſt aura volatus illius, auræ refrigerium, hoc loco appellat. Itaque perinde eſt, ac ſi diceret; ad ardorem volatus tui magis ardet, ſiquidem vnus amor alium amorem ſuccendit. Vbi nota, Deum non ponere in anima gratiam & amorem, tui iuxta deſiderium & amorem ipſius animæ; idcirco verus amator conniti debet ne amor deficiat; ſiquidem hoc medio, prout diximus, vrgebit amplius (liceat ſic loqui) Deum, vt amplius illam diligat, magiſque delicietur in illa. vt autem horum charitatis ſequatur veſtigia, ea quæ de illa tradidit Apoſt. debet exercere.

Charitas, inquit, *patiens eſt, benigna eſt, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, nõ quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati, omnia ſuffert* (quæ ſcilicet ferenda ſunt) *omnia credit* (quæ credere oportet) *omnia ſperat, omnia ſuſtinet*, nimirum, quæ conſona ſunt charitati.

CANTVS DECIMVS QVARTVS.

CANCION XIV.

SENSVS.

Mi amado las montannas
Los valles ſolitarios nemoroſos
Las Inſulas eſtrannas,
Los rios ſonoroſos,
El ſilvo de los ayres amoroſos.

Dilectus meus montes
Valles ſolitariæ nemoroſæ,
Inſulæ extraneæ,
Flumina ſonora,
Sibilus auraram amabilium.

CANTVS DECIMVS QVINTVS.

CANCION XV.

SENSVS.

La noche ſoſegada
Enpar delos leuantes del Aurora,
La muſica callada
La ſoledat ſonora
La cena que recrea, y en amora.

Nox ſedata & tranquilla,
Propinqua ſurgenti aurorę,
Silens muſica,
Solitudo ſonora,
Cæna recreans & concilians amorem.

EXPLA-

EXPLANATIO.

PRiusquam ingrediamur Cantuum istorum explanationem, oportet pro maiori illorum, & sequentium intelligentia animaduertere, quod in isto spirituali volatu nuper expositio, denotatur quidam status, & vnio amoris sublimis, vbi post diutinam spiritualem exercitationem, solet Deus animam collocare, quem statum appellant mystici, desponsationem spiritualem cum verbo filio Dei. A principio autem, cum hic status incipit, nimirū prima vice, grandia Deus animæ cōmunicat. Magnitudine, & maiestate decorat, donis atque virtutibus ditat, Deiq; notitia, & honore vestit, tamquam sponsam in die desponsationis suæ. Porro hac faustissima die, non solum finiuntur vehementes illæ anxietates, & querimoniæ amorosæ, quas habebat antea; sed etiam, enumeratis, ornata bonis, inchoat quendam statum, pacis, delitiarum, atque suauis amoris, prout significatur in hisce Cantibus; in quibus tota impenditur in referendis, & decantandis dilecti sui magnalibus, quæ præfatæ vnionis, interuentu, in illo cognoscit, quibusque potitur. Ideoq; in reliquis Cantibus, qui deinceps sequutus, non iam tristia, non anxietates commemorat, vt solebat antea; sed communicationem, & exercitium amoris suauis, & tranquilli, cum amato suo: in hoc siquidem statu omnia illa cessant. Notandum quoque est, in hoc duplici Cantu omnia illa contineri, quæ ea tempestate solet Deus animæ communicare, attamen non ita est accipiendum, ac si omnibus ad hūc statum peruenientibus, vniuersa quæ in istis duobus Cantibus exponuntur, communicari debeant, vel eodem modo, eademque mensura cognitionis, & sensus; alijs enim plura, pauciora alijs, alijs hoc, alijs illo modo donantur; quamuis vtrumque contingere possit in hoc statu desponsationis spiritualis, ponitur tamen hoc loco summum quod esse potest, vt in eo cætera omnia comprehendantur.

DECLARATIO VTRIVSQVE CANTVS.

CVm ergo hæc anima columbula volitaret per auras amoris super inundantes aquas angorum, solicitudinumq; amoris, quas hucusq; ostendit, nec inueniret vbi pes suus requiesceret, ad instar columbæ volantis extra arcam; clementissimus Pater Noe, in hoc postremo illius volatu, quem diximus, misericordiæ suæ manum extendens, eam collegit, intulitque in arcam charitatis, & amoris sui: quod tunc factum est, cum in Cantu proxime explicato dixit. *Reuertere columba.*

Est autem notandum, quod quemadmodum in arca Noe, vt diuina testatur scriptura, erant multæ mansiunculæ, pro diuersis animantium speciebus; nec non de omnibus escis, quæ mandi poterant; ita anima in hoc suo volatu ad arcam pectoris Dei, non tantum in illa conspicit multas mansiones, quas ipse apud
Ioan. 14. 2. D. Ioannem, in domo Patris sui esse dixit; sed etiam videt, & cognoscit ibidem repetiti omnium diuersiatem eiborum, hoc est, donorum omnium, quæ anima gustare potest, affluentiam. Hæc sunt quæ in duobus prædictis cantibus continentur, communibusque illis vocabulis exprimuntur, quorum substantia, summaque talis est.

Videt anima, & prælibat in hac diuina vnione affluentiam, & diuitias inæstimabiles, inuenit etiam quietem, & oblectationem optatam, secretas quoque, & peregrinas Dei notitias intelligit, quæ sunt

dapes animæ, inter alias, sapidissimæ; sentit insuper in Deo terribilem quãdam potentiam, & robur, quamlibet aliam potẽtiam, vireſque excedentem: libat præterea inibi admirabilem quandam suauitatem, & delectationem spiritus; reperit veram tranquillitatem, lucemque diuinam; Dei quoque sapientiam, in creaturarum harmonia, Deique operibus relucentem, alto modo gustat; se quoque bonis omnibus refertam, cunctis autem malis vacuam, & ab eis alienam sentit: Et quod caput est, intelligit, fruiturque admirabili amoris refectione, qua in amore roboratur & confirmatur. Hæc est substantia contenta in duobus cantibus supra positis, in quibus ait sponsa, hæc omnia, esse dilectum suũ in seipso, & sibi: in his enim quæ Deus solet communicare in similibus excessibus, sentit anima, & cognoscit veritatem illius dicti S. Francisci, videlicet. *Deus meus & omnia*; vnde ex eo quod Deus sit animæ omnia, & illorum omne bonum, declaratur communicatio istius excessus, per similitudinem bonitatis rerum, in prædictis Cantibus expressarum, prout in singulis illorum versibus elucidabitur, quod ita est intelligendum, vt omnia quæ hic explicantur, sint in Deo eminenter, infinito quodam modo, seu potius quod vnumquodque ex his mirabilibus, quæ de illo dicuntur, sit ipse Deus, & simul omnia sint Deus. Ex eo namque quod anima vnitur Deo, sentit res omnes esse Deum, in vnico, ac simplici esse, vt D. Ioan. sensit cum dixit. *Quod factum est, in ipso vita erat.* Vnde quod hic dicitur animam sentire, non est sic intelligendum, quasi res videantur in luce, aut creaturæ in Deo; sed solum quod in possessione illa sentiat res omnes, sibi esse Deum. Neque etiam intelligendum est, animam videre essentialiter Deum, ex eo quod in his quæ dicimus, tam alte de Deo sentiat, id enim aliud non est, quam fortis quædam, & copiosa communicatio, & radius eius, quod ille in se ipso est, in quo radio sentit anima hoc bonum rerum, quas modo in versibus declarabimus, videlicet:

Ioan. 1. 4.

Dilectus meus montes.

Habent montes altitudines, sunt vberes, spatiosi, decori, iucundi, floridi, ac odoriferi: talis est mihi dilectus meus, sicut isti montes.

Valles solitariæ nemorosæ.

Valles solitariæ sunt tranquillæ, amœnæ, subfrigidæ, vmbrosæ, fontibus, aquarum dulciũ plenæ: arborumq; varietate, ac suaui volucrum concentu mirum in modum sensum demulcent, atque delectant; denique solitudine sua, atque silentio refrigerium conferunt, ac requiem; talis est mihi dilectus meus, sicut valles istæ.

Insulæ extraneæ.

Insulæ extraneæ mari vndique cinguntur, & præter hoc, sunt valde remotæ, & alienæ à communicatione hominum: vnde in eis gignuntur & procreantur res à nostratibus maximè differentes, variis modis, & virtutibus, hactenus hominibus incognitis, præditæ, quæ ob rei nouitatem, intuentibus maximam excitant admirationem; & ita propter ingentes, & mirabiles nouitates, ac notitias peregrinas à vulgari hominum cognitione remotas, quas anima conspicit in Deo, Insulas eum extraneas vocat. Extraneus enim, aliquis dicitur ex duplici capite: vel ex eo quod hominum consortia abhorreat, & fugiat; vel quia in rebus gestis, & operibus singularis est, & inter cæteros

antecellens: hac itaque duplici de causa, Deum anima extraneum appellat, ipse enim super omnes extraneas Insulas extraneus est ac peregrinus, cuius viæ, & consilia sunt admirabiles nouitates. Nec mirum est, si hominibus, qui eum minime viderunt, extraneus sit, ac peregrinus; quandoquidem etiam ipsis beatis, & Angelicis spiritibus, qui eum iam clare vident, peregrinus sit, quippe, qui eum omnino nequeunt comprehendere, nec vnquam sunt comprehensuri. Immo vsque adextremum diem iudicij, tot nouitates cognoscent, pro diuersitate operum misericordia, & iustitiæ illius, vt in admirationem iugiter rapiantur; adeò vt ab omnibus, tam Angelis, quam hominibus appellari possit Insulæ extraneæ: sibi soli, nec extraneus est, neque nouus.

Flumina sonora.

Tres sunt fluminum proprietates. Imprimis enim quæcunque sibi obuia aggrediuntur, & inundant. Secundo loca obuia, ima & vacua replent. Tertio eorum sonitus, quemcumque alium sonum occupat, & absumit. Quoniam verò in hac communicatione dilecti sapidissime in illo sentit anima hanc triplicem proprietatem, propterea asserit quod dilectus suus sit, *flumina sonora*. Et quidem quantum ad primam proprietatem attinet, sciendum est, quod anima in hoc casu, tanta vi, impetitam se conspicit, à torrente spiritus Dei, tamque violenter possessam, vt omnia totius mundi flumina, quæ actiones, passionesque pristinas, adoriuntur, & submergunt, sibi imminere arbitretur. Nec tamen ex eo quod sit res adeò violenta, cruciat; hæc siquidem flumina, fluuij pacis sunt. Quemadmodum sponsus per Isaiam expressit dicens. Isaiæ. *Ecce ego declinabo super eam quasi fluuium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam*; quare totam animam replet pace, & gloria. Secunda proprietas, quam hic anima experitur est, quod aqua ista diuina, humilitatis illius ima, appetituumque vacuitates replet, prout S. Lucas asserit his verbis. *Esurientes impleuit bonis.* Luc. 1. 53. Tertia denique proprietas, quã anima in his dilecti sui fluminibus sentit, est sonitus quidã & vox spiritualis, omnes sonos & voces excedés, ac vincens, porro in explicando, quomodo id fiat, pauliſper immorabimur. Vox ista, seu sonorus sonus horũ fluminũ, de quo loquitur hoc loco anima, est repletio quædã tã copiosa, qua impletur, & potestas quædam tam potẽs, qua possidetur, vt non solum fluuiorũ sonitus existimet, verum etiam tonitrua vehementissima; attamen vox spiritualis est, minime secũ adferens materiales sonitus, nec illorũ molestiam, sed magnitudinem, sed vires, sed delectationem: in summa est instar voris, & sonitus immẽsi, animam potentia implentis. Propterea enim ad designandum hanc spiritualem vocem, quæ in spiritus S. aduentu fiebat interius in Apostolorũ spiritibus, exterius auditus est sonus ille tanquã spiritus vehementis, indicans internũ, quem sentiebãt sonũ, qui (prout diximus) erat repletio potẽtiæ, & fortitudinis. Et quando D. Iesus, inter angustias, & pressuras inimicorũ suorũ cõstitutus Patrẽ exorabat, vox interior de cœlo venit (vt D. Ioan. affirmat) cõfortans eũ secundũ humanitatem, quã Iudæi ad instar tonitrui exterius reboantẽ audierũt, & propterea quidã tonitruum, alij vero Angelum cum illo locutũ fuisse, aiebant. cæterũ vox illa externa robur & potestatẽ, quæ Iesu secundum humanitatem interius conferebatur, denotabat. Hinc scire oportet, spiritualẽ vocem esse effectum ab illa externa productũ; siquidem Ioan. 12. 28.

materialis aures sono ferit, & mentem illustrat intelligentia. Quod significare voluit Dauid, quando dixit. *Ecce dabit voci suæ, vocē virtutis.* nimirū voci externæ, quæ exterius percipitur, dabit vocē virtutis, quæ interius audiatur, vbi sciēdum est, Deum esse vocē infinitam, qui dū præfato modo animæ sese communicat, immensæ vocis producit effectum. quam vocem S. Ioan. audiuit in Apocal: ait enim, quod vocem de cœlo audiuit, *Tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni*, ne verò aliquis intelligat vocem istam, eo quod vehemens sit, & magna, esse molestam, aut acerbā: confestim subdidit vocem illam fuisse suauem instar *Citharœdorum citharizantium in citharis suis.* Ezechiel quoq; ait; quod sonus iste aquarum multarum esset, *quasi sonus sublimis Dei:* videlicet, altissime, suauissimeque in illo sese communicantis. Hæc vox infinita est, si quidem, prout demonstrauimus, est ipse Deus sese communicans, vocemque faciens in anima. attamen contemperat se vnicuique animæ, vocem virtutis ei largiendo limitatam, prout cuique congruit, afficitque animam magna delectatione, & suauitate. Idcirco enim sponsa in Canticis dixit. *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis.* sequitur versus.

Ps. 67. 34.

Apoc. 14. 2.

Ezech. 1. 24.

Cant. 2. 14.

Sibilus aurarum amabilium.

Duo proponit anima in hoc versu: auras nimirum, & sibilum; *aurarū amabilium* nomine exprimit hoc loco virtutes, & gratias dilecti; quæ intercedente prædicta vnione sponsi animam impetunt, suauissimeque communicantur, eiusque substantiam, mediante amorosa notitia contingunt. *Sibilum* vero *aurarum* istarum, vocat eminentissimam suauissimamque intelligentiam Dei, & virtutem illius, quæ redundat in intellectum, ex contactu harum Dei virtutum in substantia animæ, medijs illius potentijs, quæ est maxima omnium delitiarum inter cętera quæ anima degustat. Vt autem quæ dicta sunt, melius percipiantur notare oportet, quod quemadmodum in aura duo sensu percipiuntur, tactus scilicet & sibilus, seu sonitus; ita in hac sponsi communicatione duo etiam percipiuntur, sensus nimirum delectationis, & intelligentia. Et sicut auræ contactus, sensu tactus percipitur & gustatur, & eiusdē auræ sibilus, sensu auditus sentitur: sic etiam cōtactus virtutū dilecti, tactu animæ sentitur, & gustatur, qui est substātia ipsius animæ, mediante voluntate. Intelligētia vero virtutū Dei, percipitur in auditu animæ, nempe in intellectu. Scire insuper necesse est, quod tunc aura suauiter flare dicitur, cum dulciter placideque ferit, & satisfacit appetitui illius, qui eiusmodi refrigerium desiderabat; tunc enim oblectatur, & recreatur sensus tactus: è quibus tactus delitijs, percipit auditus in sonitu, & auræ sibilo copiosam delectationem, longe maiorem quā sensus tactus in auræ contactu: quoniam sensus auditus spiritualior est; seu potius accedit magis ad spirituale, quam tactus, vnde & delectatio ipsius spiritualior est, quam delectatio tactus; ita similiter, quoniam hic Dei tactus summopere satisfacit, & oblectat substantiam ipsius animæ, illius appetitum perueniendi ad talem vnionem suauiter adimplendo; idcirco ipsam vnionem, seu contactum, *suauem auram* appellat. Nam, (sicut diximus) ei dulciter, suauiterque in illo communicantur amati virtutes, indeque deriuatur, & redundat in intellectum sibilus intelligentiæ. *Sibilum* præterea vocat, nam sicut sibilus auræ acute penetrat organum seu vasculum auditus; sic etiam hæc subtilis, &

& delicata intelligentia, mirabili quadam dulcedine, & voluptate ingreditur intimiorem animæ substantiam, quæ longe vberior delectatio est, quam reliquæ omnes. Ratio huius est, quia datur illi substãtia intellecta, & nudata alijs accidẽtibus, & phantasmatibus, & communicatur intellectui, quem Philosophi passibilem, seu possibilem vocant; eo quod illam passiue recipiat, nihil ex se operando, modo suo connaturali, qui est præcipuus actus animæ. fit etiã in intellectu in quo iuxta Theologorum placitum Dei visio consistit. Ex eo namque, quod sibilus iste, præfatam intelligentiam substantialem significat, nonnulli Theologi opinantur S. Parentem N. Eliam clare Deum vidisse in sibilo illo auræ tenuis, quem in monte Oreb, dum staret ad ostium spelũcæ, sensit: vbi scriptura, *sibilum auræ tenuis*, nominat: quia ex subtili, tenuique communicatione spiritus, oriebatur intelligentia in intellectu. Et hinc etiam *suauium aurarum sibilum* appellat, quoniam ex amabili cõmunicatione virtutum dilecti, redundat in ipsius intellectu; ideoque aurarum amabilium sibilum appellat. Sibilus iste diuinus qui per auditum animæ intrat, non tantum est substantia intellecta (vt iam exposui) verum etiam manifestatio veritatum diuinitatis, & reuelatio occultorum arcanorum eiusdem. Quotiescũque enim in diuina scriptura inuenitur aliqua communicatio Dei, quæ per auditum intoire perhibetur, constat esse manifestationem istarum veritatum nudarum in intellectu, vel reuelationem secretorum Dei: quæ sunt reuelationes, seu visiones pure spirituales, quæque solæ communicantur animæ, absque ministerio, & adminiculo sensuum. Idcirco altissimum certissimumque est, id quod Deus per auditum communicare dicitur. Propterea enim D. Paulus, vt eminentiam reuelationis suæ significaret, non dixit; vidi arcana verba, neque gustaui arcana verba. Sed, *audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui*, ex quo conijciunt aliqui, vidisse etiam illum diuinã essentiam, sicut S. P. N. Elias in sibilo. Nam sicut fides (eodem Apost. Paulo teste) intrat per auditum corporis. *Ergo fides ex auditu*; ita ea quæ nobis fides tradit, videlicet substantia intellecta, ingreditur per spiritualem auditum. Quod optime insinuauit Propheta Iob loquens cum Deo, quando sese illi manifestauit: *Auditu auris*, inquit, *audiui te: nunc autẽ oculus meus videt te*, vbi aperte significatur, q̃ audite animæ auditu, est videre oculo intellectus passibilis; idcirco enim nõ dixit, auditu aurium mearũ audiui te, sed *auditu auris* meæ, neque enim dixit oculi mei vident te, sed, *oculus meus*, qui est intellectus. itaque hoc animæ audire, est intellectu videre. Neque putare quis debet, quod ex eo quod sit substantia nuda (vti diximus) id quod anima intelligit, sit clara, & perfecta visio Dei, vt in cœlo: liceret enim alijs accidentibus denudata sit, non propterea clara est, sed obscura; est siquidem contemplatio, quæ in hac vita, vt ait S. Dionysius, est *radius tenebræ*. Itaque dicere possumus, quod sit radius, & imago visionis; quia fit in intellectu, in quo Dei visio consistit.

1. Cor. 12. 4.

Rom. 10. 17.

Iob 42. 5.

Hæc ea dẽ substantia intellecta, quã nũc anima sibilum appellat, sunt oculi exoptati, quos dum amatus illi reuelaret (eo quod sensus eos sustinere non posset) dixit: *Auerte eos dilecte*. Et quia oportune satis huc spectare videtur auctoritas quædam Iob, quæ in multis adstipulatur ijs, quæ in hoc raptu, & desponsatione dixi, ideo hoc loco eam referam (etiamsi paulo diutius immoremur) eiusque partes ad nostrum institutum facientes declarabo: imprimis

autem integram proponam, deinde vero succinctè explanabo ea, quæ conueniunt nostro instituto; quod cum præstitero, versuum alterius Cantici explanationem

Iob 4.12. prosequar. Ait ergo Eliphas Themanites. *Porro ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtiue suscepit auris mea venas susurri eius: in horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines, pauor tenuit me & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt; & cum spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ: stetit quidam, cuius non cognoscebam vultum, imago coram oculis meis, & vocem quasi auræ lenis audiui*: quod testimonium complectitur illa omnia quæ hactenus diximus de hoc raptu, à Cantu 12. qui incipit. *Auerte eos dilecte.* Nam in eo, quod loco citato ait Eliphas Themanites, sibi dictum fuisse verbum absconditũ, designatur illud absconditum collatum animæ, cuius magnitudinem ferre non valens, dixit. *Auerte eos dilecte.* Dicendo autẽ, quod auris sua susceperit venas susurri eius quasi furtiue, indicatur substantia denudata, quam intellectum recipere diximus; venæ namque hoc loco, substantiã internam denotãt; susurrus vero communicationem illam, & virtutum contactũ significat, ex quibus communicatur intellectui prædicta substãtia intellecta. Porro susurrũ hic appellat; quoniã suauissima est talis communicatio: sicut etiã ibidẽ, suaues, seu amabiles auras vocat anima, quia amabiliter, suauiterq; communicatur; quã quasi furtiue se suscepisse fatetur; nam quemadmodũ, q̃ furto aufertur, alienũ est, ita secretũ illud, naturaliter loquẽdo, ab homine alienũ erat, quia quod recipit, naturæ suæ minime cõpetebat, vnde nec illud recipere licitũ illi erat, sicut nec D. Paulo arcana sua loqui erat licitum; propterea bis

Isa.24.16. Proph. dixit. *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* cũ vero inquit: *in horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines, pauor tenuit me & tremor*; timorem, tremoremque significat, quẽ illa communicatio raptus animæ naturaliter incutit, quã diximus, ferre non posse naturam in cõmunicatione diuini spiritus. Denotat enim his verbis Proph. iste, quod sicut homines cum primum obdormire incipiunt, solet opprimere, ad deterrere visio quædam, quam insomnium vocant, quæq; accidit inter somnum & vigiliã, nimirum sub initium somni; ita etiam tempore huius spiritualis soporis, inter somnum ignorantiæ naturalis, & vigiliam cognitionis supernaturalis, quæ cõtingit in exordio raptus, siue ecstasis, pauorem, & tremorem incutit visio spiritualis, quæ tunc ipsis communicatur. Addit præterea, omnia ossa sua fuisse conterrita, seu perturbata, quod tantũdem est, ac si diceret; cõmota, ac disiuncta fuerunt à locis suis: quibus verbis indicatur maxima ossium disiunctio, quæ sustineretur hoc tẽpore. Quod præclare significauit Daniel, cũ videns Angelũ dixit. *Domine in visione tua, dissoluta sunt cõpages meæ.* Et in eo quod statim subdidit, nimirum, *Et cũ spiritus me præsente transiret*, videlicet, spiritum meum transcendere faciens limites suos, & connaturales vias, per corporis raptum iam dictum, *Inhorruerunt pili carnis meæ*; exprimit id, quod de corpore diximus, quod scilicet in sopore isto obrigescit, membrisq; contractis, penè exanime relinquitur. Et immediate subditur. *Stetit quidam, cuius non cognoscebam vultum, imago coram oculis meis.* iste, quem stare affirmat, est Deus sese cõmunicans prædicto modo, cuius vultũ se minime cognoscere ait, vt insinuaret in huiusmodi cõmunicatione, seu visione, etsi altissima sit, non cognosci, aut videri Dei faciem, & essentiã; sed dixit fuisse imaginẽ coram oculis suis, quia prout tradidimus, intelligentia illa

ver-

verbi abscõditi, altissima erat, instar imaginis, & vultus Dei. Non tamen intelligitur id esse Deum essentialiter videre. Et mox concludit dicens, *Et vocem quasi aurae lenis audiui*, quibus verbis, sibilus aurarum amabilium denotatur, sic enim hic anima nominat dilectum suum. Neque etiam est intelligendum, visitationes istas semper contingere cum istis timoribus, & detrimẽtis naturalibus: id enim (prout dictum est) illis accidit, qui illuminationis, & perfectionis statum ingrediuntur, idq; in hoc genere cõmunicationis raptus scilicet & ecstasis: nam in alijs, summa potius cum suauitate contingunt. sequitur declaratio alterius cantus.

Nox quieta & tranquilla.

In hoc somno spirituali, quo anima requiescit in sinu dilecti sui, possidet habetque omnem tranquillitatem, quietem, & otium pacificæ noctis: pariterq; recipit in Deo abyssalem quandam, & obscurã intelligentiam diuinam. Et propterea ait, dilectũ suũ esse sibi instar noctis tranquillæ.

Surgenti auroræ proxima.

Porrò noctem hanc tranquillam, similem esse ait, nõ quidem obscuræ nocti, sed noctiã proximæ auroræ matutinę. Quoniam tranquillitas ista, & quies in Deo nõ est prorsus obscura animæ, instar tenebrosæ noctis: sed requies, & tranquillitas in luce diuina, nouaque notitia Dei, in qua spiritus suauissimè tranquillus, ad lucem diuinam extollitur. Porro hanc diuinam lucem aptissimè appellat *surgentem auroram*; hoc est diluculum; nam quemadmodum aurora surgens, noctis tenebras propulsat, lucemque diei propalat; ita hic spiritus, quietus, & tranquillus in Deo, erigitur à tenebris naturalis intelligẽtiæ ad lucem matutinam supernaturalis cognitionis Dei, non claræ, sed (vti dictũ est) obscuræ, instar noctis, propinquæ auroræ surgenti. Sicut enim nox propinqua diei, neq; omnino nox est, nec omnino dies, sed crepusculum, ita hæc solitudo, & quies diuina, nec omnino clare informatur diuina luce, neque ab illius participatione prorsus excluditur.

In hac trãquillitate, intellectus peregrina quadam nouitate erectũ se videt ad diuinam lucem, super omnem connaturalẽ intelligentiam: nõ secus, ac ille, qui à diuturno somno euigilans aperit oculos ad inopinatam lucem. Hanc, vt opinor, notitiã significare voluit Dauid, quando dixit: *Vigilaui & factus sum sicut passer solitarius in tecto*, quasi diceret, oculos intellectus aperui, omnesq; naturales intelligentias prætergressus, solitarium, & procul ab illis me recessisse cõperi, *in tecto*, hoc est super omnia hæc inferiora, & terrena: aitque passeri solitario se similem factum fuisse, quoniam in hoc contẽplationis genere induit spiritus proprietates huius passeris, quæ sunt numero quinque. Prima proprietas est, quod communiter residet in editiori loco, sic etiam spiritus hoc tempore ad altissimam contemplationẽ transfertur. Secunda proprietas est, q̃ semper habet rostrum directũ aduersus flentem ventũ, sic etiam spiritus rostrum affectus sui dirigit in Deum, à quo spiritus amoris perflat. Tertia proprietas est, quod fere semper est solitarius, nec alterius cuiusuis auis admittit societatem, quin immo cum primum iuxta se aliquam consistere animaduertit, protinus auolat: simili modo spiritus in hac contemplatione, est in solitudine rerum omnium, denudatus illis, nec aliud præter hanc in Deo solitudinem in se admittit. Quarta proprietas est, quod suauissime modulatur: idem etiam præstat spiritus hoc tempore erga Deum, laudes siquidem,

Psal. 101. 8.

In hac cõtẽplatione assimilatur spiritus passeri solitario.

quas

quas Deo offert, laudes sunt dulcissimi amoris, ipsimet spiritui suauissimæ, pretiosissimæque ipsi Deo. Quinta denique proprietas est, quod nullum peculiarem sortitur colorem, sic etiam spiritus perfectus, non solum non habet in hoc excessu peculiarem aliquem colorem alicuius affectus sensibilis & amoris proprij: verum neque peculiarem aliquam considerationem de rebus inferioribus, nec interdum de superioribus; immo neque rationem, modumve eorum poterit verbis exprimere; eo quod abyssum quandam notitiæ Dei possideat, sicut dictum est.

Silens musica.

Sapientia Dei in creaturis considerata musica anima.

In tranquillitate illa, & præfatæ noctis silentio, nec nõ in notitia illa diuinæ lucis, deprehendit anima mirabilem quandam conuenientiam, & dispositionem sapientiæ diuinæ, in creaturarum omnium operumque suorum diuersitate relucentem, dum omnes, & singulas, quadam ad Deũ correspondentia referri animaduertit; per quam suo quæque modo proclamat, quid Deus in ipsa sit: adeò vt illi videatur cõcentus harmonicus præstantissimus, omnem huius mundi melodiam excedens: vocat autem, *silentem musicam*, quia (vti diximus) est intelligentia trãquilla, & quieta, sine vocum strepitu; & ita gustatur in illa suauitas musices, & quies silentij. Et propterea ait, dilectũ suum esse hãc *musicam silentem*; quoniam in ipso cognoscitur, & gustatur hæc harmonia musicæ spiritualis, neque hoc solum, sed etiam est

Solitudo sonora.

Quod est fere idem, quod *silens musica*, nam licet illa musica silens sit, quantum spectat ad sensus, & naturales potentias: est tamen solitudo sonora valde, potentijs spiritualibus: dum enim solitariæ, & vacuæ existunt cunctis formis, ac apprehensionibus cõnaturalibus habẽt aptitudinẽ ac recipiendũ in spiritu, sonore admodum, sonitum spiritualẽ excellẽtiæ Dei in se, & in suis creaturis: iuxta ea quæ superius diximus, vidisse D. Ioan. spiritu in Apocal. nempe, *vocem multorum citharœdorum citharizantium in citharis suis*, quæ vox in spiritu facta fuit, non quidem materialium cithararũ, sed cuiusdam notitiæ laudum beatorum, quas in suo quisq; gradu gloriæ, iugiter cantat Deo, quæ est veluti musicalis quædam harmonia. Nam quẽadmodum quilibet ipsorum diuersimode possidet illius dona, sic etiam laudes ipsius diuersimode cãtat: & vna omnes in vnica amoris concordantia simili musicali harmonia conueniunt. Hoc eodem modo in sapientia illa, seu contemplatione trãquilla, animaduertit anima in creaturis non tantum superioribus, verumetiam inferioribus, iuxta ea quæ illarum quælibet à Deo accepit, quarum singulæ voce sua testimonium perhibeant eius, quod Deus est in se ipso; videtque quamlibet ipso suo modo magnificare Deum, illum in seipsa habendo iuxta capacitatẽ propriam, & sic omnes simul istæ voces, vnicam admirabilem vocem musicalem magnificentiæ, sapientiæ, & scientiæ Dei conficiunt. Et hoc est quod significare voluit Spiritus sanctus in libro Sapientiæ cum dixit. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia scientiam habet vocis.* hoc est, spiritus Domini orbem terrarum impleuit, & hic mundus omnia continens, quemque ipse formauit, habet scientiam vocis, quæ est *solitudo sonora*, quã diximus animam hic cognoscere, testimonium nimirum, quod omnes in se ipsis perhibent de Deo. Et quoniam anima recipit hanc sonoram musicam non absque soli-

solitudine, & alienatione rerum omnium exteanearum, idcirco silentem musicam appellat, & *solitudinem sonoram*, quam asserit esse dilectum suum, & insuper

Cœna recreans, & concilians amorem.

Cœna recreat amantes, satiat, & amorem conciliat, & quia tria hæc præstat dilectus animæ in hac suaui communicatione, propterea ipsum vocat cœnam recreantem, & conciliantem amorem. Sciendum hic est, quod hoc nomen, *Cœna* in diuina scriptura designat visionem diurnam: nam sicut cœna est periodus laboris diurni, & nocturnæ quietis exordium: sic etiam hæc notitia tranquilla, de qua diximus, facit animam experiri quendam malorum finem, & possessionem bonorum, vbi plus solito amore, erga Deũ afficitur: & ideo, Deus est, ipsi animæ *Cœna recreans*, dum malorum omnium animæ est finis, eamque amore succendit, quatenus illi est bonorum omnium possessio.

CANTVS DECIMVS SEXTVS.

CANCION XVI.	SENSVS.
Nuestro lecho florido	*Lectus noster floridus*
De cuevas de leones enlazado	*Antris leonum illaqueatus,*
En purpura tennido	*Purpura tinctus,*
De paz edificado	*Pace ædificatus,*
Con mil escudos de oro coronado.	*Mille clypeis aureis redimitus.*

DECLARATIO.

IN duobus proxime præcedentibus Cantibus, cecinit sponsa gratias, & excellentias dilecti sui: in hoc vero extollit fœlicem, & eminentem statum, eiusque securitatem, nec non diuitias donorum, & virtutum, quibus se dotatam, & exornatam conspicit in thalamo vnionis sponsi sui; ait enim, se vnum quid cum amato effectam, virtutes solidas, charitatem perfectam, & completam pacem habere, diuinisque muneribus locupletatam, & condecoratam esse, quantum in hac vita possidere fruique licet. ait itaq;

Lectus noster floridus.

Lectus iste floridus, est amati pectus, & amor, cui anima effecta sponsa, iam vnita est, qui lectus effloruit ipsi animæ propter vnionem & nexum vtriusque, cuius interuentu virtutes, gratiæ, & dona dilecti eidem cõmunicantur: quibus illa ita, decorata locupleş, & delicijs repleta est, vt in lecto suauissimis floribus consperso, se iacere putet, quorum tactu delectatur, & recreatur odore: propterea hanc amoris vnionem *lectum floridum* appellat. Sic Sponsa eum nominat in Canticis sponsum alloquens his verbis, *lectulus noster floridus*. noster, inquit, quia eædẽ virtutes, idemque amor, dilecti scilicet, iam vtrique sunt communes, eademque amborum voluptas, iuxta illud Spiritus sancti in lib. Prouerb. nimirum, *delitiæ meæ esse cum filijs homi-* *Cant. 1. 15.* *Prou. 8. 31.*

hominum. Floridum quoque appellat, quia in hoc ſtatu virtutes iam ſunt in anima perfectæ, & poſitæ in exercitio operum perfectorum, & heroicorum, quod hactenus fieri non poterat, donec lectulus efflorescceret in perfecta vnione cum Deo, & ideo ſubdidit.

Antris leonum illaqueatus.

Propter fortitudinem, & acrimoniam leonis, comparat nũc virtutes, quas poſſidet anima in hoc ſtatu, leonũ antris, quæ valde tuta & protecta ſunt à cæterarũ ferarum iniuria; nam pertimeſcentibus illis virtutem, & audaciã leonis intro latentis, non modo ingredi non audent, verũ neque prope illa conſiſtere; ita vnaquæque virtus quam anima perfecte poſſidet, eſt inſtar ſpeluncæ leonis, vbi moratur ac reſidet ſponſus, fortis quaſi leo, vnitus animæ in virtute illa, & in vnaquaq; cæterarum virtutũ: ipſa etiã anima vnita ſponſo, in ipſiſmet virtutibus, eſt tanquã leo fortiſſima, eo quod inibi dilecti induat proprietates; quo caſu in hac vnione diuina, quæ eſt lectus floridus, anima tã munita, & fortis eſt in ſingulis virtutibus, & in omnibus ſimul: vt non ſolum dæmon eam aggredi nõ audeat, verum etiã coram illa comparere vereatur, ob ingẽtem timorẽ, quem concipit, dum eam ita magnificatam & audacẽ videt perfectis virtutibus, in lectulo amati; ſiquidem vnitam illam cũ Deo in transformatione amoris, tantopere pertimeſcit, ac ipſummet Deũ, nec aſpicere eam audet. Supra modũ exhorreſcit cacodæmon animam perfectã. Eſt autẽ hic animæ lectus hiſce virtutibus intertextus, in hoc quippe ſtatu, ita inter ſe connexæ, & firmatæ ſunt ad inuicẽ, atque in vnica, & abſoluta animæ perfectione vnitæ; vt non ſolum nullus aditus pateat dæmoni; ſed etiã ita eſt obuallata, vt nulla res mũdi ſeu magna ſeu parua, eam interturbare, moleſtiam afferre, aut cõmouere poſſit. Cum enim libera ſit, & aliena à paſſionum naturalium moleſtia, nec non denudata à procella, & viciſſitudine rerum temporaliũ; quaſi in tuto poſita Dei participatione potitur. Hoc votis omnibus optabat Sponſa in Canticis cum dicebat. Cant. *Quis mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te ſolum foris, & deoſculer te, & iam me nemo deſpiciat.* Oſculũ hoc, eſt vnio de qua loquimur, per quã anima quodammodo æquatur Deo per amorẽ; idcirco enim optat dilectũ ſibi vt fratrem donari, quod æqualitatem quandã ſignificat, efficitque; nec nõ vt ſugat vbera matris ſuæ, hoc eſt, cõſumat vniuerſas imperfectiones, & appetitus naturæ ſuæ, quam habet à matre ſua Eua, *Et ſolũ foris inueniat*, id eſt, vniatur illi ſoli, foris, ſeu procul à rebus omnibus, denudata illis ſecundũ voluntatem, & appetitum: ſic enim nemo ipſam vltra deſpiciet, hoc eſt, nec mũdus, nec caro, nec dæmon eam oppugnare audebit. Cũ enim his omnibus expedita, & repurgata ſit, Deoq; vnita, nemo illorum ei negotiũ faceſſere poteſt. Hinc eſt, quod anima in hoc ſtatu fruitur aſſidua quadã ſuauitate, & tranquillitate, quam ferè nũquam amittit, aut ei deficit. Verũ præter hanc regularem ſatisfactionem, & pacem, vſque adeo aperiti ſolent in anima, odoremq; ſuum exhalare, flores virtutũ huius horti, vt arbitretur anima (& ſic eſt) ſe omnibus Dei delitijs eſſe refertam. Dixi autem quod excludi ſolent virtutũ flores, qui ſunt in anima, nam etiamſi virtutibus perfectis abundet, non tamen ſemper illis actu fruitur; (eſto, vti dixi, pace, & tranquillitate, quam inducũt regulariter, perfruatur) dicere namq; poſſumus, virtutes eſſe in anima in hac vita, inſtar florum in horto, turgentibus gemmis adhuc occluſorum, quos mirum eſt videre aliquando

Anima vt leo fortis cũ virtutes poſſidet.

Spi-

Spiritus S. operatione, omnes simul excludi, & admirabilem sui odorem, & fragrantiam multipliciter exhalare. Accidit enim nonnunquã, animam cõspicere in se, flores supradictorum mõtium, opulentiam nimirum, magnitudinem, & pulchritudinẽ Dei, ijsque nemorosorum vallium intertexta lilia, quæ sunt, tequies, refrigerium, atq; præsidium; ibique interpositas suaueolẽtes rosas Insularum extranearũ, quas peregrinas, & extraordinarias Dei notitias esse tradidimus; videt quoque se impetitam fragrantia liliorum, sonororum fluminum, quæ Dei magnitudinem, totam animam replentem, esse asseruimus. Gelsimini etiam delicatissimum odorem interspirãtem, sibilũ videlicet, anratũ amabilium, quo etiã in hoc statu animã frui commemorauimus; tum etiam reliquas omnes virtutes, & dona recensita notitiæ tranquillæ, silentis musicæ, sonoræ solitudinis, cœnæ sapidæ, & conciliantis amorem. Porro ita anima fruitur, & sentit, aliquando omnes istos flores simul, vt verissimè cantare possit,

Lectus noster floridus.

Antris leonum illaqueatus.

Felix anima quæ in hac vita mortali, interdum horum diuinorum florum fragrantiam prælibare meruerit! ait præterea quod hic lectus sit

Purpura tinctus.

Purpura denotat charitatem in diuina scriptura, qua etiam amiciuntur, & vtuntur Reges. Hunc igitur floridum lectum inquit anima, esse purpura tinctum, quia omnes virtutes diuitiæ, bonaque illius, innituntur, efflorescunt, eisque potitur anima, in charitate, & amore Regis cœlestis: quo amore si careret, hoc lecto floribusque illius frui non posset. Itaque cunctæ istæ virtutes, sunt in anima, quasi tinctæ amore Dei tanquam in [illegible] time conseruantur, & quasi amore madidæ existunt. Nam simul omnes, & earum singulæ, animam sine intermissione Dei amore succendunt, atque in rebus omnibus, & operibus, amore excitant, ad vbertiorem amorem; quod est esse purpura tinctum. Insuper ait quod sit

Pace ædificatus.

Vnaquæque virtus natura sua pacifica est, mitis, & fortis; atque adeo in anima illas possidenti, triplicem hunc effectum, pacem nimirum, mansuetudinem, fortitudinemque producunt. Et quoniam lectus iste floreſcit, & componitur floribus virtutum (sicut diximus) illæque omnes pacificæ, mites, ac fortes sint; hinc est quod pace constructus sit, & anima pacifica, mitis & fortis, quæ sunt proprietates, quas nullũ bellum mundi, dæmonis, carnisve expugnare possit. Hæ virtutes, tam pacificam, & securam reddunt animam, vt se totam pace ædificatam arbitretur; ait insuperquod lectus iste sit

Mille clypeis aureis redimitus.

Virtutes, & dona animæ, clypeos appellat, quibus redimitum esse ait, lectum delitiarũ animæ. Virtutes enim, & dona, non solum sunt corona, & præmiũ comparanti illa, sed etiam, ad instar clypeorũ, illũ defendunt, & protegunt contra vitia, quæ ipsarũ adminiculo superauit; ac proinde lectus floridus, virtutibus coronatus est in præmiũ, & quasi clypei protectione defensus. Quos clypeos aureos esse affirmat, ad denotãdum maximum virtutũ valorem. Sunt itaque virtutes corona, & præmiũ; & Sponsa alijs quidẽ verbis significauit dicens. *En lectulũ Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, vniuscuiusq; ensis super femur suũ, propter timores nocturnos.*

CANTVS DECIMVS SEPTIMVS.

CANCION XVII.	SENSVS.
Azaga de tu huella	*Post vestigium tuum*
Las jouenes discurren al camino,	*Adolescentulæ discurrunt ad iter*
Al toque de centella.	*Ad contactum scintillæ*
Al adobado vino	*Ad haustum conditi vini*
Emissiones de balsamo diuino..	*Emissiones balsami diuini.*

DECLARATIO.

PRædicat sponsa in hoc cãtu amatum, eumq; laudibus extollit ob triplex beneficiũ collatum animabus deuotis, quibus animo confirmantur, & ad Dei amorem ampliùs eriguntur. Quæ cum ipsa experiatur in hoc statu, idcirco hoc loco illa commemorat. Primum beneficium ait esse suauitatem, qua animas perfundit, quæ adeo efficax est, vt eas ad iter perfectionis festine admodum properare faciat. Secundum est, quædam amoris visitatio, qua eas repente inflammat amore. Tertium denique est, charitatis abundantia, quam illis infundit, qua ita inebriantur ab illo, vt non minus earum spiritum euehat ad se hac charitate, quam amoris visitatione ad laudes Dei dulcesque amoris affectus erigebat. ait itaque:

Post vestigium tuum.

Vestigium est signum humi impressum ab eo, cuius est vestigium, per quod inuestigatur, & quæritur, qui illud impressit. Suauitas & notitia Dei, quam animæ inquirenti se largitur, est vestigium, & signum per quod Deus cognoscitur, & inuestigatur, propterea ait hic anima Verbo sponso suo,

Post vestigium tuum.

Hoc est, post vestigium suauitatis tuæ, quam in eis imprimis & infundis, & post eum, quem spargis odorem,

Adolescentulæ discurrunt ad iter.

Id est, animæ deuotæ viribus iuuentutis à vestigijs tuæ suauitatis conceptis, discurrunt, hoc est, per diuersas partes, & multis modis, hinc inde cursitant (id enim significat verbum discurrere) ad iter vitæ æternæ, perfectionem videlicet Euangelicam, vnaquæque ea portione spiritus, & status, quam à Deo sortita est: idque per diuersa exercitia, & opera spiritualia, per quam gradientes, (præmissa spiritus, & rerum omnium nuditate) occurrunt dilecto in vnione amoris. Hæc suauitas, & vestigium, quod Deus in anima impressum relinquit, summopere eam alleuat, & post se currere facit. Tunc enim anima parum valde, vel certè nihil laborat ex parte sua, ad conficiendum hoc iter: quin imo mouetur, & trahitur hoc Dei vestigio, non solum vt exeat, verumetiam vt multiplici-

tep-

rer discurrat ad iter, prout dictum est. Idcirco enim Sponsa in Canticis hanc diuinam tractionem, à Sponso popoſcit dicens; *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorũ.* Et postquam hunc diuinum odorem, siue per illius infusionem, siue effusionem in anima percepit, & paulo antea dixit; *ideo adolescentulæ dilexerunt te*: quasi diceret, idcirco adolescentulæ dilexerunt te, anxieque, & votis omnibus expetunt, vt trahas eas post te, vt currant insequendo te. Et Dauid inquit. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.*

Cant 1.3

Psal 31.

Ad tactum scintillæ, Ad haustum conditi vini, Emissiones balsami diuini.

In duobus primis versiculis diximus, quod animæ deotæ discurrunt post vestigium ad iter exercitijs, operibusque externis. Nunc vero in his tribus indicat anima, internum voluntatis exercitium istarum animarum, ad quod tribus alijs donis, & internis visitationibus à dilecto mouentur, quas nunc tactum scintillæ, vinumque conditum appellat; internum autem exercitium voluntatis (quod ex his duobus muneribus resultat, & procedit) Emissiones balsami diuini vocat. Quoad primum scire operæ pretium est, quod tactus iste scintillæ, de qua hic loquitur, est delicatissimus contactus, quo dilectus animam nonnunquam contractat, etiam tunc, cum ipsa minus cogitat: adeo vt cor eius, amoris igne ita succendat, vt scintilla ab igne emissa, videatur animam absumpsisse. Tunc verò instar eius qui ex improuiso euigilat, accenditur voluntas amoris dulcedine ad amandum, desiderandum, laudandum, gratias agendum, reuerendum, magnificandum & exorandum Deum: quæ omnia emissiones balsami diuini appellat, & correspondet tactui scintillæ egressæ à diuino amore, quem scintilla accendit, quod est diuinum balsamum, confortans, & sanans animam, odore, atque substantia sua. Diuini huius attactus meminit Sponsa in Canticis his verbis. *Dilectus meus misit manum suã per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius*: Dilecti tactus est tactus amoris, quo hic animã contrectare asserimus, manus est beneficiũ quod illi præstat: foramẽ verò, per quod hæc manus intrauit, est modus, ratio, & gradus perfectionis animæ, nã ad istius dispositionis normã esse solet tactus, intensior, vel remissior, hoc vel illo modo dispositionis spiritualis animæ. Venter ipsius, quem contremuisse ait, est voluntas, in qua fit prædictus tactus: intremiscere vero, est insurgere in illa appetitus, & affectus Deũ; desiderãdi, amandi, collaudãdi, & cæteros supra cõmemoratos: quæ sunt emissiones balsami redundantes ex isto tactu, iuxta ea quæ diximus.

Cant 5.4.

Ad haustum conditi vini,

Hoc conditum vinum est aliud donum longe præstantius, quod Deus animabus prouectis nonnunquam largitur, quo eas in Spiritu S. inebriat, vino quodã amoris, suaui sapido, atque robusto: ideo vinum conditum appellat: nam quemadmodum vinum conditum, multis, ac varijs speciebus odoriferis, & generosis concoquitur; ita amor iste, quem Deus perfectis cõfert, excoctus est, inque eorũ animis consistens virtutibus ab anima iã acquisitis cõditus. Qui hisce pretiosis virtutum aromatibus conditus, tantum vigoré, & abundantiã suauis ebrietatis reponit in anima, quoties Deus eã visitat, vt maxima vi, & efficacia ad Deũ transmittere faciat emissiones, seu missiones illas, laudis, amoris & reuerẽtiæ,

quas nuper dicebamus : idque vna cum ardentissimis desiderijs faciẽdi,& patiendi propter eum. Verum tamen scire oportet, quod beneficium istud suauis ebrietatis, non transit tam cito, ac donũ scintillæ, eo quod magis cõquiescat in animo, scintilla enim tangit, ac præterit, effectus tamẽ illius aliquamdiu durat, & nonnunq̃ satis multum : At vinum conditum ipsummet cum suo effectu, diuturo satis tẽpore permanere solet, qui est amor suauis in anima, vti dixi, & interdum durare solet vno aut altero die, nonnumquã pluribus dieb. quamuis non semper eodem gradu intensionis : remittit siquidem, & crescit, absq; animæ cooperatione. Aliquoties .n. nihil ex se faciendo, sentit anima in penitissima substantia, spiritum suum suauiter inebriari, & inflammari hoc diuino vino, iuxta illud Dauidis dicentis. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis*. huius ebrietatis amoris, emissiones, nonnumquã tamdiu permanẽt, quamdiu ipsa: alias enim tametsi in anima sit ebrietas prædicta, est tamen absq; dictis emissionibus, quæ cum adsunt, eo magis minusue intensæ sunt, quo magis, minusue intensa est ebrietas. Cæterum emissiones seu effectus scintillæ prope semper diutius perseuerant, quam ipsa, imo illos in anima relinquit, suntque ardentiores, quã ebrietatis effectus: interdum enim hæc diuina scintilla, animam adustam, & ardentem amore relinquit.

Ps. 38. 4.

Discrimẽ amantiũ perfectoriũ, & incipientiũ.

Et quoniam mentionem fecimus concocti, seu defæcati vini, nõ erit abs re hoc loco differentiã inter deffæcatum vinum, quod vetustum vocant, & vinum nouum, succincte notare: eadem quippe intercedit inter veteranos, & nouellos amatores: eritq; exiguum aliquod documentum pro personis spiritualibus. Vinum nouum nõ habet fæces digestas, nec cõsistentes, vnde exterius ebullit, neq; illius probitas, & pretiũ cognosci potest, donec sufficienter fæces, & illarum furias concoxerit: interim enim maximo corruptionis periculo subiacet. Habet saporem crassum, & austerum, cuius potus immoderate sumptus naturã corrumpit; cuius vigor in fæce maxime consistit. At vinum vetustum, seu defæcatum, fæcem concoctam, & consistentem habet, vnde nec illas externas ebullitiones, siue feruores vini noui habet, cuius bonitas, & valor manifestè cognoscitur, estque valde tutum à corruptione, eo quod iam cessauerint pristini feruores & ebullitiones fæcis, quæ ipsum poterant corrumpere: itaque raro accidit vt vinum bene defæcatum corrumpatur, & pereat. Gratum saporem, & vigorem in vini substantia, nõ in gustu habet; vnde illius haustus confert valetudini, & naturam corroborat.

Nouelli amatores comparantur vino nouo (hi sunt, qui Deo seruire incipiunt) eo quod feruores vini amoris valde extrinsecus gestent in sensu, nondum enim digesserunt fæces sensus imbecilli, & imperfecti, amorisque sui vim in illius sapore sensibili repositam habẽt. His namque plerumque vires tribuit ad operandum, sapor sensibilis, eoq; mouentur: quare huic amori multum fidendum non est, vsquedum feruores illi sensibiles, cessq; gustus sensus, cessauerint. Nam sicut isti feruores, & calor sensus inclinare possunt ad bonum & perfectum amorem, & esse medium oportunum ad eum consequendum: si imperfectionis illius fæces digerantur; ita etiã facili negotio in hisce primordijs, & saporum nouitate, deesse potest vinum amoris, & omnino deperdi, quando nouus feruor, & suauitas desunt. Porro isti amici noui, assidue anguntur, & solicitantur stimulis sensibilis amoris,

quibus

quibus expedit potum limphatum sumere, nam si multum operentur, prout vini feruor est, destruetur natura. Hæ anxietates, & solicitudines amoris, sunt sapor noui vini, quod austerum, & crassum diximus, & nondum suaue redditū, in perfecta coctione: quod tunc fit, cū huiusmodi amoris anxietates, ac stimuli cessant, vt mox sumus dicturi. Hanc eandem similitudinem adfert Ecclesiast. dum ait: *Vinum nouum, amicus nouus, veterascet, & cum suauitate bibes illud.* Idcirco amici veterani, nimirum, probati iam, & exercitati in obsequio sponsi, sunt instar vini vetusti, & defæcati, fæces concoctas habentis; hi enim, non habent feruores illos sensibiles, neque furias illas, & igneas ebullitiones extrinsecas, sed vini suauitatem gustant in substantia, decocti iam, & fæcati interius in anima: non quidem in sapore illo sensus, sicut amici noui, sed in substantia, & sapore spiritus, & veritate operis; neque intendunt istis saporibus, & feruoribus sensibilibus, nec eos gustare cupiunt: qui enim fundamentum gustus habet in sensu, plerumque etiam debet habere necessario in eodem sensu, pœnas, & amaritudines. Quoniam vero, amantes hi veterani, non habent suauitatem spiritus fundatam, & radicatam in sensu, propterea non amplius gerunt anxios stimulos, pœnasque amoris in sensu, neque in anima. Ideoque amici isti antiqui, mirum esset, si aliquando Deo sint infideles, eo quod iam subegerint, quod eos induceret ad deficiendum Deo, sensum, videlicet, inferiorem: habent insuper vinum amoris non tantum coctum, & expurgatum à fæce, verumetiam prædictis virtutum perfectarum aromatibus conditum, quæ illud alterari, ac destrui nequaquam sinunt, sicut vinum nouum. Idcirco protulit Ecclesiast. *Amicum antiquum ne deseras, nouus enim non erit similis illi.* Eccl. 9.14. In hoc itaque vino amoris animæ probato iam, atque condito, efficit dilectus diuinam ebietatem, iam dictam; quæ præfatas emissiones ad Deū transmittere facit. Sensus itaque istirum trium versiculorum, talis est: *Ad tactū scintillæ*, quo animam meam suscitas, & *ad hauſtum conditi vini*, quo eam amanter suauiterque inebrias; ipsa quoque transmittit ad te *Emissiones*, motus nimirum, actusque amoris, quos in illa producis.

Eccl. 9.13.

CANTVS DECIMVSOCTAVVS.

CANCION XVIII.

En la interior bodega
De mi amado beui, y quando salia
Por toda aquesta vega
Ya cosa no sabia
Y el ganado perdi que antes seguia.

SENSVS.

In interiori cella vinaria
Dilecti mei bibi
Et quando exibam
Per totam hanc planitiem
Nihil vltra sciebam,
Gregemque amisi quem antea sequabar.

EXPLA-

REfert in hoc cantu anima supernum beneficium sibi à Deo collatum, dum ad intimum amoris sui recessum, vnionem videlicet, & transformationem amoris in Deum, ipsam intromisit: binos etiam effectus commemorat, quos inde percepit, obliuionem scilicet, & à rebus omnibus mundi huius abalienationem, necnon cunctarum appetentiarum, voluptatumque refrænationem.

In interiori cella vinaria,

Rei postulabat difficultas, vt Spiritus sanctus apprehendens manum, calamum moueret, quo sic aliquid condigne diceretur de hac cella vinaria, fieretque perspicuum id quod anima hoc loco vult innuere. Hæc *cella vinaria*, de qua hic loquitur anima, est vltimus, arctissimusque gradus amoris, quem assequi potest in hac vita; Idcirco enim interiorem cellam vinariam appellat, nimirum, intimam; ex quo colligitur, alias, non adeo interiores cellas reperiri, qui sunt amoris gradus, per quos ad hunc postremum vsque ascenditur. Possumus autem dicere gradus istos cellasq; amoris esse numero septem, qui gradus, seu cellæ tunc omnes habentur, cum septem Spiritus sancti dona perfecte possidentur, quatenus anima capax est illa recipere. Itaque cum anima perfecte consecuta est Spiritum timoris, perfecte etiam habet Spiritum amoris, in quantum timor ille, postremum inter septem dona filialis est. Timor siquidem filialis perfectus, oritur ex perfecto amore Patris: & sic quando scriptura diuina aliquem vult pronuntiare perfectum in charitate, Deum timentem vocat. Vnde cum Isaias Proph. Christi Domini perfectionem vaticinaretur dixit: *Replebit eum Spiritus timoris Domini.* Et Sanctus Lucas Sanctum Simeonem timoratum nominat his verbis: *Et erat vir iustus & timoratus*, & sic de multis alijs. Sciendum est autem plures esse animas, quæ perueniunt, & intrant priores cellas vinarias, singulæ iuxta eam amoris perfectionem, quam habent. Cæterum ad hanc postremam, & intimam cellam paucæ admodum perueniunt: ibi enim iam est perfecta vnio animæ cum Deo, quam matrimonium spirituale appellant, de quo anima hic loquitur. Porro quod Deus communicat animæ in hac coniunctione, prope ineffabile est, & vix aliquid de eo dici potest; sicut neque de ipso Deo aliquid effati potest, quod ei simile sit, Siquidem ipse Deus sese animæ communicat, admirabili gloria transformationis illius in se, per quam vnũ ambo efficiuntur; non secus ac fenestra vitrea, & solis radius, aut carbo, & ignis, aut lux stellarum, & lumen solis; non tamen ita perfecto modo, ac in summa vita. Et sic vt significaret anima, id quod in cella illa vinaria vnionis recipit à Deo, nil aliud dicit, nec, vt ipse arbitror, dicere poterat opportunius, vt aliquid de eo condigne enunciaret, quam sequentem versum cantare.

Cella vinaria quid sit.

Septẽ gradus amoris quãdo habentur.

Isai.11.3.

Luc.2.26.

Dilecti mei bibi.

Nam quemadmodum potus diffunditur, & spargitur per omnia membra & venas corporis, ita diffunditur hæc dei communicatio substantialiter in totam animã, seu potius anima magis trãsformatur in Deum: secundum quam transformationem potatur Deo suo, secundum suam substantiam, & potentias spirituales. Nam secundum intellectum bibit sapientiam, atque scientiam; & secundum voluntatem bibit amorem suauissimum: & secundum memoriam reficitur recreatio-

tione & voluptate, in recordatione, & sensu gloriæ. Et quidem quod ad primum spectat, nimirum quod anima recipiat, bibatque substantialiter delectationem, fatetur ipsa in Canticis, in hunc modum:

Cant. 5. 6. *Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est:* Sponsum loqui hoc loco, est sese animæ communicare. Quod autem intellectus bibat Sapientiam, in eodem Cant. libro etiam asserit spōsa: vbi ad hoc vnionis osculum cupiens peruenire; illud à dilecto enixe postulans ait: *Ibi me docebis, & dabo tibi poculum, ex vino condito*, id est, docebis me sapientiam, & scientiam in amore, & ego vicissim dabo tibi haustum ex condito vino, hoc est, amorē meum conditum tuo, id est, transformatum in tuum amorem. Quod ad tertium attinet, nimirum quod voluntas ibidem bibat amorem, fatetur etiam sponsa in præfato Cant. libro dicendo: *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me caritatem.* Quod idem est, ac dicere, amoris poculo me recreauit intromissam in suum amorem, vel clarius propriēq; loquēdo; ordinauit in me charitatē suam, mihi atrēperans, & approprians eandem charitatem suam; quod est animam, eundem dilecti sui amorem bibere, dilecto illum infundente. Vbi animaduertendum est, circa id quod à nonnullis dicitur, non posse voluntatem amare, nisi quod prius intellectus cognoscit; debere intelligi connaturali modo: impossibile namque est, naturali via amare aliquid, nisi prius cognoscatur id quod amatur. Cæterum per viam supernaturalem, liberum est Deo amorem infundere, illumque augere, non infusa, neque superaddita distincta cognitione, & notitia, prout in allegatis Scripturæ verbis significatur: quod experti sunt multi spirituales, qui multoties Dei amore ardere se vident, nulla habita clariori, magisque distincta notitia, quam haberent prius: possunt enim parum cognoscere, & multum amare, & è cōtra possunt multū cognoscere, & parum amare. Imo plerumque illæ personæ spirituales, quæ non adeo pollent intellectu, solent circa res diuinas, voluntate alios antecellere: Quibus infusa fides per scientiam intellectus sat is est, qua mediante Deus illis infundit, & auget charitatē, & actum illius, quod est intensius amare, etiamsi notitia non accrescat, prout diximus; & hoc modo potest voluntas amorem bibere, absque eo quod intellectus bibat nouam cognitionem. Quamuis in casu de quo loquimur, vbi anima dicit se bibisse de vino dilecti sui, omnes simul bibant, vtpote quæ sit vnio in intima cella vinaria, quæ est vnio secundum triplicem animæ potentiā, prout etiam tradidimus. Denique quantum pertinet ad quartum, quod scilicet anima secundum memoriam inibi reficiatur dilecto suo perspicuum est; quandoquidem illustrata sit lumine intellectus, memor bonorum quæ possidet, quibusque fruitur in vnione dilecti sui. Hæc potio diuina ita deificat, & extollit animam, & vsque adeo per eam ipso Deo imbibitur, vt

Cant. 2. 4. *Non posse voluntatē amare nisi prius cognitum ab intellectu, quomodo intelligatur.*

Quando exibam,

Hoc est, transacto hoc beneficio. quāuis enim anima semper versetur in hoc sublimi statū matrimonij spiritualis, postquam in illo à Deo collocata est; non tamen semper est actu vnita Deo, secundum prædictas potentias, esto secundum animæ substantiam, ex singularissimo quodam priuilegio, vnita sit: attamen in hac substantiali & gratuita animæ vnione, sæpenumero etiam vniuntur potentiæ, & bibūt in hoc cellario: intellectus cognoscēdo, voluntas amando, &c. Cum itaque nunc anima dicit, *& cum exibam*: non

intelligitur ipsam egredi ab essentiali, seu substantiali vnione iã dicta, quam habet anima, quę est status prædictus; sed intelligitur de vnione actuali potentiarũ, quæ permanens non est, in præsenti vita, nec esse potest. Cum ergo ab hac potentiarum vnione exibam:

Per vniversã hãc planicie

Id est, per totam hanc mundi amplitudinem.

Iam nil vltra sciebam.

Siquidem haustus ille Dei sapientiæ altissimæ, quâ ibi potata fuit, obliuisci eam facit rerum omnium huius mundi, meramque ignorantiam fuisse videtur animæ omnia, quę sciebat prius, imo quæcũque scit mundus totus, si cum illa sapiẽtia conferantur. Deificatio quoq; illa, mentisque in Deum eleuatio, qua veluti rapta, defixa, seu absorpta manet in amore, non permittit eam, rei alicui mundanæ attendere, vnde iure dicere poterit: *Iam nil vltra sciebam.* Nã non solum à rebus omnibus, sed etiam à se ipsa remanet alienata, & in nihilum redacta, & quasi in amorem cõuersa, & resoluta; quod est in amatum, à se ipsa transire. Hanc ignorantiam significauit Sponsa in Canticis, vbi postquam retulisset vnionẽ & copulam sui cũ amato, addidit hoc verbũ, *Nesciui*, id est, ignoraui. Huiusmodi anima parum se inferet in res alienas, siquidem etiam suarum obliuiscitur. Hæc porro spiritus Dei proprietas est, in anima quã inhabitat, quod eam è vestigio ad nesciendum inclinat, & ignorare facit extranea quæque, illa præsertim, quæ non concernunt ipsius profectum; & sic remanet in quadam rerum omnium inscitia. Quod non est ita accipiendum, quasi ibi omnino amittat habitus scientificos, & notitias earum, rerum, quas antea sciebat, etiamsi in illa inscitia perseueret; sed quod perdat actũ & recordationem rerum omnium, in illa inhæsione, seu defixione amoris, idq; duplici de causa: Prima, quia cum actu sit defixa, & inbibita in illo haustu amoris, nequit actu alteri rei intendere. Secunda causa: Nam transformatio illa in Deũ, ita simplicitati, & puritati suæ eam conformat, & adaptat, vt nitidam, mũdam formisque omnibus & figuris pristinis vacuã relinquat. Sicut efficit sol in fenestra vitrea, quam infuso lumine exclarescere facit, nec amplius videntur maculæ, pilique, qui prius apparebant in illa: at iterum amoto sole, & ab illa omnino recedente, mox iterum apparent nebulæ, & maculæ priores. At vero in anima cũ effectus illius actus amoris, adhuc in illa maneat, & perseueret, aliquantisper etiã durat inscitia, sicut diximus; quantũ nimirũ durat effectus, & reliquiæ illius actus, qui quoniam inflammauit eam, & in amoté mutauit; exinaniuit, & in nihilum redegit, circa illa omnia, quæ non sunt amor, & præter amorem, omnia nescientem effecit: iuxta illud Dauidis supra citati: *Quia inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt, & ego ad nihilum redactus sum, & nesciui.* nam renum commutatio, propter hãc inflammationem cordis, est animam cum omnibus suis appetitibus in Deum, noua quadam ratione mutari, veteribus quibusuis indumentis, quibus pridem vtebatur repulsis: proinde se ad nihilum redactam esse, & nesciuisse ait; qui sunt duo illi effectus, quos potum huius Dei cellæ vinariæ, efficere tradebamus. Etenim non modo redigitur in nihilum, primum illius scire, nihil illud æstimando, collatum, cum illa summa sapientia; verum etiam tota illius anteacta vita, imperfectioneſque rediguntur in nihilum, & ve-

& vetus homo renouatur. Propterea subsequitur hic secundus effectus inde redundans, quemque Versus proximus complectitur.

Gregemque amisi quem sequebar.

Sciendum hic est, quod vsq; dum anima perueniat ad hunc statum perfectionis, de quo est sermo, quantumuis spiritualis illa sit, adhuc tamen perseuerat in ea grex aliquis exiguus, appetituum, gustulorum, & aliarum propriarum imperfectionum, siue naturalium, siue spiritualium, quem pascere studet, dū illas insequitur, & adimplet. Nam circa intellectū, solent remanere imperfectiones aliquæ appetitus sciendi res. Circa voluntatem permittit se abduci à quibusdam proprijs gustulis, & apperētijs, siue in rebus tēporalibus, exēpli gratia in reculis quibusdā possidendis, his potius, quā illis adhærēdo; tū etiā in præsumptionibus, existimationibus proprijs, punctulisque honoris, super q̄ se reflectit, & alijs nęnijs, quæ mūdum adhuc olent, & sapiunt: siue etiam circa naturalia exēpli gratia, cibū, & potum, hæc potius, quam illa gustando, & quæ potiora sunt seligendo, & desidetando. Siue tandem circa spiritualia, verbi gratia, gustus, & dulcedines appetendo, aliasque similes ineptias, quas lōgum esset, ac planè infinitum recensere, quibus spirituales, nondum perfecti, præpediti solent. Circa memoriam quoque habent varietates, solicitudines q; non paucas, & circumspectiones, quæ ad rem non spectant, quæque animam trahunt post se. Habent præterea nonnunquam circa quatuor animæ passiones, spes, gaudia, dolores, timoresque multos inutiles, quæ anima insequitur. Potro de hoc dicto grege alij plus, alij minus participant, quem adhuc pascentes insequuntur, donec intimum hoc cellarium ad bibendum ingressi, gregem vniuersum amittant, in amorem, prout diximus, omnino transmutati: in quo cellario, citius absumuntur, hi greges imperfectionum animæ, quam metallorum rubigo ab igne consumitur. Sicque anima, illis omnibus gustulorum, molestiarumque nugis, & ineptijs, quas insequebatur, liberam & expediram se sentit, adeo vt merito affirmare possit: *Gregem quoque amisi quem sequebar.*

Grex animæ quid sit.

CANTVS DECIMVSNONVS.

CANCION XIX.

Alli medio su pecho
Alli me enfenno ciencia muy sabrosa,
Y yo le di de hecho
A mi sin dexar cosa
Alli le prometi de ser su esposa.

SENSVS.

Ibi vbera sua præbuit:
Ibi me scientia sapidissimæ erudiuit,
Et ego re ipsa illi dedi
Me totam, nihil reseruando,
Ibi illius Sponsam me futuram promisi

ENarrat in præsenti Cantu sponsa, mutuam vtriusque partis traditionem, Dei nimirum, & ipsius animæ, celebratam in hac spirituali desponsatione, inquiens, in interiori illo cellario, per communionem sibi inuicem, coniunctos fuisse: sponsum animæ, amoris sui vbera ei exhibendo, vbi sapientia, & secretorum notitia eam instruxit: Et animam sponso, actu se illi tradendo, nil vltra in propriosaut alterius vsus reseruando, sed in perpetuum illius sponsam se futuram pollicendo.

Ibi vbera sua præbuit.

Præbere vbera alicui, est amorem, & amicitiam suam alteri communicare, & tanquam amico secreta cordis sui aperire. Itaque cum anima inquit, sponsum sibi vbera præbuisse, est idem, ac si diceret; quod ibi communicauerit ei amorem, & secreta sua; quod Deus præstat animæ in hoc statu, & insuper quod etiam dicit in Versu sequenti,

Ibi me scientia sapidissima erudiuit,

Sapida scientia, qua se hoc loco imbutam fatetur, est Theologia Mystica, quæ est Dei secreta scientia, quam spirituales Contemplationem vocãt, quæque sapidissima est, vtpote scientia per amorẽ, qui est præceptor illam docens, omniaque suauia reddens. Quia verò Deus hanc illi scientiam, & intelligentiam confert in amore? quo se animæ communicat; propterea est intellectui suauis, cum sit scientia ad ipsum spectans: est etiam voluntati sapida, cum sit scientia amoris ad voluntatem pertinentis, & statim subdit:

Et ego re ipsa dedi illi Me totam nihil reseruãdo.

In potu illo Dei suaui, quo iuxta superius tradita, imbibitur anima in illo, libentissime suauissimeque se totam tradit Deo, cupiens esse illius, nec aliquid in se vnquã habere, quod illũ dedeceat, Deo in illa operante nitorem & perfectionem ad hoc requisitam: etenim quatenus eã in se transformat, totam suam facit, & quicquid à Deo alienum habebat, euacuat. Hinc fit, vt non tantum secundum voluntatem, sed etiam re, & opere, actu Deo tota tradita sit, sicut Deus voluntarie se ipsum illi dedit: adeo vt ambæ illæ voluntates satisfactæ, & inuicem traditæ sint, & contentæ; ita vt neutra alteri in aliquo defutura sit: sed in fide, & constantia desponsationis iugiter permansura, ideirco enim addit illa, dicens:

Ibi sponsam illius me futuram promisi.

Nam quemadmodum sponsa, amorem, solicitudinem, & operationem suam in alium non impendit, quam in sponsum suum: ita similiter anima in hoc statu, neque habet vltra affectus voluntatis, neque intellectus notitias, neque solicitudinem, neque opus aliquod, quin omnia in Deum, vna cum appetitibus, propendeant. Est siquidem prope diuina, & Deificata, adeo, vt etiam primos motus (quantum ipsa assequitur) Dei voluntati repugnantes, non patiatur. Quemadmodũ enim anima minus perfecta, sæpe sæpius habet primos motus, secundum intellectum, voluntatem, & memoriam, & secundum appetitus, ad malũ, & imperfectionẽ, propensos: ita anima quæ in hoc statu versatur, secundum intellectum, voluntatem, & memoriam, appe-

appetentiasque, in subitaneis eorum motibus, regulariter mouetur, & inclinatur in Deum, idque ob copiosum auxilium, & stabilitatem, quam acquisiuit in Deo, & perfectam cõuersionem ad bonum. Quæ omnia præclare significauit Dauid, cum de anima sua in hoc statu constituta loquens dixit: *Nonne Deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum, nam & ipse Deus meus, & salutaris meus, susceptor meus, non mouebor amplius.* in eo enim quod ait, susceptor meus, indicat, quod ex eo quod anima sua in Deo recepta, illique vnita sit, qualem hic eam depingimus, non esset amplius subitaneos motus, Deo aduersantes habitura.

CANTVS VIGESIMVS.

CANCION XX.	SENSVS.
Mi alma se ha empleado	*Anima mea sese impendit,*
Y todo mi caudal en su seruicio	*Totaque substantia mea illius obsequio,*
Ya no guardo ganado	*Non vltra gregem custodio,*
Ni ya tengo otro oficio	*Nec alio fungor officio,*
Que ya solo en amar es mi exercicio.	*Nam solum amare est meum exercitium.*

DECLARATIO.

CVm in proximo Cantu dixisset anima, seu potius Sponsa, totam se dedisse Sponso, nihil sibi reseruando: nunc in præsenti tradit rationem, & modum, quem obseruat in soluenda fide, & promissis adimplendis, inquiens, animam, corpus, & potentias, & vniuersam habilitatem suam iam esse impensam, non quidem in eis rebus, quæ proprium commodum concernunt: sed in his quæ spectant ad obsequium sponsi sui. Ideoque se non amplius priuata lucra quærere, neque post lubentias suas abire, neque alijs rebus, & actionibus Deo indignis, & alienis occupari: quin imo etiam, cum ipsomet Deo alium stylum modumque agendi non habere, quam amoris exercitium: eo quod, vt paulo post dicetur, vitæ suæ ratio conuersa sit, ac permutata in amorem.

Anima mea sese iam impendit.

In eo quod ait animam suam sese impendisse, designat traditionem sui, dilecto factam, in illa vnione amoris, vbi anima, cum vniuersis suis potentijs, intellectu, memoria, & voluntate dicata, & mancipata fuit illius obsequio: intellectus his rebus cognoscendis, quæ illi gratiores sunt, vt eas opere perficiat; voluntas in amando id omne quod Deo placet, eamq; in rebus omnibus ad Deum inclinando. Et denique memoria, in cura, & solicitudine eorum, quæ ad illius faciunt seruitium, quæque illi magis sunt placitura: & addit præterea.

Totaque substantia mea illius obsequio.

Totius substantiæ appellatione, exprimit hoc loco, quidquid pertinet ad partem animæ sensitiuam: quam etiam illius officio dicatam esse ait, sicut & partem rationalem siue spiritualem, de qua in præcedenti versu loquuti sumus. Porro hæc portio sensitiua, complectitur corpus, cum omnibus suis potentijs, & sensibus, tam internis, quam etiam externis; designatur præterea in hoc versu, tota habilitas naturalis, & rationalis, vti explicauimus; videlicet, quatuor passiones, appetitus naturales, & spirituales, & reliqua animæ substantia: quæ omnia obsequio illius mancipata esse ait. Corpus siquidem, iam nunc tractat secundum Deum: internos, externosque sensus regit, & gubernat secundum Deum, illorumque actiones ad eum dirigit; quatuor passiones in Deum etiam præcinctas habet. non enim gaudet nisi in Deo, nec in alio spem habet quam in Deo, nec alium præter Deum timet, neque dolet nisi secundum Deum. Appetitus, desideria omnia, omnesque solicitudines illius, in Deum solummodo tendunt. Vniuersa hæc substantia, ita Deo consecrata est, vt etiam absque anima aduertentia animæ, omnes, & singulæ partes enumeratæ huius substantiæ, vt plurimum, in subitaneis, & inopinatis motibus, propensæ sint, ad operandum in Deo, & propter Deum. Intellectus namque, voluntas, & memoria, protinus in Deum tendunt: affectus quoque sensus, desideria, appetentiæ, spes, & gaudium, totaque substantia, ad Deum sunt propensa. Esto, vti dixi, anima non animaduertat se operari propter Deum. Vnde huiusmodi anima sæpenumero operatur propter Deum, in eumque, & in res illius intendit, non cogitando, neque reflectendo, quod propter eum id faciat. Habitus enim, & consuetudo, quam ita se gerendo acquisiuit, tali aduertentia, & solicitudine carere faciunt; imo etiam feruentioribus actibus sensibilis deuotionis, quos initio operum elicere solebat, eam priuat. Iam vero quoniam vniuersa hæc substantia, modo explicato, Deo consecrata est, necessario etiam habere debet animam id, quod in sequenti versu dicit: nimirum,

Tota anima substantia ad Deū absq; vlla reuentia propendet.

Non vltra gregem custodio.

Quod tantumdem est, ac si dicatur, non insequor amplius meos appetitus, & gustus: cum enim illos in Deo collocauerit, eique tradiderit, non vltra illos sibi anima pascit, & custodit: nec solum asserit se vltra non custodire gregem, sed vlterius, inquit,

Nec alio fungor officio.

Multa officia, & munia inutilia habet anima, priusquam hanc donationem, & traditionem sui, suæque substantiæ, faciat dilecto. Quotquot enim imperfectionum habitus habebat, tot illam officio habuisse affirmare possumus, qui habitus versari possunt circa verba, cogitationes, & opera, quæ ex praua consuetudine, habituque contracto, non prout oporteret ordinate, ad perfectionem, vsurpat: circa quæ nunquam deest animæ aliquod vitiosum munus, quod nunquam superat, vsque dum totam substantiam suam serio in Dei obsequium insumat. In quo statu, prout explicatum est, verba omnia, cogitationes, & opera diuina sunt: iam enim cessauit murmurandi, alteriusue imperfectionis officium, cum in verbis, tum in reliquis potentijs: Sensus itaque versus hic est: non amplius occupor, aut immorer, consuetudine aliqua vitiosa, non vltra oblectamentis, rebusq; mundanis indulgeo. Nam

Nam solum amare est meum exercitium.

Ac si diceret; iam enim has vniuersas potentias & habilitatem substantiæ, animæ & corporis mei, quæ pridem inutilibus quibusdam rebus impendebam, iam, inquam, in exercitum amoris conuerti: id est, tota animæ, & corporis mei aptitudo ex amore mouetur, dum quicquid ago, ex amore facio, & quicquid patior, ex amore sustineo. Porro notandum nunc est, quod cum anima ad hunc statum peruenit, totum exercitium portionis spiritualis, nempe animæ, & portionis sensitiuæ, nempe corporis, siue agendo, siue patiendo, quomodocunque tandem sit, maiorem semper ei amorem, & delitium in dilecto efficit: quin imo ipsum orationis exercitium, Deique commercium, quod hactenus versari solebat circa alias considerationes, & modos, iam nunc in amoris exercitium conuersum est. Itaque siue conuersatio animæ versetur circa temporalia: siue illius exercitium sit circa spiritualia, & conuersationem cum Deo, iure affirmare potest talis anima:

Nam solum amare est meum exercitium.

Fœlix status, fœlix vita, fœlix denique anima, quæ eo peruenit, vbi omnia illi sunt amoris substantia, & desponsationis delitiæ: in quibus constituta Sponsa, vere potest dicere Sponso verba illa, quæ aliàs in Canticis eum alloquuta vsurpauit, dicens: *Omnia poma noua, & vetera, dilecte mi, seruaui tibi*: quasi diceret, Dilecte mi, quidquid asperum, & laboriosum est, volo propter te: & quidquid dulce, & suaue est cupio tibi. Verum germanus huius versus sensus etiam talis est: quod scilicet anima in hoc statu desponsationis spiritualis, vt plurimum versatur in vnione amoris, quæ est cõmunis assistentia voluntatis in Deo. Cant. 7. 13

CANTVS VIGESIMVS PRIMVS.

CANCION XXI.

Pues ya si en el exido
Deoy mas no fuere vista ni hallada
Direis, que me he perdido
Que andando enamorada
Me hize perdidiza y fui ganada.

SENSVS.

Si ergo deinceps in prato
Visa non fuero, nec inuenta,
Dicite me periisse,
Nam cum arderem amore,
Sponte perij, sed fui lucrifacta.

DECLARATIO.

REspondet in hoc Cantu anima, tacitæ cuidã obiurgationi hominum mundanorum, qui prout illis moris est, notare solent eos, qui serio vacant Deo; quod nimiũ abstra-

abstracti, & extranij sint in modo agendi; vnde inutiles reputant & perditos, quantum ad ea, quæ mundus æstimat, & magnificat. Cui reprehensioni optimo sane modo satisfacit hoc loco anima, libentissimeque sese opponit huic, cæterisque omnibus, quæ sibi mundus potest imponere, id omne, postquam ad amoris medullam peruenit contemnendo: quin imo se ipsam æstimat, & gloriatur, quod talia propter dilectum præstiterit, vnde sponte illa fatetur in hoc cantu, mundi amatores allocuta in hunc modum: Quod si posthac pristinas consuetudines, & oblectamenta frequentantem non videant, illis se perijsse, & ab eis elongasse dicant; idque tam sibi gratum esse, vt sponte hoc modo perire voluerit, amatum suum requirendo per virtutum opera, illius amore succensa. Vt autem perditionis suæ lucrum videant, nec insipientiæ, aut deceptioni (prout ipsi perperam iudicantes, putant) id adscribant; hanc sui amissionem, lucrum suum fuisse ait: ideoque ex industria perditam, & errabundam se ipsam fecisse.

Qua ratione anima in hoc statu seipsam perdat.

Si ergo deinceps in prato, Nec visa, nec inuẽta fuero.

Pratum vulgo appellatur, locus quidam communis, quo solet conuenire populus solatij & recreationis gratia; vbi etiam pastores pascunt pecora sua: & sic prati appellatione, designat anima hoc loco mundum, in quo homines sæculares habent oblectamenta, & conuersationes suas, & pascunt greges suorum appetituum. Vbi alloquitur anima sæculares homines dicendo, quod si non fuerit visa, nec inuenta vacare his rebus, prout solebat, antequam se totam Deo dicaret, eo ipso se his omnibus perijsse credant, & dicant; siquidẽ summopere lætatur ex eo cupiens vt diuulgetur, & innotescat, dum ait:

Dicite me perijsse.

Non erubescit coram sæcularibus, qui Deum amat de operibus gratia illius, præstitis, neque ob pudorem illa occultat, tametsi vniuersus mundus illa debeat condemnare. Qui enim erubuerit coram hominibus confiteri Filium Dei; opera sua intermittendo, idem Dei Filius, vt per S. Lucam ipse testatur, erubescet confiteri eum coram Patre suo. *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet cum venerit in Maiestate sua, & Patris, & Sanctorum Angelorum.* Et propterea anima erecta amoris animo potius gloriatur vt dilecti sui laudẽ innotescat, quod tale opus ob amorẽ ipsius præstiterit: quod scilicet, cunctis rebus, mundi huius perierit: & ideo ait:

Luc. 9. 26

Dicite me perijsse.

Insignem hanc, adeoque perfectam animæ audaciam, & deliberationem in operando, pauci ex spiritualibus adipiscuntur. Quamuis enim nonnulli illa tractent, & exerceant; quin imo eorum aliqui se valde proiectos putent; nunquam tamẽ omnino se ipsos perdunt, quod dẽ nulla puncta, siue respectus mundi, & naturæ, quo sic pure perfecteque propter Christum operentur, nullo habito respectu, quid alij dicant, quidue illi iudicabunt. vnde qui huiusmodi sunt, reuerti dicere non poterunt: *Dicite me perijsse.* siquidem cum sibi ipsis necdum perierint in operando, & adhuc erubescant Christum opere confiteri coram hominibus, propter inanes respectus: vere in Christo non viuunt.

Nam cum amore arderẽ.

Id est, quia virtutes operando, Dei amore succensa eram,

Perij sponte sed fui lucrifacta.

Verus amator, confestim in cæteris omnibus sui dispẽdium facit, vt magis se ipsum lucretur, in eo q̃ amat. Et propterea ait nunc anima, quod se ipsam perdiderit, quod est, ex industria se ipsam perdere: idque contingit dupliciter. Primo perdendo se ipsam, nullam sui rationẽ habendo in re aliqua, sed tantum Dilecti sui; gratuito sese tradendo illi, absque propriæ vtilitatis intuitu, sponte perdẽdo se ipsam, nec vlla in re lucrari volendo. Secundo, pereundo rebus omnibus, nihili faciẽdo, quæ sua sunt, sed ea solum, quæ concernunt amatum; & hoc est, perire rebus omnibus, id est, cupere, vt alij eas lucrentur. Talis est fidelis amator Dei, qui nec lucrum prætendit, nec præmium; sed tantum omnia, etiam se ipsum, voluntarie perdere propter Deum, quod proprium lucrum reputat. Et sane ita est, iuxta D. Phil. 1. Pauli dictum, *Mori lucrum*, hoc est, meum mori pro Christo spiritualiter rebus omnibus, etiam mihi ipsi, meum lucrum est: & propterea anima dicit *fui lucrifacta*. Qui enim se ipsum perdere nescit, se non lucratur, imo se perdit. Quemadmodum Matt. 16. Dominus noster ait in Euangelio: *Quicunque enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* Quod si prædictum versum magis spiritualiter velimus intelligere, magisq; ad præsens institutũ; sciendum est, quod cum anima in via spirituali, eo vsque deuenit, vt se ipsam perdiderit, in conuersatione, & commercio cum Deo, quoad modos omnes, & vias procedendi naturales; nec deinceps illum quærit per considerationes, formas, aut sentimenta, aut per alia quæuis media creaturarum, & sensus: sed hæc omnia & quemuis alium modum, & rationem propriam supergressa, agit cum Deo, eoque perfruitur in fide, & amore; tunc dicitur verè Deo lucrifacta: eo quod serio se ipsam perdiderit circa omnia, quæ non sunt Deus.

CANTVS VIGESIMVS SECVNDVS.

CANCION XXII.

De flores y esmeraldas
En las frescas mannanas escogidas
Haremos las guirnaldas
En tu amor florecidas
Y en vn cabello mio entretexidas.

SENSVS.

Ex floribus & smaragdis
Primo manè selectis
Serta conficiemus
In amore tuo florentia,
Et in vno capillo meo intertexta.

DECLARATIO.

IN hoc cantu iterum Sponsa alloquitur Sponsum in cõmunicatione & delitijs amoris, vbi agit de solatio & delectatione, quam anima sponsa, & Dei filius percipiunt ex possessione diuitiarum, virtutum & donorum vtrique communium, earumque reciproco exercitio, promiscuè fruendo illis, in communicatione vnionis amorosæ.

Propterea enim loquēs cum Sponso ait: serta pretiosa te facturos ex donis & virtutibus, iucundo & opportuno tempore acquisitis & paratis, condecoratis etiam & venustatis in amore, quo ille ipsam prosequitur; custoditis & suffultis amore, quo ipsa illam deperit. Idcirco hanc virtutum fruitionem, serta ex eis conficere vocat: nam vtrique simul, cunctis illis, instar florum in serto, potitur in amore communi quo se inuicem prosequuntur.

Ex floribus & smaragdis.

Flores sunt animæ virtutes; smaragdi verò sunt dona, quæ habet à Deo: ex his ergo floribus & smaragdis,

Primo manè selectis.

Virtutes in adolescentia Dei gratia.

Hoc est: acquisitis & paratis in adolescētijs & floreti ætate, quæ sūt auræ matutinę ætatum: quas virtutes ait esse selectas; quia virtutes, quæ hoc iuuentutis tempore acquiruntur, selectæ sunt, Deoque valdè acceptæ; eo quod iuuentutis tēpore, maior sit ex parte vitiorum repugnantia ad cōparandum illas; & ex parte naturæ maior pronitas & promptitudo ad easdē perdendas, tum etiam, quia dum hac florenti ætate colligi incipiunt, longè perfectiores parantur, suntq; selectiores. Has porrò adolescentias, auras matutinas vocat; nam sicut amœnitas matutina tēpore veris gratior est cæteris diei partibus, ita gratior est corā Deo virtus in adolescētia. Potest etiā matutina aura designare actū amoris quibus acquirūtur virtutes, qui proculdubio gratiores sunt Deo, quā sit grata filijs hominū aura matutina. Designat etiā aura matutina opera facta cū ariditate & renitentia spiritus, quæ exprimuntur per aurā brumalem matutinam hyemis: quæ opera propter Deū facta cum siccitate & difficultate spiritus, valdè ab illo æstimantur: quoniā in illis maximè conquiruntur virtutes & dona, quæ autē hoc modo & cum labore parātur, selectiores, excellentiores, solidioresq; sunt, quā si acquirantur vento propitio & spiritus suauitate. Virtus enim in ariditate, difficultate, labore & tētatione agit radices, quemadmodum Deus dixit D. Paulo his verbis: *Virtus in infirmitate perficitur.* ac proinde ad commendandam excellentiam virtutum, ex quibus coronæ pro dilecto confici debent, benè apteque dictum est,

Matutina aura selectis.

In his enim duntaxat floribus & smaragdis virtutum & donorū selectorum perfectorumq; valde sibi cōplacet amatus, non verò in imperfectis; & idcirco ait hoc loco anima Spōsa, quod ex istis floribus ipsi Sponso

Serta conficiemus.

Ad cuius intelligentiā sciendum est, quod oēs virtutes & dona, quæ anima & Deus in ipsa acquirunt, sunt instar coronę ex variis floribus textæ, qua mirum in modum tanquā indumento pretioso & vario decoratur. vt autē hoc melius percipiatur, animaduertendū est, quod sicut materiales flores, quādo decerpuntur, sigillatim connectūtur in serto, q; ex illis cōficitur, eodē plane modo, cū flores spirituales virtutū & donorū cōparantur, collocantur in anima: quibus iam adeptis sertū quoq; perfectionis absolutum est, quo exornati & cō decorati, Sponsus simul & anima cōgaudent & delectārur tanq̄ in statu perfectionis. Hæc sunt serta, quæ se facturos ait, q; est cingere & redimire se diuersis floribus & smaragdis virtutū & donorū perfectorū, vt hoc formoso pretioso q; ornamento decorata anima, ante faciē Regis condigne cōpareat, eiq; cozquari mereatur, ad latus ipsius instar Reginæ cōstituta, vtpo-

te quæ tali honore digna sit ob pulchritudinis suæ varietatē. vnde Dauid Proph. cū Christo loquens in hoc casu dixit: *Astitit Regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circūdata varietate*: quod tantum dē est, ac dicere, astitit à dextris tuis, perfecto amore amicta, & circumdata varietate donorū & virtutum perfectarū; & non ait, ipsa sola serta nectā, neq; tu solus illa facies: sed ambo simul; quoniā nequit anima sola operari & adipisci virtutes, absq; Dei auxilio; neq; etiā à illas solus Deus operatur in anima absque cooperatione ipsius: Nam etsi verum sit, quod dixit D. Iacob. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est descendens à Patre luminum*. nihilominus idipsum non recipitur absque habilitate & cooperatione animæ recipientis. Hinc Sponsa in Canticis cum Sponso locuta dixit: *Trahe me post te, curremus &c.* Itaque motus in bonum à solo Deo venire debet, sicut hoc loco indicat; de cursu vero non dixit quod ipse solus, vel sola ipsa curreret; sed ambo curremus, quod est Deum & animam simul operari. Versiculus iste appositè satis intelligitur de Ecclesia & Christo, in quo Ecclesia Sponsa loquitur cum ipso, dicens:

Psal. 44. 10.

Iacob. 1. 17

Serta conficiemus.

Sertorum metaphora designat oēs animas sanctas, regeneratas per Christū in Ecclesia, quarum singulæ sunt in star coronæ, floribus virtutum & donorum exornatæ; & simul omnes sicut sertum & corona vna capiti Sponsi Christi imponenda. Possunt etiam decora serta hæc designare eas, quæ alio nomine laureolæ nuncupantur, etiam in Christo & Ecclesia contextæ, sunt q; in triplici differentia. Primum sertū est ex candidis pulcherrimisq; floribus omnium Virginū quælibet seorsim sua laureola virginitatis, & oēs simul erunt laureola vna imponenda capiti Sponsi Christi Domini. Secunda laureola est ex fulgētib. & coruscantibus florib. SS. Doctorū quilibet sua decoratus laurea & simul oēs erunt laureola vna imponenda capiti Christi, supra laureolā Virginum. Tertia denique laureola est ex rubescentibus caryophillis Martyrum, vnusquisq; etiam sui laurea Martyrij, & omnes simul erunt laureola vna pro coronide laureolæ Spōsi Christi: quo triplici serto redimitus, adeò speciosus &. decorus apparebit Christus Sponsus, quod de ipso cantabitur in cœlo illud, quod Sponsa in Canticis cecinit dicendo: *Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius*: Hæc itaque serta, ait Sponsa, conficiemus

Cant 3. 11.

Ecclesia Christi anima sancta.

Serta etiā designant laureolas.

In amore tuo florentia.

Flos operum ac virtutum, est gratia, & virtus quam habent ab amore Dei, sine quo, non modo non efflorerent, verum etiam omnes aridæ essent, & nullius valoris apud Deum, etiamsi humano modo perfectæ essent. At quoniam ipse gratiam & amorem largitur, propterea opera illius sunt amore florentia.

Et in vno capillo meo intertexta.

Hic animæ capillus est voluntas, & amor ipsius erga dilectum, qui amor idem prorsus munus subit in anima, quod filum in serto. Nā quemadmodū filum illaqueat & irretit flores in serto; ita amor illaqueat & irretit virtutes in anima, & in ipsa sustentat. Etenim vt Diuus Paulus affirmat charitas est vinculum perfectionis: *Charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*. Itaque in hoc animæ amore ita

Amor Dei capillus anima.

Coloss. 3. 14.

necessario prehensæ sunt virtutes & dona supernaturalia, quod si infringeretur per recessum à Deo, quamprimum etiã dissoluerẽtur, & abessent oẽs virtutes: ab anima sicuti fracto filo serti flores dilaberentur. Non igitur satis est, si Deus nos diligat, ad hoc vt virtutes nobis donet; sed etiam requiritur, vt nos eum vicissim amemus, quo sic eas recipiamus & conseruemus. Capillum vnicum dixit, non plures, vt denotaret, quod voluntas sua illi soli adhæreat, à cæteris omnibus crinibus aulis, id est, extraneis, & peregrinis amoribus. Quo encomio optimè commendat, & exaggerat valorem & æstimationem istorum sertorum virtutum, cum enim amor solus & solidus est in Deo, qualis est quem anima hîc describit; etiam virtutes perfectæ, expolitæ admodum & floridæ sunt in Dei amore. amor enim, quo tunc sponsus animam diligit, inæstimabilis est, prout ipsa in sequenti cantu significat.

CANTVS VIGESIMVS TERTIVS.

CANCION XXIII.

En solo aquel cabello
Que en mi cuello bolar considerafte
Miráftele en mi cuello
I en el preso quedafte
I en vno de mis ojos te llagafte.

SENSVS.

In illo solo crine
Quem in collo meo volare considerafti,
In collo meo illum aspexisti,
Et in eo vinctus fuisti
Et in vno oculorum meorum es plagatus.

DECLARATIO.

TRia vult significare anima in hoc Cantu; Primum, quod amor ille, quo sunt connexæ virtutes, non sit alius, quam amor fortis, reuera enim oportet talis sit, vt illas conseruet. Secundo ait, maximè Deo placuisse crinem hunc amoris, dum vnicum & fortem conspexit. Tertio denique asserit, quod arctissimè Deus adamauerit eam, fidei suæ nitorem & integritatem intuitus: ait itaque in hunc modum:

In illo solo crine
Quem in collo meo volare considerafti.

Collum fortitudinem indicat, in qua volitare ait capillum amoris, quo sunt intertextæ virtutes, qui est amor fortis. Non enim satis est, vt sit solus & vnicus ad conseruandum virtutes; sed requiritur etiam, vt sit fortis ne aliquod vitium contrarium, ex aliquo serti perfectionis latere consurgẽs, illum valeat disrumpere. Tali quippè ordine connexæ sunt virtutes, hoc crine amoris animæ, quod si in earum aliqua disrumperetur; protinus, vti diximus oẽs deficerent. Nam quemadmodũ, vbi vna virtus est, reliquæ oẽs adsunt, ita etiã vbi deest vna, cæteræ oẽs desunt. Ait porrò quod volaret in collo capillus iste: quia in fortitudine animæ, quæ est ipsius collum, amor iste ad Deum fortissime celerrimeq; volat, nec cunctatur alicubi: & sicut in collo vẽtus agitat & volitare fuit capillum, sicetiã Spir. S. aura mouet & agitat amorẽ fortẽ, vt volatibus feratur in Deum. Equidẽ nisi hæc aura diuina moueat potẽtias ad exercitium diuini amoris: virtutes nõ operantur, etiamsi sint in anima. Cũ vero ait, q dilectus considerauit capillum hunc in collo

collo volitare, denotat, quantopere Deus cupiat amorem fortem ac celerem in operando; considerare enim est attentè & singulari quadam æstimatione aspicere. Amorem fortem Deus maximè attendit.

In collo meo illum aspexisti.

Hoc ideò asserit, vt significaret, quod non solum Deus magnifecerit & æstimauerit fortem hunc amorem animæ, sed quod etiam illum amauerit, dum fortem conspexit; nam Dei aspicere, Dei amare est, sicut etiam considerare Dei est rei pretium æstimare & notare. Repetit autem in hoc versu collum, dicens, in collo meo illum es intuitus, quia sicut diximus, hæc est ratio, cur illum amauerit, nempe quia fortem illum vidit. itaque idem est, ac si diceret: eum amasti videndo fortem absque pusillanimitate & metu, solum & à quouis alio amore discretum, velociter ac fernenter volantem: vnde sequitur.

Et in eo vinctus fuisti.

O rem omni acceptatione gaudioque dignissimam! Deum crine vno vinciri! cuius tam pretiosi vinculi causa est, Dei aspicere, quod (iuxta ea quæ diximus) est nostrum infimum & abiectum esse amare: nisi enim ipse propter suam infinitam misericordiam nos prior aspiceret & amaret, vt ait D. Ioannes, & sese ad terram vsque demitteret, nullam in eo ageret prædam volatus capilli amoris nostri: nõ enim adeò sublimiter volaret, vt diuinũ hunc alitem in altissimis apprehẽderet. At verò quoniã ipse sese adnos aspiciendum, & volatũ nostrum attollẽdum abiecit, amori nostro valorem impertiendo; propterea se ipsum capilli volatu vinxit, hoc est, sibi in illo complacuit, & ideo vinctus fuit: & hoc significat

In collo meo illum aspexisti. Et in eo vinctus fuisti.

Vnde credibile est, quod auis non adeò sublime volans, aquilam Regiam licet sublimiter volantem, apprehendat, si ad inferiora descendat, & sponte præda fieri velit.

Et in vno oculorum meorum es plagatus.

Oculus hoc loco fidem designat, quem vnicum esse, & in eo dilectum plagatum fuisse ait: etenim nisi fides & fidelitas animæ erga Deum esset vnica, sed alio quouis respectu aut officiositate permixta, non pertingeret eò, vt Deum plagaret amore: vnde vnicus debet esse oculus, quo plagatur dilectus, sicut etiam vnicus capillus, quo vincitur. Porrò tam est intimus amor, quo Sponsus prehenditur, in hac vnica, quam in Sponsa videt, fidelitate, vt si capillo amoris ipsius ligabatur, oculo fidei illius, tam indissolubili vinculo constringatur, vt amoris plaga ex tenerrimo affectu, quo erga eam fertur, in ipso resultet. Hoc idem de crine & oculo dicit Sponsus in Cant. loquens cum Sponsa his verbis: *Vulnerasti cor meum soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Vbi bis repetit, vulnerasti cor meum, oculo videlicet, & crine. Ac proinde anima in dicto cantu vtriusque meminit, quasi acceptum referens & gratias agens dilecto pro munere tam insigni, tum etiam vt congaudeat & collætetur ob felicem & fortunatam sortem suam; quod nimirum amatus in ipsa sibi complacuerit: vnde totum illi asscribit anima in cantu sequenti, dicens.

Fides oculus animæ.

Cant. 4. 9.

CANTVS VIGESIMVS QVARTVS.

CANCION XXIV.

Quando tu me mirauas
Tu gracia en mi tus ojos imprimien,
Por esso me ademauas
Y en asso merecian
Los mios adorar loque enti Veian.

SENSVS.

Quando me aspiciebas
Gratiam tuam in me tui oculi imprimebant,
Idcirco me adamabas
Et in eo merebantur
Mei oculi adorare, quod in te cernebant.

DECLARATIO.

Veri amoris proprietas nihil sibi, omnia amato asscribere.

PRoprium est perfecti amoris, nihil admittere aut sibi assumere, nihilque sibi arrogare velle, sed omnia amato asscribere. & siquidem hoc etiam in amoribus terrenis reperitur, quanto magis in amore diuino, vbi tantopere id faciendi vrget ratio? Quapropter cum in antecedentibus canticis Sponsa sibi aliquid vendicare visa sit, vt puta, quod ipsa vna cum dilecto serta connecteret, & quod crine suo texerentur, quod sanè opus non parui est momenti & pretij: tum etiam quod deinceps asserit & gloriatur Sponsum in vno crine suo ligatum, & in vno oculorum plagatum fuisse, vbi magna sibi merita tribuisse visa est. Propterea in præsenti cantu cupit mentem suam explicare, & deceptionem, quæ ibi latere posset, abolere, verita & solicita, ne sibi meritum aliquod asscribatur, atque adeo minus Deo tribuatur, quam illi debetur, ipsaque desiderat. Proinde totum illi attribuens, simulque acceptum referens ait: Idcirco amoris sui crine eum fuisse ligatum, & oculo fidei suæ plagatum, quia amicè & beneuolè aspicere eam dignatus sit, quo aspectu gratam sibi gratiosamque effecit; nec non, quod per hanc gratiam & virtutem ab eo acceptam, amorem ipsius animique robur promeruerit, vt gratè adoraret dilectum suum & opera illius gratia & amore condigna præstaret.

Quando me aspiciebas.

Nimirum amoris affectu, diximus enim, quod aspicere Dei, hoc loco sit idem, quod amare.

Gratiam tuam in me tui oculi imprimebant.

Sponsi oculi hic exprimunt illius misericordem diuinitatem, quæ dum propitia sese ad animam inclinat, amorem suum & gratiam in illam infundit & imprimit, qua ita eam decorat & extollit, vt suæ diuinitatis consortem efficiat. Videns autem anima dignitatem & celsitudinem, in qua à Deo constituta est, ait:

Idcirco me adamabas.

Adamare, est vehementer amare, est am-

amplius quam simpliciter amare, est quasi dupliciter amare, hoc est, duplici titulo seu ratione amare. Et sic in hoc Versu indicat anima duplex motiuum & causam amoris, quo dilectus in eam fertur, quibus permotus non solum eam amabat crine colli ipsius reuinctus, sed etiam adamabat eiusdem oculo plagatus. Porrò huius tam arcti & vehementis amoris causam, eam esse ait in hoc Versu, quoniam aspectu suo gratiam conferre voluit, vt sibi complaceret in illa amoris sui crinem largiendo, ac fidei illius oculum formando charitate sua: propterea ait: *Idcirco me adamabas.* Nam ponere Deum in anima gratiam suam, est, dignam & amoris sui capacem efficere: Itaque tantundem est ac dicere, quia reposueras in me gratiam tuam, pignus sanè condignum amore tuo, propterea me adamabas, hoc est, idcirco vberiorem gratiam conferebas. Hoc idem sibi Ioan.1.16. voluit D. Ioannes: *dat gratiam pro gratia*, videlicet dat gratiam pro priori gratia, quod est maiorem conferre gratiam. Non enim absque ipsius gratia possumus eiusdem gratiam promereri. Notandum est pro huius rei intelligentia, quod sicut Deus Optimus, Maximus, non amat aliquid extra se nisi propter se, sic etiam omnia æque diligit ac se ipsum, nam omnia amat in ordine ad se, amor autem habet rationem finis: & sic non amat res propter id quod sunt in se ipsis. vnde Deum animam amare est quodammodo intra se ponere, sibique eam coæquare: & ita diligit animam secum in se, eodem quo seipsum amat amore: Ideoque in quouis opere bono meretur anima amorem Dei. Siquidem hac gratia & celsitudine insignita, Deum ipsum in singulis operibus suis promeretur: idcirco sequitur in hoc alio Versiculo,

Deus nihil amat extra se nisi propter se. Deus omnia diligit aequaliter se.

Et in eo merebantur.

In isto fauore & gratia, qua oculi misericordiæ tuæ me donarunt, erigendo me ad tuum amorem, condigni habiti sunt & meruerunt

Mei oculi adorare quod in te cernebant.

Quod est dicere: potentiæ animæ meæ, O Sponse mi, quæ antea propter miseriam & in operando exiguam habilitatem humiles & abiectæ erant, iam nunc ad te conspiciendum meruerunt extolli. Nam posse animam Deum aspicere, est in Dei gratia opera efficere, & iam tum animæ oculi merebantur adorare in ipso, quia adorabant in gratia Dei sui: adorabant id quod iam videbant in illo, illustrati ac sublimati illius gratia & fauore, quod anteà minimè cernebant ob innatam cœcitatem & vilitatem suam. Quid igitur iam videbant? videbant certè magnitudinem virtutum, abundantiam suauitatis, bonitatem immensam, amorem & misericordiam, innumeraque beneficia ab illo accepta, tum quando erat in statu gratiæ, tum etiam quando erat extra ipsum: hæc omnia iam erant digni adorare cum merito oculi animæ, eo quod essent gratiosi, quod hactenus non solum non merebantur adorare, nec videre, sed ne quidem considerare: ingens quippe est cœcitas & rusticitas animæ extra gratiam existentis.

CANTVS VIGESIMVS QVINTVS.

CANCION XXV.	SENSVS.
No quieras despreciarme	*Noli me despicere*
Que si color moreno en mi hallaste,	*Nam si fuscum in me colorem inueniſti,*
Tu bien puedes mirarme	*Iam me nunc potes aſpicere,*
Despues que me miraste	*Poſtquam me aſpexiſti,*
Que gracia y hermoſura en mi dexaſte.	*Nam gratiam & decorem in me reliquiſti.*

DECLARATIO.

ANimo erecta iam Sponſa, ac ſeipſam æſtimans ob gratiarum pignora obtenta à dilecto ſuo, videnſque ſe propter illa æſtimatione dignam eſſe, eò quod illius dona ſint, etiamſi natura ſua vilis nullaque æſtimatione ſit digna, audacter dilectum ſuum alloquitur, dicens, vt deinceps nolit eam paruifacere, nec deſpicere: nam licet antehac ob culpæ ſuæ fœditatem & vilitatem naturæ, hoc meretetur; attamen quandoquidem iam ſemel illam aſpexerit, quo aſpectu gratia ſua eam locupletarit, & decore ſuo amicuit; meritò iterum ſæpiuſque eam aſpicere poteſt, gratiam & decorem adaugendo: ratio quippe & cauſa ſufficiens id ſuadent, nimirum, quod etiam tunc illam intuitus ſit, cum adhuc indigna eſſet, nullamque ad hoc aptitudinem haberet,

Noli me deſpicere.

Quaſi diceret, quandoquidem ſic res ſe habent, prout dictum eſt, noli me iam vilipendere.

Nam ſi fuſcum colorem in me reperiſti.

Si enim, priuſquam me aſpiceres, turpitudinem culparum & imperfectionũ, naturaliſque conditionis ignobilitatem in me reperiſti,

Iam me nunc potes aſpicere Poſtquam me aſpexiſti.

Expellendo fuſcum illum & ingratum colorem, quo viſu iniucunda erã, planeque indigna, iam nunc pluries me potes aſpicere, non ſolum enim primo aſpectu tuo colorem fuſcum à me repuliſti, ſed & viſu digniorem reddidiſti, eo quod

Gratiam & decorem in me reliquiſti.

Plurimum ſibi complacet Deus in anima gratiæ ſuæ munere inſignita: gratanter ſiquidem in illo commorãtur, ipſa verò illius conſortio grandis effecta eſt, ideoque ineffabiliter eam diligit, eique in omnibus euentibus & operibus vberiorem amorem ac dona potiora communicat: anima enim amore ſublimata & honeſtata in Deo, precibus plurimum obtinet. quod ſignificauit Deus loquens cum dilecto ſuo Iacob per Iſaiam, his ver-

verbis: *Ex quo honorabilis factus es in oculis meis & glorioſus, ego dilexi te.* Hoc eſt, promeritus es maiorem meam dilectionem, & in ea maiorem gratiã donorum meorum, propter honorem & decorẽ gloriæ, quam ex me habebas; egregiè etiam idipſum expreſſit Sponſa in diuinis Cant. Cant. 1. 4. ſic loquens cum filiabus Ieruſalem: *Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Ieruſalem, ideo dilexit me Rex, & introduxit me in cubiculum ſuum*, id eſt, licet à me ipſa fuſca ſim & nigra, ſum tamen formoſa ab ipſo, propterea maiorem mihi contulit amorem, & ad penitiora introduxit, plura beneficia conferendo. Optimo iure igitur ô Deus meus me nunc potes aſpicere, poſtquam me ſemel aſpexiſti, quando quidem primo illo aſpectu tuo gratiam & decorem honoris, gloriæ & diuitiarum in me repoſuiſti.

CANTVS VIGESIMVSSEXTVS.

CANCION XXVI.	SENSVS.
Cogednos las raposas	*Capite nobis vulpes*
Que esta ya florecida nuestra vinna,	*Nam vinea nostra iam floruit*
En tanto que de rosas	*Interim dum ex rosis*
Hazemos vna pinna	*Conum vnum conficimus*
Y no paresca nadie enla montinna.	*Et nullus compareat in colliculis.*

DECLARATIO.

CONſpiciens Sponſa virtutes animæ ſuæ ad perfectionis punctum euectas, vbi illarum delectatione, ſuauitate & fragrantia potitur (quemadmodum plantarum pulchritudine & odore tunc potimur, cum perfectè efflorescunt) cupiens hac ſuauitate ſine intermiſſione gaudere, vtque nulla res eam impedire, aut intercludere valeat; idcirco in præſenti Cantu Angelicos ſpiritus Deique miniſtros obteſtatur, vt quæcunque virtutum ſuarum flores deturbare poſſunt, à ſe propellãt & arceant; cunctas videlicet perturbationes, tentationes, inquietudines, appetitus, imaginationes, alioſq; motus animæ, qui pacem, quietem ac ſuauitatem internam impedire ſolent tunc, quando maiori voluptate, omnibus ſimul virtutibus, vna cum amato perfruitur. Nonnunquã enim ſolet anima videre in ſpiritu ſuo vniuerſas virtutes ſibi à Deo donatas, hanc lucẽ illo operante in ipſa: tunc autem mira quadam voluptate & ſuauitate amoris, omnes coniunctim offert dilecto, inſtar coni ex floribus connexi, in quo dum dilectus illas acceptat, ſicuti reuera tunc acceptat, maximum in eo recipit obſequium, eo quod anima vna cum virtutibus ſe ipſam offerat, quod ſanè maximum eſt obſequium, quod illi præſtare poteſt. vnde inter potiſſimas voluptates, quas in Dei cõmercio recipere ſolet, meritò debet annumerari hæc, quã percipit in hoc genere doni, quod offert dilecto. Itaque optans ne quid hanc internam ſuauitatem præpediat, quæ eſt vinea florens, nõ tantum deſiderat, vt prædicta propellant, verumetiam vt ſumma rerũ omnium adſit ſolitudo, adeo vt in vniuerſis potentijs & appetentijs tam internis, quam etiam externis, nulla forma nullaque imago rei alicuius adſit, quæ coram anima & dilecto compareat & repræſentetur, dum in communi ſolitudine & vnione mutua conum hunc conficiunt, eoque fruuntur.

Capite nobis vulpes
Nam vinea nostra iam floruit.

Vinea est plantarium omnium virtutum animæ, quæ suauissimi saporis vinum ipsi propinant. Tunc autem hæc animæ vinea efflorescit, cum in vnione voluntatis cũ amato oblectatur, & hisce omnibus virtutib. simul fruitur: quo tẽpore præsto esse solent memoriæ & imaginatiuæ multæ ac variæ formæ & imagines, & in parte sensitiua multi diuersique motus & appetitus, qui animam interturbant, & maxima subtilitate & acumine suo gustum ac suauitatem, qua tunc potitur, perdere faciunt, grauiter vexando illam. Solent enim hoc tempore plurimæ perturbationes, horrores, timoresque ingruere, quos dæmones immittere consueuerunt: quæ omnia vulpium nomine expressit. Nam quemadmodum celeres vulpeculæ leuiculis saltibus deijcere, & pessumdare solent vinearum flores, ita huiusmodi imaginationes & motus leuitate & celeritate sua impediunt & deijciunt ab anima florem suauitatis, qua tunc, prout dicebamus, potitur. Tum etiam quia, sicut vulpes callidæ sunt & sagaces ad damnũ inferendum, ita istæ imaginationes, vna simul cum dæmonibus subuertere ac deturbare contendunt florem suauitatis animæ, ne fructus producat. Idipsum postulat Sponsa in Canticis, dicendo: *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit*; & idcirco cupit anima hoc loco vt à venatoribus capiantur, tum etiam vt detur locus & opportunitas faciendi, quod sequitur, nimirum:

Cant. 2. 15.

Interim dum ex rosis
Conum conficimus.

Eo tempore, quo anima flore huius vineæ in pectore dilecti sui oblectatur, contingit, vt virtutes omnes sese in ordinem & ad punctum perfectionis suæ redigant, sicut demonstrauimus, ostendendo & tribuendo animæ fragrantiam & suauitatem suam in ipsamet anima, & simul in Deo, adeò vt florentissima quædam & iucundissima vinea vtriusque videatur. Tunc vero anima omnes simul connectit, sapidissimos amoris actus in vnaquaque illarum, & in omnibus coniunctim eliciendo: easque ita connexas præsentat dilecto indicibili amoris tenetitudine ac suauitate ipso dilecto auxilium ferente; nam propterea ait,

Conum conficimus

Id est, vterque simul; & sic hæc virtutum connexio est ad instar coni rosarum: nam quemadmodum conus, seu nux pinea fortis est, continens in se plures alias non minus fortes nuculas, ipsi cono fortiter adhærentes (hi sunt nuclei pinei) ita conus iste, quem anima præparat dilecto suo, est vnica perfectio animæ fortiter & ordinatim in se complectens plurimas virtutum perfectiones fortissimas, donaque ditissima: omnes siquidem perfectiones virtutum conueniunt & ordinantur in vnica perfectione animæ, quæ dum perficitur & offertur amato in spiritu, expedit vt vulpium venationi insistatur: neque hoc solum, sed etiam

Et nullus compareat in coticulis.

Etenim ad hoc diuinum exercitium internum etiam requiritur solitudo, & alienatio rerum omnium, quæ animæ possent occurrere, siue à parte portionis inferioris sensitiuæ, siue etiam à parte superioris,

rioris, quæ est rationalis: quibus tota harmonia potentiarum & sensuum hominis concluditur: quam hic colliculos appellat, aitque vt nemo in eis compareat: id est, non compareant in potentijs ac sensibus sensitiuæ portionis formæ vllæ, nec species obiectorum, neque aliæ operationes naturales, (in hoc quippe statu si sensus externi aut interni operentur, obstant) neq; etiam in potentijs spiritualibus aliæ propriæ operationes & exercitia videantur. Cum enim anima ad vnionem amoris peruenit, non vltra operatur, nec opus est vt operentur potentiæ spirituales: quandoquidem vnionis opus iam est perfectum, amando, quod intellexerat, sicut cum peruenitur ad terminum media omnia cessant. Nemo igitur compareat in colliculis. adsit solummodo dilecto voluntas præfato modo.

In vnione amoris potentiæ non operantur.

CANTVS VIGESIMVSSEPTIMVS.

CANCION XXVII.

Detente cierço muerto
Ven austro que recuerdas los amores
Aspira por mi huerto,
Y corran sus olores
Y pazca el amado entre las flores.

SENSVS.

Subsiste Aquilo mortue,
Veni Auster suscitator amorum,
Aspira per hortum meum,
Et fluant odores illius
Et pascetur amatus inter flores.

DECLARATIO.

PRæter ea quæ dicta sunt, posset etiã ariditas spiritualis extinguere in anima Sponsa succum & suauitatem internam, cuius supra meminit; quod dum pertimescit, duo facit in præsenti cantu. Primo ianuam occludit ariditati spirituali, solicitè inuigilans ne deuotione neglecta subintret. Secundo inuocat Spiritum S. perseuerans in oratione, vt per ipsam non solum ariditas foris consistat, sed etiam vt augeatur deuotio, & anima ponat virtutes in exercitio interno, hoc solummodo spectans, vt dilectus suus magis in eis gaudeat & oblectetur.

Subsiste Aquilo mortue

Ariditas spiritualis Aquilo.

AQuilo est ventus frigidus exsiccans & marcescere faciens flores. Iã vero quoniam spiritualis ariditas eundem parit effectum in anima, in qua est, propterea Aquilonem mortuum appellat, eo quod extinguat suauitatem & succum spiritualem: vnde ex effectu quem causat, *Aquilonem mortuum* appellat. Cupiens autem Sponsa in amoris sui dulcedine sese conseruare, ariditatem obtestatur vt sistat: quod sic est intelligendum, vt obtestatio hæc denotet studium præstandi opera, quæ eam arceant, conseruando animam, & ab occasionibus illam incurrendi subducendo.

Veni Auster suscitator amorum.

Auster est alius quidam ventus, quem

vulgari sermone Africum appellamus; hic lenis & suauis est, imbrifer, herbas germinare, flores excludi, odoremq; suũ exhalare faciens. Cuius effectus omnino contrarij sunt effectibus Aquilonis. Per hunc ventũ designat hoc loco anima spiritum S. & ait eum suscitare amores. Cum enim hæc aura diuina animam adoritur, adeò eam totam inflammat, liquefacit, viuificat & suscitat voluntatem, omnesq; appetitus, qui antehac prostrati & sopiti iacebant, ita ad Dei amorem subleuat, vt non immeritò dici possit *suscitator amorum*.

Aspira per hortum meum.

Diximus iam animam esse vineam virtutibus efflorentem, nunc etiam Sponsa hortum hic eam vocat, in quo virtutũ & perfectionum flores plantati sunt. Est autem hoc loco notandum, non dixisse animam, aspira in horto meo, sed consulto dixit, *per hortum meum*; magnum quippe discrimen est, inter aspirare Deum in anima, & aspirare per animam: Nam spirare in anima, est in ipsam infundere gratiam, dona & virtutes; at vero aspirare per animam, est, Deum contingere tactu suo virtutes & perfectiones animæ iam collatas, ita illas renouando & commouendo, vt mirabilem sui fragrantiam & suauitatem exhalent; non secus ac cum aromatum species reuoluuntur & mouentur: tunc enim cum motio illa fit, odoris sui abundantiam diffundunt, qui hactenus tantus non erat; nec tantopere percipiebatur, eo quod anima nõ semper actu sentiat, & fruatur virtutibus, quas acquisiuit. Siquidem prout demonstratum est, in hac vita se habẽt in anima sicut flores occlusi in gemmis suis, aut sicut aromata inuoluta, quorum suaueolentia non percipitur, donec deregantur, reserentur & agitentur. Interdum verò tam immensa beneficia largitur Deus animæ Sponsæ, vt diuino suo spiritu afflante per istum hortum animæ, has virtutum omnium gemmas excludat, hæc aromata donorum perfectionum & gratarum animæ reuelet, thesaurumque & facultates aperiendo, totam ipsius pulchritudinem ostendat: tunc autem mirum est videre & suaue sentire, diuitias donorum, quæ animæ patefiunt, nec non istorum omnium florum iam excluforum pulchritudinem, & vnumquemque eorum odorem suauitatis sibi propriæ illi exhibentem. Et hoc appellat *fluere odores illius*, cum in subiecto Versu ait:

Discrimẽ inter aspirare in horto & per hortũ.

Et fluant odores eius.

Quorum tanta nonnunquam est affluentia, vt arbitretur anima se delitijs amictam esse, & gloria inæstimabili perfusã, adeo, vt nõ ipsa sola interius id sentiat, sed etiã exterius tantopere redundare soleat, vt minime id eos lateat, qui prudenter animaduertunt; quibus huiusce modi anima videtur esse instar horti amœnissimi delitijs ac diuitijs Dei referti. Nec solum id videre licet in his animabus sanctis tũc cũ isti flores sunt excluſi, sed etiã ferè semper, nescio quid maiestatis & dignitatis præ se ferunt, quæ cæteris obseruantiam & reuerentiam erga eas inducit: idque ob supernaturalem effectum, qui diffunditur in corpus, ex proxima ac familiari cõmunicatione cum Deo: qualis fuit ille, qui in libro Exodi de Moyse describitur, quod non poterant filij Israel intendere in faciem eius propter gloriam & propter maiestatem in corpore eius relictam, eo quod facie ad faciem egisset cum Deo.

In hac Spiritus S. aspiratione per animam, quæ est visitatio ipsius amorosa erga

erga illam, alio quodam modo seſe eidem communicat Sponsus Dei filius. Idcirco enim præmittit spiritum suum, sicut præmisit Apostolis (qui est veluti præparator hospitij) vt præpararet habitaculum animæ Sponsæ, delitijs eam subleuando, hortum illius in ordinem redigendo, excludendo flores, dona manifestando, gratiarum diuitiarumque suarum peristromatibus exornando. Vnde ingenti quodam desiderio concupiscit anima hæc omnia, nimirum vt abscedat aquilo, vt auster veniat, vt aspiret per hortum: in hoc quippe multa simul bona lucratur. Inprimis enim lucratur fruitionem virtutum, dum in suaui exercitio illas gustat, sicut tradidimus: lucratur item ipsius dilecti fruitionem in illis, siquidem illarum interuentu, vt nuper dicebamus, perfectius seſe illi communicat, & peculiarius confert beneficium quam antea: lucratur etiam quod dilectus multo magis seſe in illa oblectat propter hoc virtutum exercitium, quod ipsi animæ supra modum placet, quod nimirum, placeat dilecto suo. Lucratur denique continuitatem, & permanentiam eius saporis & suauitatis virtutum, quæ tamdiu in anima perseuerat, quamdiu amatus ibidem tali modo assistit, dulcedinem suauitatis in virtutibus suis illi exhibente Sponsâ, prout in Canticis ipsa fatetur his verbis: *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum*: ac si diceret, interim dum Rex accumberet in reclinatorio suo, quod est anima mea, arbuscula mea redolens, dedit odorem suauitatis, designans hoc loco nardi seu arbusculæ nomine, quæ pluribus constat floribus, plantarium multarum virtutum, quas supra in anima residere traditum est, quam ibidem vineam florentem, aut conum florum nuncupauit. Et sic hæc arbuscula redolet odoris suauitatem Deo & animæ, quamdiu ille per substantialem communicationem commoratur in illa. Quapropter votis omnibus optandum est, vt vnaquæque anima postulet, quatenus hæc Spiritus S. aura per hortum suum aspiret, fluantque diuini ipsius odores. Quod cum adeò sit necessarium, vtile & glorioſum ipsi animæ, concupiscit Sponsa & postulat in Canticis dicens: *Surge aquilo, & veni auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.* quibus verbis vniuersa quæ in hoc cantu hactenus diximus, comprehẽduntur. Quorum germanus sensus is est. Surge Aquilo, & abi: Tu vero Auster, suauis & salubris veni, perfla & aspira per hortum meum, fluantque odorifera & preciosa illius aromata: quæ omnia concupiscit anima non propter voluptatem & gloriam inde sibi prouenientem: sed quia nouit summopere ex eo oblectari Sponsum suum, esseque dispositionem congruam & prænuntium vt dilectus Sponsus Dei filius declinet ad seſe oblectandum in illa: ideo enim subdidit:

Cant. 4. 16.

Et pascetur amatus inter flores.

Denotat anima pastus nomine voluptatem, quam Dei filius hoc tempore capit in illa; idque eo nomine magis propriè significatur, eo quod pastus seu cibus non tantum sapiat, verum etiam nutriat & sustentet. vnde Dei filius oblectatur in anima, in his animæ delitijs, & sustentatur in illa, hoc est, perseuerat in ipsa, vt in loco in quo apprime delectatur, eo quod locus ipse verè delectetur in illo: quod, ni fallor exprimere voluit per os Salomonis in Prouerbijs; cum dixit: *Et delitiæ meæ esse cum filijs hominum*: id est, quando illorum delitiæ sunt esse mecum, qui sum filius Dei.

Prou. 8. 31

Est autem notandum non dixisse, pascetur

cetur flores, sed inter flores: quia communicatio & delitiæ Sponsi sunt in anima, medio prædicto ornatu virtutum. pascitur vero ipsam animam transformando eam in se maturam iam & conditam salitamque floribus virtutum, donorum & perfectionum, quæ sunt condimenta, quibus & inter quæ pascit eam. Quæ virtutes & perfectiones Spiritus sancti præparatione iam dicta tribuunt Deo simul & animæ saporem & suauitatem. Et hic est Sponsi genius & natura, pascere inmirum animam inter fragrantiam istorum florum. Sic etiam Sponsa in Canticis, vtpote quæ illius indolem optime nouerat, de ipso asserit his verbis: Dilectus Cant. 5. *meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis & lilia colligat.* Et statim subdidit: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia:* id est, delectatur in anima mea inter lilia mearum virtutum & perfectionum.

CANTVS VIGESIMVS. OCTAVVS.

CANCION XXVIII.

Entrado se ha la Esposa
En el ameno huerto deseado
Y a su sabor reposa
El cuello reclinado
Sobre los dulces braços del amado.

SENSVS.

Ingressa est iam Sponsa
In amœnum hortum concupitum,
Et requiescit ad libitum
Collo reclinato
Supra dulcia brachia amati.

DECLARATIO.

CVm hactenus anima diligenter studuerit, vt caperentur vulpes, & abscederet aquilo, quæ obstabant, erantque impedimento, ne ad consummatas delitias matrimonij spiritualis pertingeret: post inuocatam etiam & impetratam auram Spiritus sancti, prout in ante actis cantibus fecit, quæ est germana dispositio & instrumentum ad eiusdem status perfectionem; supereſt nunc de illo in præsenti cantu tractare, vbi Sponsus loquitur, animam Sponsæ nomine compellando, in quo duo dicit. Primum quod post adeptam victoriam, ad hunc delectabilem statum matrimonij spiritualis tantopere ab ea concupitum peruenerit. Secundo recenset eiusdem status conditiones & proprietates, quibus anima potitur in illo; vtpura, quod ad libitum requiescat, & quod collum super mollia & dulcia dilecti brachia reclinet & inflectat, vt iam iam dilucidabimus.

Ingressa est iam Sponsa.

Vt istorum cantuum series manifestius declaretur, nec non vt innotescat ordo, quem regulariter seruat anima vsquedum ad statum hũc matrimonij spiritualis perueniat,

ueniat, qui est omnium supremus, de quo nunc, Deo auxiliante, sumus acturi: quēque anima iam adepta est, anima duertere oportet: quod prius anima sese exercuit in laboribus & amaritudinibus mortificationis (quas initio retulit à primo cantu

Cant. 5. vsque ad eum qui incipit, *Mille gratias diffundendo*) quam ad eum statum deueniret: postmodum vero eas pœnas & angustias amoris præterijt, quas in Cantuum decursu recensuit, vsque ad eum qui ait: *Auerte eos dilecte.*

Cant. 2. narrat præterea maximis se pluribusque visitationibus dilecti sui dignatam fuisse, quibus in amore ipsius perfectior effecta est, ac solidior, adeo vt prætergressa res omnes, etiam seipsam, per amoris vnionem in spirituali desponsatione sese illi tradiderit, vbi tanquam Sponsa dona & monilia maxima à Sponso percepit: quemadmodum cecinit ab eo cantu, in quo hæc diuina spōsalia celebrata sunt; nimirum: *Auerte eos dilecte*, vsque ad præsentem, videlicet, *Ingressa est iam Sponsa*: Vbi spirituale connubium seu matrimonium inter animam & Dei filium Sponsum eius contrahēdum restabat: quod profecto longè ampliùs est, quam desponsatio. Est namque totalis quædam transformatio in amatum, in quo fit omnimoda & mutua traditio, cum integra possessione vtriusque partis per consummatam amoris vnionem. In quo statu anima diuina effecta est, & participatiuè Deus, in quantum fieri potest in hac vita mortali: vnde status hic altior est inter omnes, ad quos in hac vita potest peruenire. Nam sicut in consum-

Gen. 2. 25. matione matrimonij carnalis sunt *duo in carne vna*, vt diuina asserit scriptura: sic etiam consummato hoc spirituali connubio inter Deum & animam, coalescunt duæ naturæ in vnum spiritum & amorem Dei: in eum ferè modum, quo lumen stellæ vel candelæ in conspectu solis vnitur & coniungitur cum lumine solis; tunc enim non iam stella vel candela lucet, sed sol, alia lumina in se diffundens. Cuius status meminit Sponsus in præsenti versu dum ait: *Ingressa est iam Sponsa*: id est, ab omni eo quod temporale & naturale est, vniuersis tentationibus, perturbationibus, curis, solicitudinibus, pœnis ac formis figurisque corporeis & imaginarijs ad extra relictis: quibus non amplius vtitur tanquam medio ad hunc sublimem Dei amplexum: A quibus omnibus ingressa est.

Cum in vnum spiritum & amorem.

In hortum amœnum concupitum.

Hoc est, in Deum suum sese transformando, quem hic hortum appellat propter suauem delectabilemq; mansionem, quam anima in illo inuenit. ad hunc hortum plenæ transformationis, qui est gaudium, delectatio & gloria matrimonij spiritualis, non venit anima, nisi primum transeat per desponsationem & fidelem amorem reciprocum inter Sponsos. Postquam enim aliquamdiu Sponsa fuit filij Dei per integrum & suauem amorem, vocatur à Deo, & in hunc hortum suum floridum, ad felicissimum istum statum matrimonij secum consummandum, intromittitur: in quo talis coniunctio vtriusq; naturæ fit, talisque communicatio diuinæ cum humana; vt absque vlla vtriusq; mutatione, quælibet Deus videatur, quamuis hoc fieri nō possit perfectè in hac vita, excedit tamē id omne q̄ dici aut excogitari potest. Optime hoc idē Spōsus in Cāticis significauit, vbi animā ad Sponsæ dignitatē euectā inuitat ad hūc statum his verbis: *Veni in hortum meum soror meæ sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Sororē ac Spōsam vocat, eo q̄ talis esset in amore & ua-

In matrimonio spirituali vtraq; natura Dei videtur absq; sui mutatione.

Cant. 5. 2.

& traditione, qua se ipsam illi consecrauerat, priusq; vocaretur ad hunc statũ matrimonij spiritualis: in quo suaueolentem myrrham & aromata sua messuisse ait, fructus scilicet maturos & præparatos ipsi animæ. Hi sunt delitiæ & magnalia quæ illi in hoc statu communicat, hoc est, seipsum, ideoque est hortus amœnus & concupitus ab anima: scopus siquidem & desiderium tam Dei quam animæ in cunctis operationibus suis est cõsummatio huius status matrimonij. Nec enim anima requiescit, donec ad illum perueniat. In hoc quippe statu reperitur maior abundantia & repletio in Deo, pax securior atque stabilior, fruitur præterea præstantiori suauitate quam in desponsatione: vtpote quæ super brachia talis Sponsi requiescit. Nam de huiusmodi anima intelligitur illud D. Pauli; *Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Christus.* quapropter cum anima tam felicem vitã ducat, quæ Dei vita est; perpendat vnusquisque si potest, qualis hæc vita erit, in qua constituta non solum nequit sentire aliquam amaritudinem, sicut nec Deus illã sentit, sed potius fruitur ac percipit delectationem & gloriam Dei in animæ substantia transformata in ipsum: ac proinde sequitur,

Gal. 2. 20

Et ad libitum requiescit Collo reclinato.

Collum prout supra dictum est, fortitudinẽ denotat, qua anima operatur virtutes, & vitia superat; æquum idcirco est, vt anima requiescat in eo quod laborauit, collumque reclinet,

Super dulcia brachia amati,

Reclinare collum in brachijs dei est habere coniunctã fortitudinẽ seu veriusinfirmitatem suam fortitudini Dei; brachia quippe Dei, eius fortitudinem significant, in quam transformata & reclinata nostra imbecillitas Dei ipsius fortitudinẽ induit. Hinc cõmode admodum denotatur hic status matrimonij spiritualis per hãc colli inflexionẽ super brachia dulcia dilecti. In illo enim Deus est fortitudo & dulcedo animæ, in quo à cunctis malis defensa & protecta est, & bonorum omnium suauitate delibuta. Propterea hunc statum cõcupiscens Sponsa in Canticis ait Sponso: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te, & me iam nemo despiciat.* fratrem suum nominando, indicat vtriusque æqualitatẽ in desponsatione amoris, antequam adhuc statum matrimonij spiritualis anima perueniat. Et id quod ait, *Sugentẽ vbera matris meæ*, est idem ac dicere; exsiccantem & extinguentem in me appetitus & passiones, quæ sunt vbera & lac matris Euæ in carne nostra, quæ plurimum impediunt istum statum: Et sic hac dispositione præmissa, inueniam te solum foris; hoc est, rebus omnibus, etiam mihi ipsi extranea, in solitudine & nuditate spiritus, quod sit exsiccatis appetitibus iam dictis: tibiq; deosculer sola te solum, hoc est, naturam meã sola ac nuda quauis impuritate reperta, naturali & spirituali, tibi soli vniretur, id est, soli naturæ & essentiæ tuæ absque vllo alio medio præter amorẽ ꝙ solummodo accidit in matrimonio spirituali, quod est suauium, quo anima Deum osculatur, vbi cõstitutam nemo eam despicit, nec auersus ipsam. In hoc siquidem statu neque dæmon, neque caro, neque mundus, neque appetitus molesti sunt. Hic enim adimpletur, quod etiam in Canticis dicitur: *Iam enim hyems transijt, imber abijt & recessit, flores apparuerunt &c.*

Cant. 8. 1

Cant. 2. 11

CAN.

CANTVS VIGESIMVS-NONVS.

CANCION XXIX.	SENSVS.
Debaxo del mançano	*Sub arbore mali*
Alli conmigo fuiſte deſpoſada	*Ibi mihi fuiſti deſponſata,*
Alli te di la mano,	*Ibi dexteram tibi dedi,*
Y fuiſte reparada	*Et fuiſti reparata,*
Donde tu madre fuera violada.	*Vbi mater tua fuerat violata.*

DILVCIDATIO.

IN hoc ſublimi ſtatu matrimonij ſpiritualis facillime crebriuſque reuelat Sponſus animæ admiranda ſecreta ſua, & operum ſuorum participem efficit. Verus namq; & integer amor nihil celare nouit amico; præſertim vero illi cõmunicat ſuauia incarnationis ſuæ myſteria, modum etiam ac ſeriem humanæ redemptionis, opus ſanè inter alia Dei opera excellentiſſimum, atque adeo ipſi animæ dulcius. Hoc itaq; facit Sponſus in præſenti Cantu: in quo denotatur, quomodo maxima dulcedine amoris manifeſtat animæ interius præfata myſteria. Vnde ipſam alloquendo commemorat, quemadmodum per arborem crucis ſibi deſponſata fuerit, miſericordiæ ſuæ fauorem ei conferendo, dum pro ipſa mortem ſubire voluit, & hoc pacto formoſam eam ac decoram reddere; Eo ſiquidem medio, quo humana natura per Paradiſi arborem in protoparente Eua corrupta fuerat, eam reparauit atque redemit: ait igitur,

Sub arbore mali.

Mali nomine ſubintelligit arborẽ Crucis, in qua Dei filius naturã humanam redemit, atque adeo ſeſe illi deſponſauit, ac per cõſequens vnicuique animæ, gratiam & pignora ad hoc condigna, per merita paſſionis ſuæ tribuendo: vnde ait,

Ibi mihi fuiſti deſponſata
Ibi dexteram tibi dedi.

Nimirum fauoris & auxilij mei, à miſero infimoque ſtatu tuo erigendo te, ad ſocietatem & deſponſationem meam:

Et fuiſti reparata
Vbi mater tua fuerat violata.

Quoniam natura humana mater tua in protoparentibus tuis ſub arbore violata fuit: tu quoque ibidem ſub arbore Crucis reparata es, adeo vt ſi mater tua ſub arbore te morti addixit, ego quoq; ſub Crucis arbore te vitæ aſſerui. Atque in hunc modum manifeſtat illi Deus ordinationes & ſapientiæ ſuæ diſpoſitiones; quod nimirũ ita ſapienter & eleganter ex malis nouit elicere bona, atque ad maius bonum ordinare id, quod mali origo fuit. Hoc ipſum quod in hoc cantu ad literam continetur, idem Sponſus cum Sponſa loquens in Canticis dixit his verbis: *Sub arbore mali ſuſcitaui te, ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.* Cant. 8. 5.

(✝)

CANTVS TRIGESIMVS ET TRIGESIMVS PRIMVS.

CANCION XXX.

Alas aues ligeras
Leones, cieruos, gamos saltadores,
Montes valles riberas,
Aguas, ayres, ardores
Y miedos delas noches veladores.

SENSVS.

Aues pennatæ leues,
Leones, cerui, damæ salientes,
Montes, valles, ripaque,
Aquæ, venti, ardores,
Metusque noctium vigiles.

CANCION XXXI.

Por las amenas liras
Y canto de sirenas os conjuro
Que cesen vuestras iras,
Y no toqueis al muro
Porque la Esposa duerma mas siguro.

SENSVS.

Per amœnas lyras
Et cantum Sirenum vos adiuro:
Vt cessent iræ vestræ,
Neque tangatis murum,
Vt Sponsa dormiat magis tutò.

EXPLANATIO.

PRosequitur Sponsus, & indicat in his duobus cantibus, quemadmodum interme-tu amœnarum lyrarum, quæ hoc loco significant suauitatem, quâ prope semper Sponsa in hoc statu potitur, necnon per Sirenum cantum, qui denotat voluptatem, quam anima iugiter experitur ac sentit, finem imponat, exterminetque vniuersas animæ operationes & passiones, quæ antea nonnihil obstabant, & amaritudinem aliquã intermiscebant, ne pacifico gustu ac suauitate frueretur. Hæ sunt inquit hoc loco phãtasiæ & imaginatiuæ digressiones, quas adiurat & obtestatur vt cessent. Geminam quoque potentiam naturalem, irascibilem videlicet, & concupiscibilem, quæ pridem aliquantulum molestæ erant, ad rationis obsequium adducit. Denotat præterea per has lyras & cantum, quod in hoc statu reducuntur ad perfectionem & medium operationis (quatenus in hac vita fieri potest) tres animæ potentiæ, intellectus nimirum, voluntas atque memoria. Continẽt etiam prædicti Cantus, quomodo quatuor animæ passiones, quæ sunt, dolor spes, gaudium & timor, mitigantur & ad rationis statetam redeunt, mediante satisfactione, & gaudio animæ, significato nomine lyrarum & Sirenum Cantus, vt statim dicemus. Quæ omnia incommoda Deus cessare vult, vt sic anima suauius, & absq; interpellatione fruatur delicijs, pace & suauitate huius vnioni.

Aues pennatæ leues.

Imaginatiuæ potentiæ digressiones, aues leues appellat, vtpote quæ leuiter subtiliterque hinc inde volitant, quæque subtilibus volatibus suis amaricare solent voluntatem, & gustum extinguere, tunc, cum in tranquillitate fruitur sapida amaticõmunicatione. Has inquit Sponsus, adiurare se per amœnas lyras &c. id est, vt sic quidem suauitas & delectatio animæ tam abun-

abundans, frequens & fortis sit, vt ab eis impediri nequeat, sicut solebat antea, vtpote quæ ad tam sublimem statum necdum peruenisset, eas, inquam, nunc adiurat, quatenus à suis inquietis volatibus, impetibus & excessibus abstineant: quod eodem planè modo intelligendum est, ac in reliquis cantus particulis hoc loco explicandis: Cuiusmodi sunt hæ:

Leones, cerui, damæ saliẽtes.

Leonum nomine denotatur acrimonia & impetus potẽtiæ irascibilis: hæc quippe potentia audax atq; temeraria est in actionib. suis veluti leones. Ceruorum & damarum appellatione designat alterã potentiam animæ, videlicet concupiscibilem: quæ est potentia appetitiua duplicem habens effectum; Alterum formidinis, audaciæ alterum: formidinis effectus exercet, quando non inuenit res sibi congruẽtes, tunc enim se recipit, contrahit, ac formidat: atque secundum hos effectus assimilatur ceruis, qui, sicut vehementiorem potentiam concupiscibilem præ cæteris pluribus animantibus sortiuntur; ita etiam valde formidolosi & ignaui sunt. Audaciæ vero effectus exercet, cum res sibi conuenientes inuenit, tunc .n. minime se retrahit, aut timet, quin imo desiderijs & affectib. eas appetere & admittere audet. In quibus audaciæ effectibus, cõparatur hæc potentia damis seu dorcadibus, quæ tanto cõcupiscibilis impetu feruntur in ea, quæ appetunt, vt non modo ad illa currẽdo ferantur, sed etiam saliendo: idcirco enim salientes appellat. Itaque dum leones adiurat, impetus & excessus iracundiæ refrenat, cum vero cervos obtestatur, concupiscibilẽ potentiã corroborat aduersus timores & formidines, quibus hactenus retrahebatur. Et cum salientes damas adiurat, eiusdẽ desiderijs satisfacit, sedatque appetitus, qui antea instar damarum inquieti hinc inde saliebant, vt cõcupiscentiæ sitim explerent; cui iam nunc satisfactum est per amœnas lyras, quarũ suauitate potitur, & per Cantum Sirenum, quarũ delitijs pascitur. Est tamẽ animaduertendũ, quod nõ adiurat Spõsus hoc loco irã & concupiscentiam (hæ quippe potentiæ nunquam ab anima absunt) sed abiurat ipsarum actiones molestas & inordinatas, quas leones, cerui & damæ salientes designant, hæ siquidem necessario ab hoc statu abesse debent.

Cerui & damæ sunt effectus cõcupiscibilis.

Montes, valles & ripæ.

Triplici hac dictione denotãtur vitiosæ & deordinatæ actiones trium potentiarũ animæ, memoriæ scil. intellectus & voluntatis: quæ actiones tunc temporis deordinatæ & vitiosæ sunt, quando supra modum altæ sunt, & cum plus debito abiectæ & remissæ: aut certe licet omnino tales non sint, ad aliquod tamen extremorũ declinant. Valles, quæ valde demissæ sunt, significant actiones earundẽ trium potentiarũ minus perfectas, quã expediret. Ripæ vero, quæ neq; nimis altæ sunt, neq; nimis demissæ, sed quia omnino planæ non sunt, aliquid de vtroq; extremo participãt: denotãt actus potentiarũ cum excedunt, aut deficiunt in aliquo, à medio & plano eius, quod iustum est; qui licet nimis deordinati nõ sint (quod contingeret si vsq; ad peccati mortalis deordinationẽ peruenirẽt:) sunt nihilominus ex parte deordinati, siue in materia veniali, siue imperfectionis, etiã minimæ, in intellectu, memoria & voluntate. Has oẽs actiones, quod æquũ & iustum est excedentes, etiã per amœnas lyras & cantum supra dictum adiurat: Quæ lyræ adeo promptas atq; ad effectũ expeditas efficiunt tres animæ potentias, tamq; impensæ sunt circa operationẽ iustã sibique competentẽ, vt non solum vitiosæ

non sint, sed neque de vitioso extremo aliquid participent. Sequuntur reliqui versus.

Aquæ, venti, ardores
Metusque noctium vigiles.

Per hæc quatuor intelligit Spōsus quatuor animæ passiones, quæ sunt, vti dictum est, dolor, spes, gaudium ac timor. Aquæ denotant affectus doloris, qui animam excruciant; eo quod instar aquæ animam intrent; hinc Dauid de istis affectibus cum Deo loquens ait: *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.* Ventorum nomine exprimuntur spei affectus: eo quod ad instar venti ferantur, ad desiderandum res absentes, quæ sperantur: vnde etiam inquit Propheta Dauid: *Os meum aperui & attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam:* quasi diceret, aperui os spei meæ, & attraxi ventum desiderij mei, quoniam expectabam & desiderabam mandata tua. Ardorum nomine intelliguntur affectiones passionis gaudij seu delectationis, quæ ignis instar, cor inflammant. Idcirco idem Propheta Dauid inquit: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* quod idem est ac dicere, in meditatione mea exardescet gaudium. Metus denique noctium vigiles designant affectiones alterius passionis, nempe timoris: qui affectus in viris spiritualibus, qui ad hunc statum matrimonij spiritualis, de quo loquimur, nondum peruenerunt, grauissimi esse solent, interdum à Deo immissi tunc, cum aliqua ipsis dona vult conferre, prout superius diximus, qui timorem solent incutere, & pauorem spiritui, corpori etiam ac sensibus retractionem, eo quod non habeant corroboratam & perfectam naturam, illisque Dei donis assuetam. Nonnunquam etiam proueniunt ex parte dæmonis, qui eo tempore, quo Deus largitur animæ recollectionem & suauitatem, in se ipso inuidia tabescens & iniquè ferens bonum illud ac pacem animæ, horrorem timoremque immittere satagit spiritui, vt sic boni illius fruitionem impediat: idque interdum, quasi materius in spiritu illi minitando. At vbi videt, se ad intima animæ non posse pertingere, vtpote quæ in Deo valde introuerta & vnita est; extrinsecus saltem ingerit parti sensitiuæ euagationem seu instabilitatem, pressuras, & dolores, horroremque sensui, tentans vtrum hac ratione perturbare queat Sponsam in thalamo suo. Hos metus noctium vigiles appellat: eo quod à dæmonibus prouenient; tum etiam quia illorum interuentu conatur malignus spiritus tenebras in animā diffundere, vt diuinam lucē, qua potitur, obscuret. Porrò timores istos nocturnos excubitores ideo vocat, quia naturam suscitant & euigilare faciunt animā ab interno & suauī somno suo: tum etiam quia dæmones illos incutientes infatigabiliter vigilant, vt illos inijciant.

Psal. 68. 1.

Psal. 118. 131

Psal. 38. 4.

Huiusmodi timores, quasi passiuè ingerūtur spiritui virorū spiritualiū siue à deo, siue à dæmone, vt nuper dixi. Nō. n. nunc ago de alijs quibusdam timoribus, transitorijs vel naturalibus; nam huiusmodi habere timores, non spectat ad personas spirituales; at spiritualibus concuti timoribus, propriè viros spirituales concernit. Has igitur omnes species affectuum, quatuor passionum animæ, adiurat etiā amatus, eas cessare & mitescere faciens; quatenus ipse largitur Sponsæ in hac statu aptitudinem, vires, & satisfactionem in lyris an œnis suauitatis suæ, & in Cantu Sirenarum suæ voluptatis; vtque non tantum nō regnent in anima, verūm nunquā

minimam illi amaritudinem adferre possint. Tanta quippe est animæ celsitudo & stabilitas in hoc statu, vt licet antea, vsque ad animam penetrarent aquæ doloris, cuiusuis rei, etiam peccatorum suorum, vel aliorum (quod maximè sentire solent personæ spirituales) iam nunc quamuis illa ponderet, non tamen sunt ei causa doloris, neque anxietatis sensibilis; neque etiam afficitur commiseratione, hoc est, anxio illius sensu, licet illius effectu & perfectione non careat. Deest namque in hoc statu animæ, quod erat in virtutibus infirmum, remanet vero, quod solidum, firmum atque perfectum est: in hac siquidem transformatione amoris accidit animæ, quod Angelis vtpotè perfectè æstimantibus res dolorem afferentes, absque sensu doloris, & exercentibus misericordiæ & commiserationis opera, absque sensu commiserationis: esto nõnunquam & in rebus quibusdam dispenset cum illa Deus, faciens vt illas sentiat, eamque pati sinat, vt ipsius meritum augeatur: vti cum B.V. matre fecit. Cæterum status iste naturâ suâ id minime patitur; neq; etiã spei desiderijs angitur aut affligitur; cũ enim iuxta præsentis vitæ conditionem contẽta sit & satisfacta in diuina vnione, nil vltra sperare potest de ijs quæ sunt mundi, neque de his, quæ sunt spiritus, appetere; cum se videat ac sentiat Dei opibus refertam, potest tamen in charitate crescere. Vnde tam circa mortem, quam circa vitam conformis est diuinæ voluntati: in affectibus quoq; gaudij, qui intensiorem vel remissiorem effectum in anima producere solebant, iam nunc, neque illorum diminutionem animadvertit, nec illorũ affluentia ei nouitatem adducit. Tanto siquidem gaudio plerumque potitur, vt ad instar maris nec minuatur propter flumina ab illo digressa, neque propterea, quæ in illud fluunt & intrant, accrescat: hæc namque est illa anima, in qua factus est fons *aquæ*, vt ait Christus apud D. Ioannem, *salientis in vitam æternam*. Tandem neque timores noctium vigiles ad ipsam accedunt: adeo quippe lucida, fortis & constans in Deo requiescit, vt nec tenebris suis eam obscurare, nec terroribus deterrere, nec valeant suscitare insultibus, ac proinde nulla res eam attingere, nec ei molestiam inferre potest: vtpote, quæ illis omnibus relictis ingressa sit, vti diximus, *in amœnum hortum concupitum*, vbi omnimoda pace fruitur, omnem suauitatem prælibat, & in omnibus delitijs delectatur, in quantum præsentis vitæ status & conditio ferunt. De huiusmodi enim anima illud Sapientis intelligitur: *Secura mens quasi iuge conuiuium*. Hoc est, secura & pacifica anima, est quasi perenne conuiuium: sicut enim in conuiuio sunt dapes omnes palato sapidæ, ac diuersi musici concentus auditui suaues, ita in hoc iugi conuiuio, quod habet anima in pectore dilecti sui, omnibus voluptatibus fruitur, omnemque gustat suauitatem. Nec putare debet lector, in his, quæ hactenus dicta sunt, verba nos multa congerere: profecto enim si exprimi deberẽt ea, quæ geruntur in anima ad hunc felicissimum statum perueniente, & verba & tempus deessent, & potior pars eorum obscura & inexplicata maneret. Cum enim anima pacem, *quæ exsuperat omnem sensum*, attingit, concisus & elinguis erit omnis sensus ad illam exprimendam. Sequitur Versus.

Ioan. 4. n. 14.

Prou. 15. n. 15.

Per amœnas lyras
Et cantum Sirenarum vos adiuro.

Diximus iam amœnas lyras significare

suauitatem animæ in hoc statu: quemadmodũ enim lyratũ concentus replẽt animum suauitate & recreatione, eumq; ita absorbet & suspendit, vt à pœnis omnibus, & amaritudinibus alienum efficiat, ita hæc suauitas vsque adeò animam in se conuertit, vt nullus ad eam dolor seu pœna appropinquet. Ideoque omnium potentiarum passionumque molestias adiurat, vt cessent propter suauitatem. Cantus quoque Sirenarum, prout etiam dictum est, exprimit assiduam voluptatem, quam possidet anima, cuius beneficio aduersarijs omnibus & operationibus molestis est denudata, quæ in Versu, quem statim concinit, exprimuntur, nimirum

Vt cessent iræ vestræ.

Iras nuncupans præfatas omnes operationes & affectus deordinatos. Nã sicut ira est impetus quidã, rationis limites prætergrediens, quãdo vitiosè operamur; ita vniuersi affectus & operationes ilã dilectæ pacis & tranquillitatis animæ limites excedũt, dum in ea regnãt; & idcirco ait:

Et ne tangatis murum.

Murus designat vallum pacis, virtutũ & perfectionum, quas habet anima, quibusque protegitur, qui est murus & propugnaculum horti dilecti sui. Quapropter in Canticis eam appellat: *Hortus conclusus soror mea*, proinde ne tangatis istum murum.

Vt Sponsa dormiat securius.

Id est, vt suauius se oblectet in tranquillitate ac dulcedine, qua potitur in horto, quem est ingressa inflexo collo *super dilectum* Cant. 2. *brachia amati.*

CANTVS TRIGESIMVS SECVNDVS.

CANCION XXXII.

O Ninfas de Iudea
En tanto que en las flores y rosales
El ambar perfumea,
Morà en los arrabales
Y no querays tocar nuestros vmbrales.

SENSVS.

O Nymphæ Iudaicæ
Interim dum inter flores & roseta
Ambarum fumificat,
Manete in suburbijs
Et limina nostra nolite tangere.

EXPLANATIO.

SPonsa loquitur in hoc cantu, quæ cum à dilecto suo secundum partem superiorem & spiritualem inter tã opulenta & præstantia dona delitiasque se collocatam conspiciat, cupiens sese conseruare in pacifica & assidua illorum possessione, in quam à Sponso in cantibus antecedentibus intromissa est, animaduertens fieri posse, vt pars inferior, scilicet sensualitas, possit tantũ bonum impedire ac perturbare; ritius portionis inferioris motus atque operationes obtestatur, vt in eiusdem potentijs ac sensibus conquiescant, neque limites regionis suæ sensitiuæ transiliant ad inferendam molestiam ac perturbationem portioni superiori ac spirituali animæ: nec minimo quidem

modo

motu suo impediant bonum & suauitatem, qua gaudet: motus enim partis sensitiuæ, eiusque potentiæ si operentur, quando spiritus fruitur, eò magis eum molestant ac perturbant, quo plus actionis & viuacitatis propriæ sortiuntur; ait itaque in hunc modum.

O Nymphæ Iudææ.

Iudæam vocat inferiorem animæ partem, nempe sensitiuam, quia natura sua imbecillis, carnalis & cœca est, vti gẽs Iudaica. Nymphas vero appellat vniuersas imaginationes, phantasias, motus & affectus huius portionis inferioris, nam quẽadmodum Nymphæ affectu & venustate sua amasios ad se alliciũt, ita operationes istæ motusque sensualitatis blandè suauiterque conantur attrahere ad se voluntatem partis rationalis, ab internis educendo eam, vt exteriora velit, quæ ipsi appetunt & concupiscunt. Intellectum etiam mouent, vt ipsis iuxta abiectum & sensibilem modum suum adhæreat & copuletur, hoc pacto rationalem portionem sensuali conformare & adunare satagendo. Vos itaque, inquit, operationes motusque sensibiles

Interim dum inter flores & roseta
Ambarum fumificat

Flores denotant virtutes animæ, vti superius diximus; Roseta vero designant tres animæ potentias, intellectũ, memoriam & voluntatem, quæ produeunt rosas diuinarum conceptionum, actusque amoris, & flores virtutum. Ambarum est spiritus diuinus animam inhabitans: suffitus autẽ diuini huius spiritus, inter flores & roseta, est eiusdem communicatio & diffusio suauissima in potentias & virtutes animæ, præbendo in eis animæ, diuinæ suauitatis suffitum; interim ergo dum hic spiritus diuinus largitur animæ meæ spiritualem suauitatem

Manete in suburbijs.

In suburbijs Iudææ, quam sensitiuam animæ partem denotare tradidimus: cuius suburbia sunt sensus illius interni, nempe phantasia, imaginatiua & reminiscentia, in quibus collocantur & recipiuntur phantasmata, imagines & formæ rerum; has itaque hoc loco nymphas vocat, quæ ad hæc internorum sensuum suburbia ingrediuntur per ianuas sensuũ externorũ, visus scilicet, auditus, olfactus, gustus & tactus. cũctas itaque huius sensitiuæ partis potentias ac sensus, suburbia appellare possumus, qui sunt vici extra vrbem positi: quod enim in anima vrbis nomen obtinet, est intima pars illius, scilicet rationalis; quæq; capax est ad conuersandum cum Deo, cuius operationes sensualitatis operationibus aduersantur; attamen quia intercedit naturale commerciũ inter plebem commorãtem in his suburbijs partis sensitiuæ (quæ plebs sunt nymphæ, de quibus est sermo) adeo vt quæ in hac sensibili portione geruntur, vt plurimum sentiatur in alia magis intima portione, quæ est rationalis: ac proinde eam attendere facit, & à spirituali opere, quod in Deo habet, eam interpellat; propterea ait illis, vt in suburbijs procul consistant, hoc est, cõquiescant in suis potentijs sensitiuis, tum externis, tum etiam internis,

Et limina nostra nolite tangere.

Hoc est, ne quidem primis & inopinatis motibus partẽ superiorem attingatis. Primi enim motus animæ, sunt aditus & li-

& limina ad intrandum ipsam animam; cum autem à primis motibus transeunt vsque ad rationem, limina transgrediuntur: at cum solum sunt motus primo primi, limina tantummodo contingere dicuntur, seu pulsare ianuam: quod tunc accidit, cum sensualitas rationem aggreditur insultibus suis, vt in actum aliquem deordinatum prorumpat. itaque non solum dicit anima hoc loco, vt hi motus non attingant animam: sed etiam vt neque aduertentiæ & reflexiones, quæ quieti & bono, quo fruitur, non conferunt, id præsumant. Itaque hæc pars sensitiua, in hoc statu iam est subiecta spiritui vna cum omnibus potentijs, viribus & imbecillitatibus suis, vnde hæc vita, est vita quædam beata, similis illi statui innocentiæ, vbi tota harmonia & aptitudo partis sensitiuæ hominis ad maiorem oblectationem, & copiosius subsidium cognitionis & amoris Dei, homini deseruiebat in pace & concordia cum portione superiori. Felix anima quæ ad hûc statum peruenit: *Sed quis est hic, & laudabimus eum: fecit enim mirabilia in vita sua.* Præsens cantus idcirco hoc loco insertus est, vt innotescat pax quieta & secura, quam possidet anima, quæ ad hunc eminentē statum pertingit; non vero vt quis puret hoc desiderium, quod hic anima ostendit, vt ille nymphæ miteſcāt, procedere ex eo, quod in hoc statu molestæ sint: iam enim tranquillæ sunt & sedatæ, vt superius explanatum est. Hoc siquidem desiderium potius est illorum, qui proficiunt & profecerunt, quam perfectorum, in quibus parum, vel certe nihil regnant passiones & motus.

CANTVS TRIGESIMVS TERTIVS.

CANCION XXXIII.

Escondete carillo,
Y mira contu haz alas montannas.
Y no quieras dezillo
Mas mira las campannas
Dela que va por insulas estrannas.

SENSVS.

Abscondere dilectule
Et facie tua montes aspice
Neque id velis dicere
Quin imo intuere campos
Illius, quæ graditur per Insulas extrantes.

EXPLANATIO.

POsteaquam Sponsus & Sponsa in antecedentibus cantibus frenarunt ac silere fecerunt passiones & potentias animæ tam sensitiuas, quàm etiam spirituales, à quibus perturbari poterat; conuertitur in præsenti cantu Sponsa ad internum animæ suæ recessum, vt fruatur dilecto suo: vbi ipse etiam ei per amorem coniunctus est, vbi illa quoque clàm summopere delectatur in illo. Sunt autem ita sublimia & sapida, quæ geruntur in anima in hoc recessu matrimonij cum dilecto suo, vt neque ea sciat, neque effari velit; sunt etenim de genere illorum, de quibus dixit Isaias: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Et sic sola & seorsim ea possidet, sola & seorsim intelligit, sola

ac

ac seorsim eis fruitur, & gratum habet, quod sine arbitris id contingat: vnde votis omnibus optat, vt sit valde reconditum, sublime, & à quacunque externa communicatione remotum. In quo assimilatur mercatori margaritæ, seu potius homini inuenienti in agro suo thesaurum absconditum, qui abiens cum gaudio abscondit & possidet eum. Idem hic postulat ipsa anima in hoc cantu à Sponso suo: vbi hoc stimulata desiderio, quatuor ab illo requirit. Primum, vt sese communicare dignetur in intimo, & abscondito animæ suæ recessu. Secundo, vt gloria & maiestate suæ diuinitatis adoriatur & irradiet ipsius potentias. Tertio, vt tam alto & sublimi modo id fiat, quod nec intelligi, nec dici queat, neq; pars exterior, & sensitiua, eius capax sit. Quarto denique ab eo petit, vt adamet plurimas virtutes, quas plantauit in illa, quæ ad eum tendit & ascendit per sublimes altasque suæ diuinitatis notitias, nec non per excessus amoris peregrinos, & insolitos, longeque diuersos ab his, quos ordinariè experiri solet.

Abscondere dilectule.

Quasi diceret: dilecte Sponse mi, abscondere, quæso, in animæ meæ intimo recessu, teque illi secreto communica, eique tua mirabilia omnium mortalium oculis abscondita & peregrina pande.

Et facie tua montes aspice.

Diuinitas est Dei facies: montes vero sunt animæ potentiæ.

Dei facies est diuinitas: montes vero sunt animæ potentiæ, memoria, intellectus atque voluntas. itaque idem est ac si diceret: Illustra intellectum meum diuinitate tua, diuinas ei notitias conferendo, adorire voluntatem, diuinum ei amorem largiendo & communicando; ac denique aggredere memoriam, diuinæ gloriæ possessione. In quo petit anima à Sponso, quæcunque postulare potest. Non enim nunc contenta est Dei cognitione, & communicatione per posteriora, quemadmodum Deus olim se gessit cum Moyse, quod est eum per illius effectus operaque cognoscere: sed Dei ipsius facie duntaxat contenta est, quæ est essentialis communicatio diuinitatis absque alio medio, idque per quendam sui contactum cum diuinitate. Quod plane alienum est ab omni sensu, & accidentibus, cum sit contactus nudarum substantiarum, animæ nimirum, mediantibus prædictis potentijs, & diuinitatis: ac proinde protinus ait:

Neque id velis dicere.

Id est, neque id velis dicere vt antea, quando communicationes tuæ huiusmodi erant, vt externis sensibus illas diceres, eo quod illarum essent capaces; non enim tam sublimes, tamque profundæ erant, vt eas assequi non valerent: iam vero opto vt tam sublimes, substantiales intimæque sint, vt minimè eis id dici cupiam, ita vt illas percipere valeant: substantia enim sensibus cõmunicari nequit. vnde quidquid in sensum cadere potest, non est Deus essentialiter. Optans igitur hic anima hanc essentialem Dei communicationem, quæ in sensum non cadit, eo modo eam sibi conferri obsecrat, vt nequaquam sensibus dicatur: hoc est, ne tam infimo & externo modo te ipsum communices, vt sensui communicari & dici possit.

Quin imo campos intuere.

Diximus iam, quod Dei aspicere, sit

ipsius amare: campos vero hoc loco appellat virtutum, donorum, perfectionum & diuitiarum spiritualium animæ multitudinem: ac si clarius diceret, quin imo introrsum conuertere Dilectule, adamando campos virtutum ac perfectionum, quas in anima mea reposuisti, vt illarum amore captus abscondaris, ac immoreris in illa: verum namq; est, quod licet sint tuæ, iam nunc eo quod animæ eas donaueris; etiam illius sunt,

Qua graditur per insulas extraneas.

Animæ nimirum meæ, tendentis ad te, per extrarias tui notitias, ac per modos & vias peregrinas, & ab omnib. sensibus, nec non à communi naturali cognitione alienas. Vnde idem est, ac si diceret: Quandoquidem anima mea tendit ad te per notitias peregrinas, & à sensibus alienas: tu quoq; vicissim, te illi tam intimè sublimiterque communica, vt ab illis omnibus sit alienum. Notitia Dei per creaturas.

CANTVS TRIGESIMVS QVARTVS.

CANCION XXXIV.

La blanca palomica
Al Arca con el ramo se ha tornado
I ya la tortolica
Al socio deseado
En las riberas verdes ha hallado.

SENSVS.

Candida columbula
Ad arcam cum ramo est reuersa,
Et turtur auis pudica
Sociam desideratum
In virentibus ripis inuenit.

DECLARATIO.

SPonsus interloquitur in præsenti cantu, concinens puritatem, quam Sponsa habet in hoc statu, nec non diuitias & præmium, quod acquisiuit, eò quod se disposuerit, ac desudauerit vt illo perueniret. Bonam etiam sortem illi obtigisse canit, dum sponsum suum in hac vnione inuenit, innuit præterea votorum illius complementum, voluptatem ac refrigerium, quod in ipso possidet, transactis iam laboribus & angustijs, vitæ ac temporis anteacti, ait itaque:

Candida columbula.

Candidam columbulam animam appellat propter candorem nitoremq; receptum ex gratia, quam in Deo reperit: quæ, inquit:

Ad arcam cum ramo est reuersa.

Comparat hoc loco animam columbæ Arcæ Noë, exitum ac reditum illius ad arcam, metaphoricè vsurpando, vt denotet id, quod animæ in hoc casu euenit. Nam quemadmodum columba egressa ex arca Noë, ad eandem reuersa fuit rostro ramum oliuæ portans, in signum misericordiæ diuinæ ostensæ in cessatione aquarum super terram, propter diluuium inundatam; ita hæc anima ex arca omnipotentiæ Dei egressa per creationem,

tionem, postquam peccatorum imperfectionum, pœnarum, ac laborum huius vitæ inundantes aquas ambulauit, reuertitur ad arcam pectoris Creatoris sui, portans ramum oliuæ, clementiam, scilicet, & misericordiam à Deo sibi impensam, dum ad tam eximium perfectionis statũ eam perduxit, & cessare fecit aquas peccatorum in terra animæ suæ, deditq; victoriam contra omnes insultus, & impugnationem inimicorum, qui idipsum iugiter conabantur impedire. Vnde ramus oliuæ triumphum de hostibus significat & præmium meritorum. Ac proinde non solum reuertitur nunc ad arcam Dei sui candida & nitida, prout egressa fuit in creatione, sed etiam superaddito ramo præmij, & pacis in victoria consecutæ.

Iamq; turtur auis pudica
Socium desideratum
In ripis virentibus adinuenit.

Turturem quoque vocat animam hoc loco, vt pote quæ in hoc casu se gessit instar turturis, cum anitum socium reperit. Vt autem hoc melius percipiatur, sciendum est, quod de turture scribitur: Nimirum, quod quamdiu consortem non inuenit, nec supra ramum virentem consistit, neque lucidam, & algentem aquam bibit, neque subtus vmbram quiescit: At vero vbi coniungitur sponso, his omnibus fruitur. Quas omnes proprietates etiam anima experitur in se: Etenim priusquam pertingat ad hanc spiritualẽ coniunctionem cum dilecto suo, debet carere velle omnibus illecebris, quod est supra ramum viridem non sedere; debet etiam omnem gloriolam gustumque mundialem respuere, quod est, claram & algentem aquam non bibere: denique debet quouis mundi refrigerio, & fauore mundano priuari; hoc est subtus vmbram non quiescere, nullibi pausare volendo; imo pro solitudine rerum omniũ gemendo, & suspirando, donec sponsum inueniat. Iam vero, quia huiusmodi anima, priusquam ad hunc statum perueniret, hoc tenore, instar turturis requirebat Dilectum suum, nullibi inueniendo, nec inuenire cupiendo solatium, nec refrigerium, quam in solo illo; idcirco concinit hoc loco idem sponsus molestiarum, ac fatigationum periodum, ac desideriorum eius complementum dum ait: *Iam turtur socium desideratum in ripis virentibus adinuenit*; id est, iam sedet supra ramum viridem, sese oblectans in dilecto suo, bibensque aquam claram, sublimis contemplationis & sapientiæ Dei, & algentem, hoc est, refrigerium, quod habet in ipso; confugit etiam subtus vmbram protectionis, & fauoris illius, quod ipsa tantopere expetiuerat, vbi sapidè, diuinitusque consolatur ac reficitur; quemadmodum in Canticis ea de re lætatur, cum ait: *Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Cant. 2. 3.

CANTVS TRIGESIMVS QVINTVS.

CANCION XXXV.	SENSVS.
En soledad viuia,	*In solitudine viuebat,*
Y en soledad ha puesto ya su nido	*Et in solitudine posuit nidum suum,*
I en soledad la guia	*Et in solitudine eam ducit,*
As olas su querido	*Solus eius dilectus,*
Tam bien en soledad de amor herido.	*Etiam in solitudine amore sauciatus,*

EXPLANATIO.

PRosequitur Sponsus, indicatque iucunditatem, quam percipit ex solitudine, quam sentiebat anima, antequam ad hanc vnionem perueniret, nec non lætitiam, qua afficitur, ex secessu omnium molestiarum, laborum & impedimentorum, quo nunc gaudet, post tranquillam, & suauem mansionem factam in amato suo, à rebus omnibus, earumque molestijs expedita iam & aliena. Ostendit insuper gaudere se, quod secessus iste, quem habet anima, extiterit dispositio congrua, vt deinceps vere dirigatur, & moueatur à Sponso, quod hactenus fieri non poterat, eo quod nondum posuerat nidum suum in solitudine, hoc est, nondum acquisiuerat perfectum habitum, & virtutem solitudinis, vbi anima à spiritu Dei mouetur, & ad diuina ducitur. Neque solum dicit, quod ipse eam dirigit in ista solitudine, sed præterea ait, quod ipse solus hoc præstet, sese illi communicando, absque alijs medijs Angelorum, vel hominum, specierum, vel figurarum; exceptis notitijs enumeratis, Secundo Versu Cantus 33. cum non minus ipse illius amore sauciatus sit in hac eius solitudine, ac libertate spiritus, quam habet mediante recessu prædicto, quàm illa, in eum ardenti amore feratur; gratissima enim est illi solitudo, siue secessus: ait itaque,

Recessus solitudinis Deo gratus.

In solitudine viuebat.

Turtur prædictus, nempe anima, degebat in solitudine, priusquam in hoc statu vnionis, dilectum inueniret. Animæ siquidem Deum expetenti, nullius rei consortium, solatium, aut veram societatem adfert: quin potius, donec illum inueniat omnia creata maioris solitudinis causa sunt.

Et in solitudine posuit nidum suum.

Solitudo, in qua prius degebat, erat (prout de turture diximus) carere velle, ob amorem Sponsi sui, omnibus mundi bonis, perfectioni propriæ studiosè insistendo, & acquirendo solitudinem perfectam, qua peruenitur ad vnionem cum verbo, atque adeò ad completam requiem, ac refrigerium, quod hoc loco significatur per nidum, qui requiem denotat. Itaque perinde est ac si diceret: in ista solitudine, quam antea incolebat, cum labore & angustia, sese in illa exercens, eò quod nondum perfecta esset; in ea inquam solitudine,

requiem

requiem ac refrigerium suum constituit, eò quod iam illud perfecte acquisiuerit in Deo. Vnde Dauid in sensu spirituali loquens ait: *Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum sibi, vbi ponat pullos suos.* id est, inuenit stabilitatem, ac sedem in Deo, vbi appetitibus, & potentijs satisfaciat. 83.4.

Et in solitudine eam ducit.

Id est, in ista rerum omnium solitudine, quam habet anima, in qua sola cum Deo versatur, ab ipso ducitur & mouetur, & ad res diuinas erigitur: mouet nimirũ intellectũ ipsius ad Deificas intelligẽtias, quippe qui alijs quibusuis cõtrarijs, ac peregrinis intelligentijs, solus iam ac nudatus existit: voluntatẽ etiam ad Dei amorẽ liberè mouet; vtpote quæ sola iam & immunis sit alijs affectibus: memoriã quoq; replet notitijs diuinis: eo quod ipsa etiam sola & vacua sit alijs imaginibus & phantasmatibus. nam vbi anima expedit & euacuat has potentias rebus omnib. inferioribus, necnon adhæsione ac proprietate erga superiores, solas & inanes eas relinquendo; protinus occupantur à Deo, circa inuisibilia & diuina, idemque eam dirigit in hac solitudine. quod asseruit S. Paulus de viris perfectis, qui, *Spiritu Dei aguntur* &c. quod est idem, ac dicere: in solitudine eam ducit, ac dirigit. Potentiæ expeditæ à rebus inferioribus protinus occupantur à Deo circa inuisibilia. Rom. 8. 14

Solus eius dilectus.

Hoc est, non tantum eam dirigit in hac ipsius solitudine, sed etiam ipse solus operatur in ea, absq; vllo medio. hoc quippe proprium est huius vnionis animę cum Deo, in matrimonio spirituali, quod Deus agit in illa, eique seipsum communicat, non quidem Angelorum ministerio, vt prius, neque naturalis habilitatis interuentu, sed per seipsum. Sensus namque tum externi, tum etiam interni & creata omnia, imo ipsamet anima valde parum conferunt ad hæc eximia, & supernaturalia dona, quæ Deus præstat in hoc statu, recipienda: non enim subduntur habilitati naturalique operationi ac diligentiæ animæ; sed ipse solus in illa, & cum illa, hoc præstat; quod ideo fit, quia solam reperit, prout dictum est; ac proinde nullam aliam societatem eam habere vult, nec alteri perficiendam, quàm sibi soli, concredit. Æquum etiam est, vt quandoquidem anima reliquerit, omnia, ac per omnia media transierit, ad Deũ super omnia ascendendo, ipse quoq; Deus sit dux, & medium illius ad se. Cumque anima in solitudine rerum omnium, conscenderit super omnia, nihil æquè deinceps illi prodest, vt ascendat superius, ac idem verbum Sponsus. Porro is tam ardenti amore fertur in animam, vt ipse solus velit illi dona ista præstare: vnde protinus subdit: Solus Deus agit solo vllo medio operatur in anima ea sola ma- terialij forma.

Etiam in solitudine amore sauciatus.

Quoniã anima propter amorẽ Sponsi, sola & procul omnibus rebus remansit, idcircò vehementer ipse adamauit eã in ista solitudine, prout etiã ipsa in solitudine eius amore capta, & in eadẽ solitudine illius amore saucia relicta est; propterea non vult eam solã relinquere; quin potius ipse illius amore saucius, in solitudine, quã habet ob gratiã sui, solus seorsim eã regit, se ipsum illi concredens, votaq; illius adimplens. Quod vtique non operaretur in illa, nisi in solitudine reperisset. Quapropter idẽ Sponsus dicit per Oseam Proph. de anima: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Nam in eo quod ait, quod ad cor ipsius loquetur, significatur traditio sui, ipsi animæ: loqui enim ad cor, est cordi satisfacere, cui verè alius non satisfacit, quam solus Deus. Osee 2. 14.

CANTVS TRIGESIMVS SEXTVS.

CANCION XXXVI.	SENSVS
Gozemonos amado	*Collætemur dilecte*
Y vamonos auer entu hermosura	*In tua pulchritudine nos inspicere eamus*
Al monte, ò al collado	*Ad montem siue ad collem*
Do mana el agua pura	*Vnde manat aqua pura,*
Entremos mas adentro enla espessura.	*Ingrediamur interius densitatem.*

DECLARATIO.

COmpletâ iam perfecta vnione amoris inter Deum & animam, cupit illa exercendis amoris proprietatibus incumbere. Ipsa itaque loquitur in præsenti cantu cum sponso, tria, quæ amori propria sunt, ab illo requirens. Primum est: velle recipere gaudium & suauitatem amoris: & hoc petit, cum ait: *Collætemur dilecte.* 2. est: optare assimilari dilecto: quod postulat, dum ait: *Eamus nos inspicere in tua pulchritudine.* 3. est: velle scrutari & nosse res, & arcana eiusdem amati: & hoc flagitat, quando dicit: *ingrediamur interius densitatem.* sequitur versus.

Collætemur dilecte.

Nimirum in communicatione dulcedinis amoris, non solum in ea, quam habemus in ordinaria ad inuicem connexione & vnione; verum etiam in ea, quæ redundat in exercitium affectiuè, & actualiter amandi: siue interius per voluntatem actibus affectiuis, siue exterius exercendo opera dilecti obsequium cõcernentia. Amor enim, vbi insedit hanc, prout diximus, proprietatem sortitur, quod semper cupit experiri illius gaudia ac dulcedines, quæ sunt exercitium interius, exteriusque amandi, vti diximus: Quod idcirco facit, vt dilecto similior fiat: & sic statim subdit:

In tua pulchritudine nos inspicere eamus.

Hoc est; ita nos geramus, vt, hoc præfato amoris exercitio mediante, pertingamus ad videndum nos in tua pulchritudine. i. assimilemur in pulchritudine: si autem pulchritudo tua talis, vt dum alter alterum intuetur, tibi assimiletur in pulchritudine tua, & se ipsum conspiciat in tua pulchritudine: quod fiet, si transformaueris me in tuam pulchritudinem: & sic videbo te in pulchritudine tua, & ra viciſſim videbis me in tua pulchritudine, tu quoque videbis te in me, in pulchritudine tua, & ego inspiciam me ipsam in te, in tua pulchritudine. Et sic videar ego in, in pulchritudine tua, & tu videaris ego in tua pulchritudine: & pulchritudo mea in tua pulchritudo, & pulchritudo tua in pulchritudo mea, eroq; ipsa vnum tecum in tua pulchritudine, & tu eris vnum mecum in tua pulchritudine, siquidem pulchritudo tua, erit etiam mea pulchritudo. Hæc est adoptio filiorum Dei, qui veraciter dicent Deo, quod idem Filius apud Io-

annem

annem dixit æterno Patri, his verbis: *Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt.* ille quidem per essentiam, cum sit eiusdem filius naturalis, nos vero per participationem, cum simus filij adoptiui; quod dixit non propter se tantum, qui caput erat, sed etiam propter suum corpus mysticum, quod est Ecclesia.

Ad montem siue ad collem.

Hoc est, ad notitiam similem illi, quam Theologi matutinam appellant, quæ est cognitio in verbo diuino, quod hic montis nomine subintelligitur: Verbum quippe diuinum, est Dei altissima & essentialis sapientia. vel certe eamus ad notitiam vespertinam, quæ est Dei sapientia in suis creaturis, operibus, & admirandis ordinationibus, quæ sapientia hoc loco designatur per collem, qui monte demissior est. Cum igitur ait anima, pergamus videre nos in pulchritudine tua ad montem, est idem ac dicere, similem me facito & informa me diuinæ sapientiæ pulchritudine, quæ, sicuti diximus, est filius Dei. Cum vero ait, vel pergamus ad collem, est petere, informari etiam sapientia, & mysterijs ipsius, in creaturis & operibus quæ etiam est pulchritudo, qua se anima illustratam videre cupit. Nequit anima se ipsam videre in Dei pulchritudine, eique in pulchritudine similis apparere, nisi per transformationem in Dei sapientiam, in qua superiora videntur ac possidentur, in quantum fieri potest in hac vita; idcirco ire optat *ad montem vel ad collem.*

Vbi manat aqua pura.

Id est: vbi notitia & sapientia Dei (quam hic aquam nominat) pura alijsque accidentibus & phantasmatibus nitida & denudata, clara etiam, nullisque re-

confertur. Hoc desiderio clarè & purè intelligendi veritates diuinas assiduè, stimulatur anima, & quo vehementius amat, eò etiam illas intimius penetrare cupit: ideoque tertium postulat, dicens:

Penetremus interius densitatem.

Densitatem, scilicet operum admirabilium & profundorum iudiciorum tuorum, quorum tanta est multitudo, tantaque diuersitas, vt non incongruè densitas nuncupari possit: includunt siquidem copiosam sapientiam tot mysterijs redundantem, vt non tantum densam, verum etiam coagulatam dicere possimus; iuxta dictum Dauidis aientis: *Mons Dei mons pinguis, mons coagulatus, mons pinguis.* Porrò densitas ista sapientiæ & scientiæ Dei, tam est profunda & immensa, vt quantumuis anima plura de illa cognoscat, semper nihilominus interius ingredi potest, vtpote quæ sit immensa, eiusque diuitiæ incomprehensibiles: quemadmodum D. Paulus exclamat dicens: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius?* Veruntamen anima cupit hanc densitatem, & incomprehensibilitatem iudiciorum & viarum penetrare, quia deficit præ desiderio intrandi penitus ad illorum cognitionem; illa siquidem cognoscere, est delectatio inæstimabilis exuperans omnem sensum. Hinc Dauid dulcedinem eorum describens ait: *Iudicia Domini vera iustificata in semetipsa, desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & fauum: etenim seruus tuus custodit ea.* ac propterea summoperè cupit anima prouehi in altum istorum iudiciorum, & interius illa cognoscere: quod vt obtinere possit, summa cum lætitia & consolatione vniuersas mundi angustias ac la-

Dei iudicia & opera densitas.

Psal.67.16.

Rom.11.n.33.

Psal.18.c.

bores

bores intraret, nec non per omne illud, quod ad hoc consequendum, medium esse posset, quantumuis difficile, ac molestum. itaque etiam in hoc versu subintelligitur densitas laborum ac tribulationum, quam etiam anima ingredi desiderat, quando ait:

Penetremus interius densitatem.

Nemo potest intrare densitatem operũ Dei, nisi prius intret densitatem laborum.

Laborum videlicet & pressurarum, eo quod sint medium ad intrandum densitatem iucundæ sapientiæ Dei: nam actior cum laboribus pugna, puriorem intelligentiam adducit, atque adeo puriorem sublimioremque fruitionem; quia à radice interiori procedit. Idcirco cõmuni, & vulgari patiendi modo minimè contenta, ait: *Ingrediamur interius densitatem.* Hinc S. Iob hoc genus patiendi desiderans dixit: *Quis det vt veniat petitio mea, & quod exspecto, tribuat mihi Deus, & qui cœpit, ipse me conterat; soluat manum suam & succidat me, & hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore non parcat.* O vtinam tandem homines agnoscerent, esse omnino impossibile peruenire ad densitatem sapientiæ & diuitiarum Dei, nisi intrando prius densitatem laborum, multipliciter patiendo, ita vt anima, ea in re solamen ac desiderium suum reponat! Vtinam insuper cognoscerent, quemadmodum anima, quæ serio concupiscit sapientiam, verè prius optat intrare densitatem crucis, quæ est viæ vitæ, per quam pauci ingrediuntur! commune siquidem est omnibus, optare ingredi densitatem sapientiæ, diuitiarum & deliciarum Dei; at verò desiderium intrandi densitatem laborum & dolorum propter Dei filium, paucorum est: sicut multi vellent esse in termino viæ, non confecto itinere intermedio, quod ad terminum ducit.

Iob 6.8.

CANTVS TRIGESIMVS SEPTIMVS.

CANCION XXXVII.	SENSVS.
Y, luego alas subidas	*Et mox ad sublimes*
Cauernas de la piedra nos iremos	*Petræ cauernas simul ibimus,*
Que estan bien escondidas	*Quæ benè sunt reconditæ*
Y allí nos entraremos	*Et illuc intrabimus,*
Y el mosto de granadas gustaremos.	*Et granatorum mustum degustabimus.*

DECLARATIO.

VNa ex rationibus, quæ præ cæteris mouet animam, vt ingredi cupiat hanc densitatem sapientiæ & iudiciorum Dei, intimeque penetrare spissitudinem laborum, vti diximus, ea est: vt intellectum suum vnire possit, & alta incarnati verbi mysteria intelligere tanquam sublimiorem, sibique sapidiorem sapientiam: ad cuius sublimem

mem notitiam non peruenitur, nisi post ingressum in prædictã densitatem sapientiæ & experientiæ laborum. Ait itaque Sponsa in hoc cantu, quod post intimum ingressum in hanc sapientiam & labores, ad Dei & hominis alta mysteria intelligenda procedent, quæ sublimiori sapientiâ referta, & in Deo magis sunt recondita: ait præterea illuc se ingressuros, animâ sese illis immergente atque infundente, fruentur etiam & gustabunt ipsa vnà cum Sponso suauitatem ex illorum notitia & cognitione manantem: fruentur quoque & gustabunt virtutes & attributa Dei, quæ medijs hisce mysterijs in Deo innotescunt, nempe iustitia, misericordia, sapientia &c.

Et mox ad sublimes Petræ cauernas simul ibimus.

Petra, de qua hic loquitur, est Christus, vt D. Paulus ait ad Corinthios: *Petra autem erat Christus.* Cauernæ sublimes sunt celsa, alta, profundaque mysteria in Dei sapientiâ, quæ est in Christo, propter vnionem hypostaticam humanæ naturæ cum verbo diuino: tum etiam analogia intercedens inter vnionem hominum in Deo, & hanc hypostaticam vnionem: nec non in conuenientijs iustitiæ & misericordiæ Dei, quæ ibi reperiuntur super salutem humani generis in manifestatione iudiciorum ipsius: quæ quod tam alta sint, tamque profunda, satis congruè cauernæ nuncupantur. Alta quidem propter celsitudinem mysteriorum; cauernæ vero propter profunditatem sapientiæ; quemadmodum enim cauernæ sunt profundæ, & habent plures sinus; ita quodlibet mysterium humanitatis Christi profundissimum est in sapientia, habetque plurimos sinus iudiciorum suorum occultorũ, prædestinationis ac præscientiæ erga filios hominum, propterea statim subdit:

Quæ bene sunt reconditæ,

Vsq; adeo, vt licet plura mysteria & mirabilia Doctores sancti detexerint, & animæ deuotæ in huiusmodi vitæ statu cognouerint, adhuc tamẽ illis potior pars enuntiãda, imo & intelligenda restat: quare profundè fodiendum est in Christo, qui est instar fodinæ abundantis, plurimos thesaurorum sinus habẽtis, vbi quantumuis altè quis fodiat, non inuenitur finis, neque terminus eorum, imo in quolibet sinu nouæ venæ nouarum diuitiarum hinc & illinc reperiuntur. Propterea enim Diu. Paulus de eodem Christo ait: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi.* Quos thesauros ingredi nequit anima, nec ad illos pertingere valet, nisi prius transeat (sicut diximus) & ingrediatur densitatem laborum, interius exteriusque patiendo: & plurima à Deo beneficia intellectualia & sensibilia recipiendo, & nisi diuturna spiritualis exercitatio præcesserit. Hæc quippe omnia inferiora sunt & dispositiones ad sublimes cauernas cognitionis mysteriorum Christi; quæ est altissima sapientia, quæ in hac vita obtineri potest. Hinc Moysi petenti vt ostenderet sibi gloriam suã respondit: *Non videbit me homo & viuet: sed ego ostendam omne bonum tibi*, id est, quod in præsenti vita videri potest. Quod ita factum est: nam constituto illo in foramine petræ, quæ est Christus, vt diximus, posteriora sua illi ostendit, quod nil aliud fuit, quam mysteriorum operum suorum notitiam conferre, præsertim vero mysteriorum incarnationis filij sui. Hæc itaque foramina perfectè ingredi cupit anima, vt sese absorbeat inebriet & omnino trãsformet in amore

Coloss. 2. 3.

Exo. 33. 19.

notitiæ illorum, in sinu Dilecti sui delitescẽdo. Ad ista foramina illam inuitat in Canticis dicens: *Surge amica mea, speciosa mea, & veni, columba mea, in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ*: quæ foramina sunt cauernæ, de quibus agimus, & de quibus ait hoc loco Sponsa:

Cant. 2. 13

Et illuc intrabimus.

Illuc, videlicet notitias illas diuinorum mysteriorum ingrediemur, neque dicit intrabo sola, sed intrabimus, Dilectus, scilicet & ipsa ad significandum, non eam duntaxat hoc opus efficere, sed sponsum cũ ipsa. Præterea quia in hoc statu matrimonij spiritualis, de quo loquimur, Deus & anima ad inuicem sunt vniti; idcirco nullum Anima facit opus sola sine Deo: Porro id, quod ait: *illuc intrabimus*: tantundem est, ac si dicatur, ibi transformabimur ad inuicem in transformatione nouarum notitiarum, actuum & communicationum amoris. Nam etiamsi anima, cum ista dicit, sit transformata, ratione prædicti status, hoc tamen non obstat, quin possit in hoc statu habere nouas illustrationes & transformationes nouarum notitiarum, lucisq; diuinæ: imo frequentissimæ sunt illustrationes nouorum mysteriorum, quas Deus animæ cõmunicat, in perpeti communicatione facta inter ipsum & animam, imo in seipso idem ei communicat: ipsa vero quasi denuo illum ingreditur secundum notitiam illorum mysteriorum, quæ in illo cognoscit atque in noua illa cognitione, arctissimo ac sublimissimo modo eum amat, sese in illum transformans, secundum nouas illas notitias, sapor etiam & delectatio; quam tunc denuo percipi, est omnino ineffabilis, de qua loquens in subiecto versiculo ait:

Et granatorum mustum deguſtabimus.

Granata significant diuina Christi mysteria & alta Dei iudicia, tum etiam virtutes & attributa, quæ ex horum mysteriorum notitia cognoscuntur esse in Deo. Quemadmodum enim granata habent plurima exigua grana, orta & innixa in sphærico illo sinu, ita quælibet virtus, & attributum, mysterium & iudicium Dei, continet in se maximam multitudinem granorum, effectuum & ordinationum Dei admirabilium, quæ continentur ac sustentantur in illo sphærico seu circulari sinu virtutis & mysterij ad illos effectus pertinẽtis. Consultò autem hic notamus figuram circularem siue sphæricam granati: nam vnumquodque granatum hoc loco denotat vnicam virtutem & attributum Dei, quod attributum seu virtus Dei, est ipse Deus, qui per figuram circularem siue sphæricã exprimitur, eo quod careat principio & fine. Mustum autem horum granatorum, quod simul gustaturos ait, est fruitio, quam anima recipit (in quantum in præsentis vitæ statu est possibile) ex notitia & cognitione illorum, nec non diuini amoris voluptas, quam in eis prælibat. Et sicut ex multis granatorum granis vnicum duntaxat mustum profluit: ita ex his omnibus Dei mirabilibus & magnalibus cognitis, oritur ac redundat in ipsam animã vnica fruitio & delectatio amoris, quem ipsa summa voluntatis teneritudine protinus offert Deo. Hoc illa in canticis promisit Sponso, si ad has eminentes notitias deguſtandas introduceretur ab illo, dicens: *ibi me docebis, Cant. & dabo tibi poculum ex vino condito, & mustũ malorum granatorum meorum*: sua, dixit, licet Dei sint, eò quod ipse illa donauerit, sed anima tanquam rem propriam ea redonat ipsi Deo: quod indicare voluit,

cum

cum ait: Et granatorum mustum degustabimus. Dum enim Sponsus illud gustat, animæ gustandum præbet, & dum anima illud libat, sponso vicissim gustandum exhibet, & sic gustus est vtrique communis.

CANTVS TRIGESIMVS OCTAVVS.

CANCION XXXVIII.

Allí me mostrarias
Aquello, que mi alma pretendia
Y luego me darias
Allí tu vida mia
Aquelloque me diste el otro dia.

SENSVS

Illic mihi monstrares
Id quod anima mea ambiebat,
Et statim mihi donares
Ibidem tu, ô mea vita,
Id quod dederas altera die.

DECLARATIO.

SCopus animæ cupientis ingredi præfatas cauernas erat perfectè pertingere ad illud quod semper ambiuerat (saltem in quantum huius vitæ status id patitur) integrum, videlicet perfectumque amorem, qui in tali communicatione confertur. Intendebat insuper perfectè consequi, quoad spirituale, rectitudinem ac munditiem status iustitiæ originalis. Itaque duo asserit in hoc cantu: Primum est quod ibi, nimirum in transformatione illa notitiarum ostenderet id, quod anima in cunctis actibus & intentionibus suis ambiebat: quod est, eam edocere perfectè diligere Sponsum suum, sicut illi seipsum amat, vnà cum cæteris quæ in sequenti cantu dilucidat. Secundum est, quod ibi etiam conferret munditiem ac puritatem, quam ei contulerat, in Protoparentibus in statu iustitiæ originalis, vel quam ei donat in die quo baptizatur, sic eam prorsus emundando à cunctis imperfectionibus ac tenebris, quemadmodum tunc mundata fuit.

Illic mihi monstrares Id quod anima mea ambiebat.

Ambitio ista, est æqualitas siue vnio amoris. Amans enim nequit esse contentus, nisi percipiat se tantum amare, quantum amatur. Iam verò cum anima videat veritatem atque immensitatem amoris, quo diligitur à Deo, vellet etiam ipsa (si posset) nō minus alto, ac perfecto modo eum diligere, atq; in hunc finem optat actualem transformationem. Non.n. potest anima peruenire ad hanc æqualitatē, & integritatē amoris, nisi per omnimodam transformationem voluntatis suæ cum diuina: in quâ trāsformatione ita ad inuicem copulantur voluntates, vt è duabus vna resultet, eo sensu quo loquitur Apostol. *Viuo, ego, iam non ego, viuit vero in me Christus.* Itaq; in hoc sensu intercedit æqualitas amoris: quia voluntas animæ in Dei voluntatem conuersa, iam tota est voluntas Dei: non ēnim perijt volūtas *Gal. 2. 20.*

animæ, sed Dei voluntas facta est: ac proinde anima Deum amat voluntate Dei, quæ in sensu dicto est etiam voluntas ipsius: ideoque altissimo eum diligit amore per Spiritum sanctum infuso, prout Apostolus ait, his verbis: *Rom. 5. 5.* *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Animaduertendum est autem quod non ait hoc loco anima, Illic mihi dares, sed illic mihi mõstrares; Nã etiamsi verè amorem suum illi donet, dicitur tamen valde proprie ei monstrare seu docere amorem, hoc est, docet eam amare Deum, sicut ille seipsum amat: dum n. Deus nos primum amat, docet nos amare puro & integro amore, sicut ille nos amat. Et quia in hac transformatione Deus sese cõmunicando animæ, ei monstrat amorem quendã absolutũ, generosum ac purum, quo amabilissimè sese illi totum cõmunicat, eã transformãs in se; in quo suum proprium amorẽ illi dat, quo illa vicissim illũ amet (vti dicebamus) propterea propriè dicitur eam docere amare, quod est quasi instrumẽtum in manibus illius ponere, & innuere quomodo illud debeat exercere. Vnde anima in hoc statu, altissimo amore amat Deum non absimiliter illi, quo ab ipso amatur. Hinc est quod non solum anima sit edocta amare, sed etiam amandi magistra effecta, eidem amoris magistro vnita; atq; adeo satisfacta & contenta. quamdiu enim ad istum amorem nõ pertingit, minimè cõtenta est. Hoc est Deum complete amare, eodẽ quo seipsum amat amore, in sensu dictò de modo viuendi D. Pauli: quod tamen in hac vita perfectè fieri nequit, licet in statu perfectionis, nempe matrimonij spiritualis, de quo loquimur, aliquo modo possit. Ex hoc autem amore perfecto, confestim resultat in animam intimus & substantialis iubilus in Deo: videtur enim (& reuera sic est) quod tota animæ substantia perfusa gloria Deum magnificet; sentit etiam per modum fruitionis suauitatem intimam quæ prorumpere eam facit in actus laudis, reuerentiæ, æstimationis, & magnificentiæ diuinæ, cum ingenti gaudio amori permixto. Cæterum hoc (quamquam ita accidit, nisi Deus in præfato transformationis statu contulerit animæ maximam puritatem, similem illi status innocentiæ, vel lauacri baptismalis; quam etiam sibi à Sponso illico donandam ait in eadem transformatione, dum dicit.

Deus docet animã amorem.

Et statim mihi donares
Ibidem tu, ô mea vita
Id, quod dederas altera die.

Statum iustitiæ originalis & diem baptismi, in quo anima puritatem recipit, diem alteram vocat, hanc puritatem Sponsum sibi daturum ait in hac vnione amoris, etenim sicuti iam diximus, hucusque pertingit anima in hoc statu perfectionis.

CAN-

CANTVS TRIGESIMVS NONVS.

CANCION XXXIX.	SENSVS.
El aſpirar del ayre	*Suauis auræ ſpiratio*
El canto dela dulce Filomena	*Dulcis philomelæ cantus,*
El ſoto y ſu donayre	*Nemus eiuſque feſtiuitas*
En la noche ſerena	*In nocte ſerena*
Con llama que conſume, y no da pena.	*Cum flamma conſumente, nec moleſta.*

EXPLANATIO.

DVo diximus Sponſam expetere in antecedenti cantu. Primum id quod ambiebat. Secundum quod die altero illi donauerat, de hoc ſecundo nil aliud agendum reſtat, vtpote quod à nobis iam explanatum ſit. Nunc vero in hoc cantu explicat quod primo ambiebat: nam non ſolum eſt amor perfectus, de quo ibidem diximus, ſed etiam, prout ibi annotauimus, quidquid in præſenti cantu cõtinetur, hoc eſt, idem amor, & quod illius miniſterio animæ communicatur. Quapropter quinque hoc loco aſſignat, quibus comprehenduntur omnia; quæ ibidem indicare voluit ſe ambire. Primum eſt *auræ ſpiratio*, qui eſt amor prædictus, quem potiſſimum prætendit. Secundum, *Cantus Philomelæ*, qui eſt iubilus in laude Dei. Tertium, nemus, eiuſque feſtiuitas, hæc eſt creaturarum cognitio & earum diſpoſitio. Quartum, contemplatio pura & ſublimis. Quintum, flamma videlicet conſumens, nec moleſta, quaſi contineatur in primo; eſt quippe flãma, ſuauis transformationis amoris, in poſſeſſione rerum omniũ.

Auræ ſpiratio.

Hæc aptitudo ſeu habilitas quam poſcit anima ad amandum perfecto modo, vocatur hoc loco *Spiratio auræ*, eò quod ſit delicatiſſimus quidam tactus ac ſenſus, quem anima ea tempeſtate percipit in communicatione Spiritus ſancti, qui per modum ſublimiter aſpirantis ſubleuat illa aſpiratione ſua animam, eamque informat, vt ipſa viciſſim ad Deum aſpiret altiſſimam aſpirationem amoris ſimilem illi quam Pater aſpirat in filium, & filius in Patrem, quæ eſt Spiritus ſanctus ipſi animæ datus in prædicta transformatione. Non enim eſſet vera transformatio, niſi anima vniretur etiam & transformaretur in Spiritum S. quamuis propter vitæ huius vilitatem id non fieret clarè ac manifeſtè: quod tam eſt animæ glorioſum, ac delectabile, vt à mortali lingua effari nequeat, neque humanus intellectus id aſſequatur. Cæterum anima vnita & in Deum transformata aſpirat in Deo ad Deum altiſſimam quandã aſpirationem diuinæ ſimilem, quam Deus in illa manens aſpirat in ſemetipſo tanquam ipſius exemplar; quod quantum capio, ſignificare voluit S. Paulus, cum dixit: *Quoniam autem eſtis filij Dei, miſit Deus ſpiritũ* Gal. 4. c.

filij sui in corda vestra, clamantem Abba Pater. Quod in viris perfectis accidit prædicto modo. Nec mirum est, quod rem adeò sublimem anima præstare possit: supposito enim, quod Deus hoc illi conferat beneficium, vt ad Dei formem vnionem in Sanctissima Trinitate perueniat; cur quæso incredibile sit ipsam efficere opus suum intelligentiæ, notitiæ & amoris in Trinitate, vna cum ipsa Trinitate, idque maxima cum similitudine ad ipsam, participatiuè tamen, idipsum Deo in ea operante? Quomodo autem hoc fiat, nulla alia potentia nec sapientia exprimi potest, quam demonstrando, quemadmodum Dei filius hunc nobis sublimem statum & locum obtinuit atque promeruit, quando apud D. Ioannem dixit ad Patrem: *Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum:* Ioan. 17. 24. efficiendo nimirum idem opus quod ego facio, per participationem. Ait præterea: *Non pro eis autem rogo tantum sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint, vt credat mundus, quia tu me misisti, & ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus, ego in eis, & tu in me vt sint consummati, & cognoscat mundus, quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut & me dilexisti.* Ibid. n. 20 Quod fit communicando illis eundem amorem, quem communicat Filio, non tamen naturaliter sicut Filio, sed prout diximus, per vnitatem & transformationem amoris: sicut nec etiam hinc intelligitur, quod filius dicat Patri, vt sancti sint vnum essentialiter & naturaliter, sicut Pater & Filius vnum sunt; sed solum vult dicere, quod sint vnum per vnionem amoris, quemadmodum Pater & Filius vnum sunt in vnitate amoris: vnde animæ eadem bona possident per participationem, quæ ille possidet per naturam: quapropter veteres Dij sunt participatiue, similes atque consortes eiusdem Dei. Hinc Diuus Petrus dixit. *Gratia vobis, & pax adimpleatur in cognitione Dei & Christi IESV Domini nostri: quomodo omnia nobis diuinæ virtutis suæ, quæ ad vitam & pietatem donata sunt, per cognitionem eius, qui vocauit nos propria gloria & virtute, per quem maxima & preciosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ,* quod ita accidit sicut diximus, animam esse in opere participem cum Trinitate in hac prædicta vnione, quod licet perfectè adimpleatur in futura vita, nihilominus tamen etiam in hac, non mediocre eius vestigium ac prælibatio obtinetur in statu perfectorum, eo sensu, quo loquimur, tamersi res sit omnino ineffabilis. O animæ ad fruendum eximijs hisce muneribus creatæ! quid agitis circa quæ versantur studia vestra? O miseranda filiorum Adæ cæcitatem, si quidem tanto circumfusi lumine cæcutiunt, & ad voces tam ingentes obsurdescunt! quamdiu enim magnificentiam & mundi gloriam aucupantur, miseri remanent & abiecti tantorum bonorum indigni.

Dulcis Philomelæ cantus.

ORITVR in anima ex illa auræ aspiratione dulcis philomelæ cantus, quemadmodum enim cantus philomelæ, quæ & luscinia dicitur, auditur tempore veris, transactis iam hyemis frigoribus & pluuijs, atque melodia sua auditum demulcet ac spiritum recreat; ita Sponsa in hac actuali communicatione &

& transformatione amoris protecta, expedita, purgataque ab imperfectionibus, molestijs, nebulisque connaturalibus, sentit in spiritu suo nouum ver, vbi audit dulcem sponsi vocem, qui est dulcis ipsius philomela, animæ suæ substantiam recreantem ac renouantem his verbis: *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea & veni, iam enim hyems transijt, imber abijt & recessit, flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita est in terra nostra.* In hac Sponsi voce loquente in intimo animæ, sentit sponsa malorum finem, & bonorum exordium, cuius refrigerio, protectione ac sapido sensu emittit etiam ipsa anima vocem suam suauis philomelæ ad Deum nouo cantu, vna cum ipso Deo illam efficiente. Idcirco enim sponsus vocem suam tribuit animæ, vt ipsa vna secum ad Deum emittat vocem suam; id enim ille ambit & cupit: Prout idem sponsus in Canticis optat; dum sponsam alloquens ait: *Surge amica mea, speciosa mea & veni: columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis & facies tua decora.*

Cant. 2. 10

Cant. 2. 13

Dei aures denotant hic desideria Dei, vt ipsum perfectè laudemus. Vox etenim quam à sponsa hoc loco requirit, est laus perfecta & iubilatio ad Deum: quæ vt vndequaque perfecta sit, dicit sponsus, vt eam emittat & resonare faciat in cauernis petræ, quæ sunt amorosæ intelligentiæ mysteriorum Christi, quibus supra diximus animam illi esse vnitam: ex eo siquidem quod anima in hac vnione iubilat, & collaudat Deum vna cum ipso Deo, quemadmodum de amore dicebamus; propterea est laus perfecta: nam cum in statu perfecto versetur, opera perfecta facit. Vnde vox ista tam Deo, quam animæ dulcissima est: ac proinde sequitur: *Vox enim tua dulcis*, videlicet, non solum tibi, sed etiam mihi: dum enim mecum vnum es, vocem tuam suauis philomelæ vnà mecum ad me profers.

Nemus, eiusque festiuitas.

Tertium, quod dicit anima, mediante amore sibi fore demonstrandum: est, nemus eiusque festiuitas. Nemoris nomine Deum hoc loco subintelligit, vna cum rebus omnibus creatis, quæ in illo sunt. Sicut enim arbores omnes & plantæ viuunt & radicantur in nemore: ita res creatæ tam cœlestes quam terrestres habent radicem & vitam suam in Deo. Hoc igitur dicit anima illic fore sibi ostendendum, Deum nimirum, quatenus est vita & esse omnium creaturarum, originem & durationem illarum, & ipsasmet in illo cognoscens. Nihil enim curat anima, neque æstimat, eas per viam spiritualem sine illo cognoscere. Optat insuper vehementer videre festiuitatem nemoris, hæc est gratia, sapientia & venustas, quam sortitur à Deo: nec eam solum quam habet quælibet res creata, sed etiam illam quam inter se efficiunt in sapienti & ordinata correspondentia, quam habent ad inuicem tum res superiores, tum etiam inferiores: quod est Deum in creaturis per viam contemplatiuam cognoscere; res profectò summopere delectabilis, eò quod sit cognitio in ordine ad Deum; ac proinde sequitur quartum.

In

In nocte serena.

Nox ista in qua anima res istas videre desiderat est contemplatio : hæc enim obscura est, ideoque alias eam mysticam Theologiam vocant, id est, sapientiam Dei absconditam & secretam; in qua sine verborum strepitu & absque murmure & argumento cuiusuis sensus, quasi in silentio & quiete nocturna ac tenebris omnium sensuum, occultissime secretissimeque Deus animam instruit, ipsa nescicente, quî fiat: quod vocatur intelligere nõ intelligendo, non enim hoc præstat intellectus, quem agentem vocãt Philosophi, cuius opus versatur circa phantasmata & formas rerum; sed fit in intellectu quatenus possibilis & passibilis est, qui non recipit huiusmodi formas & phantasmata, sed passiuè recipit intelligentiam substantialem, quæ absque industria propria illi datur. Ac propterea hanc contemplationem noctem serenam hic appellat. Quẽadmodum enim nox ideo serena dicitur, quia purgata est à nubibus & vaporibus aëris serenitati obstantibus, ita nox ista contemplationis serena est intellectualibus oculis, & remota à cunctis nebulis, formis, phantasmatibus atque notitijs, quæ ingredi possunt per sensus: nitida etiam ac munda quibusuis affectuum appetituumque vaporibus, ac proinde est nox sensui & appetitui naturali iuxta doctrinam Philosophi aientis: *Quemadmodum enim vespertilionum oculi ad lumen solis se habent, ita intellectus animæ nostræ, ad ea, quæ manifestissima omnium sunt*: id est, sicut obscuratur vespertilionis oculus lumine solis, ita intellectus noster obscuratur à superexcedente lumine supernaturali.

Cum flamma consumente nec molestâ.

Hæc flamma est amor Dei iam perfectus in anima, absumens & transformans eam in se: atq; adeò amor suauis, eo quod intercedat conformitas, & satietas vtriusque partis, & ideò non est molesta ob varietatem anxiam augmenti vel decrementi, vt antea solebat esse quando anima erat incapax perfecti amoris: nunc enim habet se ad instar carbonis accensi, qui magna vniformitate similis est, & transformatus in ignem, nec amplius fumat, crepitatque vt prius, nec vltra habet atrum colorem aliaque accidentia connaturalia, quibus vestitus erat, priusquam ignis illum penetraret. Quæ omnia retinet anima non sine molestia, donec ad perfectum amoris gradum perlingat, vbi plenè, perfectè, suauiterque eam possideat amor absque molestia fumi passionum & accidentium connaturalium, in suauem tamen flammam transformatam: quæ illam consumit, & in motus, actionesque diuinas transmutet. In qua flamma Sponsum sibi demonstraturum & daturum ait Sponsa, ea omnia quæ in hoc cantu recensuit; vtpote quæ illa possideat, æstimet; eisque fruatur in perfecto ac suaui amore Dei.

(.·.)

CAN.

CANTVS QVADRAGESIMVS.

CANCION XL.

Que nadie lo miraua
Aminadab tan, poco parecia
I el cerco sosegaua
Y la caualleria
A vista de las aguas descendia.

SENSVS.

A nemine videbatur
Aminadab, neq; comparebat,
Obsidium mitescebat
Et equitatus
Ad conspectum aquarum descendebat.

DECLARATIO.

IN hoc postremo cantu vult anima indicare dispositionem suam præsentem, ad recipiendum dona, quibus in hoc statu fruitur, quæque à Sponso peruerat, quæ absque huiusmodi dispositione in ea, nec recipi, nec conseruari possunt. Proponit itaque amato quatuor dispositiones seu congruentias, quæ ad prædicta dona obtinenda sufficiunt, quo sic eum amplius deuinciat, vt sibi illa conferat, prout dictum est. Prima dispositio est: quod sit iam auulsa & à rebus omnibus abalienata. 2. quod iam dæmon superatus sit ac profligatus. 3. quod subditas habeat iam & subiugatas vniuersas passiones & appetitus connaturales ac spirituales. 4. & vltima dispositio est; quod reformata & purificata sit pars sensitiua, & spirituali conformis effecta, adeo vt non solum non impediat, sed etiam coadunetur spiritui, bonorum illius particeps effecta. quæ omnia concinit sponsa in hoc cantu, inquiens:

A nemine videbatur

Quod idem est ac si diceret: tam solitaria, abalienata, & à rebus omnibus tam superioribus, quàm etiam inferioribus auulsa est anima mea, tamque intimè ingressa est tecum per recollectionem, vt illarum omnium obtutus prorsus effugerit; ita vt nec suauitate sua ad oblectationem seu gustum eam moueant, nec miseria & vilitate amaritudinem, molestiamque inducant; dum enim anima mea ab illis vsque adeo longe distat, retrorsum valde & procul remanent à conspectu meo. neque id solum, sed etiam

Neq; Aminadab cõparebat.

Aminadab in diuina scriptura Cacodæmonem animæ aduersarium designat, qui innumerabili tentationum apparatu assiduè eam impugnabat & perturbabat, ne ad hanc munitissimam arcem atq; latibulum recollectionis, in vnione dilecti confugeret ac se reciperet: Vbi anima adeo fausta, victrix & in virtutibus fortis est, vt coram illa malignus spiritus comparere formidet; vnde ex eo quod talis amplexus fauore, insignita, & dæmon ita longè sit profligatus: tum etiam quia postquam anima dæmonem perfectè superauit, prout fecit illa quæ ad hunc statum peruenit, idcirco vltra coram illa nõ comparet: propterea optime ait: *Neque Aminadab comparebat.*

Et obsidium mitescebat.

Obsidij nomine subindicat hoc loco passiones & appetitus animæ, à quibus obsi-

obsidetur & oppugnatur, quamdiu non sunt omnino superati; idcirco obsidium eas vocat, quod etiam quieuisse ait: in hoc siquidem statu passiones ita compositæ sunt, & appetitus ita refrenati, vt vix molestiam aliquam inferant aut bellum.

Et equitatus.

Ante conspectum aquarum descendebat.

Aquæ denotant hic bona spiritualia, quæ animæ conferuntur in hoc statu. Equitatus verò designat potentias partis sensitiuæ tum internas, tum etiam externas. Quas potentias hoc loco Sponsa descendere ait ante conspectum harum aquarum spiritualium; in hoc siquidem statu ita purificata, &, vt sic loquar, quodammodo spiritualizata est pars sensitiua animæ, vt ipsa vnà cum potentijs ac viribus suis naturalibus, sese recipiat ad participandum & suo modo fruendum spiritualibus muneribus, quæ Deus actu spiritui communicat: prout indicare voluit Dauid, quando dixit: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Est autem Psal. notandum, quod non dicit hoc loco Sponsa, equitatum descendere ad gustandas aquas, sed ante conspectum aquarum: quia nimirum hæc portio sensitiua & ipsius potentiæ nequeunt essentialiter & propriè gustare bona spiritualia, eo quod neque in præsenti, neque in futura vita habeant ad hoc capacitatem proportionatam: sed per quandam spiritus redundantiam, recreationem delectationemque recipiunt, qua potentiæ istæ attrahuntur, ad recollectionem, in qua iam bibit anima bona spiritualia: & hoc est descendere potius ad illorum conspectum, quàm ad eorum essentialem gustum: & sic gustant redundantiam quæ ab anima illis communicatur. Dixit autem descendere, nec aliud verbum vsurpat, vt significet has potentias à propijs suis operationibus descendere ad animæ recollectionem: In quam Dominus Iesvs, dulcissimus Sponsus intromittere & collocare dignetur omnes, qui inuocant nomen eius.

Amen.

LAVS DEO.

SPIRI-

SPIRITVALIA

OPVSCVLA HACTENVS NONDVM impressa.

CAVTELÆ SPIRITVALES A VERIS Religiosis obseruandæ aduersus animæ hostes:

AVTHORE

V. P. Fr. IOANNE A CRVCE PRIMO

Carmelita Discalceato.

RELIGIOSVS *breui tempore desiderans peruenire ad sanctam recollectionem, spirituale silentium, nuditatem & paupertatem spiritus; vbi pacificum refrigerium, & Spiritus sancti delectabilis aura percipitur, vbi etiam anima vnitur Deo, ac se ipsam extricat vniuersis creaturarum obstaculis, Dæmoniq; astutias & deceptiones declinat, nec non seipsam, à seipsa expedit; subiectis se documentis exerceat, oportet.*

Inprimis animaduertendum est, vniuersa damna, quæ incurrit anima, à prædictis aduersarijs, Mundo videlicet, Dæmone, & Carne proficisci. Mundus cæteris duobus imbecillior est. Dæmon ad cognoscendum obscurior. Caro verò omnium pertinacior, cuius aggressiones tamdiu durant, quamdiu vetus homo perseuerat. Vt autem

tem quemlibet istorum inimicorum quis omnino debellet, omnes tres vincat, oportet. quorum vno debilitato, & reliqui duo viribus deficiunt, quando verò omnes tres superati sunt, nullum aliud ipsi animæ supereſt bellum.

ADVERSVS MVNDVM.

VT omnino deuites damna, quæ tibi Mundus inferre potest, tribus hisce cautelis vtaris oportet.

CAVTELA I.

PRima cautela sit: vt æquali erga omnes amore feraris, æquali obliuione: siue cognati tui sint, siue ignoti, cor tuum tam ab illis quam etiam ab his abstrahendo, imo quodammodo ab istis magis, veritus ne caro & sanguis foueantur, & vitificentur ab amore naturali, qui inter cognatos semper viget. Hunc amorem incessanter mortificare debet, qui perfectionem spiritualem adipisci desiderat. Omnes homines velut extrarij & ignoti tibi sint, & hac ratione melius satisfacies obligationi tuæ erga illos, quàm si affectum tuum, soli Deo debitum, eis impendas. Neminem plus altero diligas, secus enim grauiter errabis. Ille siquidem maiori dilectione dignus est, quem Deus plus amat, tu autem ignoras quem Deus magis diligat. Cæterum si tu æque omnium obliuiscēris, prout tibi conuenit, ad sanctam istam introuersionem consequendam; immunis eris ab errore, in amando eos, qui plus minusue amari merentur. Nihil de illis cogites, nec bona, nec mala: sed quantum fieri potest, ipsos deuita. Quod si obseruare neglexeris, non poteris esse religiosus, neque ad sanctam recollectionem peruenire, neque imperfectiones inde procedentes declinare. Si vero hac in re indulseris tibi, tecumque dispensare volueris, siue in vno, siue in alio, decipiet te Dæmon, vel tu temetipsum, sub aliquo boni, vel mali colore. si hæc feceris, securus eris, sin minus, non poteris imperfectiones & nocumenta ex creaturarum adhæsione animæ aduenientia deuitare.

CAVTELA II.

SEcunda aduersus Mundū cautela respicit bona temporalia. Quocirca, vt vere huius generis nocumenta vitare, & excessus appetitus contemperare possis, ab omni genere possessionis debes abhorrere, nullaque rei alicuius solicitudine angi: non cibi neque vestitus, nec alterius rei creatæ, etiam diei crastinæ: sed hanc curam altioribus applicare, inquisitioni scilicet regni Dei: hoc est, vt sis Deo fidelis: sic enim (vt ait D. Math.) *reliqua adiuuentur nobis.* Equidem tui non obliuiscetur Deus, cui de brutis cura est. hoc si feceris, silentium & pacem in sensibus consequeris.

CAV-

CAVTELA. III.

TErtia cautela summopere tibi necessaria est ad hoc, vt in monasterio cauere scias vniuersa damna circa Religiosos occurrentia. Quam quod plerique non adhibuerint, non solum animæ suæ pacem ac bonum amiserunt, sed etiam in multa inciderunt, & in dies incidunt mala, & peccata. Hæc igitur sit cautela, vt nimirum caueas omni studio cogitare, & multo magis loqui de his, quæ religiosum aliquem nominatim concernunt, non de illius indole, non de conuersatione, non denique de illius rebus, etiam grauioribus, nec sub prætextu zeli, aut emendationis aliquid dicas alteri, quàm ei, cui suo tempore id dicere expedit. Nunquam etiam scandalum patiaris, aut mireris, quidquid demum videas audiasve: sed animam tuam in obliuione omnium istorum immunè serua. licet enim viuas inter Angelos, dum alios curiosè attendis, multa tibi videbuntur non bona, eo quod illorum substantiam nō percipias. Quapropter statue tibi exemplum vxoris Loth, quę quod in Sodomitarum excidio conturbata retrospexerit, quidnam ageretur contemplatura, punitione diuina, in statuam & petram salis conuersa fuit: Vt ex eo intelligas, Dei voluntatem esse, quod licet inter Dæmones viuas, ita tamen te inter illos viuere vult, vt ne quidem ad ipsorum facta cogitationis caput retrouertas, sed ea, tanquam ad te minime pertinentia, omnino relinquas, hoc solum spectando vt animam tuam puram coram Deo conserues, absque eo quod vel minima cogitatio huius vel illius rei idipsum impediat. Atque adeo illud pro certo habeas, quod nunquam in Conuentibus, & Communitatibus Religiosis deerit offendiculum aliquod, cum Dæmones nunquam desint satagentes deturbare Sanctos: quod & Deus ipse ad illorum exercitium & experimentum permittit. Tu vero nisi, prout dictum est, prospexeris tibi, non secus, ac si non esses in monasterio quantumuis allabores, Religiosus esse non poteris, neque ad sanctam nuditatem, & introuersionem peruenire, neq; inibi latentia damna subterfugere. Si enim aliter te gesseris, quantumuis optimo fine ac zelo ducaris, siue in vno siue in alio à Dæmone deprehenderis, & sane satis multum ab illo deprehensus es, quoties præbes aditum animæ circa aliquid huiusmodi sese distrahendi. Memento quid dicat S. Iacobus Apostolus: *Si quis putat, (inquit,) se religiosum, esse non refrenans linguam suam, huius vana est religio.* Iac. 1. 26. quod non minus de interiori, quam etiam de exteriori lingua intelligendum est.

Contra Dæmonem.

TRibvs cautelis vti debet quisquis ad perfectionem aspirat, vt Dæmonis secundi hostis manus effugiat. quocirca notandum est, inter varias, quas Dæmon vsurpat cautelas, vt personas spiri-

tuales decipiat, ordinariam magisque frequentem esse eam, qua subspecie boni, non verò subspecie mali, eis illudit, optime quippe nouit ille malum manifeste cognitum vix eas admissuras. Idcirco nunquam non debes timere, etiam id quod apparet bonum, tunc maxime, cum illud non præstas ex obedientia. Tutum & sanum erit hac in re illius consilium sequi, à quo illud capere teneris.

CAVTELA I.

SIt itaq; Cautela prima aduersus Dæmonem: vt nunquam mouearis ad faciendum aliquid, (quod ex statuto ordinis facere non teneris) quantumuis bonum & charitate plenum videatur cum tibi, tum etiam cuiuis alteri, intra vel extra claustrum existenti absque præscripto obedientiæ meritum & securitatem tribuentis. Sic enim faciendo, proprietatem vitas, dæmonemque & damna, quæ ignoras subterfugis, de quibus suo tempore Deus à te rationem exiget, quam cautelam nisi diligenter obserues, tum in minimis, tum etiam maioribus, non poteris non decipi à Dæmone siue parum, siue multum, quantumuis rectè te agere arbitrere. licet enim aliud non incurreres nocumentum quam non sequi in omnibus obedientiæ ductum, satis notabile esset, si quidem culpabiliter erras; Deo enim obedientia magis placet, quam sacrificia: porro religiosi actiones non ipsius, sed superioris sunt; quas si ab illo subtraxerit, tanquam infructuosæ, & perditæ requirentur ab eo.

CAVTELA II.

SEcunda cautela sit talis; vt nunquam Prælatum tuum, quicunque ille sit, aliter aspicias, quam si aspiceres ipsum Deum, quippe qui vice Dei tibi datus est. Nota vero diligenter Dæmonem humilitatis iuratum hostem, hac in re plurimum se ingerere. Cæterum si Prælatum (vti dictum est) intuearis, maximum inde lucrum, & profectum percipies, minus iacturam & detrimentum immensum. Vnde sedulo inuigila, ne illius conditionem attendas, non modum, non artes, non alias ipsius agendi rationes, nam si secus feceris, maximo te damno afficies, diuinam enim obedientiam, pro humana commutabis, solumque ad obediendum mouebunt vel non mouebunt te modi, & respectus, quos sensibiliter vides inferiore, non verò ipse Deus inuisibilis, cui in persona illius inseruis. & sic obedientia tua vana erit, vel certe eo infructuosior, quò tu vel ob aduersam Prælati conditionem amplius grauaris, vel ob graram placidamque magis hilarescis. Equidem dico tibi Dæmonem, dum ad hos Prelati modos attendendos inducit, maximam religiosorum ad perfectionem tendentium multitudinem pessumdare: quorum obedientia exigui admodum pretij est coram Deo, eò quod obediendo ad ista oculos suos conuerterint.

Nisi

Nisi hac in re vim intuleris tibi, ita vt eo vsque peruenias, quod tibi perinde sit (quatenus ad tuum priuatum sensum spectat) vtrum is vel ille Prælati locum teneat; nullatenus esse poteris spiritualis, neque vota tua fideliter custodire.

CAVTELA III.

TErtia cautela, directe contra dæmonem pugnans, est: vt seriò studeas te ipsum iugiter humiliare verbo & opere; de aliorum bonis ita congaudens, sicut de tuis; cupiensque vt in omnibus rebus illi præferantur tibi, idque syncero corde. qua ratione vinces in bono malum, Dæmonem procul pelles cordisque possidebis lætitiam. Et hoc ipsum præstare stude erga illos potius, quibus minus afficeris, quam erga alios: certo tibi persuadens, quod nisi hoc pacto te gesseris, nec ad veram peruenturus charitatem, nec in ea progressus facturus sis. Ama semper edoceri potius ab omnibus, quam velle docere etiam omnium minimum.

Contra Carnem & sensualitatem.

ERibus se cautelis muniat oportet, qui de se ipso ac sensualitate propria (quæ est tertius animæ hostis) desiderat reportare victoriam.

CAVTELA I.

PRima cautela sit: vt tibi persuadeas alium ob finem ad monasterium te non venisse, nisi vt poliaris, & exagiteris ab omnibus. quare vt subterfugias imperfectiones & inquietudines, quæ circa conditionem & conuersationem Religiosorum possent contingere; vtque ex omnibus euentibus fructum percipias; conuenit te cogitare, omnes quotquot sunt in monasterio, esse officiales siue ministros ad exagitandum te missos, sicuti reuera sunt. ab his enim exercendus es verbo, ab illis opere, ab alijs cogitatione aduersum te: in quibus omnibus ita subditus esse debes, quemadmodum imago vel statua sculptori, pictori, & inauratori subijcitur. Quod nisi fideliter obseruaueris, neque propriam sensualitatem ac sensus superare, neque in monasterio cum Religiosis, sicut par est, cõuersari, neque sanctam adipisci pacem, nec denique innumera offendicula, & mala deuitare poteris.

CAVTELA II.

SEcunda cautela sit: vt nunquam facere prætermittas opera ob gustus vel saporis defectum, si ad Dei seruitium illa fieri expediat; neque illa facias ob solam suauitatem & saporẽ, quem ex illis percipis, nisi forte illa facere expediat æque ac insipida. Etenim nisi hoc efficias, fieri non potest vt animi constantiam acquiras, & superes infirmitatem tuam.

CAVTELA III.

TErtia cautela sit: quod vir spiritualis nũquam in suis exercitijs debet collimare oculos ad illorum gustum & saporem, vt ei inhæreat, eoque intuitu solo talia exercitia præstare; neq; quod in eis amarũ est subterfugere, quin imo quod laboriosum & insulsum est, debet inquirere, & amplecti: sic enim coërcetur & frenatur sensualitas. Alias enim, nec amorem proprium superabis, nec Dei amorem lucraberis, vel consequeris.

FINIS.

SEN-

SENTENTIARIVM SPIRITVALE

V. P. F. IOANNIS A CRVCE PRO RE-ligiosis sui Ordinis.

Aspiratio ad Deum D. nostrum.

ETIAM (ô Deus & dulcedo mea!) in hisce amoris & lucis tuę dictis ob gratiam tui sese anima mea impendere cupit, licet enim illorum verba habeam, non vero opera & virtutem quę tibi, ô Domine mi magis placent, quam eorum loquela, & scientia, alij tamen illis prouocati in tuo seruitio & amore fortasse proficient, in quo ego deficio; eritque animæ meæ aliquale solamen, quod nimirum occasio fuerit, vt quod in ipsa desideratur, in alijs tu reperias. Diligis ô Domine discretionem, diligis lucem, diligis superalias omnes animæ operationes, amorem. Idcircò hæc dicta erunt discreta viatori, lucida viæ, & interambulandum amorosa. Subsistat igitur procul mundi Rhetorica, sistant gradum verba, & eloquentia arida humanæ sapientiæ, argutæque fragilitatis, quam hactenus non probasti; loquamurque cordi verba, lumine, amoreque tuo madentia, quæ vtique placent tibi. E medio forte sic tolles offendicula, & obstacula, à multis animabus, quæ ignoranter impingunt, & ignoranter errant, existimantes se rectè procedere, quo-

quoad sequelam dulcissimi filij tui Domini nostri Iesu Christi; similes ei fieri satagentes in vita, conditionibus, ac virtutibus, iuxta normam nuditatis & puritatis spiritus ipsius. Sed tu ô misericordiarum Pater id præsta; nihil enim Domine fiet absque te.

PRIMA SENTENTIA.

1. STVDEAS fouere ordinariam sollicitudinem & affectum imitandi Christum in rebus omnibus, atque ita te geras, sicu ipse se gereret.

2. Abrenuncia propter Christũ omnibus gustibus occurrentibus: qui dum viueret alium gustum non habuit, quam Patris sui facere voluntatem.

3. Conare iugiter animum inclinare, non ad faciliora, sed difficiliora; non ad id quod est magis dulce, sed ad id quod est magis insipidum; non ad altiora pretiosioraque, sed ad humiliora & magis contemptibilia, non ad plura, sed ad pauciora, non ad appetendum aliquid, sed potius ad nihil volendum.

4. Præstat oneratum esse iuxta fortem viribus, quam alleuiatum iuxta infirmum ac debilem. Cum es oneratus, iuxta Deum manes, qui est fortitudo
Psal.33.19. tua, quique *iuxta est his qui tribulato sunt corde*: Cum vero alleuiatus es, tibi ipsi es proximus, qui es tua imbecillitas; virtus enim & fortitudo animæ, in laboribus crescit & confirmatur.

5. Qui absque magistri ac ducis auxilio esse vult, erit tanquam arbor in agro sola sub nullius dominio: quæ licet fructibus abundet, à viatoribus tamen decerpentur, nec ad maturitatem peruenient.

6. Anima sola & absque spirituali magistro, est instar prunæ separatæ, quæ tepescet potius, quàm inardescet.

7. Qui solus absque ductore labitur, solus in casu iacet, & animam suam parui pendit, cum sibi soli fidat.

8. Si casum non metuis solus, time resurgere solus: considera autem quod plus duo, quam vnus possit.

9. Qui oneratus cadit, difficulter oneratus resurgit. qui cæcus corruit, non resurget solus à cœcitate, quod si solus resurrexerit, per viam, qua non conuenit, incedet.

10. Magis exigit Deus à te minimum puritatis conscientiæ gradum, quam quæuis alia opera, quæ præstare potes.

11. Pluris facit Deus in te, quod ad desolationes internas & labores ob ipsius amorem ferendos propendeas, quam consolationes omnes visionesque spirituales ac meditationes, quas habere possis.

12. Plus amat Deus in te minimum obedientiæ & submissionis gradum, quam obsequia omnia, quæ illi præstare cogitas.

13. Desideria tua abnega, & inuenies, quod desiderat cor tuum. quî scis, vtrum appetitus tuus sit secundum Deum?

14. Quandoquidem ex voluntatis

tuæ adimpletione duplicari debeat amaritudo tua, noli ei satisfacere, etiamsi manere debeas in amaritudine.

15. Plus indecentiæ & impuritatis habet anima vt ad Deum tendat, si appetitum concupiscibilem, licet minimum cuiusuis rei huius mundi foueat; quam si omnium fœdarum, molestissimarumque tentationum, ac tenebrarum, quæ excogitari possunt, pondere dummodo grauaretur, eis minime assensum præbeat.

16. Magis placet Deo anima, quæ aride & cum labore, ei quod æquum & iustum est subijcitur; quam illa, quæ in his deficiens, omnia opera sua cum spiritus suauitate exequitur.

17. Gratius est Deo opus, quantumuis exiguum in abscondito factum absq; desiderio vt alijs notum fiat, quam mille alia facta ex vano desiderio, vt hominibus innotescant.

18. Qui ex purissimo amore propter Deum operatur; etiamsi Deus id non deberet scire, non cessaret eadem obsequia pari lætitia, & amoris puritate præstare.

19. Opus purum & integrum propter Deum factum: in sinu cordis puro, regnum purum efficit suo Domino.

20. Dupliciter laborat passer, qui insedit visco, videlicet vt illo se extricet, & vt se mundet ab illo: dupliciter etiam laborat is, qui appetitu suo satisfacit; inprimis vt inde auellat se, deinde; vt à macula adhæsionis seipsum emundet.

21. Qui appetitibus non obremperat, expeditè volabit secundum spiritum, instar auis pennis minimè destitutæ.

22. Perinde est si auis tenui vel crasso filo ligata hæreat: quamuis enim tenue filum sit, attamen donec illud abrumpat ligata manebit, nec auolabit: sic etiam anima quæ alicui rei etiam minutissimæ adhæret.

23. Musca melli appropinquans, præpedit volatum suum: & anima quæ dulcedini spiritus inhærere cupit, obstat libertati, & contemplationi suæ.

24. Noli præsens fieri creaturis, si Dei faciem conseruare cupis in anima clara & simplicem: sed potius euacua & longe fac ab illis spiritum tuum, & sic inter medias diuinas luces gradieris.

25. Quid diutius immoraris, cum possis è vestigio Deum diligere in corde tuo?

26. Spiritus tritè expurgatus, non inuoluitur externis reflexionibus, neque humanis respectibus; sed solus & remotus interius à cunctis formis, suaui tranquillitate cum Deo communicat.

27. Amans Deum Anima, blanda humilis & patiens est: Anima vero dura in suo amore proprio obdurescit.

28. Qui orationis filum perdit, est instar eius, qui passerem, quem manu tenebat, auolare permisit, quem difficulter rursum capiet.

29. Vnica duntaxat cogitatio hominis pretiosior est vniuerso mundo: vnde ea solus Deus dignus est, illique debetur: ac proinde quæuis cogitatio, quæ circa Deum non versatur, furti nos arguit.

30. Ad insensibilia requiritur quod minime sentitur, ad sensibilia vero, sensus, ad spiritum autem Dei, cogitatio.

31. Considera quod Angelus tuus custos non semper moueat appetitum ad operandum, tametsi semper rationem illustret: proinde noli expectare suauitatem sensibilem, cum ratio & intellectus tibi sufficiant.

32. Appetitus cum circa aliquid extra Deum versatur, obstruit aditum motio-

Id

ni angelicæ.

33. Id quod ambis, quodque magis desideras, non inuenies per viam hanc tuam, neque per sublimem contemplationem; sed in multa humilitate, cordisque flexura.

34. Noli frustra fatigari, non enim saporem & spiritus suauitatem ingredieris, nisi eius, quod concupiscis abnegationi institeris.

35. Vide quod flos, quanto delicatior est, eo citius marcescat, odoremq; amittat; propterea caue ne velis per spiritum suauitatis incedere; sic enim minime constans eris.

36. Selige tibi spiritum robustum, nulli rei affixum, & sic inuenies suauitatem pacemque copiosam, fructus enim sapidi, dulces ac permanentes in frigidis regionibus inueniuntur.

37. Quod ex mundo nascitur mundus est, sicut quod ex carne nascitur caro est. Bonus autem spiritus oritur solummodo à Dei spiritu, qui neq; per mundum, neq; per carnem communicatur.

38. Rationem ineas cum tua ratione, vt quod ipsa dictat, in via Dei perficias; quod multo magis tibi proficuum erit coram Deo tuo, quam opera omnia, quę facis absque huiusmodi reflexione, & plusquam omnes fauores spirituales, quos requiris.

39. Fœlix qui proprio gustu & inclinatione relictis, sic aspicit res, vt solus rationis & iustitiæ intuitu illas perficiat.

40. Qui rationaliter operatur, similis est illi, qui substantiali cibo, qui autem voluntatis suæ gustui cupit satisfacere, similis est ei, qui fructibus flaccidis & mollibus vescitur.

41. Si animam expurgaueris à peregrinis possessionibus, & apperitibus, res spiritualiter intelliges, & si abnegaueris appetitum erga illas, illarum veritate frueris, cognoscendo quod certum in illis est.

42. Ille profecto res omnes iam vicit, quem nec illarum gustus mouet ad gaudium, nec amaritudo ad tristitiam.

43. Si pertingere cupis ad sanctam ihtrouersionem, debes incedere nõ res admittendo, sed abnegando eas in spiritus nuditate.

44. Ad perfectionem peruenire non poterit, qui non studet sibi satisfacere, ita vt tam appetitus naturalis, quam spiritualis contenti sint in vacuitate omniũ, quæ non sunt Deus; quod prærequiritur ad completam pacem, & tranquillitatem Spiritus.

45. Siquidem Deus inaccessibilis est, non requiescas in his quæ potentiæ tuæ possunt comprehendere, & sensus sentire; ne quod minus est tibi satisfaciat, & perdat anima tua agilitatem ad tendendum in illum requisitam.

46. Sicut qui trahit currum sursum, ita ad Deum tendit anima non excutiens solicitudinem, & appetitum non extinguens.

47. Non est Dei voluntas vt anima perturbetur, aut in re aliqua patiatur: si enim aliquid patitur, id ex virtutis imbecillitate procedit: siquidem viri perfecti anima lætatur in eo, quod imperfectam contristat.

48. Via vitæ modicam requirit negotiationem & solicitudinem, sed magis exigit propriæ voluntatis abnegationẽ, quam multam scientiam: Qui plus rebus & gustibus inhęserit, is minus progredietur per eam.

49. Ne quæso tibi persuadeas, quod placere Deo situm sit in multis operibus, sed potius in hoc, quod opera fiant cum recta voluntate, absque proprietate, & humanis respectibus.

50. Ad vesperam de amore ratio exigetur abs te; addisce Deum amare, sicut ipse amari vult, & innatam tibi conditionem relinque.

51. Caue ne te rebus alienis immiscеas, nec illarum recorderis. Vix enim pensum tuum adimplere sufficies.

52. Noli putare ex eo quod in aliquo non resplendeant virtutes, quas tu concipis, ideo non sit coram Deo pretiosus propter illa, quæ tu non cogitas.

53. Nescit homo rationabiliter lætari & dolere: eo quod distantiam inter bonum, & malum minime percipiat.

54. Vide ne propter sæculi aduersos casus contristeris repente, cum nescias bona, quæ secum adferunt à Deo præordinata, in iustorum vtilitatem, & electorum gaudium sempiternum.

55. Vide ne gaudeas propter bona transitoria, cum certus non sis, an æternam tibi vitam allatura sint.

56. In tribulatione ad Deum confidenter accurre, & sic confortaberis, illuminaberis, & erudieris.

57. In gaudijs & gustibus, cum timore & veritate confestim ad Deum confuge, & sic non decipieris nec implicaberis vanitate.

58. Deum vt sponsum & amicum habeto, & coram eo iugiter ambula, & sic vitabis peccata, & amare addisces, resq; necessariæ prospere tibi succedent.

59. Absque fatigatione gentes subiugabis, tibique famulabuntur omnia, si tam illorũ, quam tui ipsius oblitus fueris.

60. Quieti indulge, superfluas curas à te repellendo, & quicquid demum accidat negligendo; & sic seruies Deo cum propria satisfactione, & in illo lætaberis.

61. Vide quia Deus non regnat nisi in anima pacifica, & propria quæsitione denudata.

62. Etiamsi multa opera facias, nisi tamen addiscas voluntatem tuam abnegare ac te subijcere, tui, rerumq; tuarum curam deponendo, non progredieris in via perfectionis.

63. Plus Dei donis vna duntaxat hora lucramur, quam per totum vitæ cursum, proprijs lucraremur.

64. Valde imminuitur conscientiæ secretum, quoties aliquis manifestat hominibus fructum eius; tunc enim recipit pro præmio fructum laudis transitoriæ.

65. Super omnia nobis necessarium, est huic magno Deo exhibere silentium tum appetitu, tum lingua, is enim solum exaudit silentem linguam amoris.

66. Noli vana extolli lætitia cum scias, quot & quanta peccata commiseris, & ignores qualiter Deo gratus sis; veruntamen time, ac spera.

67. Linguam & cogitationes tuas refrena valde, affectusque tuus assiduo adhæreat Deo, & incalescet spiritus diuino modo.

68. Spiritualem tranquillitatem cum amorosa Dei notitia habere satage, cumque necessario loquendum tibi erit, eadem tranquillitate, & pace id exequeris.

69. Frequenter memineris æternæ vitæ, quodque abiectiores & pauperiores, quique seipsos minus æstimant altiori dominio, & gloria fruentur in Deo.

70. Delectare frequenter in Deo, qui est salus tua, & considera bonum esse pati quidquid euenerit, propter eum qui bonus est.

71. Quid scit qui pro Christo pati nescit? cum de laboribus agitur, quo plures & grauiores sunt, eo melius.

72. Si quis tibi persuadere conetur doctrinam laxã, tametsi miraculis eã cõfir-

met,

net, ei non credas, sed magis austeriori pœnitentiæ, & abstractioni à rebus omnibus, fidem adhibeas.

73. Considera, summopere expedire, te tibi ipsi esse contrarium, atque per austeram vitam, ad perfectionem contendere, simulque intellige de quolibet verbo prolato præter ordinem obedientiæ, Deum à te rationem exacturum.

74. Interius exteriusque cum Christo crucifixus, viues in hac vita cum satietate, & satisfactione animæ tuæ, & in patientia tua possidebis eam.

75. Amorosam erga Deum attentionem habeto, absque appetitu percipiendi aliquid singulare de illo.

76. Assiduam in Deo habe fiduciam, æstimando quod ille, in te, & in alijs plurisfacit, nempe bona spiritualia.

77. Ne admiseris in anima tua rem aliquam non habentem in se substantiam spiritualem, hæc enim efficiet vt veræ deuotionis, & recollectionis suauitatem amittas.

78. Satis tibi sit Christus crucifixus, cum ipso patere, & requiescere, & sine ipso, nec pati, nec requiescere velis, ideoque rebus omnibus internis externisque proprietatibus, seu adhæsionibus te ipsum exinanire stude.

79. Sinus tui conclaue ingredere, & coram Deo tuo, qui tibi semper adest & benefacit, feruenter labora.

80. Conare iugiter vt res nihil tibi faciant negotij, nec tu rebus, sed potius oblitus omnium maneas cum Deo in recessu tuo.

81. Labores multum ama, & pro nihilo ducas: vt sic placeas illi Domino, qui pro te mori non dubitauit.

82. Pauper qui nudus est, vestietur, animam vero, quæ appetentias & desideria sua exuerit, puritate, suauitate, ac voluntate sua vestiet Deus.

83. Vnicum duntaxat verbum locutus est Pater, Filium nimirum suum: atque in æterno silentio semper illud loquitur, quod etiam in silentio debet anima audire.

84. Non debemus labores nobis adaptare, sed nos ipsos laboribus.

85. Qui Christi crucem non quærit, nec ipsius gloriam quærit, quem si possidere desideras, extra crucem nequaquam requiras.

86. Deus ad hoc vt animam diligat, non illius excellentiam, sed grandem illius humilitatem, suique contemptum respicit.

87. Cœlum corruptioni non subiacet, nec generationi, neque animæ cœlestem naturam sortitæ, appetitus generare, & nutrire solent.

88. Ne vescaris vitæ huius vetitis cibis: quia beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

89. Appetitus fatigant animam, obnubilant, maculant, atque debilitant.

90. Non consistit perfectio in virtutibus quas in te cognoscit anima, sed in illis, quas Deus in ipsa cognoscit: quod est quid reconditum & occultum; quare non habet vnde præsumat, sed potius vnde metuat.

91. Amor non consistit in hoc, quod quis magna sentiat, sed in magna nuditate & patientia propter Deum dilectum.

92. Potentiæ ac sensus animæ non debent omnino circa res effundi & occupari, sed solum quantum est necessarium, & reliquum liberum ipsi Deo relinquendum est.

93. Tria sunt signa recollectionis internæ. 1. signum, si animæ non placent res transitoriæ. 2. si placet illi solitudo & silentium, & id quod perfectius est curat. 3 Si meditatione & discursu, quibus antè iua-

uabatur, nunc impeditur, quæ signa simul reperiri debent.

94. Nō aspicere alienos defectus, seruare silentium, & assiduum cum Deo commercium, ingentes euellunt imperfectiones ab anima, maximarumque virtutum Dominam efficiunt.

95. Non suspiceris aduersus fratrem tuum, quia perdes puritatem cordis.

96. Abstractum ab externis & possessione internorum, rerumque diuinarum proprietate, neque prospera detinent, nec præpediunt aduersa.

97. Quid prodest Deo vnum dare, si aliud à te requirit? considera quid velit Deus, & sic plenius satisfacies cordi tuo, quàm eo, ad quod propendes.

98. Quomodo ita intrepide indulges voluptati & genio, cum debeas comparere coram Deo, etiam minimi verbi, & cogitationis rationem redditurus?

99. Vide quod multi sunt vocati, pauci vero electi, & quod nisi cautè solicitèque vixeris, certior sit perditio tua quam salus.

100. Quandoquidem tempore reddendæ rationis dolere debes, quod non insumpseris tempus in Dei seruitio; cur modo non impendis, & ordinas illud eo modo, quo illud impendisse velles cum morieris?

EXCLAMATIO AD DOMINVM,
qua V.P. finem imponit suis documentis.

DOmine Deus amator meus, si adhuc memor es iniquitatum mearū vt non exaudias orationē meam; fac mecum secundum voluntatem tuam: hanc enim & ipse volo, tuamq; bonitatem & misericordiam exerce, & in illis cognoscēris. Si vero opera mea expectas, vt ipsis intercedētibus annuas orationi meæ, Da illa tu Domine, & in me illa operare, nec non pœnas, quas tibi placuerit acceptare, mitte, & sic fiat. quod si opera mea præstolari nō vis; quid ô clementissime Domine expectas? cur morarū? cur tandem? si gratia & misericordia futura est, quam in Filio tuo requiro, accipe operum meorum teruntium, si quidem tibi placet, & hoc mihi bonum largire, si quidē etiam & hoc tu vis. Quis euadere poterit infimos modos, ac terminos, nisi tu ô DEVS *meus, in puritate amoris eum erigas ad te?*

EPI-

EPISTOLÆ SPIRITVALES

VEN. ET MYSTICI DOCTORIS

FRATRIS IOANNIS A CRVCE PRIMI Carmelitæ Discalceati.

EPISTOLA I.

Ad religiosum quendam sibi subditum, in qua illum instruit, qua ratione debeat abstrahere voluntatem à gaudio Creaturarum, & in Deo illam collocare.

PAX IESV CHRISTI, ô fili, sit semper in anima tua. Accepi epistolam R. V. qua indicat magna sibi à Domino immissa fuisse desideria occupandi voluntatem suam, solummodo in diligendo eum super omnia: in quem finem aliquot à me documenta requirit. Summopere lætor de his tam intensis desiderijs à Domino præstitis, at longe magis gaudebo, si ea executioni mandauerit. Idcirco animaduertat oportet: Gustus omnes, gaudia & affectus semper oriri in anima mediante affectu, & appetiturerum quæ obijciuntur ei tanquam bonæ, conuenientes, & delectabiles, eo quod, vt ipsa putat, delectabiles sint, atque pretiosæ. Et iuxta hoc eius appetitus erga illas mouentur, ipsaque voluntas eas adipisci sperat, & in eis, cum præsentes sunt, delectatur, timetque illas amittere, & cum eas perdit, dolore afficitur. Vnde secundum affectus & delectationes rerum, alteratur anima, & fit inquieta. Ad annihilandum itaque, & mortificandum hos delectationum affectus, in rebus omnibus extra Deum, debet R. V. signanter notare; omne id de quo potest distincte gaudere voluntas, esse suaue ac delectabile, eo quod ipsa suaue esse arbitretur: porro nulla res suauis ac delectabilis, in qua voluntas gaudere, & oblectari potest, est Deus. Nam sicut Deus subijci nequit apprehensionibus reliquarum potentiarum; ita neque subijci potest apperitibus & gustibus voluntatis. Etenim quemadmodum anima non valet gustare Deum essentialiter in hac vita mortali, ita quæcunque suauitas & delectatio, quam percipit, Deus esse non potest, quantumuis sublimissima sit. quidquid enim voluntas distincte gustare & appetere valet, est in quantum id cognoscit sub ratione huius vel illius obiecti: cum igitur voluntas nunquam Deum gustauerit, prout in se est, neq; sub aliqua eum appetitus apprehensione cognouerit, atque adeo nesciat qualis Deus in se sit; hinc fit

B. Joan. a Cruce
Opera Mystica
N. 1 2

fit quod ipsius gustus eum assequi nequeat, nec possunt ipsius esse, appetitus, & gustus, eo peruenire, vt Deum sciant desiderare, quippe qui ipsorum capacitatem excedit.

Constat itaque nullam rem distinctam earum, de quibus gaudere potest voluntas, esse Deum: ac propterea vt illi vniatur, debet seipsam euacuare, & auellere à quocunque inordinato affectu, appetitu, & gustu rerum omnium, de quibus distinctè gaudere potest, tam circa superiora, quam etiam inferiora, temporalia vel spiritualia; vt sic expurgata & emundata ab vniuersis gustibus, delectationibus & appetentijs inordinatis, tota simul cum affectibus suis, in amando Deum occupetur. Si enim voluntas potest aliquo modo comprehendere Deum, eique vniri, hoc non fit per aliquod medium ab appetitu comprehensibile, sed solum modo per amorem: iam vero cum suauitas, & delectatio, & quiuis alius gustus, cuius voluntas est capax, non sit amor; sequitur nullum ex sapidis sentimentis esse posse medium aptum, vt voluntas Deo copuletur, sed tantum voluntatis operationem. longe quippe differt voluntatis operatio ab ipsius voluntatis sensu; per operationem enim quæ est amor, vnitur Deo, & in ipsum termitur, non vero per apprehensionem, & sensum appetitus sui, qui tanquam finis ac terminus operationis in anima residet.

Possunt sentimenta, & motiua duntaxat, ad amandum deseruire, si voluntas vlterius progredi velit. Vnde sapida sentimenta non dirigunt ex se ad Deum animam, imo efficiunt vt ipsis insidendo hæreat: at vero operatio voluntatis, quæ est amare Deum, efficit vt anima in ipso solo ponat affectum, gaudium, gustum, voluptatem & amorem suum, prætermissis, omnibus, eum super omnia diligendo. Quare qui mouetur ad amandum Deum propter eam quam experitur suauitatem, eo ipso prætermittit hanc suauitatem, & amorem suum collocat in Deo, quem non sentit: si enim amorem collocaret in suauitate & gustu quem percipit, reflectendo & inhærendo illi, iam hoc esset amorem suum in Creatura, aut in re aliqua ad ipsam pertinente collocare, & motiuum seu medium vt finem ac terminum sibi constituere, ac proinde opus voluntatis esset inutile & otiosum. quippe cum Deus incomprehensibilis sit & inaccessibilis, non debet voluntas suam operationem amoris (vt circa Deum versetur) collocare in eo quod ipsa tangere & appetitu apprehendere potest, sed in eo, quod is nec comprehendere nec attingere valet. Et sic voluntas amat quod certum ac verum est, iuxta beneplacitum fidei, in vacuitate & obscuritate sentimentorum suorum super illa omnia quæ ipsa potest percipere intellectu notitiarum illius, credendo & amando, super omne id, quod potest intelligere. Vnde valde esset insipiens, qui deficiente suauitate & consolatione spirituali, putaret idcirco sibi deesse Deum: & dum ea affluerent, gauderet & exultaret, existimans propterea se habere Deum: & adhuc insipientior foret, si hanc in Deo suauitatem exquireret, gauderetque & inhæreret illi: Sic enim iam non requireret Deum, voluntate fundata in vacuitate fidei & charitatis, sed gustum & suauitatem spiritus (quæ quid creatum est) proprij gustus & appetitus ductum sequendo. Atque ita non diligeret pure DEVM super omnia (quod est vires omnes voluntatis in eo ponere) inhærens siquidem, & adhærens appetitu illi creaturæ, non ascendit vo-

lun-

voluntas ſuper illam ad Deum, qui inacceſſibilis eſt. Fieri enim nequaquam poteſt, vt voluntas pertingere poſſit ad fruẽdum ſuauitate, & delectatione diuinæ vnionis, neque ſuaues & amabiles Dei amplexus valet experiri, niſi in nuditate & vacuitate appetitus ab omni guſtu peculiari, tam ſuperiori, quam etiam inferiori. Hoc enim indicare voluit Dauid, quando dixit: *Dilata os tuum, & implebo illud.* Sciendum eſt enim appetitum eſſe os voluntatis, quod tunc dilatatur, cum alicuius ſuauitatis buccella non impeditur, nec occupatur: cum enim appetitus circarem aliquam verſatur, eo ipſo anguſtatur & reſtringitur: cum extra Deum nihil ſit præter anguſtias, ac proinde vt anima recto tramite ad Deum tendat, eique vniatur, debet habere os voluntatis apertum, ſolummodo ipſi Deo, & à quacunque appetitus buccella auulſum, quo ſic Deus illud impleat amore & ſuauitate ſua. debet inſuper hanc famem & ſitim ſolius Dei habere, nec alia quauis re eam velle explere, quandoquidem Deum, ſicuti eſt hic guſtare nequit; imo etiam id quod guſtari poteſt (ſi appetitus adſit) illius guſtum præpedit. Id docuit Iſaias cum ait: *Omnes ſitientes venite ad aquas &c.* quo loco eos qui ſolum Deum ſitiunt, nec habent argentũ appetitus, ad ſatietatem diuinarum aquarum vnionis Dei inuitat. Plurimum itaq; conuenit expeditq; vt R. V. ſi magna pace animæ ſuæ frui, atque ad perfectionem peruenire deſiderat, voluntatem ſuam Deo omnino conſecret, quo ſic cum illo vniatur, & nullo modo circa terrena, vilia, & abiecta occupetur. Diuina Maieſtas, tam ſpiritualem ac ſanctum faciat, ſicut ipſe opto. Segobrida 14. Aprilis.

NOTA.

Fr. Ioannes à Cruce

EPISTOLA II.

Ad Moniales Carmelitas Diſcalceatas Oppidi Veas, vbi eas hortatur vt in ſilentio tam interno quàm externo operentur.

IESVS MARIA ſit in animabus veſtris, Chariſſimæ in Chriſto filiæ maxima mihi cõſolationis occaſio fuit epiſtola Charitatum VV. Dominus ipſe vobis retribuat, quod literas ad vos non miſerim, non fuit voluntatis defectus, vere enim maius veſtrum bonum deſidero; ſed quod ſatis multa dicta & ſcripta eſſe iudicarem ad operandum, quod eſt maxime neceſſarium. id enim quod deſideratur, ſi tamen aliquid deſideratur, non eſt loqui vel ſcribere (hoc enim frequenter abundat) ſed tacere & operari; præterquam quod loqui diſtrahit, tacere vero & operari recolligit, & vires tribuit ſpiritui. itaq; poſtquam aliquis ſcit ea quæ ad ſpiritualem ſuum profectum ſibi dicta ſunt, non indiget vltra audire & loqui, ſed in ſilentio, & ſolicitudine ſerio illud operari, cum humilitate, charitate, & ſui ipſius contemptu, abſque eo quod alias res nouas ſtatim inquirat, id enim ſolum deſeruit ad ſatisfaciendum appetitui in exterioribus (imò nec ſic illi ſatisfit) ſpiritum vero debilẽ, vacuum & virtute interna deſtitutum internâ relinquendum. Et inde prouenit quod nec vnum, nec alterum proſit. Sicut nec prodeſt cibus, nondum peracta prioris cibi digeſtione: ex eo namque quod calor naturalis diuiditur, & circa vtrumque verſatur, ſufficientem virtutem non habet vt illos in aliti ſubſtantiam conuertat: ac proinde infirmitates, & morbi generantur. Multum intereſt, Chariſſimæ filiæ, vt ſpiritum cautè ſubducamus Dæmonis, ac ſenſualitatis aſtibus: ſecus enim plurimum nos defeciſſe inaduertenter comperiemus, & à Chriſti

B. Juan a Cruce
Opera Mystica
Tom. II

virtutibus longe alienos esse; nouissimeque comparebimus gestantes opera nostra facta inuerso modo; & rati lampedem nos accensam gerere, apparebit extincta, flatus enim, quibus eam accendere putabamus, forsitan aptiores erant ad eam extinguendam. Ne igitur nobis hoc accidat, &, vti dixi, ad hoc vt spiritum custodiamus, dico nullum medium aptius superesse, quàm *Pati, facere, & tacere*, sensusque occludere cum exercitio & propensione ad solitudinem, & obliuionem rerum omnium atque euentuum, licet pereat totus mundus: nec vnquam siue bonus, siue malus euentus sit, cordis tranquillitas ex amoris visceribus profecta negligenda est, vtpote dispositio ad patiendum in omnibus rebus occurrentibus. Tanti quippe momenti res est perfectio, & spiritus delectatio tam est pretiosa & opulenta, vt ad illam assequendam faxit Deus ista sufficiant: Impossibile est enim, vt quis gradatim proficiat, nisi *Faciat*, & simul *Patiatur* cum virtute, inuoluendo omnia in silentio. Hoc filię Domino volente intellexi, nempe quod anima, quæ cito ad loquendum, & conuersandum attendit, valde modicam attentionem habet ad Deum: dum enim illam habet, confestim ab intus trahitur ad tacendum, omnemque conuersationem fugiendam. acceptabilius enim est Deo, si anima sese in ipso oblectet, quam si in alia re creata, quantumuis excellentissima, eique vtilissima sit. Commendo me precibus CC.VV. vobisque pro certo persuadeatis, opto, quod licet charitas mea exigua valde sit, ita nihilominus erga vos collecta est, vt nullo pacto obliuiscar vestri; quibus non mediocriter in Domino deuinctus sum. ipse sit semper nobiscum, amen. Granata vigesimasecunda Nouembris 1587.

Fr. Ioannes à Cruce.

Præcipua nostra necessitas est, tacere coram hoc magno Deo, tam appetitu, quàm lingua; cuius loquela, quamquam ipse libenter audit, est silens loquela amoris.

EPISTOLA III.

Ad Matrem Mariam à Iesu Fundatricem & Priorissam, cæterasq; Religiosas Conuentus Carmelitarum Discalceatarum Cordubæ.

Agit de bono Exemplo ac spiritu, quo procedendum est in fundatione monasteriorum.

IESVS sit in animabus vestris. Obligatio vobis incumbit correspondendi Domino, iuxta acclamationem & applausum, quo inibi receptæ estis. Reuerà enim ex relatione consolatus sum, nec ità ex eo quod ædes adeò inopes, vigentibus æstus caloribus ingressæ fitis, singulari Dei prouidentia id factum est, vt populum hæreditarium, & suadeatis, quod profitemini: videlicet Christum nudum, vt quæ deinceps ad ingressum religionis à Domino mouebuntur, quo spiritu eas venire oporteat, intelligant. Mitto R.V. omnes facultates, & licentias requisitas. Videant, videant, vt spiritum paupertatis, & rerum omnium contemptus conseruare contendant. Sin minus, scitote in mille vos necessitates, tum spirituales, tum etiam temporales deuenturas, si Dei solius possessione nolueritis esse contenæ. Scire etiam vos volo, quod non habebi-

tis,

tis., nec experiemini plures necessitates quàm illas, quibus corda vestra sponte subijcere volueritis: siquidem pauper spiritu in rerum defectu lætior est, magisque contentus: eò quod suum *Totum in Nihilo* reposuerit, & sic vbique affluentiam & cordis amplitudinem reperit. Felix *Nihil*! felixque cordis latibulum! quod tantæ virtutis est, vt omnia subijciat, cum nihil sibi subijcere velit, curasque omnes deponat, vt amplius amore inardescat. Omnibus sororibus in Domino salutem dico. R V. eis dicat ex parte mea, quod à Domino assumptæ sint, tanquam primarij istius Fundationis lapides: & vt cogitent quales eas esse oporteat, quæ tanquam fortiores debent esse fundamentum cæterarum. proficiant ex primitijs huius spiritus, quem Deus initio conferre suetit, vt denuo perfectionis iter, in omni humilitate & abstractione intus & foris, arripiant: non puerili animo, sed virili voluntate mortificationem & pœnitentiam sequantur, cupientes vt hic noster Christus aliquo vobis constet. dissimiles ijs qui propriam commoditatem & consolationem siue in Deo, siue extra ipsum quærunt, sed potius illis similes, qui in silentio & spe, cum amore, siue in Deo, siue extra ipsum, patiquærunt. Deus det vobis gratiam suam. amen. Segobrida. 28. Iulij 1589.

Frater Ioannes à Cruce.

EPISTOLA IV.

Ad eandem Matrem Priorissam Conuentus Cordubensis. Instruit eam qua ratione prouidere debeat rebus temporalibus, & spiritualibus sui Conuentus.

IEsvs sit in anima tua, filia in Christo Charissima. Causa cur toto isto tempore à te relato nõ scripserim, potius adscribendum est loci distantiæ (cum agam Segobridæ) quam voluntatis defectui: hæc enim semper eadem in me est, & in Domino semper futuram spero. Infirmitatibus tuis condoleo; quoad temporalia istius monasterij, nollem te adeò esse solicitam, sic enim fiet vt Deus illius obliuiscatur, magnamque penuriam spiritualiter ac temporaliter incurretis: so solicitudo quippe nostra ipsa nos depauperat. *Iacta* ô filia, *in Domino* totum *cogitatum tuum, & ipse te enutriet.* Is enim qui, quod amplius est donat, & donare vult, non potest quod minus est non largiri. Ne desit tibi desiderium carentiæ, & paupertatis; eadem quippe horâ deficiet tibi spiritus, & in virtutibus eris remissior. Quod si pridem pauper esse optabas, nunc quando Prælatæ munere fungeris, id multo magis optare, & amare teneris; domum etenim virtutibus magis & desiderijs cœlestibus regere, eique prouidere debes, quam solicitudinibus, & inuentionibus circa res temporales, & terrenas: dicente nobis Domino, vt neque de cibo, neque de vestitu, neque etiam de die crastina cogitemus, nec recordemur. Hoc vnum R. V. facere incumbit, nempe, vt animam suam, & suarum monialium cum omni perfectione ac religione Deo vnitas esse curet, & oblitas omnis creaturæ, & respectus ad ipsam, vt sic omnes in Deo vnum sitis, & in illo dumtaxat hilares; nam quod attinet ad reliqua, ego fideiubeo. Sororibus salutem plurimam in summo bono nostro dico, qui numquam deserat spiritum tuum, mea filia, amen. Matriti 20. Iunij. 1590.

Fr. Ioannes à Cruce.

B. Joann. à Cruce
Opera Mystic
N V
124

EPISTOLA V.

AD MATREM ELEONORAM à S. Gabriele Monialem Carmelitam Discalceatam in Conuentu Cordubensi.

Docet eam quomodo egredi oporteat de terra & à notis ad faciendum voluntatem Dei.

IESVS sit in anima R. V. mea in Christo filia. Gratias ago R. V. pro epistola sua, nec non Deo, quod ipsius opera vti voluerit in istius conuentus fundatione. hoc siquidem ideo à Diuina Maiestate factum est, vt Rm Vm. magis perficeret. Nam quo plura donare cogitat, eo magis illa nos efficit desiderare, donec nos omnino vacuos reddat, vt sic bonis suis cœlestibus impleat. Optime soluta erunt bona Hispali nunc à R. V. relicta amore sororum: ex eo namque, quod Dei immensa bona non capit, nisi cor vacuũ, & solitarium: propterea Dominus (quia amat R.V.) vult vt bene sit solitaria, cupiens ipse omnem societatem R.V. exhibere, eritque necessarium vt R.V. applicet animum, quatenus ipso solo sit contenta, quo sic in ipso inueniat omnem consolationem. Licet enim anima in cœlo versetur, nisi ad illud amandum voluntatem applicet, nequaquam erit satisfacta: sic etiam nobis euenit cum Deo, quamuis.n. semper nobiscum sit, si alteri rei cor affixum & minime solitarium habemus, nequaquam contenti erimus. Non dubito quin Hispalenses sentient ibidem solitudinem ob absentiam R.V. sed fortassis iam inibi profuerat, quantum poterat; nunc vero voluntas Dei est, vt etiam prosit apud nos: nam fundatio ista numerari debet inter præcipuas, quare conetur R.V. multum iuuare Matrem Priorissam, in omnib. rebus magna cum vnanimitate & amore, licet non ignorem esse superuacaneum V.R. hoc commendare; vtpote quæ tanquam annosa, & experta, optime nouit, quæ solent accidere in hisce fundationibus: idcirco enim Rm Vm. selegimus, det Dominus R.V. spiritum suum. Segobrida 8. Iulij 1589.

Fr. Ioannes à Cruce.

EPISTOLA VI.

Ad Sororem Magdalenam à S. Spiritu Monialem Carmelitam Discalceatam Cordubæ.

Vbi eam confortat ad patiendum incommoda, quæ in nouis fundationibus sese offerunt.

IESVS sit in anima tua charissima in Christo filia. Gauisus sum videre proposita, quæ per epistolam ostendis. benedico Deum, qui prouidentia sua omnia disponit: satis enim tibi erunt necessaria in hisce fundationum primordijs, ad ferendos caloris æstus, angustiam loci, paupertatem, & labores in omnibus rebus? ita tamen, vt nemo percipiat vtrum tibi molesta sint, an non. Vide quod Deus in his principijs quærat animas non desides, & inertes, neque delicatas, & suiamantes; ac propterea tunc Diuina Maiestas peculiariter præsto est; adeo vt modica adhibita diligentia, possint in omni virtute proficere.: & sane sors magna, & signum Dei fuit, alijs prætermissis, te eò adducere. licet enim multum constare deberet quod relinquis, nihil plane est: equidem cito etiam illud relinquendum erat. vt autem Deum in omnibus habeamus, oportet nihil nos in omnibus habere. Cor enim quod vnius est, quo pacto totum alterius esse potest? Sorori Ioan-

ne

næ idem etiam dico, nec non vt pro me Deum exoretis. Ipse sit tecum in anima, Amen. Segobrida 28. Iulij 1589.

Fr. Ioannes à Cruce.

EPISTOLA VII.

Ad Virginem quandam Matritensem, quæ, postmodum habitum Carmelitæ Discalceatæ induit, vixitque laudabiliter in monasterio Arenarum.

Respondet tribus ab ea quæsitis, nimirum circa peccata deflenda, meditandam Christi Domini passionem, & gloriam Paradisi.

IESVS sit semper in anima tua. Eo tempore tabellarius appulit, quo respondere non poteram dum transiret, imo etiam nunc expectat. Donet tibi Deus, ô filia, semper suam gratiam, vt tota in omnibus amori & obsequio illius intendas, prout teneris: si quidem in hunc solummodo finem ab illo creata & redempta es multa dicenda forent circa puncta, quæ à me inquiris; sed temporis, & epistolæ angustia id non permittit. Dicam tamen alia tria, quibus aliquantum proficere poteris. inprimis circa peccata (quæ Deo ita exosa sunt, vt pro eis eum mori necesse fuerit) debes, vt condigne illa deflere, & vitare possis, hominum consortia, quantum fieri potest, declinare, atque illos fugere, & in quauis re agenda, non proferre plura verba, quam quæ sunt præcise necessaria: nam tametsi perfectus quis sit, cõuersando tamen cum hominibus plus quam necessitas, & ratio requirit, oberit illi. simul etiam legem Domini exacte, & cum amore te custodire oportet. Quod ad Christi Domini passionem attinet, studeas corpus tuum rigide, sed discrete tractare, nec non odium tui ipsius, & mortificationem prudenter exercere, nec velis in re vlla gustum, & voluntatem propriam sequi: hæc siquidem illius mortis, & passionis causa fuit: quidquid feceris de consilio Dominæ matris efficito. Quoad 3. denique, gloriam videlicet cœlestem, vt ritè eam mediteris, & ames; vniuersas mundi diuitias, & voluptates lutum reputes, vanitatem & fatigationem, sicuti reuera sunt. Nihil præterea magni facias, quantumuis magnum & pretiosum sit, præter Dei gratiam & amicitiam. quandoquidem pretiosiora quæque huius vitæ, si cum æternis illis bonis, pro quibus à Deo creati sumus, conferantur, turpia, & amara sunt: quorum deformitas, & amaricatio, licet breuis sit, & transitoria, permanet nihilominus æternaliter in anima, quæ illa æstimat, & magni facit. Non obliuiscor negotij tui, nunc autem expediri nequit; licet satis multum mihi cordi sit. Serio rem Deo commendes, & Deiparam Virginem & D. Ioseph um aduocatos tibi assume. Dominæ Matri plurimam salutem dico, & vna simul orate pro me, vtque etiam amicę vestræ pro me ex charitate orent, curate. Deus donet tibi suum spiritum. Segobrida.

Fr. Ioannes à Cruce.

EPISTOLA VIII.

Ad D. Iohannam de Pedraça Granatæ.

Instruit eam quomodo se gerat in aridit atibus & derelictionibus.

IESVS sit in anima tua: cui gratias refero quod mihi hanc præstiterit gratiam vt non obliuiscar pauperum, nec sub vmbra recumbam, vti tu dicis. Non parum

D. Ioann. à Cruc.

Opera Mystica

NV 124

me affligit cogitare, ne forte quod dicis, id etiam credas. nimis enim ingratus essem, si post tot mihi præstita beneficia, etiam cum illa minus promerebar tui oblitiscerer. Considera qualiter id quod residet in anima possit obliuioni tradi. Putas ex eo quod in tenebris & spirituali vacuitate constituta es, ab omnibus te esse derelictam? Sed hoc mirum non est, quandoquidem in eo etiam Deum tibi deesse suspicaris. Sed reuera nihil deest, nec quicquam conferre opus est, imo nec habes, nec scies, nec inuenies, ná ista omnia nihil sunt nisi suspiciones absque fundamento. Qui aliud præter Deum non vult, non ambulat in tenebris, quantumuis tenebrosum, & pauperem se videat. Et quisquis non insequitur existimationes & gustus priuatos, nec in Deo, nec in Creaturis, neque in hoc, vel illo, suæ obtemperat voluntati, is non habet offendiculum, nec quidquam conferre cum alijs habet opus. Bene procedis filia, sinas te duci & lætare. Quæ enim es tu vt tui curam habeas? egregie sane te ipsam tractares? Numquam in meliori statu fuisti constituta, quam nunc es. nunquam enim adeo humiliata, & subiecta extitisti, neque te ipsam, & res mundanas tam parum æstimasti: neque tam improbam te, Deum vero ita bonum, vt nunc, cognoscebas: nec adeo pure, & absque propriæ vtilitatis respectu Deo seruiebas vti nunc: nec denique voluntatis & propriæ quæsitionis defectus insequeris nunc, vti solebas. Quid ergo vis? quem procedendi modum in hac vita tibi effingis? quid putas est seruire Deo aliud, quam abstinere à malo, custodiendo mandata, & pro viribus incumbere ipsius seruitio? si hæc adsint, quid alijs opus est apprehensionibus, aut luminibus, seu succis, siue hinc, siue illinc procuratis; in quibus plerumque non desunt offendicula, & pericula animæ, quæ apprehensionibus & appetitibus suis se ipsam decipit, & hallucinatur, atque à proprijs potentijs in errores inducitur. Vnde maximum Dei donum est, cum illas obscurat, animamque adeo pauperem, & desolatam reddit, vt per illas errare non possit. Porro si in hoc non erratur, quid aliud requiritur, quam incedere per viam planam legis Dei, & Ecclesiæ, & solum viuere in fide obscura & vera, spe certa, & charitate integra? atque sic in patria præstolari bona nostra, viuendo hic instar aduenarum, peregrinorum, pauperum, exulum, orphanorum, desolatorum, & inutiorum, nihil habentium, & illic omnia expectantium: lætare itaque, & in Deo fiduciam habe: habes siquidem signa à Deo, idenim præstare & potes & debes, sin minus, non erit mirum, si cernens te adeo stupidam irascatur: cum ille per viam te ducat, quæ tibi magis expedit, atque in statu tam securo te collocauerit. Nihil aliud velis præter istum modum & viam, animamque ad illam complana: sic enim bene tecum agitur: Communionem, vt solebas, frequenta; Confessionem vero, cum aliquid manifeste malum occurrit; nec opus est, vt multum de his rebus tractes. quando aliquid peculiare senseris, mihi scribes, scribas vero quamprimum, ac sæpius, id enim præstare poteris per DD. Annam, cum per Moniales non licebit scribere. Aliquantulum malè me habui, at nunc, laus Deo, bene valeo. Attamen frater Ioannes Euangelista ægrotat, ora Deum pro ipso & pro me, filia mea in Domino. Segobrida 12. Octobris 1589.

Frater Ioannes à Cruce.

EPI-

EPISTOLA IX.

Ad Matrem Annam de Iesu Religiosam Carmelitam Discalceatam in Conuentu Segobrida.

Vbi consolatur eam in mœrore quem sentiebat eo quod in Capitulo Generali V. P. à Prælatura liber remanserit.

IESVS sit in anima R.V. Gratias plurimas refero quod ad me scripserit, ex quo multo magis deuinctum me sentio, quam prius eram. Quod res Capituli non ita euenerint, prout erat R.V. in votis, deberet potius esse consolationis & Deo gratias agendi occasio: cum enim Dei ordinatione factum sit, procul dubio nobis id magis expedit, solum restat applicare voluntatem, vt quemadmodum verum est, ita nobis esse videatur. res enim quæ nobis displicent quantumuis bonæ sint & consentaneæ, malæ videntur & aduersæ; hanc autem satis constat nec alijs, nec mihi esse malam: mihi enim valde prospera est quia libere & absque onere animarum possum (dumodo velim) cum diuino adiutorio, solitudinis quiete frui, fructuque delectabili mei, rerumque omnium obliuionis, potiri. Cæteris autem etiam bonum erit si procul ab illis fuero: sic enim immunes erunt à defectibus, quos propter meam in regimine imperitiam commisissent. Hoc vnum à te peto, filia, vt Deum exores, quatenus modis omnibus hanc mihi gratiam conferre pergat: Vereor enim ne Segobridam ire cogar, nec omnino ab omnibus expeditum me relinquant. licet etiam hoc onus, quantum in me erit, conabor excutere. Quod si neque hoc licebit subterfugere, non tamen propterea Mater Anna à Iesu effugiet manus meas, sicut ipsa existimat. vnde nec morietur desolata ex eo quod cesset occasio, vt ipsa putat, acquirendi insignem sanctitatem. Verumtamen siue vadam siue maneam, vbi & quomodocunque manere me contingat, ipsius non obliuiscar: nam ex corde ipsius bonum æternum desidero. interim vero dum illò in cœlo frui differtur, virtutibus exercendis insistat, mortificationi scilicet, & patientiæ: cupiens per patientiam aliquo saltem modo assimilari huic Magno Deo nostro humiliato, & crucifixo: quandoquidem vita præsens, nisi illius sequamur vestigia, inutilis plane sit. Diuina Maiestas conseruet & augeat in R.V. amorem suum tanquam in Sancta, & sibi dilecta, Amen. Matriti 6. Iulij. 1591.

Fr. Ioannes à Cruce.

EPISTOLA X.

Ad Matrem Eleonoram Baptistam Priorissam Conuentus Veatensis Carmelitarum Excalceatarum.

Docet eam in quo consistat vita Apostolica & abrenunciatio religiosa.

IESVS sit in anima R.V. Ne suspicetur (ô filia in Christo) me non condoluisse laboribus, quos R.V. tulit, cũ participib. sororibus, non sic res se habet. Veruntamen dum recolo, quod sicut à Deo vocata est, vt apostolicam vitam ageret (quæ est vi-

ta

tahumilitatis & contemptus) ita per eandem ab eo ducitur, non mediocriter consolor. Equidem Religiosum, sic Deus Religiosum esse vult, vt rebus omnibus valedixerit, & ipsi res omnes. Quoniã ipsemet Deus thesaurus, solatium, & delectabilis illius gloria esse vult. Insigne satis beneficium præstitit R.V. nunc enim rerum omnium oblita poterit sola frui Deo suo, gratum habendo, vt erga se fiat propter Dei amorem, quidquid hominib. libuerit: vtpote quæ iam non sua sed Dei sit. filiabus meis Magdalenæ, & Annæ alijsque omnibus, me plurimum commendo. Granatæ 8. Februarij 1588.

Fr. Ioannes à Cruce.

Coplas del mismo hechas sobre vn estasi de arta contemplacion.

ENtre me donde no supe,
Y quedeme no sabiendo,
Tota ciencia trascendiendo.

Yo no supe donde entraua,
Pero quando alla me vi,
Sin saber donde me estaua,
Grandes cosas entendi:
No dire lo que senti,
Que me quede, no sabiendo,
Toda ciencia.

De paz y de piedad,
Era la cientia perfecta,
En profunda soledad,
Entendia via recta,
Era cosa tan secreta,
Que me quede balbuciendo,
Toda ciencia.

Estaua tan embeuido,
Tan absorto y anegado,
Que se quedo mi sentido,
De todo sentir priuado,
Y el espiritu dotado,
De vn entender no entendiendo,
Toda ciencia.

El que alli llega de vero,
De si mismo desfallece,
Quanto sabia primero,
Mucho baxo le parece,
Y su ciencia tanto crece,
Que se queda no sabiendo,
Toda ciencia.

Quanto mas alto se sube,
Tanto menos se entendia,
Que es la tenebrosa nube,
Que a la noche escurecia,
Por esso quien la sabia,
Queda siempre no sabiendo,
Toda ciencia.

Este saber no sabiendo,
Es de tan alto poder,
Que los sabios arguiendo,
Iamas le pueden vencer,
Que no llega su saber,
A no entender entendiendo,
Toda ciencia.

Es de tan alta excellencia,
A queste summo saber,
Que no ay facultad ni ciencia,
Que le puedan entender,
Quien se supiere vencer,
Con vn saber no sabiendo,
Toda ciencia.

Y si lo quereys oyr,
Consiste esta summa ciencia,
En vn subido sentir,
De la diuinal essencia,
Es obra de su clemencia,

Hazer

Hazer que dar no entendiendo
Toda ciencia trascendiendo.

Coplas de el alma que pena por ver à Dios: del mesmo Autor.

NIuo sin viuir en mi,
y de tal manera espero,
que muero porque no muero.

En mi yo no viuo ya,
y sin Dios viuir no puedo,
Si sin el y sin mi quedo,
Este viuir que sera,
Mil muertes se me hara,
Pues mi misma vida espero,
Muriendo porque no muero.

Esta vida que yo viuo,
Es priuacion de viuir,
y assi es continuo morir,
Hasta que viua contigo,
Oye me Dios lo que digo,
Que esta vida no la quiero,
Que muero, porque no muero.

Estando ausente de ti,
Que vida puedo tener,
Sino muerte padecer,
La mayor que nunca vi,
Lastima tengo de mi,
Pues de suerte perseuero,
Que muero, porque no muero.

El pez que del agua sale,
Aun de aliuio no carece,
Que la muerte que padece,
Al fin la muerte le vale,
Que muerte aura, que se yguale,
Ami viuir lastimero,
Que muero, porque no muero.

Quando me pienso aliuiar,
De verte en el Sacramento,
Haze me mas sentimiento,
El no te poder gozar:
Todo es para mas penar,
Por no verte como quiero,
y muero, porque no muero.

y si me gozo Señor,
Con esperança deuerte,
En ver que puedo perderte,
Se me dobla mi dolor,
Viuiendo en tanto fauor,
y esperando como espero,
Muero me, porque no muero.

Sacame de a questa muerte,
Mi Dyos y dame la vida,
No me tengas impedida,
En este lazo tan fuerte,
Mira que peno por verte,
y mi mal es tan entero,
Que muero, porque no muero.

Llorare mi muerte ya,
y lamentare mi vida.
En tanto que detenid.
Por mis peccados esta
O mi Dios quando ser
Quando yo digade vero,
Viuo ya, porque no muero.

Otras del mismo a lo diuino.

TRas de vn amoroso lance,
y no de esperança falto,
Bole tan alto tan alto,
Que le di a la caça alcance.

Para que yo alcance diesse,
A aqueste lance diuino,
Tanto bolar me conuino,
Que de vista me perdiesse,
y con todo en este trance,
En el buelo que de falto,
Mas el amor fue tan alto,
Que le di a la caça alcançe.

Quando mas alto subia,
Deslumbro se me la vista,
y la mas fuerte conquista,
En escuro se hazia,
Mas por ser de amor el lance,
Di vn ciego y obscuro salto,
y fuy tan alto tan alto,
Que le di a la caça alcançe.

Quanto mas alto llegaua,
Deste lance tan subido,
Tanto mas baxo y rendido,
ya batido me hallaua:
Dixe, no aura quien alcance,
y abatime tanto tanto,
Que fuy tan alto tan alto,
Que le di a la caça alance.

Por vna estraña manera,
Mil buelos passe de vn buelo,
Porque esperança del cielo,
Tanto alcança quanto espera,
Espere solo este lance,
y en esperar no fuy falto,
Pues fuy tan alto tan alto,
Que le di a la caça alcance.

Otras canciones a lo diuino del mismo autor, de Christo y el alma.

VN Pastorcico solo esta penado,
Ageno de placer y de contento,
En su pastora puesto el pensamiento,
y el pecho del amor muy lastimado.

No llora por auer le amor llgado,
Que no le pena verse assi afligido,
Aunque en el cor con esta herido,
Mas llora por pensar que esta oluidado.

Que solo de pensar que esta oluidado,
De su bella pastora con gran pena,
Se dexa maltratar en tierra agena,
El pecho del amor muy lastimado.

y dize el Pastorcico ay desdichado,
De aquel, q̃ de mi amor a hecho ausencia
y no quiere gozar la mi presencia,
y el pecho por su amor muy lastimado.

y al cabo de vn gran rato se a encumbrado
Sobre vn arbol, do abrio sus braços bellos,
y muerto se ha quedado hasido dellos,
El pecho del amor muy traspassado.

Cantar de la alma que se huelga de conocer a Dios por fe.

Que bien se yo la fuente q̃ mana y corre
Aunque es de noche.

A quella eterna fuente q̃ esta escondida,
Que bien se yo do tiene su manida,
Aunque es de noche.

Se que no puede ser cosa tan bella,
y que cielos y tierra beuen en ella,
Aunque es de noche.

Bien se que suelo en ellà no se halla,
y que ninguno puede badealla,
Aunque es de noche.

Su claridad nunca es escurecida,
y se que toda luz della es venida,
Aunque es de noche.

Se ser tan caudalosos sus corrientes,
Que infiernos, cielos riegã y las gentes,
Aunque es de noche.

El corriente que nace desta fuente,
Bien se que es tan capaz y omnipotente,
Aunque es de noche.

El corriente que destas dos procede,
Se que ninguna dellas le precede,
Aunque es de noche.

Aque-

Aqueſta eterna fuente eſta eſcondida,
En eſte viuo pan por dar nos vida,
Aunques de noche.

Aqui ſe eſta llamando a las criaturas,
y deſta agua ſe hartan aunque aſcuras,
Porques de noche.

Aqueſta viua fuente que deſſeo,
En eſte pan de vida yo la veo,
Aunque de noche.

Romance ſobre el Euangelio, In principio erat verbum. Acerca de la ſantiſſima Trinidad.

EN el principio moraua,
El verbo y en Dios viuia,
En quien ſu felicidad,
Infinita poſſeya.
El miſmo verbo Dios era,
Que el principio ſe dezia,
El moraua en el principio,
y principio no tenia.
El era el miſmo principio,
Por eſſo del carecia,
El verbo ſe llama hijo,
Que del principio nacia.
Ha le ſiempre concebido,
y ſiempre le concebia,
Da le ſiempre ſu ſuſtancia,
y ſiempre ſe la tenia.
Aſſi la gloria del hijo,
Es la que en el padre auia,
y toda ſu gloria el padre,
En el hijo poſſeya,
Como amado en el amante,
Vno en otro reſidia,
y aqueſe amor que los vne,
En lo miſmo conuenia,
Con el vno y con el otro,
En y gualdad y valia,
Tres perſonas y vn amado,
Entre todos tres auia.
y vn amor en todas ellas,
y vn amante las hazia,
y el amante es el amado,
En que cada qual viuia,
Que el ſer que los tres poſſeen,
Cada qual lo poſſeya,
y cada qual dellos ama,
A la que eſte ſer tenia,
Eſte ſer eſcada vna,
y eſte ſolo las vnia,
En vn ynefable nudo,
Que dezir no ſe ſabia,
Por loqual era infinito,
El amor que las vnia,
Porque vn ſolo amor tres tienen,
Tanto mas amor hazia.

De la communicacion de las tres perſones.

EN aquel amor ynmenſo,
Que le los dos procedia,
Palabras de gran regalo,
El padre al hijo dezia,
De tan profundo deleyte,
Que nay de las entendia,
Solo el hijo lo gozaua,
Que es a quien pertenecia,
Pero aquello que ſe entiende,
Deſta manera dezia,
Nada me contenta hijo,
Fuera de tu compañia,
y ſi algo me contenta,
En ti meſmo lo queria,
El que ati mas ſe parece,
A mi mas ſatisfacia,
y el que nada te ſemeja,
En mi nada hallaria,
En ti ſolo me he agradado,
O vida de vida mia,
Eres lumbre de mi lumbre,
Eres mi ſabiduria,
Figura de mi ſubſtancia,

En quien bien me conplacia,
El que ati te amar ehijo,
A mi mismo le daria,
y el amor que yo en ti tengo,
Esse mismo en el pondria,
En raçon de auer amado,
A quien yo tanto queria.

Declaracion Romance.

3.

VNa esposa que te ame,
Mi hijo darte queria,
Que por tu valor merezca,
Tener mucha compañia,
y comer pan auna messa,
Del mismo que yo comia,
Porque conozca los bienes,
Que en tal hijo yo tenia,
y se congracie con migo,
De tu gracia y lozania,
Mucho te a gradezco padre,
El hijo le respondia,
A la esposa que me dieres,
yo mi claridad daria,
Para que por ella vea,
Quanto mi padre valia,
y como el ser que posseo,
De su ser le recibia,
Reclinar la he yo en mi braço,
y en tu amor se abrasaria,
y con eterno deleyte,
Tu bondad sublimaria.

Prosigue quarto.

4.

HAgase pues dixo el padre,
Que tu amor lo merecia,
y en este dicho que dixo,
El mundo criado auia,
Palacio para la esposa,
Hecho en gran sabiduria,
El qual en dos aposentos,
Al toy baxo diuidia,
El bajo de differencias,
ynfinitas componia,
Mas el alto hermoseaua,
De admirable pedreria,
Porque conozca la esposa,
El esposo que tenia,
En el alto colocaua,
La angelica hierarquia,
Pero la natura humana,
En el baxo la ponia,
Por ser en su compostura,
Algo de menor valia,
y aunque el ser y los lugares,
Desta suerte los partia,
Pero todos son vn cuerpo,
De la esposa que dezia,
Que amor de vn mismo esposo,
Vna esposa los hazia,
Los de arriba posseya,
El esposo en alegria,
Los de abaxo en esperança,
De fe que les infundia,
Diziendo les, que algun tiempo
El los engrandeceria,
y que aquella su baxeza,
El se la leuantaria,
De manera que ninguno,
ya la vituperaria,
Porque en todo semejante
El a ellos se haria
y se vendria con ellos,
y con ellos moraria,
y que Dios seria hombre,
y que el hombre Dios seria,
y trataria con ellos,
Comeria, y beueria,
y que con ellos contino,
El mismo se quedaria,
Hasta que se consumase
Este siglo que corria,
Quando se gozaran juntos,
En eterna melodia,

Por.

Porque el era la cabeza
De la esposa que tenia,
A la qual todos los miembros,
De los justos juntaria,
Que son cuerpo de la esposa,
A la qual el tomaria,
En sus braços tiernamente,
y alli su amor le daria,
y que assi juntos en vno,
Al Padre la lleuaria,
Donde del mismo deleyte,
Que Dios goza gozaria,
Que es el padre y el hijo,
y el que dellos procedia,
El vno viue en el otro,
Assi la esposa seria,
Que dentro de Dios absorta,
Vida de Dios viuiria.

Prosigue quinto Romance. 5.

CON esta buena esperança,
Que de arriba les venia,
El tedio de sus trabajos,
Mas leue se les hazia,
Pero la esperança larga,
y el desseo que crecia,
De gozarse con su esposo,
Continuo los affligia,
Por lo qual con oraciones,
Con suspiros y agonia,
Con lagrimas y gemidos,
Le rogauan noche y dia,
Que ya se determinase,
A les dar su compañia,
Vnos dizen o si fuesse,
En mi tiempo el alegria,
Otros acaba señor,
Al que has de embiar embia,
Otros o si ya rompiesses,
Essos cielos y veria,
Con mis ojos que baxases,
y mi llanto cesaria,
Regad nubes de lo alto,
Que la tierra lo pedia,
y abrase ya la tierra,
Que espinas producia,
y produzca aquella flor,
Con que ella floreceria,
Otros dezian o dichoso,
El que en tal tiempo seria,
Que mereza ver a Dios,
Con los ojos que tenia,
y tratarle con sus manos,
y andar en su compañia,
y gozar de los misterios,
Que entonces ordenaria.

Prosigue Romance. 6.

EN aquestos y otros ruegos,
Gran tiempo passado auia,
Pero en los postreros años,
El feruor mucho crecia,
Quando el viejo Simeon,
En desseos se encendia,
Rogando a Dios, que quisiesse,
Dejar le ver este dia,
y assi el spiritu santo,
Al buen viejo respondia,
Que le daua su palabra,
Que la muerte no veria,
Asta que la vida viesse,
Que de arriba descendia,
y que el en sus mismas manos,
Al mismo Dios tomaria,
y le tendria en sus braços,
y consigo abraçaria.

Prosigue la Encarnacion. Romance. 7.

YA que el tiempo era llegado,
En que hazerse conuenia,
El rescate de la esposa,
Que en duro yugo seruia,
Debajo de aquella ley,
Que Moyses dado la auia,
El padre con amor tierno,

Desta manera dezia.
ya ves hijo que a tu esposa,
A tu ymagen hecho auia.
y en lo que a ti separece,
Contigo bien conuenia
Pero difiere en la carne.
Que en tu simple ser no auia,
En los amores perfectos,
Esta ley se requeria,
Que se haga semejante,
El amante a quien queria,
Que la mayor semejança,
Mas deleyte contenia:
El qual sin duda en tu esposa,
Grandemente creceria,
Si te viese semejante,
A la carne que tenia,
Mi voluntad es la tuya,
El hijo le respondia
y la gloria que yo tengo,
Es tu voluntad ser mia.
ya mi me conuiene padre,
Lo que tu alteza dezia,
Porque por esta manera,
Tu bondad mas se veria,
Vera se tu gran potencia,
Iusticia y sabiduria
yre lo a dezir al mundo
y noticia le daria,
De tu belleza y dulçura,
y de tu soberania,
yre a buscar a mi esposa,
y sobre mi tomaria,
Sus fatigas y trabajos.
En que tanto padecia
y porque ella vida tenga,
yo por ella moriria.
y sacando la de el lago,
A ti te la bolueria.

Prosigue octauo Romance.

ENtonces llamo aun Archangel,
Que san Gabriel se dezia,
y embiòlo auna doncella,
Que se llamaua Maria,
De cuyo consentimiento,
El misterio se hazia,
En la qual la trinidad,
De carne al verbo vestia,
y aunque tres hazen la obra,
En el vno se hazia,
y quedo el verbo en carnado,
En el vientre de Maria,
y el que tenia solo padre,
y a tambien madre tenia,
Aunque no como qualquiera,
Quede varon concebia,
Que de las entrañas della,
El su carne recibia,
Por lo qual hijo de Dios,
y del hombre se dezia.

Del nacimiento Romance.9.

YAque era llegado el tiempo,
En que de nacer auia,
Assi como desposado,
De su talamo salia,
Abraçado con esposa,
Que en sus braços la traya,
Al qual la agraciada madre,
En vn pessebre ponia,
Entre vnos animales,
Que a la saçon alli auia,
Los hombres dezian cantares,
Los Angeles melodia,
Festejando el desposorio,
Que entre tales dos auia,
Pero Dios en el pesebre,
Alli lloraua y jemia,
Que eran joyas que la esposa,
Al desposorio traya,
y la madre estaua en pasmo,
Por que tal trueco veya,
Por llanto del hombre en Dios,
y en el hombre el alegria,

Lo

Lo qual del vno y del otro,
Tan ageno ser solia.

Otro del mismo que va super flumina Babilonis.

EN cima de las corrientes,
Que en Babilonia hallaua,
Alli me sente llorando,
Alli la tierra regaua,
Acordando me de ti,
O Sion a quien amaua,
Era dulce tu memoria,
y con ella mas lloraua,
Deje los trages de fiesta.
Los de trabajo tomaua,
Colgue en los verdes sauces,
La musica que lleuaua,
Poniendo la en el desseo,
De aquello que en ti esperaua,
Alli me hirio el amor,
y el coraçon me sacaua,
Dixe le que me matase,
Pues de tal suerte llagaua,
yo me metia en su fuego.
Sabiendo que me abrasaua,
Desculpando a la auecica,
Que en el fuego se acabaua,
Estaua me en mi muriendo,
y en ti solo respiraua,
En mi por ti me moria,
y por ti resuscitaua,
Que la memoria de ti,
Daua vida y la quitaua,
Gozauan se los estraños,
Entre quien cautiuo estaua,
Preguntauan me cantares,
De lo que en Sion cantaua,
Canta de Sion vn hymno,
Veamos como sonaua,
Dezid como en tierra agena,
Donde por Sion lloraua,
Cantare yo el alegria,
Que en Sion se me quedaua,
Echaria la en oluido,
Si en la agena me gozaua,
Con mi paladar se junte,
La lengua con que hablaua,
Si de ti yo me oluidare,
En la tierra do moraua,
Sion por los verdes ramos,
Que Babilonia me daua,
De mi se oluide mi diestra,
Que es lo que en ti mas amaua,
Si de ti no me acordare,
En lo que mas me gozaua
Y si yo tubiere fiesta,
y sin ti la festejara,
O hija de Babilonia,
Misera y desuenturada,
Bien auenturado era,
Aquel en quien confiaua,
Que te ha de dar el castigo,
Que de tu mano lleuaua,
y juntara sus pequeños,
ya mi porque en ti lloraua,
A la piedra que era Christo,
Por el qual yo te dexaua.

FINIS.

INDEX

LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, quæ sensu Mystico in his Operibus explicantur.

Prior numerus paginam, secundus vero columnam designat.

Genesis.

Cap.1.v.31.*Vidit Deus cuncta quæ fecerat*, pag. 354.col.2.

Cap.11.v.7. *Venite igitur descendamus & confundamus ibi linguam eorum.*

Cap.12.v.7. *qui ædificauit ibi altare Domino*, 183.2

Cap.13.v.4. *in loco altaris quod fecerat*, *ibid.*

Cap.15.v.1. *vt darem tibi terram istam*, 186.1

Cap.15.v.17.*cum enim occubuisset sol*, 299.19

Cap.16.v.13.*profecto hic vidi posteriora videntis me*,18.2

Cap.17.v.1. *ambula coram me & esto perfectus*, 116.2

Cap.21.v.10. *eijce ancillam hanc & filium eius*, 6.2

Cap.21.v.13.*sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam*.186.1

Cap.27.v.2. *vox quidem vox Iacob*, *sed manus Esau*, 110.2

Cap.28.v.12.*vidit q; in somnis scalam*, 183.2.& 259.1

Cap.28.v.18.*surgens ergo Iacob mane*,183.2

Cap. 29. v.20. *seruuit ergo Iacob pro Rachel*, 260.2

Cap.30. v.1. *da mihi liberos*,*alioquin moriar*, 248.1. 262.& 358.

Cap.31.v.30.*cur furatus es Deos meos*, 174.1

Cap.35.v.2. *Iacob vero conuocata omni domo*, 9.1

Cap.46.v.4.*ego descendam tecum illuc.* 78.1

Cap. 49.v. 4. *Ruben primogenitus tuus effusio est sicut aqua*, 19.1

Exodus.

Cap.3.v.5.*ne approprias huc*,*solue calceamentum* 216.2.& 256.2

Cap.3.v.7.*vidi afflictionem populi mei*, 348.1

Cap.4.v.10. *ex quo locutus es ad seruum tuum*, 256.2

13.*obsecro Domine mitte quem missurus es*, 115.1

14. *Aaron frater tuus Leuites*,*scio quod eloquii sit*.34.1

Cap.14.v.20.*& erat nubes tenebrosa*, 33.1. 48.2

Cap.16.v.4.*ecce ego pluam vobis*,8.1.& 209.1

Cap.18.v.21 *prouide autem de omni plebe viros potentes*,95 1

Cap.19.v.9.*iam nunc veniam ad te*,48.2

Cap.23.8.v.*non accipias munera*,146.1

Cap.24.12.*ascende ad me in montem*,14.2

Cap.27.v.8.*non solidum*,*sed mane*,9.2

Cap.32.7. *vade*,*descende*,*peccauit populus tuus*, 179.1

32. *aut dimitte eis hanc noxam*, *aut si non facis*,*dele me de libro tuo*.262.2

Cap.33.v.5.*iam nunc depone ornamentum*.216.2

13. *si ergo inueni gratiam in conspectu tuo*, 365.1

20. *non videbit me homo & viuet.* 46.2. & 134.1.431.2.
Cap.34.2. *Stabisque mecum super verticem montis.* 8.2
6.*quo transeunte coram eo, ait Dominator,* 102.2.298.2
Cap.40.33.*nube operiente omnia & maiestate Domini coruscante.* 67.1.

Leuiticus.

Cap.10.v.1. *Arreptisque Nadab & Eliud filij Aaron thuribulis, imposuerunt ignem alienũ.* 10.1.179.1

Numeri.

Cap.11.4. *Quis dabit nobis ad vescendum carnes.* 8.1
5.*Recordamur piscium.* 209.2
33.*adhuc carnes erant in dentibus eorũ.* 87.2.8.1
Cap.12.8.*Ore enim ad os loquor ei.* 68.2
Cap.17.10.*Refert virgam Aaron in tabernaculum testimonij.* 10.1.
Cap.22.22. *& iratus est Deus stetitque Angelus.* 87.2.147.2.
32.*ego veni vt aduersarer tibi.* 186.2.
32.*peruersa est via tua mihique contraria.* 87.2

Deuteronomium.

Cap.4.12.*vocem verborum eius audistis.* 68.2
15.*non vidistis aliquam similitudinem.* ibid.
Cap.6.5.*Diliges Dominum Deum tuum.* 141.1
Cap.31.26.*tollite librum istum.* 10.1
Cap.32.15.*incrassatus est dilectus.* 145.2
16.*dereliquit Deum factorem suum.* 147.1
33.*Fel Draconum &c.* 348.2
39.*Ego occidam & ego viuere faciam.* 291.1

Iosue.

Cap.6.21.*& interfecerunt omnia.* 22.2
Cap.9.14.*Susceperunt igitur de cibarijs eorum.* 91.1.

Iudices.

Cap.2.3.*Quamobrem nolui.* 22.2
Cap.7.16.*dedit tubas in manibus eorum.* 49.1
18.*Surge, & descende* 93.2
15.*Surgite, tradidit enim Dominus in manus nostras castra Madian.* 93.2
Cap.13.20.*cumque ascenderet flamma.* 278.2
22.*morte morietmur quia vidimus Dominum.* 366.1
Cap.18.24.*Deos meos, quos mihi feci, tulistis.* 174.1
Cap.16.16.*defecit anima eius.* 13.1.
21.*quem cum apprehendissent Philistim.* 153.2

Liber primus Regum.

Cap.2.30. *loquens locutus sum vt domus tua.* 84.1
Cap.3.10. *loquere Domine quia audit seruus tuus.* 126.2
Cap.8.7.*audi vocem populi non enim te abiecerunt, sed me.* 86.2
Cap.12.3. *loquimini de me coram Domino.* 146.1.
Cap.23.9.*applica Ephod.* 93.1
Cap.28.3.*& Saul abstulit Magos.* 169.3
11.*Dixitque ei mulier.* 170.1
15.*dixit autem Samuel ad Saul.* 87.2

Liber Tertius Regum.

Cap.3.11.*Quia postulasti verbum.* 161.2
Cap.4.29.*dedit quoque Deus sapientiam Salomoni.* 166.2
Cap.8.12.*Dominus dixit vt habitaret in nebula.* 48.2
Cap.11.38.*Si ambulaueritis in vijs meis.* 84.2
Cap.19.8.*cumque venisset ad montem Dei Horeb.* 183.2
12.*& post ignem sibilus aurę tenuis.* 47.1. 99.1.379.2 91.2.
13.*quod cum audisset Elias.* 46.2
Cap.22.22. *Egrediar & ero spiritus mendax.* 67.1.89.2.

Liber Quartus Regum.

Cap.5.26. *nonne cor meum in præsenti erat.* 106.1
Cap.6.11.*quare non indicatis mihi?* 106.1
12.*nequaquam Domine mi Rex,* 100.1
12. *Elisæus Propheta qui est in Israel.* 100.1

B.
Joann.
a Cruc
Opera
mystic
NV
124

Liber Secundus Paralipomenon.

Cap.1.11. *quia hoc magis placuit cordi tuo.* 185.2.
Cap.20.12. *sed cum ignoremus quid agere debeamus.* 87.1

Tobias.

Cap.6.18. *tu autem cum acceperis eam.* 2.2
Cap.12.12. *quãdo orabas cum lachrymis.* 347.2
13. *& quia acceptus eras Deo.* 294.1
Cap.14.13. *video enim quod iniquitas.* 88.2

Iudith.

Cap.8.11. *& qui estis vos, qui tentatis Dominum?* 187.1
Cap.11.12. *ergo quoniam faciunt.* 88.2

Esther.

Cap.2.9. *Esther placuit ei.* 279.2
12. *mensis duodecimus vertebatur.* 305.1
Cap.15.16. *vidi te Domine.* 325.2

Iob.

Cap.2.3. *nunquid considerasti seruum meum. Iob 2.* 291.1
8. *qui testa saniem radebat.* 216.2
Cap.3.24. *& tanquã inundantes aquæ.* 239.2.
Cap.4.12. *porro ad me dictum est.* 380.1
Cap.6.6. *aut poterit comedi insulsum* 60.1
8. *Quis det, vt veniat petitio mea.* 358. 430.1
9. *Quis det, vt qui cepit.* 358
Cap.7.2. *sicut seruus desiderat vmbram.* 244. 1.362.1.
20. *quare me posuisti contrarium tibi?* 229.1
Cap.10.16. *reuersus, mirabiliter me crucias.* 290.1.
Ca.12.22. *qui reuelat profunda de tenebris.* 233.1
Cap.16.13. *Ego ille quondam opulentus.* 132.1.
Cap.19.21. *Miseremini mei.* 229.2
ibid. *quia manus Domini.* 229.2.291.1
Cap.20.22. *cum satiatus fuerit.* 11.2
Cap.23. 6. *nolo multa fortitudine contendat mecum.* 229.2.326.1
Cap.26.14. *& cum vix paruam stillam.* 326.1
Cap.29. 20. *gloria mea semper innouabitur.* 297.1.
Cap.30.16. *nunc autem in memetipso* 239.2
ossa mea perforatur doloribus. 239.2
Cap.31.27. *& lætatum est in abscondito.* 164.1
Cap.27.16. *nunquid nosti semitas.* 257.2
Cap.38.1. *Respondens autem Dominus de turbine.* 48.2.
Cap.14.16. *sub vmbra dormit.* 163.2
18. *Ecce absorbebit fluuium.* 316.2
Cap.41.24. *non est super terram potestas.* 363.1
25. *omne sublime videt.* 316.2
Cap.42.5. *auditu auris audiui te.* 379.2

Psalmi.

Psal.2.9. *Reges eos in virga ferrea.* 8.1
Psal.6.4. *& anima mea turbata est valde.* 14.1
Psal.9.17. *desiderium pauperum exaudiuit Dominus.* 82.2.
Psal.11.17. *eloquia Domini eloquia casta.* 245. 294.2.
Psal.16.4. *propter verba labiorũ tuorũ.* 263.2
Psal.17.10. *& caligo sub pedibus eius.* 48.2
5. *circumdederunt me dolores mortis.* 250.1
13. *præfulgore in conspectu eius nubes transierunt.* 254.1.258.2
12. *& posuit tenebras latibulũ suum.* 254.1
Psal.18.3. *dies diei eructat verbum.* 33.1.318.2
10. *Iudicia Domini vera iustificata in semetipsa.* 101.2.439.2
Psal.24.15. *oculi mei semper ad Dominũ.* 265.1
Psal.29.7. *Ego dixi in abundantia mea.* 334.1
12. *conscidisti saccum meum.* 257.2
Psal.30.20. *quam magna multitudo dulcedinis tuæ.* 250.1
21 *abscondes eos in abscondito.* 254.2.258.2
Psal.33.22. *mors peccatorum pessima.* 367.1
20. *multæ tribulationes iustorum.* 351.1
Psal.34.10. *omnia ossa mea dicent.* 292.1
Ps.36.4. *delectare in Domino & dabit tibi.* 262.2
Psal.37.5. *sicut onus grauia grauate sunt.* 13.2
9. *Afflictus sũ & humiliatus sum nimis.* 258.1
Psal.38.3. *obmutui, & humiliatus sum nimis & silui.* 218.1
4. *concaluit cor meum.* 246.1. 388.1. 418.1.
7. *veruntamen in imagine pertransit homo.* 129.1.
12. pro-

12. *propter iniquitatem corripuisti hominem.* 229.2.
Psal.39.6. *non est qui similis sit tibi.* 100.2
13. *comprehenderunt me iniquitates meæ & non potui.* 14.1
Psalm.41.2. *quemadmodum desiderat Cervus.* 262.1.303.2.
3. *sitiuit anima mea ad Deũ fontẽ viuũ.* 213.2
Psal.47.23. *exsurge quar eobdormis* Domine. 325.1
Psal.44.10. *astitit Regina.* 326.2.401.1.
Psal.45.5. *fluminis impetus lætificat.* 299.2
11. *vacate & videte.* 66.2.171.1
Psal.48.17. *ne timueris cum diues factus fuerit homo.* 144.1.148.1
Psal.49.16. *peccatori autem dixit Deus.* 188.1
Psal.50.12. *Cor mundũ crea in me Deus.* 244.2
19. *Sacrificium* Deo, *Spiritus contribulatus.* 221.1.
Psal.53.5. *& fortes quæsiuerunt animã meã.* 351.1
Psal.57.5. *sicut aspidis surdæ & obturantis.* 154.2
9. *supercecidit ignis & non viderunt.* 14.2
10. *priusquam intelligerent spinæ vestræ.* 15.1
Psal.58.10. *fortitudinem meam ad te custodiam* 18.1.141.1.243.2.
5. *sine iniquitate cucurri & direxi.* 262.1
15 *famem patientur vt canes.* 11.1
Psal.61.1. *Nonne Deo subiecta erit anima mea?* 395.1.
11. *diuitiæ si affluant.* 350.2.143.2. *&* 148.2
Psal.62.3. *In terra deserta & ira.* 171.1.217.2.
2. *sitiuit in te anima mea.* 244.1
Psal.63.7. *Accedit homo ad cor altum.* 171.1
Psal.67.10 *pluuiã voluntariã segregabis.* 260.1
14. *Si dormiatis inter medios cleros.* 369.1
16. *Mons Dei mons pinguis.* 429.2
34. *Ecce dabit voci suæ.* 116.2.187.2.378.1
Psal.68.1. *saluum me fac* Deus. 231.2.418.1
Psal.70.20. *Quantas ostendisti mihi.* 295.1
Psalm.71.8. *& dominabitur à mari vsque ad mare.* 80.2
12. *liberabit pauperem à potente.* 80.2
Psal.72.8 *Cogitauerunt & locuti sunt nequitiam.* 128.2.147.
21. *Quia inflammatum est cor meum.* 213.2. 345.2.392.2
Psal.76.3. *Renuit consolari anima mea.* 219.2
14. Deus *in sancto via tua.* 46.1
19. *illuxerunt coruscationes tuæ.* 257.2
Ps.77.30. *adhuc esca eorũ erant in ore.* 87.2.8.1
Psalm.83.2. *concupiscit & deficit anima mea.* 262.1.303.2.364.2.
3. *cor meum & caro mea exultauerunt.* 279.1
4. *etenim passer inuenit sibi.* 427.1
6. *Ascensiones in corde suo disposuit.* 258.1
Psal.84.9. *Quoniam loquetur pacem.* 308.1. 210.2.
Psal.85.8. *non est similis tui in diis* Domine. 46.1.133.2.
Psal.87.6. *sicut vulnerati dormientes.* 230.2
Longe fecisti notos meos à me. 230.2
16. *pauper sum ego.* 4.1
Psal.89.10. *anni nostri sicut aranea.* 285.1
4. *quoniam mille anni ante oculos tuos.* 285.1
Psal.96.2. *nubes & caligo in circuitu eius.* 228.2
Psal.101.8. *vigilaui & factus sum sicut passer.* 63.2.281.2.
27. *ipsi peribunt tu autem permanes.* 151.1
Psal.103.32. *qui respicit terram & facit eam tremere.* 291.1
Psal.104.4. *quærite faciem eius semper.* 260.1
Psal.106.10. *sedentes in tenebris.* 301.2
Psal.111.1. *beatus vir qui timet* Dominũ. 260.2
Psal.113.8 *similes illis fiant.* 5.1
Psal.115. *pretiosa in conspectu* Domini. 366.2
Psal.117.12. *circumdederunt me sicut apes.* 12.2
Psal.118.32. *viam mandatorum tuorum cucurri.* 262.2.387.1
81. *defecit in salutare tuũ anima mea.* 259.2
131. *os meum aperui.* 418.1
61. *funes peccatorem circumplexi sunt me.* 12.2.
140 *ignitum eloquiũ tuũ vehementer.* 278.2
Psal.120.4. *ecce non dormitabit.* 311.1
Psal.122.2. *sicut oculi ancillæ in manibus.* 265.1
Ps.126.1. *nisi* Dominus *ædificauerit domũ.* 311.1
Ps.137.6. *quoniam excelsus* Dominus 46.1

Psal.138.11.& nox illuminatio mea.33.1.133.1
12.Sicut tenebræ eius ita & lumen eius.233.1.
294.2
Psal.142.4.collocauit me in obscuris. 231.1.
259.2.
Psal.144.18.prope est Dominus omnibm.185.2
16.Aperis tu manu. 355.2
Psal.147.17. mittit Christallum suum sicut
buccellas. 74.1.223.2

Prouerbia.

Cap.8.4.O viri ad vos clamito. 17.1
15.per me Reges regnant. 324.2
31.ludens in orbe terrarum. 279.2
31.Deliciæ meæ esse cum filijs hominum. 388.
2.411.2.
Cap.10.24. desiderium suum iustis dabitur.
82.2.
Cap.15.15. secura mens quasi iuge conuiuium.
419.2.
Cap.18.12.antequam conteratur. 258.2
Cap.23.31.ne intuearis vinum. 154.1
Cap.24.16.septies enim cadit iustus. 20.2
Cap. 27. 19. quomodo in aquis resplendent.
105.2
Cap.30.15.Sanguisugæ duæ sunt filiæ. 19.1
Cap.31.30. fallax gratia & vana est pulchri-
tudo. 5.2.150.2

Ecclesiastes.

Cap.1.2.Vanitas vanitatum. 143.2
Cap.2.2.risum reputaui errorem. 144.2.151.1
10. & omnia quæ desiderauerunt oculi
mei. 15.2
Cap.3.12. & cognoui quod non esset melius.
129.1
Cap.4.10.væ soli,quia cum ceciderit. 94.1
Cap.5.12.diuitiæ conseruatæ in malum Domi-
ni sui. 148.1
Cap.7.1.quid necesse est homini maiora se quæ-
rere. 109.1
3.cor sapientium vbi tristitia est. 144.2
Cap.8. 4. & sermo illius potestate plenus est.
116.2
Cap.10.1. musca morientes perdunt suauita-
tem. 164.2
4. si spiritus potestatem habentũ. 294.2

Canticum canticorum.

Cap.1.1. osculetur me osculo oris sui. 262.2.
270.1
6.indica mihi. 344.1
3.trahe me post te. 401.387.1
2.ideo Adolescentulæ intellexerunt. 387.1
4.nigra sum sed formosa. 265.2. 296.2.
407.1
10.murenulas aureas faciemus. 369.2
11.dum esset Rex in accubitu. 411.1
15.lectulus noster flo. 383.2
Cap.2.4. introduxit me in cellam vinariam.
391.1
3.sub vmbra illius quam desideraueram sed.
425.2
9 similis est dilectus meus Capræ. 341.1
10.surge propera amica mea. 283.2. 417.1
11.iam enim hyems transijt 414.2.
15.Capite nobis vulpes. 408.1.
13.Surge amica mea. 432.1.437.1.
14.sonet vox tua in auribus meis. 378
16.Dilectus meus mihi. 297.1.
Cap.3.2.surgam & circuibo ciuitatem.260.1.
376.2.
4.inueni quem diligit anima mea. 261.2.
271.2
5. adiuro vos filiæ Hierusalem. per capreas.
313.1.
6. Quæ est ista quæ ascendit per desertum.
305.2.
7.en lectulum Salomonis. 268.1
10.assensum purpureum. 266.1
11.Egredimini & videte. 401.2
Cap.4.9.vulnerasti cor meum. 265.2.357.
403.2
12.hortus conclusus soror mea. 126.1
15.puteus aquarum viuentium. 239.1
16.Surge Aquilo & veni auster. 411.2
Cap.5.2.Ego dormio. 64.1.411.2

Cap.5.6.*anima mea liquefacta est.* 279.2. 391.1.
4.*Dilectus meus misit manum suam.* 387.2
8.*adiuro vos filiæ Hierusalem si inueneritis dilectum meum.* 259.2.357.2.47.2.
Cap.6.1. *Dilectus meus descendit in hortum suum.* 412.2
2.*Ego dilecto meo.* 412.2
4.*auerte oculos tuos à me.* 112.1.210.1.
10.*descendit in hortum meum.* 268.2
21.*nescius, anima mea conturbauit me.* 63.2
Cap.7.2.*Vēter tuus sicut aceruus tritici.* 299.2
13.*omnia pomo noua & vetera.* 97.5
Cap.8.1.*Quis mihi det fratrem meum.* 249.2 270.1.384.2.414.2.
2.*ibi me docebis & dabo tibi.* 391.1
5.*quæ est ista quæ ascendit.* 283.1
5.*sub arbore malo suscitauit te.* 415.2
6.*Lampades eius, Lampades ignis.* 299.1. 300.1.
6.*pone me, vt signaculum super cor tuū.* 135.2. 261.1.370.2.

Sapientia.

Cap.1.5. *Spiritus enim &.* 129.1
7.*Spiritus Domini repleuit orbem.* 382.2
Cap.3.6.*tanquam aurum in fornace.* 231.2
Cap.4.10.*placens Deo factus est dilectus.* 286.1
12.*fascinatio enim nugacitatis obscurat bona.* 146.1.319.2.
Cap.7.11.*venerunt autem mihi omnia bona.* 241.1.
17.*ipse enim dedit mihi.* 105.1
24.*attingit autem vbique.* 236.2.324.2
22.*qui nihil vetat benefaciens.*
Cap.8.1.*disponit omnia suauiter.* 71.2
Cap.9.15.*corpus enim quod corrumpitur.* 224.1.290.2.
Cap.16.20.*& paratum panem de cœlo.* 237.1.
Cap.18.14.*cum enim quietum silentium.* 271.2

Ecclesiasticus.

Cap.9.13.*vinum nouum amicus nouus.* 389.1
14.*Amicum antiquum ne deseras.* 389.2
Cap.11.10. *Si dives fueris non eris immunis à delicto.* 143.2
Cap.13.1.*qui tetigerit picem.* 16.2
Cap.19.1.*& qui spernit modica.* 21.2
Cap.23.6.*auser à me ventres concupiscentias.* 19.2.
Cap.34.9.*qui non est tentatus quid scit?* 222.1 293.1.
Cap. 41.1. *O mors quam amara est memoria tua.* 366.2
3.*O mors bonum est iudicium tuum.* 367.1
Cap. 51. 29. *venter meus conturbatus est.* 241.2.

Isaias.

Cap.1.23.*omnes diligunt munera.* 146.2
Cap. 3.12. *populc meus qui te beatum dicunt.* 152.1.
14.*vos enim depasti estis vineam.* 313.2
Cap.5.20.*ponentes tenebras lucem.* 131
30.*& lux obtenebrata est.* 254.1
Cap.6.2.*Seraphim stabant super illud.* 402. 4.67.1.
Cap.7.9.*si non credideritis non permanebitis.* 32.2.
Cap.9.6. *& factus est principatus super humerum eius.* 324.1
20.*& declinabit ad dextram.* 12.2.
Cap.11.3.*replebit eum Spiritus timoris.* 390.1
Ca.19.14.*Dominus miscuit in medio eius.* 89.1
Cap.24.16.*secretum meum.* 380.1
Cap.26.9. *anima mea desiderauit te in nocte.* 244.1.
17.*à facie tua Domine.* 239.1.
Cap.28.9.*quem docebit scientiam.* 79.2. 308.2.217.1.
10.*manda remanda.* 79.2.80.1
19.*vexatio intellectum dabit auditui.* 217.1
Cap.29.8.*lassus adhuc sitit.* 11.2.
13.*populus iste ore suo* 179.2
Cap.30.2.*qui ambulatis vt descendatis.* 90.2.
Cap.31.9.*cuius ignis est in Sion.* 281.2
Cap.40.17.*omnes gentes quasi non sint.* 285.1
18.*cui ergo similem fecistis Deum?* 147.1
31.*qui autem sperant in Domino.* 262.1

Cap.45.15.*vere tu es Deus absconditus.* 343.2
Cap. 45. 21. *populum istum efformaui mihi.* 322.2.
Cap.48.18.*facta fuisset sicut flumen pax tua.* 129 2.
Cap. 55. 1. *omnes sitientes venite ad aquas.* 13.2.
Cap.57.20. *impij autem quasi mare feruens.* 12.1.
Cap. 58. 10. *orietur in tenebris lux tua.* 257.1
Cap. 59. 10. *palpauimus sicut cæci parietem.* 16.1
Cap.64.4.*oculus non vidit Deus absque te.* 34. 2.46.2.238.1.134.1.155.2.
Cap.66.12.*ecce ego declinabo super eam.* 126.2 377.1

Ieremias.

Cap.1.6.*& dixi à à à Domine Deus.* 256. 1
11.*virgam vigilantem.* 67.1
Cap.2.2.*recordatus sum tui.* 261.2
13. *me dereliquerunt fontes aquæ viuæ.* 10.2
24 *in desiderio animæ suæ.* 12.1
25.*prohibe pedem tuum.* 117.1
Cap.4,10.*pax erit vobis.* 80.1
23.*aspexi terram.* 5.1
Cap. 12. 5. *si cum pedibus currens laborasti.* 293.2.
Cap.20.7.*factus sum in derisum.* 85.1
Cap.23.21.*non mittebam Prophetas.* 168.2
28.*Quid paleis ad triticum.* 117.1
29.*nunquid non verba mea sunt quasi ignes* 278.2.
32 *seduxerunt populum meum.*
Cap.31.18.*castigasti me & eruditus sum.* 222.1 293.1.
Cap.45.2. *hæc dicit Dominus Deus Israel.* 106 2
Cap.49.16.*arrogantia tua decepit te.* 165.2

Threni Ieremiæ.

Cap.1.13. *de excelso misit ignem.* 245.1. 293.1
Cap.3.1.*ego vir videns.* 312.2
9.*concluſit vias meas.* 235.1
44.*opposuisti nubem tibi.* 212
17. *& repulsa est à pace anima mea.* 239 1
17.*oblitus sum bonorum.* 240.1
19.*recordare paupertatis meæ.* 348.2
20.*memoria memor ero.* 129.2.305.2
29.*ponet in pulvere os meum.* 212.2
47.*formido & laqueus.* 85.1
Cap. 44. 1. *quomodo obscuratum est aurum.* 153.1
Candidiores Nazarei eius. 16.1

Baruch.

Cap.3.22.*nō est audita in terra Chanaā.* 291.2
23.*viam autem sapientiæ nescierunt.* 47.2
31.*non est qui possit scire vias eius.* 257.2

Ezechiel.

Cap.1.8.*& facies & pennas.* 142.1
Cap.2.1.*hæc visio similitudinis.* 142.1.300.2
Cap.8.10.*& ingressus vidi.* 17.2
Cap.14.9.*& Propheta cum erraverit.* 90.1.
Cap. 24.10.*congere ossa.* 251.2
11.*pone quoque eam super prunas.* ibid.
Cap.34.2.*væ pastoribus Israel.* 315.1
Cap.36.25.*& effundam super vos aquam mundam.* 300.1

Daniel.

Cap.9.22.*& locutus est mihi.* 114.2
27.*& erit in templo abominatio.* 151.1
Cap.10.11.*Daniel vir desideriorum.* 269.1
16.*Domine in visione tua.* 380.2.

Oseas.

Cap.2.14.*ducam eam in solitudinem.* 126.1. 308.1.427.2.
20.*& sponsabo te mihi in fide.* 225.2.264.2 368
Cap.13.9.*perditio tua Israel.* 291.2
14.*ero mors tua ô mors.* 296.2

Ionas.

Cap. 2. 1. *& erat Ionas in ventre piscis.* 230.1
Cap.3.4.*adhuc quadraginta dies.* 8.2

Cap.4

Cap.4.11.*qui nesciunt quid sit inter dexteram.* ibid.1.

Micheæ.

Cap.7.3.*malum manuum suarum.* 161.1

Habacuc.

Cap.2.1.*super custodiam meam.* 308.2.136.2. 217.1.

Cap.3.6.*aspexit & dissoluit gentes.* 291.2

Matthæus.

Cap.7.22. *Domine nonne in tuo nomine prophetauimus.* 167.2

Cap.4.8.*& ostendit ei omnia regna.* 100.1

Cap.5.3.*beati pauperes spiritu.* 166.1

8.*beati mundo corde.* 263.1

Cap.7.2.*amen dico vobis receperunt.* 163.2

3.*te autem faciente.* 164.1.267.2

6.*tu autem cum oraueris.* 186.2

7.*Orantes autem.* 186.1

10.*adueniat regnum tuum.* 283.2

24.*nemo potest duobus dominis seruire.* 121.2

33.*quærite ergo primum regnum Dei.* 185.1

Cap.7.3.*quid autem vides festucam.* 196.2

6.*nolite dare sanctum canibus.* 11.1

22.*multi dicent mihi.* 95.2

24.*quam angusta porta.* 41.1.215.1

Cap.8.20.*filius autem hominis.* 44.1

Cap.10.36. *& inimici hominis domestici eius* 249.2

Cap.11.30.*iugum enim meum suaue est.* 43.1

28.*venite ad me omnes qui laboratis.* 13.2

Cap.12.30.*qui non congregat mecum.* 21.2

Cap.12.23.*qui autem seminatus est.* 143.2

31.*simile est regnum cœlorum.* 289.2

Cap.15.14.*cæcus autem cæco ducatum præstet.* 14.2.75.1.

8.*Populus hic labijs me honorat.* 178.2

26. *non est bonum sumere panem filiorum.* 11.1.

Cap.16.24.*qui vult venire post me.* 154.2

25.*qui enim voluerit animam suam saluam facere.* 399.2

25. *qui autem perdiderit animam suam.* 206.1.

26. *quid prodest homini si vniuersum.* 440.1.

Cap.17.5.*hic est filius meus dilectus.* 91.2 92.1

Cap.18.20.*vbi bi duo vel tres.* 94.1

Cap.19.23.*Amen dico vobis quia diues.* 143.2

29.*Centuplum accipiet.* 150.1. 159.2

Cap.20.23.*calicem meum quidem bibetis.* 43.1

Cap.21.9. *& quæ sequebantur clamabant.* 178.2

Cap.22.12. *amice quomodo huc intrasti.* 179.1

Cap.23.5.*omnia vero opera sua.* 163.2

12.*qui autem se exaltauerit.* 258.2

Cap.24.19.*Væ autem prægnantibus.* 19.1

Cap.25.8.*Date nobis de oleo vestro.* 197.2

21.*quia super pauca fuisti fidelis.* 53.2

Cap.26.39.*Pater mi si possibile est.* 188.2

Cap.27.46.*Deus meus vt quid dereliquisti me.* 44.1

Cap.28.7.*& cito euntes dicite,* 170.2

Marcus.

Cap.8.34.*si quis vult me sequi.* 42.1

Cap.9.38.*nolite prohibere eum.* 187.2

Lucas.

Cap.2.25.*erat vir iustus & timoratus.* 390.1

Cap.1.53.*esurientes impleuit bonis.* 377.2

Cap.4.24.*amen dico vobis quia nemo propheta.* 176.2

Cap.7.37.*& ecce mulier quæ erat.* 247.1

Cap.8.13. *qui cum audierint cum gaudio.* 166.1

Cap.9.54.*Domine vis dicimus.* 168.2

Cap.10.20.*verumtamen in hoc nolite gaudere.* 167.2

Cap.11.5.*quis vestrum habebit.* 40.1

2. *Pater sanctificetur nomen tuum.* 186.1.

26.*tunc vadit & assumit septem.* 54.1

52.*væ vobis legisperitis.* 315.2

Cap.12.

Cap.12.20 *stulte hac nocte.* 144.1.150.1
35.*sint lumbi vestri præcincti.* 19.1.
Cap.14.23. *exi in vias & sepes.* 315.2.
33.*qui non renunciat omnibus.* 67.240.1.
Cap.16.8.*quia filij huius sæculi.* 147.1
10.*qui fidelis est in m nimo* 148.2
20.*& erat quidam me dicus.*
Cap.17.21.*Regn m Dei intra vos.* 181.1
Cap.18.1.*oportet semper orare.* 186.2
11. *Deus gratias ago tibi.* 132.1.163.1.196.1
19.*nemo bonus nisi solus Deus.* 6.1
Cap.19.41.*& videns ciuitatem.* 178.2
Cap.24.25.*O stulti & tardi corde.* 170.2
21.*nos autem sperabamus.* 81.1
32.*nonne cor nostrum.* 170.2

Ioannes.

Cap.1.5.*& lux in tenebris lucet.* 4.2
13.*qui non ex sanguinibus.* 37.1
16.*Gratiam pro gratia.* 405.1.
18,*Deum nemo vidit vnquam.* 46.2.134.1
343.1.
Cap.2.3 *vinum non habent.* 349.1
Cap.3.5.*nisi quis renatus fuerit.* 37.2
6.*quod natum est ex carne.* 160.2.202.1
Cap.4.14. *Aquæ salientis in vita.* 415.2.
Cap.4.23.*venit hora & nunc est.* 180.2.181.2
48.*nihil signa & prodigia videritis.* 170.2
Cap.6.64.*caro non prodest quicquam.* 278.2.
285.1.
69.*Domine ad quem ibimus.* 279.1
67.*ex hoc multi discipulorum.* 279.1
Cap.9.39.*In iudicium ego.* 35.2.
Cap.10.9.*ego sum ostium.* 43.2
Cap.11.3.*Domine,ecce quem amas.* 349.1
50.*expedit vobis vt vnus moriatur.* 81.1
Cap.12.32.*& ego si exaltatus fuero.* 354.2
16.*hæc non cognouerunt discipuli eius.* 84.1
25.*qui amat animam suam.*
Cap.14.2 *in domo Patris mei.* 281.1.375.1.
Cap.14.6.*ego via & veritas* 43.2
21.*qui autem diligit me.* 104.2
Cap.17,10.*omnia mea tua sunt.* 321.2
429.1.
20.*non pro eis rogo tantum.* 436.1
26.*vt dilectio qua dilexisti me.* 322.1
24.*Pater quos dedisti mihi.* 436.1
Cap.19.30. *consumatum est.* 9.2
Cap.20.1.*& vidit lapidem sublatum.* 247.2
15.*Domine si tu sustulisti eum.* 247.2
19.*cum fores essent clausæ.* 116.2.
20.*cum ergo esset dies illa.* 126.1

Acta Apostolorum.

Cap.1.6.*Domine si in tempore hoc.* 8.1
Cap.2.3.*& apparuerunt illis dispertitæ linguæ.* 288.1.
Cap.4.30.*in eo quod manum tuam extendas.* 169.2.
Cap.7.32.*tremefactus autem Moyses.* 256.2
Cap.8.19.*date & mihi hanc potestatem.* 147.2
Cap.13.27.*hunc ignorantes.* 81.2.
Cap.17.28. *in ipso enim viuimus.* 324.1.
360.1
29.*non debemus æstimare auro.* 36.29
Cap.19.15.*Iesum noui & Paulum scio.* 187.2

Epistola ad Romanos.

Cap.1.22.*dicentes enim se esse sapientes.* 6.1.
20.*inuisibilia ipsius à creatura mundi.* 32
28.*tradidit illos Deus in reprobum sensum.* 148.1
Cap.8.5. *Charitas Dei diffusa est.* 434.2
Cap.2.21. *qui ergo alium doces.* 187.2
Cap.8.13.*si autem spiritu facta carnis.* 351.2
13.*si enim secundum carnem vixeritis.* 295.2
14.*qui spiritu Dei aguntur.* 296.1.351.1
24.*Spes autem quæ videtur.* 40.1.266.1
26.*postulat pro nobis.* 351
23.*& ipsi intra nos gemimus.* 344.1
Cap.10.17.*ergo fides ex auditu.* 32.2.170.2.
379.2.
Cap.12.2. *reformamini in nouitate sensus nostri.* 226.2
Cap.13.1.*quæ autem sunt à Deo.* 71.2
Cap.11.33.*O altitudo diuitiarum.* 429.2.

Prima ad Corinthios.

Cap.2.1. *& ego cum venissem ad vos.* 92.1.
188.2.

9.quod oculus nõ vidit. 34.2. & 46.2.238.1
10. Spiritus enim omnia scrutatur. 236.2. 244.1
11.animalis homo non percipit ea. 81.2.159.2 312.2.
15.spiritualis autem iudicat omnia. 105.2. 288.1
Cap. 3. 16. nescitis quia templum Dei estis. 181.1.
15.non potui vobis loqui. 74.1
19.Sapientia enim huius mundi. 6.1
Cap.7.27.solutus est ab vxore. 145.1
29.tempus breue est. 23.1.145.1
Cap.9.22.omnibus omnia factus sum.
Cap.10.4.petra autem erat Christus. 431.1
Cap.12.8.alij datur sermo scientiæ. 105.1 166.2.
7.alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ. 105.1
7.vnicuique autem datur manifestatio spiritus. 166.2
10. Alij quidem per spiritum datur discretio spirituum. 104.2
Cap.13.10.cum autem venerit quod perfectum est,euacuabitur,quod ex parte est. 49.1. 71.1.369.2
4.Charitas patiens est. 374.2
1.si linguis hominum loquar & Angelorum. 167.2
11. cum essem paruulus loquebar vt paruulus. 226.2
Ca.15.54.absorpta est mors in victoria. 296.2
Secunda ad Corinthios.
Cap.3.6 litera enim occidit. 79.2
Cap.4.17.quod in præsenti est momentaneum, & leue. 160.2
Cap.5.1. scimus enim quoniam si terrestris domus. 284.1.295.2.24.2.400.2
4.nolumus spoliari,sed superuestiri. 366.1
Cap.6.10.tanquam nihil habentes. 149.2 236.2.
15.quæ autem conuentio Christi. 4.2
Cap.11,14.ipse enim Sathanas. 53.1.
Cap.12.3.siue in corpore,siue extra corpus nescio. 98.2
4.audiunt arcana verba. 379.2
9.virtus in infirmitate. 293.1.24.2.400.2
Ad Galatas.
Cap.1.8.sed licet nos aut Angelus. 93.1.108.2
Cap.2.2.ne forte in vacuũ currerẽ. 94.2.435.2
14.si tu cum Iudæus sis. 94.1
20.viuo autem iam non ego. 296.2.370.1. 414.1.433.2
Cap.4 6.Quoniam estis filij Dei. 435.2
Cap.5.17. caro enim concupiscit aduersus spiritum. 159.1.351.2
Ca.6.17.ego enim stigmata Domini Iesu.290.2
Ad Ephæsios.
Cap.4.24.induite nouum hominem. 226.2. 249.1.295.2
Cap.6.11.induite vos armaturam Dei.
Ad Colossenses.
Cap.2.3. in quo sunt omnes thesauri. 92.1. 348.2.431.2
9. in Christo habitat omnis plenitudo diuinitatis. 92.2
Cap.3.53.& auaritiam quæ est simulacrorum seruitus. 147.2
14.Charitas est vinculum perfectionis. 374. 401.2
1. ad Thessalonicenses.
Cap.5.88.induite loricam fidei. 265.2
19.spiritum nolite extinguere. 135.2
Ad Hebræos.
Cap.1.1.multifariam multisque modis. 91.2
3.qui cũ sit splẽdor gloriæ.367.2.291.1.354.2
3. portans omnia verbo virtutis. 324.1
Cap.11.1.est autem fides sperandarum substantia rerum. 39.2.130.1
6.sine fide autem impossibile est placere Deo, 264.2
Epistola Iacobi.
Cap.1.17.omne datum optimum. 311.1. 401.1
Cap.2.20.quoniam fides sine operibus mortua est. 140.2

Prima Petri.
Cap 5.9.*cui resistite fortes in fide.* 264.2
Secunda Petri.
Cap.1.2.*gratia vobis & pax adimpleatur.* 436.2.
19.*& habemus firmiorem propheticum sermonem.* 70.2.109.1
Prima Ioannis.
Cap.3.2.*scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus.* 263.2
Cap.4.18.*timor non est in charitate.* 366.2
Apocalypsis.
Cap.2.17.*& dabo ei calculum candidū.* 292.2
Cap.3.8.*ecce dedi coram te ostium apertum.* 207.2
Cap.10.9.*accipe librum & deuora illum.* 348.2
Cap.13.7.*& est datum illi bellum facere cum sanctis.* 54.2.
Cap.14.2.*erat tanquam vocem aquarum.* 378.1
Cap.17.3.*& vidi mulierem sedentem.* 151.1
Cap.18.7.*quantum glorificauit se.* 13.1.190.1

INDEX RERVM notabilium.

Actus.
Montes, valles, & Ripæ denotant actus vitiosos, & quare. 417.2
Amor.
Amor efficit similitudinem & æqualitatem. 5.1.
Amor spiritualis, & carnalis, Dei & creaturarū ab inuicem se expellunt. 10.2
Amor sensualis sub colore spiritualis. 201.1
Amor Dei cum perfectus est non subsistit absque cognitione Dei & sui ipsius. 258.2
Amor solus animam Deo coniungit. 259.1
Amor gradus. 259.2
Amori semper est sapientia mystica coniuncta. 245.1
Amor diuersimode operatur in anima rite disposita, ac in illa quæ talis non est. 285.2
Veri amantis gaudium est, se in amati obsequiū impendere. 299.1
Amoris occursus quid dicatur. 266.1
Amor æstimatiuus.
Purgatio spiritus initio tribuit amorem æstimatiuum, deinceps vero inflammatum. 246.2
Producit timorem, & quam sit molestus. 247.1
Cum amor inflammatus ipsi coniungitur, confert fortitudinem. 247.2
Amor Inflammatus.
Quibus stimulis percita egrediatur anima à purgatione passiua sensus. 242.2
Amor inflammatus efficit secreto in anima purgationem passiuam sensus. 214.1
Illius stimuli acrius sentiuntur iuxta finem purgationis. 305.1
In vnione conquiescunt stimuli. ibid.
Discrimen stimulorum animæ in purgatione spiritus, ac sensus. 246.2
In purgatione spiritus habet anima aliquid deuotionis. 243.1
In hac inflammatione seruat Deus potentias abstractas à rebus omnibus creatis, quo liberum sese in illum impendant. ibid.
Anima intense Deum sitit in hac inflammatione. 245.2
Duæ radices pœnæ quam inducunt. 244.1
In medio harum pœnarum anima sentit suauitatem, & internum vigorem. ibid.2
Quo tempore purgationis spiritualis sensibus sentitur. 245.2
Illius

Illius pœna est tanquam amoris purgatorium. 244.2
Idem amor Angelos purgat. 245.1
Accenditur amplius notitia Dei quæ in illo confertur. 246.1
Huius amoris inflammatio ictus. 240.2
Impatientiã ingenerat se seruiendi cũ Deo. 248.1
Amoris stipendium amor. 362.1
Amor igne ardentem, refrigerat idẽ amor. 374.1

Amor Plagatus.

Amoris proprietas est scire, vt alliceat & delectet. 279.2
Diuersim est vulnus amoris, pro diuersitate subiectorum. 287.1
Est cauterium vehementer accensum suaue tamen. ibid.2
Amoris curatio est repetita plaga. 288.2
Plagæ amoris, sanitas animæ. ibid.
Cauterium amoris, est sublimior status præsentis vitæ. 289.1
Ignem Seraphinorum sit, eiusque effectus. ibid.
Quibus conferatur hoc donum. 290.1
Hæc plaga amoris Seraphici interdum exterius prorumpit. ibid.
Gaudium & dolor simul reperiuntur in illa. ib.2
Illius effectus intensior est cum solum spiritui, quã etiam communicatur corpori. ibid.2
Quando delicate, tenereque accidat. 279.2
Vulnera amoris inflammant, & extra se rapiant animam. 345.2
His vulneribus alius non medetur, quam amatus qui ea inflixit. 346.1
Amans semper amore torquetur. ibid.2
Triplex genus languendi propter amatum. 357
Anima amore plagata visionem Dei expetit, vt satietur. 361.1
Amans quo magis est saucius, eo amplius est contentus. 361.1
Est flamma consumens, & transformans animam in Deum. 438.2

Amor Vnitiuus.

Motus & inflammationes diuini amoris in statu vnionis. 279.2
Sunt tanquam aquæ purissimæ sancti Spiritus. 300.1
In hoc statu transformationis sunt quasi glorificationes. 301.1
Assimilantur glorificationibus patriæ. ibid.
Se habent in anima ad instar vmbrarum Dei illi appropinquantis: sunt tamen vmbræ lucidæ in quibus resplendent magnitudo & attributa Dei. ibid.2
Non percipit istos motus alius quam qui palatum spiritualem habere attemperatum diuino modo. 278.2
Spiritus sanctus est flamma amoris viua qui in hac vnione operatur. 277
Huius amoris subtilitates in animabus puris latent homines mundanos. 291.2
In hoc statu anima Deum amat per Deum; amat Deum in Deo, & amat Deum propter Deum. 322.1
Stimuli amoris qui disponũt animam ad omnimodam transformationem, sunt intensiores quam pro vulgari, & cõmuni vnione. 305.1
Vide verbum Vnio.

Amor Perfectus.

Quo pacto refrigeret sponsum ac sponsam cum sunt plagati. 374.1
Amor salus animæ, sine quo infirmatur. 367.1
Qui verè amat, mundi irrisiones non erubescit. 398.1
Amor est lectus floridus. 383.1
Est vinum virtutibus conditum. 387.2
Inebriat Deus animas amoris vino qui est diuinus ipsius spiritus. ibid.
Hæc ebrietas inducit obliuionem sui & aliorum rerum. 392.1
Arctissimus amoris gradus vocatur cellarium. 390.1
Ibi sese Deus animæ communicat. 390.2
Ponatur anima Deo suo. 390.2
Quando anima Deum amet, voluntate ipsius Dei. 434.1
Tota substantia & aptitudo tam animæ, quam corporis amore ad operandũ moueatur. 397.1

Vtrum voluntas possit amare, quod prius intellectus non cognoscit. 311.2,391.1.
Noui amatores comparantur vino nouo. 388.2.
Amoris vinum facile absumit imperfectiones. 292.2
Verus amans præmium non intendit quin potius totum perdere amore dilecti. 399.2. 404
Amoris scintilla est suauissimus quidam attactus cor inflammans. 387.1
Multum obtinet anima in amore sublimata. 406.2
Ad cognoscendum vtrum anima amet Deum, attendendum est an cor habeat pro se. 361.2
Amor efficit totalem traditionem animæ ad Deū 394.1
Efficit vt quis mundo pereat. 398.2

Angeli.

Assiduè Deo vacant. 358.1

Anima.

Animæ contemplatiuæ sua indiscreta operatione sunt Deo impedimento. prologo.
Vilitas animæ appetitui suo seruientis. 6.1
Animæ immunis ab illis, indumenta veteris hominis permutat Deus, cum vestibus noui hominis qui est Christus. 9.2
Animæ quæ in oratione nolunt à figuris & formis singularibus exire, seipsas impediunt. 56.1.
Animabus necdum expurgatis, solet Deus raptus conferre. 224.1
Non debent inniti aut fidere donis supernaturalibus. 225.1
Vt anima diuinis vestiatur indumentis debet exuere, quod naturale est. 237.2
In statu vnionis, animæ sunt lampades splendentes ipsi Deo. 320.1
Nonnullæ animæ sublimiorem in hac vita notitiam recipiunt, quam Angeli. 245.2
Quando liceat animæ agere cum Deo amicabili cum confidentia. 262.2
Animæ simplices nesciunt confessarijs, seu magistris explicare quando aut quo pacto recipiant infusam contemplationem. 256.2
Animarum necessitas horum operum scriptionis causam dedit. prologo.
Quo magis anima immittitur viuæ fidei, eò amplius ad Deum appropinquat. 311.2
Quæ à Dæmone illusa est tenebras lucem æstimat. 133.1
Potius est vbi amat quam vbi animat. 360.1
Quæ illusiones deuitare cupit, suiratione reddat Patri suo spirituali. 96.1
Expetit similitudinem amati sui. 428.2
Quæ in amando debilis est, etiam ad virtutes heroicas acquirendas aut exercendas infirma erit. 367.2
Anima designatur in turture & quare. 426.1
Nidus animæ, est sedes, quam in Deo reperit. ibidem 2
Cum de passionibus triumphat, comparatur columbæ ad Arcam Noë reuertenti. 424.1
Est vinea florens in qua fluunt suaues odores. 410.1

Appetitus.

Appetitus rerum creatarum obtenebrant animam. 4.2.14.1
Damna quæ inferunt dum non mortificantur. 10.2
Defatigant, cruciant obnubilant, maculant, & debilitant animam. 11.2
Perfecta virtus in eo sita est, vt anima sit expurgata à cunctis appetitibus. 9.1
Quo viuacior est appetitus, eò amplius cruciat, & quo plures sunt, eò etiam sunt plures cruciatus. 13.1
Obstant suis tenebris diuinæ contemplationi. 14.1.
Deturbant animæ pulchritudinem, & impediunt vnionem similitudines. 16.2 17.1.

Ani-

Anima virtutem debilitant ne in perfectione proficiat. 18.2
Inuoluntarij non impediunt progressum ad perfectionem. 20.1
Quiuis appetitus etiam minimus obstat diuinæ vnioni. 20.1
Excæcat animam ne veritatem conspiciat. 319.1
Si aliquis superatus non est, neque solus est. 22.1
Media efficacia, & compendiosa, ad illos compescendos. 26.1
Donec ad perfectionem deueniatur, non desunt appetitus. 393.1
Vulnus appellantur. 408.1
Obtestatur eos anima ne sponsi sui fruitionem interturbent. 421.2
Plus obstant ne Deus operetur in anima, quam ipsum nihil. 11.2
Appetitus seruandi legem Dei, & ferendi crucem Christi. 10.1

Apprehensio.

Vide verbum Purgatio actiua Spiritus.

Ariditas.

Grauis admodum est cum Magister spiritualis caret experientia. *Prologo.*
Quæ consolatio quærenda sit in aridit atibus. *ibi.*
Quomodo cognosci possit, eam procedere à purgatione passiua sensus. 203.2
Immittit illum Deus *nonnullis, vt ipsorum gulæ spirituali medeatur.* 211.2

Vide verbum Purgatio passiua.

Non est indicium absentiæ Dei *ab anima.* 344.1
Est Aquilo mortuus, & quare. 409.1

Auaritia spiritualis

Quas imperfectiones causet in tironibus. 198.2

Vide Contemplatiui.

Bona.

Quam ob causam contemplatiui non gustent bona spiritualia. 8.2
Sex bonorum differentiæ. 142.2
Quo pacto temporalibus vti liceat, ne impediant. 143.1
Illorum damna. 145.1
Vtilitates prouenientes ex abnegatione gaudij circa illa. 148.2
Vilitas est lætari de bonis naturalibus. 150.2
Huius gaudij nocumenta. 151.2
Abnegationis illorum admirabiles fructus. 154.1
Bona sensibilia, quæ, & quo pacto debent ordinari ad Deum. 155.2
Delectari in illis sub prætextu maioris orationis nocet, nam potius sunt causa recreationis, quam orationis. 157.1
Illorum damna. 157.2
Emolumenta ex illorum abnegatione. 158.1
Bona moralia quæ, & quomodo repudiari, aut admitti debeant. 161.1
Septem nocumenta proueniunt dum quis gaudet ex illis. 163.1
Vtilitates quæ ex eorum abnegatione proficiscuntur. 165.2
Bona supernaturalia quæ sint. & quomodo à spiritualibus distinguantur. 166.2
Nocumenta quæ ex delectatione illorum nascuntur. 168.1
Abnegationis illorum vtilitates, 170.2
Bona spiritualia quot, & qualia sint. 171.2
Quomodo se geret in eis. 173.1

Capillus.

Capillus sponsæ sanctæ, est amor, quo in amatum fertur. 401.2
Debet esse fortis, & quare. 402.1
Virtutes ipso, nectuntur quo deficiente nulla virtus est. 401.2

Cellarium Spirituale.

Arctissimum amoris gradum, vocat anima, cellarium. 390.1
In ipso potatur anima Deo *suo.* 391.1

Centrum Animæ.

Deus est animæ centrum. 280.2
Tot sunt centra in anima quod sunt gradus amoris. 281.1
AEgrefert anima contemplationem deserere, quia tunc separatur à centro suo, quod est Deus. 57.2.

Communicatio diuina.

Licet altissima sit, non est manifestum Dei *testimonium, & quæ sit ratio.* 144.1

B.
Joannis
a Cruc
Opera
Mystic
NVI
124

Suaue tormentum quod in illa nonnumquam experitur anima 577.1

Communio.

Circa communionem solent incipientes habere gulam spiritualem. 203.1

Solet Deus in communione sensibilem gustum denegare, vt anima fidei virtuti adhæreat. 204.2.

Mortificatione debet in anima mederi gulæ spirituali. 205.2

Confessarij.

Qui experientia carent, impedimentum potius adferunt animabus contemplationi deditis, quam opem. Prologo.

Tempore ariditatis confessarius inexpertus perturbat. ibidem.

Vide verbum Magistri.

Consideratio.

Consideratio rerum distinctarum est medium remotum vnionis. 56.1

Est impedimentũ ad Cõtemplationẽ. 62.1.311.2

Via quæ nos ducit ad Deum, non in multis considerationibus, & gustibus, sed in scientia abnegationis sui, consistit. 43.2

Vitæ, & Passionis Christi consideratio, quomodo & quando debeat exerceri. 119.1

Consideratio creaturarũ, post cognitionẽ propriã prima est in ordinẽ ad Dei cognitionem. 352

Contemplatio, Contemplatiui.

In contemplatione diuina debet anima manere abstracta ab omni cognitione naturali sensibile siue etiam spirituali. 33.2

Signa ad intermittendam meditationem, & contemplationem auspicandam. 58.1

Signorum dilucidatio. 60.1

Renitentia animæ, dum à contemplatione subducitur, est signum eam à centro suo, qui Deus est, auelli. 57.2

Quare in contemplatione non percipiatur diuinus influxus. 62.1.59.2

Nunquam debet esse absque simplici actu intellectus. 61.2

Quæ sit ratio ob quam nõ percipiatur cum est aduodum spiritualis 62.1

Quanto purior, & illustrior est breuiũ videatur, tametsi diuturna sit. 63.1

Quando in ipsa dormiat anima secundum esse suum naturale, & vigilet ad id quod est supernaturale. 64.1

Sub contemplationis initium vsurpanda est meditatio, & quo pacto. 65.1

Dispositio ad illustrationem diuinam in illa percipiendam. ibid.

Quantopere anulsa sit oportet. 30.6

Anima pro contemplatione à cunctis rebus creatis. 308.2

Educit Deus viros contemplatiuos ab imperfectis, ad id quod perfectum est, secundum modum ipsorum. 72.1

Infimo & abiecto modo semper sentiet de Deo, qui non contemplatur eum in fide absque similitudine distincta. 144.1

Qui in contemplatione infusa suam operationem immiscere conatur spiritum extinguit. 368.1

Debet ad contemplationem denudari voluntas omni gaudio in rebus creatis, sicut & intellectus suis formis & similitudinibus. 172.2

Ex eo quod ista non præstant contemplatiui, non intrant in gaudia spiritus. 182.1

Gerit se Deus cum tironibus sicut mater cum paruulo filio. 194.1

Etiam in delitijs, quibus Deus Tyrones demulcet, sunt debiles. ibid.2

Eorum imperfectiones circa vitia superbiæ. 196.1.

Aliquibus plus adhærent, quam alijs. 197.2

Proficientes gradiuntur sine illis. ibid.

Imperfectiones incipientium contemplationem circa auaritiam. 198.1

Quæ debeant concupiscere veri contemplatiui. 199.2.

Imperfectiones incipientium circa luxuriam spiritualem. 200.1

Quomodo se debeat gerere tempore orationis, erga illas. 200.2

Huiusmodi imperfectiones palliari, solent sub pallio spiritus. ibid.

Imper-

Imperfectiones incipientium circa iram. 202.1
Alia circa inuidiã, & acediam spirituale. 205.2
Vt anima in illa diuinitus moueatur, debet actiuam operationem suam relinquere. 309.2
Contemplatio Scala secreta. 255.1
Per eam scanditur in cœlum, & ad illius thesauros. 258.1
Per hãc descendit anima ad cognitionẽ sui. 236.2
Nesciunt animæ simplices referre suis ductoribus contemplationẽ infusam quã recipiunt. 256.2
In contemplatione non intelligendo potius quam intelligendo ad vnionem tenditur. 257.2
Inæqualitates vitæ contemplatiuæ antequam deueniatur ad statum perfectionis. 258.2
Clipeus aduersus dæmonem cum nostram cõtemplationem perturbat. 268.1
Quod Deus in contemplatione largitur, ditat, nõ vero quod anima lucratur operatione sua actiua. 312.1
Quò magis contemplatiuus in fide ambulet, eò amplius appropinquat Deo. 311.2
In contemplatione simplici non debent interuenire distincta noticia. 311.2
Ad normam cognitionis illius erit & amor. ibidem.
Interdum plus habetur in illa cognitione, quàm de amore, & è contra. 312.1
In contemplatione tranquilla simplici, non est anima otiosa, sed optime occupata. ibid.
Discursus intellectus impedit ingressum ad intimam contemplationem. 317.1
In contemplatione oculi spirituales expurgantur à suis ignorantijs. 318.2
In passiua purgatione sensus, recipitur contemplatio. 209.2
In contemplatione infusa seipsam impedit anima sua actiua operatione. 210.2
Non inuenitur in illa discursus componens, & diuidens, sed actus simplex. 210.2
Apposita similitudine declaratur. 212.2
Ob tranquillitatis defectum nõ percipitur amoris inflammatio quæ in illa communicatur. 213.2
Contemplatio obscura, & secreta, quã Deus largitur vna eũ purgatione passiua sensus. 209.2

Vide verbum, Purgatio.

Vocatur Nox. 438.1
Est Dei secreta scientia. 394.1
In præsenti vita est radius tenebrarum, & quare.
Appellat eam anima sibilum auratum amabilium, & cur ita. 377.2

Creaturæ.

Nulla sufficit perturbare animam in vnione constitutam. 384.2
Inducunt solitudinem animæ Deum desideranti. 326.1.
Dant testimonium magnitudinis & excellentiæ Dei. 358.2
Illarum pulchritudo à verbo incarnato profluxit. 354.2

Christus.

Christi Domini imitatio. 25.2
Crux Christi etiam in hac vita dat requiem illã voluntariè amplectentibus. 43.2
Verus spiritus consistit in vita illius imitatione, non vero in dulcedinibus. ibid.
Hæc imitatio debet vsque ad mortem crucis cum Christo se extendere. 44.1
Parum solet ab his cognosci, qui se amicos illius existimant. 44.2
Vitæ & Passionis illius meditatio, semper debet vsurpari, & qua ratione. 119.2. & 124.1

Crux.

Vita nostræ Origo. 415.2
In cruce sese despondit Dei filius, animabus nostris. ibid.1

Delectatio.

In via Crucis positæ sunt veræ delitiæ spiritus. 206.1.

Vide verba, Appetitus, Bona.

Dæmon.

Sæpe sæpius parat retia sua, in imaginatiua. 67.2
Profert vera, vt simul falsa ingerat. 88.1
Eadem via animam decipere conatur, qua muneribus decoratur à Deo. ibidem.
Coniecturis multa elicit futura. ibidem.
Nisi animæ circumspectæ sint, potest eis muscipulas tendere transfigurãdo se in Angelum lucis. 132.2.

Qui-

Qui supernaturalibus donis addicti sunt, daemoni portam aperiunt. 169.1
Animæ à dæmone, delusæ falsum apparet rerum. 133.1.
Incipientibus feruorem adauget vt ipsos præcipitet in superbiam. 196.2
Ad pœnitentias corporales indiscretas, & sine obedientia peragendas incitat. 203.1
Stratagemate vtitur quo animam à tranquilla contemplatione subducat. 316.1
Quo pacto olfaciat bonum quod Deus in ea operatur, vt illud impediat. 268.1
Est hoc vulgare, & commune damnum, ignotum personis contemplatiuis. 316.2
Qua ratione animæ ab hisce periculis debeant liberari. 317.1
Permittit Deus dæmoni vt animam oppugnet, & quare. 268.2
Prælium inter ipsum, & Angelum lucis animam protegentis. 269.1
Pugna contemplatiuorum cum illo est dispositio ad nouas gratias. 269.2
Comparere non audet coram anima perfecta, Deum in se habente. 384.1
Pugna illius cum anima vt impediat vnionem cum Deo. 439.1

Desponsatio spiritualis.

Quid sit desponsatio, & quæ bona anima in illa percipiat. 375
Pax & quies qua ibi potitur, nec non Dei mirabilia, quæ in eo cognoscit. ibid. Cant. 14. & 15. per totum.
In arbore crucis sese desponsauit Dei filius cum animabus nostris. 415.1
Fruitur ibidem anima sonora voce dilecti. 382.2
Est musica silens. ibid.1
Quid anima gustet, & conspiciat in hac diuina vnione. 375.2
In hac desponsatione satisfacit Deus, summeque demulcet animæ substantiam. 378.2
Nulla creatura valet perturbare animam in hoc statu. 384.2

Deuotio.

Quo pacto debeat ordinari vera deuotio ad res spirituales. 199.1
Quam deuotionem Deus aspiciat, & accipiat in via spirituali. 223.1
Non est elicienda brachiorum comissu. 204.2
Ad maiorem animæ deuotionem dat Deus visiones. 831

Deus.

Deus est fons immensus, vnusquisque exhaurit iuxta capacitatem vasis sui. 80.1
Magis desiderat sese animabus communicare, quam illæ recipere. 316.1
Illius communicatio magis propriè fit intellectuali modo, at ob infirmitatem animæ fit etiam modo sensibili. 84.1
Latet homines mundanos quam amabiliter agat cum animabus. 291.2
Dona quæ animabus largitur sunt dispositiones ad alia potiora. 309.1
Quomodo concurrat anima à Deo mota. 300.2
Tria impediunt ne ad fruendum illo perueniamus. 271.2
Placet illi quod homines ab hominibus dirigatur non expectando reuelationes. 93.1
Deus est flamma amoris animam absorbens, quam etiam madefacit gloria. 278.1
Intuitus Dei est amare. 405.1
Quomodo sit Deus quærendus. 348.1
Requirit cor nudum, & forte. 300.1
Qui serio eum diligit, in nulla aliare habet delitium. 353.2
Cum amatur facile exaudit preces amantis. 344.2.
Illius absentia efficit gemitum in anima. ibid.
Ex ipsius absentia sentit anima pœnam & mortem. 348.2
Dicitur Deus extraneus quia incomprehensibilis. 377.1
Vocatur fluuius propter effectus quos producit. ibid.
Tribus modis est animæ præsens. 364.1

Discursus.

Quando ab eo abstinendum. vide Meditatio.

in

ili

Fides Viua.

Lumen viuæ fidei animam quauis imagine denudatam dirigit ad vnionem. 30.1
Definitio fidei. 31.2
Eius lumen comparatur nóctis obscuritati. 30.2. 31.1.& 2.
Maxima similitudo inter fidē & Deū. 48.1.& 2
Magis se Deus communicat in fide, quam alijs luminibus etiam reuelatis. 111.2
Qui rebus supernaturalibus addicuntur fidei meritum amittunt. 170.1
Solum lumen illius simplex est congruum mediū ad vnionem intellectus cum Deo. 368.48
Sub obscuritate illius, vnitur intellectus cum Deo. ibid.2
In obscuritate illius sese communicat Deus intellectui nullo medio obstante. 48.1
Vide purgatio actiua,& passiua spiritus.
Vocatur cristallina, licet obscura & informis. 368.1.
Fides est oculus quo sponsa sponsum vulnerauit. 403.2.
Proponit nobis virtutes diuinas. 369.2
Veritates per fidem infusæ sunt in anima quasi delineatæ. ibid.

Flamma amoris.

Spiritus S. animam amore succendit. 278.1
Actus animæ in Deum transformatæ sunt flamma viua. ibid.
Plus vnico actu meretur anima, quam multis aliis elicitis absque illa. ibid.
Hæc flamma est pl̄ibatio quædā æterna vitæ. ib.2
Iugiter ardet, ac ferit. 279.2
Penetrat vsq; ad extremum animæ centrum, substantiam nimirum illius, cui Deus per amorem vnitur. 281.1
Est formax succensa amoris. ibid.2
Quamuis sit adeò accensa, tamen est suauissima. 282.2.
In statu purgationis, est valde molesta, & rigida. ibid.
Interius dulcedinem, exterius verò panam producit. 290.1
Vide verba. Amor. Vnio.

Fortitudo.

Hanc induit anima in Dei brachijs. 414.2

Gratia.

Memoriæ purgatio potest effici per gratiam. 123.2.
Multum complacet sibi Deus in anima illam habente,& quare. 406.2

Gula spiritualis.

Eius imperfectiones. 103.1
Vt eam sanet mittit Deus ariditates. 211.1

Gustus spiritualis.

Qui in oratione gustus quærunt, Crucem fugiunt & sunt remissi. 205.1
Quos anima operatione sua haurit, sunt inferiores ijs quos Deus infundit. 252.2

Habitus.

Iuxta habitum perfectionis quem quis habet, ita operatur. 195.2
Imperfectiones habituales licet minimæ obsistunt vnioni cum Deo. 21.1
Habitus meditationis quomodo acquiratur. 59.1.

Honor.

Odio habet Deus animas ad dignitates procliues, etiam cum à Deo collocantur in illis 115.1
Propensus ad honores, & imperium non habetur à Deo vt filius, sed vt mancipium suarum passionum. 6.1

Humilitas.

Humilis anima non audet sola cum Deo agere. 94.1.
Beneficia à Deo anima collata semper sunt permixta cum humilitate. 215.2
Humiliatio purgationis passiuæ sensus, est dispositio ad altiorem gradum perfectionis. 222.1
Aqua diuina replet Deus animæ humilis vacuitatem. 377.2

Illuminatio diuina.

Quo purior est eo minus percipitur. 62.1
Actus ab illa prouenientes reliquos antecellunt. 312.1.

Quo maior est puritas, tanto copiosior est illuminatio. 39.1
Communicat lucem intellectui & voluntati amorem. 246.1.
Numquam deest animæ se disponenti, & qualis debeat esse dispositio. 66.1
Solet fieri in intimo sinu anima cum delicatissimis sentimentis. 117.2
Quomodo se gerat anima in eis vt ex illis proficiat. 118.2
Sentimenta quæ hæc illuminatio prædicto modo communicat, turbissima sunt: ibid.
Vide, amor flamma, lampades, contemplatio, vnio.

Imagines, Imaginatio.

Imagines quas colit Ecclesia inducunt contemplatiuos ad amorem, & imitationem eorum quos repræsentant. 140.2
In his nequit esse deceptio, at in imaginarijs potest. ibid.
Deuotio quam producunt, debet ordinari ad suum prototypon, absque adhæsione ad illas. 173.2.
Non est sistendum in concinna figura imaginis sed ad illius figuratum faciendus gradus. 173.2 176.1.
Imagines, Imaginatiuæ impediunt vnionem. 56.2.
Stationes vtiliores, & peregrinationes ad imagines deuotas, debent fieri quando non est populi concursus. 176.1
Illarum ornatus profanis, & vanis vestibus, est abominabilis abusus. 173.2

Imperfectio.

Imperfectiones habituales licet paruæ sint, impediunt vnionem. 21.1
Quo pacto debeant expurgari. 36.2
Vide verbum, Appetitus, Incipientes, Contemplatio, Purgatio, Vnio.
Anima immunis ab illis sentit nouum ver in cantu dulcis Philomelæ, qui est sponsus suus. 436.2

Incipientes.

Vti debent meditatione. 65.1.56.2
Abducit illos Deus ab imperfecto, ad id quod perfectum est secundum ipsorum modum. 207. 2.71.2.
Agit Deus cum eis sicut mater cum paruulo suo filio. 155.1
Etiam in fauoribus acceptis à Deo sunt debiles & imperfecti. ibid.2
Illorum imperfectiones circa vitium superbiæ. 196.1.
Imperfectiones circa auaritiam. 198.2
Circa Luxuriam. 200.1
Circa iram. 202.1
Circa Gulam. 203.1
Circa inuidiam, & Acediam. 205.2
In aliquibus magis radicantur istæ imperfectiones, quam in alijs. 197.1
Quomodo se gerant in Oratione circa tentationes carnis. 200
Adauget dæmon ipsorum feruorem, vt præcipitent in superbiam. 196.2
Incitat eos ad pœnitentias absque discretione, & obedientia. 201.1
Quibus exercitijs eos vti oporteat in oratione. 306.2
Ingredi passiuam noctem sensus est incipientium statum deserere. 206.2
Non sentiunt in contemplatione amorem inflammatum. 217.1
Monita ipsis vtilia: Prologo.

Intellectus.

Notitiæ naturales, & supernaturalis quæ intellectum cadere possunt. 49.2
Naturales nequeunt esse medium proximum ad vnionem intellectus cum Deo. 46.47.1
Solummodo fides viua est medium proximum, vt intellectus vniatur cum Deo. 48.1.70.1
Quomodo intellectus expurgandus sit. Vide verba Cõtemplatio, Fides viua, Purgatio actiua spiritus, Purgatio passiua spiritus, Vnio.

Intentio.

Intentio Auctoris in his operibus est loqui cum animabus contemplatiuis, seipsis, & rebus omnibus denudatis. Prologo. Ve

Tales præsupponit religiosos, & moniales Carmel. discalceatos, ad quos dirigit hanc doctrinam.

Inuidia.

Imperfectiones contẽplatiuorũ circa inuidiã. 205.2

Ira.

Ira designatur in Leone. 41.1
Vocat anima iras, passiones inordinatas. 420.1

Lampas Ignis Diuini.

Quodlibet attributũ Dei, est anima vna lampas ignis, ex multis distinctis, in statu vnionis. 298.1
Diligit Deus animam totamque substantiam suam, attributa, atque perfectiones ei communicat quatenus id status vitæ permittit. 299.1
Tametsi lampades ignis sint: sunt & aqua vitæ, sitim animæ extinguentes. ibid.2
Non solum animæ iuxta splendorem huius lampadis recipitur, sed etiam intra. 300.2
Animæ motus in hoc statu sunt quasi Dei glorificationes. 301.1
Isti splendores sunt vmbræ Dei manifestæ. 301.2
Anima est etiam ipsi Deo lampas. 320.1
Vide verba, Amor, Vnio.

Laureolæ.

Quæ sint, & earum numerus. 401.1
Virgines omnes simul, virginitatis suæ laureolis Christum coronant. ibid.

Magister.

Doceat animas omnes visiones respuere, & sic effugient fructuosius laborem examinis illarum. 71.2
Tam ipsi, quam animæ ab ipsis directæ versantur in maximo periculo, si talibus visionibus fidant. ibid.
Quomodo debeant animas ab illis subducere, & in libertate fidei collocare. ibid.
Blandè suauiterque in hoc præstando procedere debent. 96.2
Pauci sunt qui sciant gubernare animam, dum incipit esse spiritualis. 306.1
Qui expertus non est, minime cognoscit Dei operationem in anima, neque ad illam recipiendam disponit. ibid.
Debent animas assuefacere libertati spiritus, & nequaquam eas discursibus alligare. 309.1
Rarò reperitur aliquis qui animas contemplatiuas non impediat per discursum. 310.1
Non est ipse Dominus operis contemplationis, sed Dei minister, vnde debet ad contemplationem dirigere, non suo, sed Dei modo. 310.2
Maximam Deo irrogat irreuerentiam rude opus intrudendo, vbi Deus diuino modo operatur. 313.1.
Non permittunt animam quiescere in Deo, sed volunt vt semper laboret. 313.2
Deplorãdus sanè casus est, quod is esse velit Magister spiritus, qui ignorat vias contemplationis. 314.1.
Grauior sanè nolle permittere animas à sua gubernatione exire propter priuata sua commoda. ibid.
Similitudo admirabilis ad hoc propositum. ibid.
Vana zelotypia illorum qui egreferunt, quod animæ alios consulant. 314.2
Graue Dei supplicium imminet ei qui impedit alios mundum deserere quos Deus ad se vocat. 315.1
In voluntatis purgatione diu affectum ad Deum eleuare non potest, nulla consolatio etiam à magistro reperitur. 233.1
Diuina reuelatio inclinat animum vt manifestetur magistro. 95.2
Qui alios docet debet esse spiritualis, si velit vt discipuli etiam tales sint. 187.2

Matrimonium spirituale.

Discrimen inter hoc, & desponsationem. 304.1
Qua ratione obtineatur, & consummetur. 412. & 413.
In illo Deus *se solũ animæ communicat.* 427.2
Reuelat Deus *animæ in hoc statu dulcia Incarnationis suæ mysteria.* 415
In hoc statu finẽ imponit suis passionibus. 416
Quatuor in eo requirit à sponso suo. 423
Explicat quo anima sit colũba, & turtur. 425.1
Cum consummatum est, etsi duæ sint naturæ, vnus tamen solummodo spiritus est. 413.1
Per illud transformatur anima in Deum. ibid.2
Anima super brachia Dei *reclinata induit eius fortitudinem.* 414.1

B.
Joannis
a Cruc
Opera
Mystic.
NVI
124

Quam alto modo sese in hoc statu Deus animæ communicet. 435.1
Docet eam amare sicut amatur. 434.1
Qua ratione se habeant virtutes in hoc statu, & de suauitate ipsius. 384.2

Meditatio.

Meditatio vitæ, & Passionis Christi, quomodo, & quando à contemplatiuis instituenda. 119.1.213.1.
Religiosos breui à meditatione ad contemplationem Deus deducit. 306.2
Differentia inter Meditationem & contemplationem. ibidem.
Quæ potentiæ inseruiant potissimè meditationi imaginariæ. 55.2
Vtitur imaginatione. ibid.
Error illorum qui non desistunt ab illa, quando sunt apti, & maturi pro contemplatione. 56.2
Habitus meditationis qui acquiratur. 60.2. 306.2.
Obicem ponit cum Deus *vocat animam ad contemplationem.* ibidem.
Meditatio, est veluti cum labore, & fatigatione operari: Contemplatio vero, est veluti operis fruitio. 62.1
In contemplationis initio meditatione vtendum est. 65.1.
Quando debeat intermitti. 58.1

Memoria.

Quando debeat actiue expurgari ad vnionem cum Deo. 123.2
Quamdiu non exinanitur, & deserit formas suas nequit vniri Deo. 121.2
Quo magis Deo *vnitur, eo amplius perdit notitias suas.* 122.2
Dum transformata est in Deum *minime adhærent illi formæ & notitiæ permanentes.* ibid.

Mysteria.

Christi Domini *mysteria in malo granato figurata.*
Intelligentia mysteriorum Dei *hominis.* 432.2

Mons Carmeli.

Ascensus montis Carmeli idem est quod ascensus ad culmen perfectionis. Prologo.
Fratribus, & Monialibus Montis Carmeli destinantur hæc opera vtpote qui ad illam tendere profitentur. Prologo.

Mors.

Animæ, statum vnionis assequutæ, dulcis est, atq; suauis. 284.2
Amans anima mortem, non timet, timet eam peccator. 366.2
Mortem expetit anima vt sanetur & vitam recuperet. 361.1
Dei visio mortem adfert cum immensa sanitate, & hanc anima concupiscit. 365.2

Mortificatio.

Quare appellatur nox. 32
Mortificatio corporis prætermissa illa appetitionum nimis solitaria procedit vt tendat ad vnionem. 151.

Vide Purgatio *Actiua sensus.*

Mundus.

Taxant mundani homines illos qui serio se Deo *mancipant, quod nimis sint abstracti.* 397
Qui Deum *amat non erubescit propter ea quæ Mundus de ipso loquitur.* 398.1

Notitiæ.

Res creatæ præbent sublimem notitiam Dei. 378.1
Quidquid in hac vita de Deo *cognoscis potest non est totalis notitia, sed partialis.* 379.1
Maius sentimentum, vel notitia de Deo, *non est euidens argumentum, quod quis magis eum habeat.* 344.1
Non acquiretur Dei *notitia absque labore.* 412.
Labores expetit anima tamquam media ad istam Dei *notitiam.* ibid.
Notitia sui quam Deus *animæ communicat, cum post ipsum currere facit.* 376.1
Eam postulat anima, tum in verbo, tum in creaturis. 429.1.&2
Creaturæ dederunt animæ dilecti sui notitiam. 355.
Poscit anima ne sui notitiam medijs creaturis sibi conferat, sed per seipsum. 356.1.357
Sese Deus *manifestat animæ in statu matrimonij spiritualis.* 381

Ibi confert animæ notitiam mysteriorum incarnationis suæ. 415
Ibi claudit, & finem imponit suis passionibus. 416

Nox.

Idem est quod purgatio animæ. pag. 1. 2
Vide. Purgatio. Mortificatio.
Contemplatio appellatur nox. 438. 1
Noctem quietam vocat anima somnum spiritualem. 381. 1

Opera.

Detrimenta ex bonis operibus non recta intentione facti. 163. 1
Quomodo ad Deum dirigantur ne illorum fructus pereat. 162. 2
Ex defectu rectæ intentionis in illis non proficimus in perfectione. ibid.
Opera illorum qui in statu vnionis versantur, omnia sunt perfectissima, & quasi diuina. 296. 1

Operatio.

Qua ratione anima concurrat propria operatione quando à Deo mouetur. 300. 2

Oratio.

Oratio est medium tutissimum in subsidium laborum, non vero reuelationes. 87. 1
Locus aptus ad orationem, est solitudo. 180. 2
Orare in recollectione spiritus est orare in viuo templo Dei, vbi est etiam illius regnum. 181. 1
Præparatio ad bene orandum. ibid. 2
Tria potissimum loca ad bene orandum inuitãt, & qua ratione in eis nos gerere debeamus. 182. 2
Tres aduersarij orationi obsistunt, & quomodo ab eis debeamus nos defendere. 306. 1
Incipientes, qua exercitia in ea debeant vsurpare. ibid. 2
Seipsum impedit, qui meditationi insistit, quãdo Deus eam statuit in ōtemplatione. 207. 1
Qua ratione debeant ad Deum dirigi orationes, cum singularibus quibusdam ceremonijs facta. 185. 2
Ceremonijs quas Ecclesia docet, & non alijs debemus Deum colere, & ab eo petere. 186. 1
Sine oratione non superatur Dæmon. 351. 2

Pati.

Tutior est via Crucis & patiendi quam fruendi. 253. 1. 43. 1
Labores sunt cibus solidus amicorum Dei, non consolationes. 86. 2
Desiderare anima illos, vt vniatur cũ Deo. 430. 1

Passiones.

Passionum seruitus tristis, fœlix autem libertas spiritu ambulantis. 250. 1
Vide Appetitus, Purgatio Sensus.
Dum non superantur obsidem animam, eamque debellant. 439. 2
Passiones doloris, spei, gaudij, & timoris, denotantur in aquis, ventis, & timoribus. 418. 1
Passiones sensitiuæ partis, Nymphas vocat, & quæ de causa. 421. 1
Quando anima consequitur victoriam passionum comparatur columba reuertenti ad Arcam Noë. 424. 2

Pastor.

Pastores nuncupãtur affectus & desideria. 347. 1
Etiam Angeli & quare. ibid. 2

Paupertas.

Ad paupertatem spiritus spectant verba Saluatoris, arcta est via quæ ducit ad vitam. 41. 1
Maximam illis verbis requirit, Si quis vult me sequi, abneget semetipsum. 42. 1
Paupertas spiritus est mors naturæ inordinatæ, vt nouam vitam viuat. 42. 2
Est calix oblatus discipulis à Christo Domino. 43. 1

Pax.

Status vnionis habitualis est iuge conuiuium pacis & consolationis. 297. 1
Qua pace potiatur anima peracta passiua purgatione sensus.

Pœnitentia.

Inordinata & absque obedientia vitiosa est. 303. 1
Si cum obedientia fiat, est Deo valde accepta. ib. 2
Dæmon incitat ad inordinatas pœnitentias. 2
Vide verbum Mortificatio.

B.
Joann
à Cruc
Opera
mystic.
TOM
124

Perfectio.

Quousque ad perfectionem perueniatur semper sunt residui appetitus. 393.1

Vitiosa munia quæ obit anima priusquam ad perfectionem pertingat. 396.2

Petitiones.

Quatuor petit anima à sponso in matrimonio spirituali. 423

Post vnionem tria expetit anima & quæsint. 428

Tunc Deus petitiones, & necessitates nostras exaudit, eum adhibet remedium. 347.2

Philomela.

In philomelæ cantu, qui est sponsus sentit anima nouum Ver. 436.2

Potentiæ.

Debent illustrari tribus virtutibus Theologicis, & denudari rebus omnibus ad vnionem. 39.1

Non perit anima per obscuritatem illarum in passiua purgatione imò seipsam lucratur. 250.2

Quale sit illarum ligamen, & vacuitas in hac purgatione. 210.1.2 211.1

Capacitas illarum profunda. 303.1

Ad mensuram vacuitatis illarum, est & repletio. 318.1

Non percipiunt vacuitatem bonorum Dei, quãdiu rebus creatis non denudantur. 303.1

Earum renouatio in nocte passiua spiritus. 226.2

Quam sint immersa in Deo, in statu vnionis habitualis. 320.1

Vide. Intellectus, Purgatio, Vnio.

Tres animæ potentiæ vocantur montes & quare. 423.1

Etiam roseta vocantur propter actus virtutum quos producunt. 421.1

Prædicator.

Iuxta mensuram spiritus quem habet prædicator, fructificat sermonibus suis. 187.1

Qui alios docet debet habere spiritum, nam talis euadit discipulus, qualis est magister. ibidem. 2

Prælati.

Odit Deus proclives ad imperandum, etiamsi in dignitate collocentur. 111.2

Dignitatibus affecti non habentur à Deo vt filij, sed vt passionum suarum mancipia. 62

Debent esse spirituales, si subditos suos tales esse cupiant. 187.2

Præsentia Dei.

Triplex est in anima, vel essentialis, vel per gratiam, vel per affectum spiritualem. 364.2

Purgatio.

Idem quod nox obscura. 22

Alia sensus, alia spiritus. 1.2

Actiua & passiua. 251

Actiua disponit ad passiuam. 193.2

Purgatio Actiua Sensus.

In hac purgatione anima auxiliante gratia, refrenat inordinatas passiones suas. 32

Valde est necessaria viris contemplatiuis, vt in Deum tendant. 42

Quo pacto animam illam ingrediatur. 251

Quibus rebus debent in illa expurgari.

Vide. Appetitus.

Purgatio Passiua sensus.

Quando anima illam ingrediatur. 185.1

Anima dispositiones ad intrandum in illã. 206.1

Per actiuam purgationem meretur anima sollicati in ista. 193.2

Illius signa. 207.1

Communis est omnibus contemplatiuis. 208.1

Quo motiuo cognoscantur anxietates ab illa procedere. ib.2

Hanc ingredi, est intrare statum proficientium. 206.2

In ea emundat Deus partem inferiorem ab imperfectionibus suis. 2 71

Purgatio passiua sensus, est dispositio ad contemplationem, spiritus vero ad vnionem, ibidem.

Cum spiritualis palatus purificatur, ab amicate exuitur. 209.1

Fructus admirabilis huius purgationis. 215

In ea emundatur anima à vitijs occultis, quæ spiritualibus consolationibus adhærãt. 208.2

Eò quod anima seipsam non intelligat lucrum suum arbitratur detrimentum. 259.1
Caro debilitatur & spiritus roboratur, licet sine gustu. 209.1
Inducit potentiarum ligamen vt discat anima quiescere ad Dei operationem recipiendam. 210.1
Damnum quod incurritur, dum operatione actiua pertinaciter in ea insistitur. 211.2
In ea percipitur contemplatio obscura & secreta; & qua ratione debeat quietari anima ad illam recipiendam. 212.2
Denudat animam cunctis affectibus. 213.2
Eam in cognitione propria firmat.
Emundat eam à vitijs humilitati aduersantibus. 215.2
Hæc purgatio ablactat eam à puerili lacte. 215.1
Docet eam agere cum Deo reuerenter. 216.1
Anima confert notitiam magnitudinis Dei. 217.1
Anima plures in ea exercet virtutes. 219.2
Constituit eum in libertate spiritus. 220.2
Inducit molestos timores. 211.2
Tales timores sunt Deo gratissimi. 214.1
Multo plusquam consolationes. 216.1
Non debet natura in illis defatigari. 212.1
Clanculum inflammat animam in amore Dei. 213.2
Stimuli amoris, quibus eam afficit. ib.
Est angusta porta quæ ducit ad vitam. 215.1
Est dispositio ad altiorem gradum perfectionis, quanto amplius humiliatur anima. 212.1
In hunc finem premunt illam tentationes. 221.2
Non contingit in omnibus eodem modo. ibid.
In hac purgatione plus coercetur appetitus, quã purgatur, quoadusque spiritus purgationem subintret. 226.1
Nonnullis tantum immittit Deus aridit ates, vt eorum gulam spiritualem sanet. 205.1
Pax, & gaudium quo fruitur anima hac purgatione transacta. 223.1

Purgatio Actiua Spiritus.

Qua ratione intellectum fide purificet ad vnionem cum Deo. 33.2
Quo magis intellectus exinanitur propter Deum, eo amplius cum illo vnitur. 34.1
Requirit intellectus expurgationem ab omnibus apprehensionibus naturalibus, & supernaturalibus sensuum. 50.2
Damna emergentia ex his apprehensionibus non abnegatis. 51.1
Apprehensiones imaginariæ naturales debent abnegari. 55.1
Etiam supernaturales imaginariæ. 65.1
Inducta ad intrandum hanc purgationem imaginum. 60.1. & seq.

Purgatio Passiua Spiritus.

Non statim ac exit anima à purgatione passiuæ sensus, hanc ingreditur. 223.1
Signa & prænuncia illius. ibid.
Plurimum debuit placuisse Deo qui ad eam est ingressurus. 294.1
Exhortatio ad sustinendos ipsius labores ibidem.
Inter purgationem passiuam sensus, & hanc spiritus solet anima pati debilitates corporales, & abalienationes à sensibus cum adest communicatio diuina. 224.1
Qualiter contingat hæc purgatio in eis qui ad vnionem non sunt peruenturi. 222.2
Imperfectiones quas ab anima remouet. 224.2
Qui eam non ingrediuntur Dei fauoribus imperfectè vtuntur, & ipsorum discrimina. 225.1
Non debent Dei fauoribus nimium fidere. 225.2
Consolationes ex hac purgatione promanantes corroborant animam ad illius laborem perferendum. 226.2
Est omnino necessaria ad tollenda impedimenta vnionis diuinæ. 225.1
Sine illa nec sensitiua portio rite purgatur. 226.1.
Ipsius effectus & quomodo denudet potentias suis defectibus. 226.2

Efficit

B. Ioann. à Cruce

Opera Mystic.

NV

124

Efficit innouationem potentiarum. 227.2
Est contemplatio influxus diuini. 228.1
Quare vocatur nox & tenebræ, & tam obscurè cõmunicatur cũ fit contemplatio lucis. 228.2
Quantam pœnam pariat hæc obscuritas. 228.1
Tuta procedit anima mea à dæmonis insidijs. 267.1
Cum molestia abstrahit quidquid imperfectum est. 229.2
Disponit ad intrandum in Dei regnum. 292 2
Fabricat in ea anima molestissimas apprehensiones ex notitia propriæ imperfectionis. 230.1
Illius pressuræ comparantur vmbræ mortis, & pœnis infernalibus. ibid.
Collocatur à Deo in illa vt sanetur. 353.2
Vt ei tribuat lucem copiosiorem rerum omnium. 236.1
Vt diuinis animam induat vestimentis, naturalibus spoliat. 237.1
Nouus modus cognoscendi illa peracta. 238.2
Gaudere debet anima propter hãc spoliationem, vt seipsam à se liberet. 252.2
Quo obscurius graditur in illa in suis naturalibus operationibus, eo tutius procedit. 251.2
Quo Deo proximior est, eo longius ab illo distare seputat.
Quo pacto animam in Deum transformare, 240.2
Inducit stimulos amoris inflammati. 143.1
Vide amor inflammatus.

Purgatio Memoriæ.

Qua ratione debeat fieri actiue à notitijs distinctis, vt ad vnionem perueniatur. 124.1
Hanc purgationem potissimè efficit gratia, cooperante anima, ibid.
Modus iam procurandi. ibid.2
Non est spolianda notitijs Christi Domini nostri. ib.1
Nocumenta ex incuria huius purgationis. 125.1
Quas notitias admittat hæc purgatio. ib.2
Seipso Deus occupare memoriam expurgatam. 126.1
Damna quæ inferuntur à dæmone per memoriam admittentem notitias distinctas. 127.1
Bona quibus priuatur anima illas amplectens. 120.1
Huius purgationis commoda. ib.2
Ad vnionem, expurganda est memoria, à notitijs distinctis supernaturalibus. 129.2
Pericula imminentia, si non expurgetur memoria à formis distinctis supernaturalibus. 130.2
Qua ratione se gerat in illis. 131.1.137.2

Purgatio Passiua Memoriæ.

Obliuiones quas inducit rerum, quæ non sunt obligationis. 235.1
Vnde proueniunt. ibid.2

Purgatio actiua voluntatis.

Debet esse à cunctis affectibus, 141.1
Ab his vitia omnia nascuntur. ib.
Damna eorum dum non expurgantur. 141.2
Vtilitas ex horum purgatione. 154.1
In hac purgatione melius fruitur ijsdem bonis. 149.1
Est principium omnium donorum Dei. 150.1
Debet esse purgatio inanis gaudijs bonorum naturalium. 150.2
Detrimenta quæ sequuntur dum hoc inanis gaudio non expurgatur voluntas. 151.2
Eiusdem purgationis fructus. 154.1
Debet esse etiam purgatio gaudiorum procedentium à sensibus. 156.2
Nocumenta talis gaudij non purgati. 157.2
Fructus purgationis eiusdem. 158.2
Purgatio gaudij bonorum moralium. 161.1
Nocumenta talis gaudij non expurgati. 161.1
Fructus purgationis eiusdem. 165.2
Purgatio inanis gaudij bonorum supernaturalium. 166.2
Damna talis gaudij non purgati. 168.1
Vtilitates ex illius purgatione. 170
Debet esse purgatio consolationum spiritualium, 172.1
Tum etiam eorum omnium quibus intellectus, & memoria expurgantur. ib.2
Debet esse purgatio affectus erga media etiam spiritualia, ad vnionis seipsum [illegible]
dirigit. 173.1

Qua ratione fieri debeat hæc purgatio voluntatis circa imagines. 177
Qua ratione fieri debeat in petendis quæ nostrum priuatum commodum concernunt. 185.1
Quomodo in doctrina concionatores & auditores illi exerceant. 187.1

Purgatio Passiua voluntatis.

Quas afflictiones, & angustias pariat. 230.1
Commiseratione digna est anima in ea constituta. ib.
Rigida est, iuxta gradum vnionis ad quem erigenda est anima. 233.1
Acerbissima sanè pœna est anima non posse in illa affectum ad Deum leuare. 255.1
Nullum in hac afflictione reperitur solatium, etiam in magistro spirituali. 233.1
Neque in amore quo ad Deum fertur, imo hic eam amplius affligit. 234.2
Hæc purgatio spoliat animam cunctis affectibus, vt eam amplius amore vero loco locupletet. 237.1
Vnicus saltim affectus sufficit, vt Dei sapientiam impediat in anima. ibid.
Priuat animam gustu diuinarum rerum, vt tribuat altiorem. 252.1
Qua de causa cum diuinus influxus tam sit suauis, facit tamen effectus adeo molestos. 240.1.
Irradiat Deus nonnunquam animam in hoc statu modo illuminatiuo & suaui. 233.2

Quies.

Deus constituit animam in illa, & qui eam inde euocat graue nocumentum irrogat. 57.1
Salubre consilium his qui in hac vita se tempus inutiliter perdere putant. ib.2
Vide. Magister, Dæmon, Contemplatio.

Ratio.

In contemplatione clausis oculis rationis oportet nos ad Deum tendere. 253.2

Raptus.

Quid corpus patiatur in illo. 371.2
In raptu corpus non sentit, & deficit in operationibus suis. 372.1
Remanet in illo corpus gelidum membrisque contractis tamquam mortuum. 380 2
Etiamsi corpus dolores sentiat, tamen anima illos desiderat. 372.1

Regnum Dei.

Ad regnum quod intra nos est per multos labores est intrandum. 292.2

Reuelatio.

Reuelationes seu visiones intellectuales quomodo differant ab imaginarijs. 98.1
Declarantur intellectuales. 97.1
Versantur tam erga creatorem quam erga creaturas. 102.1
Excellentia earum quæ pertinent ad creatorem. ibid.
Has imitari nequit dæmon, nec illarum effectus. 103.1
Non obstant vnioni. 104.1
Circa creaturas quæ sint. ib.2
Circumspectio in ipsis. 105.1
Illusiones dæmonis circa eas. ibid.
Debet anima has reuelationes respuere. 106.2
Reuelationes per verba, figuras, & similitudines, & illusiones dæmonis circa illas. 108.1
Loquutiones internæ supernaturales quot modis fiant. 109.2
Libertas vana personarum spiritualium in credendo, & dicendo Deum sibi fuisse locutum, & illarum deceptio. 111.1
Locutiones successiuæ, & illusiones quæ in eis latere possunt. 110.1
Has æstimare loquutiones, impedit vnionem. 112.1
Qua ratione proficiat anima ex his loquutionibus successiuis. ibid.1
Qui intellectu sunt perspicaci ex seipsis loquuntur arbitrantes decem sibi loqui: remedia. ibid.2

B. Joann. à Cruc
Opera mystic.
XVII
124

Facillimo negotio decipiuntur à dæmone huiusmodi rebus addicti. 113.1
Signa ad cognoscendum quando proueniant bono spiritu. ibid.
Quisquis illusionem deuitare cupit, omnes repudiet, & fidem amplectatur. 113.2
Verba formalia supernaturaliter facta animæ 114.1
Debent sicut & successiua non admitti, nec absque sano consilio quidquam executioni mandare. 115.2
Damna imminentia ex illorum executione. ibidem.
Interdum tametsi Deus loquatur animæ, renitentiam, & difficultatem ab ea non aufert, idque pro maiori humiliatione, & doctrina, maxime vero in rebus ad dignitates, & honores spectantibus, secus autem facit dæmon. 115.1
Verba substantialia, effectus, ac vtilitates illorum. 116.2
Qua ratione prosint illorum effectus. ibid. & seq.
Reuelationes mysteriorum præterquam illorum, quæ sancta Ecclesia tenete, floccifiant. 108.2
Deceptio si secus fiat. ibid.
In veteri lege licitum erat petere, & expectare reuelationes, in noua vero non, vt quæ sit ratio. 90.2
Regulariter non reuelat Deus ea quæ humano modo sciri possunt. 94.2
Quantumuis familiariter Deus cum aliquo conuersetur, non reuelat illi defectus suos quos via ordinaria cognoscere potest. 95.1
Dei reuelatio inclinat ad manifestandum Patri spirituali. 93.2
Quauis res supernaturalis est illi communicanda. 95.2
Vide, Visio.

Sapientes.

Sapientes apud semetipsos inepti sunt ad vnionem cum sapientia diuina. 34.1
Sapientia mystica semper est amori coniuncta. 245.1
Vocatur secreta, & recondita quia abscondit animam intra semetipsam. 251.2

Scala.

Scala secreta, & abscondita ad cœlum, est contemplatio. 255.1. & 258.1
Ad Dei thesauros ascenditur per secretam contemplationem. 258.1
Contemplatio est scala per quam anima ad sui cognitionem descendit. ibid.

Scriptura diuina.

Fundamentum, & basis doctrina horum operum. in prolog.

Sensus.

Quidquid per sensus naturaliter, & supernaturaliter percipitur exuendum est ad vnionem cum Deo. 34.2
Qui sensui corporeo innititur non erit vnquam valde spiritualis & contemplatiuus. 290.2.
Vide Appetitus Purgatio sensus.

Spiritus Sanctus.

Appellatur Auster, & quare. 410.1
Vide, Deus, Flammæ, Lampas, Vnio.

Sponsus.

Pascitur in anima perfecta tanquam in florescenti vinea. 411.1
Anima reperit eum in abrenuntiatione omnium rerum. 344.1
Vnico sponsa sua oculo (qui est fides) plagiatur. 403.2

Solitudo.

Conducit ad deuotionem. 180.2
Solitudo profunda in contemplatione. 257.1
Vide Purgatio.
Vniuersa res creata inducunt solitudinem animæ Deum concupiscenti. 428.1
Tunc anima est minus sola, cum à creaturis est sola. 427.1
In statu vnionis degit anima in solitudine cum Deo suo. ibid.

Superbia.

Eius imperfectiones in incipientibus. 196.1
Pullulat cum anima recipit res supernaturales distinctas. 130.131
Remedia. 132.1

Tactus diuini.

Tactus, & cauterium amoris idem est. 287.2
Non obtinentur nisi purificata prius anima per multas tribulationes. 246.1
Tactus intellectus, & voluntatis. 117.2
Tactus substantiales, vel quasi substantiales diuinæ vnionis. 170.2.270.1
Solus spiritus ritè expurgatus ad illos peruenit. 269.2. *& seq.*
Quomodo intelligendum sit Deum animæ substantiam contingere. 281.2
Tactus diuini in statu transformationis. 289.1
Cum intime penetrant, in corpus etiam redundant. 290.1
Sunt veluti Dei vmbræ proprius consistentis. 301.2
Vmbræ istæ imprimunt animæ similitudines diuinarum perfectionum earumque saporem. ibid.
Illarum communicationes sunt damoni occultæ. 270.1
Tactus amoris sunt plagæ quæ feriunt & inflammant animam dulciter, fugiuntque in statu vnionis. 270.2. *& seq.*
Licet vehementes sint, sunt tamen suauissimi. 291.1
Redolent vitam æternam. 292.1
In vnico tactu cognoscit anima perfectiones & attributa in vnico ac simplicissimo esse Dei idque distinctè, quatenus cum fide non repugnat. ibid.2
Pauci ad hunc statum pertingunt, quia non sustinent perseueranter vsque ad finem. 293.1
In statu vnionis satisfacit Deus & demulcet substantiam animæ. 376.

Timores.

Timores molesti in purgatione passiuæ sensus. 211.2
Sunt Deo gratissimi. 214.2
Plusquam consolationes. 216.1
Non debet in illa natura inutili diligentia fatigari. 211.2
Vide Purgatio.

Verbum diuinum.

Ex vnione illius ad nostram naturam, aduenit pulchritudo rebus creatis. 354.2
Pater, æterna sapientia sua per ipsum, creauit vniuersa. 354.1

Veritas.

Difficillime in hac vita cognoscitur. 254.1
Veritas per fidem infusa est in anima quasi adumbrata. 369.1

Virtus.

Virtutibus Theologicis actiuæ purgantur potentiæ animæ ad vnionem cum Deo. 39.1
Perfecta virtus sita est in totali munditia animæ à quouis appetitu. 9.1
Hanc vt habeamus non sufficit si Deus nos amet, nisi etiam nos vicissim ipsum amemus. 402.1
Gratia Dei est flos virtutum. 401.2
Virtutibus tanquam serto exornatur anima. 400.2
Virtutes iuuenili ætate acquisitæ Deo gratiores, & quare. 400.2
Tempore ariditatis exercitæ sunt maximi valoris. ibid.
Sunt in anima Dei amore tinctæ. 385.1
Sunt clypeus quibus protegitur animæ. ibidem.2
Virtus producit in anima pacem, mansuetudinem, & fortitudinem. ibidem.
Vnaquæque virtus in suo esse perfecto, est antrum Leonum in quo sponsus moratur. 384.1

Visio.

Doctrina pro supernaturalibus externis. 50.2

Periculum illusionis, in eo qui ad illas afficitur.
Placet dæmoni, vt placeant nobis. 51.2
Quo magis externa sunt eo minus fructuosæ. 51.1.
Multum interest illas non magnifacere. ibid.2
Ad maiorem animæ deuotionem Deus *illas largitur.* 71.1
Imaginariæ frequentius contingunt contemplatiuis quam corporeæ. 67.2
Potest dæmon bonas simulare. 68.1
Idem etiam conatur in intellectualibus. 268.2
Munimen contra hoc nocumentum. ibid.
Communicationes Dei in anima per sua dona, sunt dæmoni pœnitus occultæ. 269.2
Debet ab vniuersis imaginarijs denudari, vt tendat ad vnionem. 68.1
Cur potius Deus *communicat contemplatiuis, visiones imaginarias, quam intellectuales, cum hæ sint tutiores, & perfectiores.* 71.2
Magistri spirituales qui facile visionibus credunt plurimum nocent. 75.2
Quæ ratione anima eas abnegare debeat & fidei libertatem sectari. 81.2
Maximum periculum est velle scire res per viam supernaturalem. 86.2
Displicet Deo, *si gratanter recipiantur.* 89.1
Imaginariæ etiam cum veræ sunt implicant eum qui nescit sese ab illis expedire. 68.1
Intellectuales circa creaturas quæ ratione contingant. 99.2
Etiam ab his anima debet denudari. 100.1
Vide Reuelatio.
Expetit anima claram sui sponsi visionem. 343.1
Dei visio vocatur cœna recreans, satians, & inducens amorem. 383.1
Quanto plura anima de Deo *cognoscit, tanto ardentius appetit illius visionem.* 355
Vt sanetur à plagis amoris requirit anima claram visionem. 361
Molestias appellat anima, anxietates, & stimulos videndi Deum. 363.1
Nemo illas mitigare sufficit nisi dilecti possessio. ibidem.
Quamdiu amatum suum non videt in tenebris continuis versatur. 365.2
Per claram visionem cessat fides. 369.2
Anima in hac vita non est capax claræ & permanentis visionis Dei. 371.1

Voluntas.

Vide verbum, Purgatio voluntatis.

Vox.

Vox sponsi est admodum animæ sonora. 377.2
Est silens musica potentijs naturalibus, sed sonora valde spiritualibus. 382.1

Vnio.

Quænam sit causa cur multa anima non perueniant ad vnionem cum Deo? Prolog.
Non patitur secum creaturarum affectum. 4.2
Imperfectiones habituales, etiam minimæ illam impediunt. 20.1
Quidquid sensibus tum naturalibus, tum etiam supernaturalibus percipi potest debet denudari ad vnionem. 50.2
De qua vnione agatur in his operibus. 56.1
Est similibus vnioni solis cū nitida crystallo. 37.2
Quomodo debeat anima ad illam expurgari, ab hisce actibus, & habitibus imperfectis. 36.2
Quanto maior erit animæ puritas, tanto copiosior erit illustratio, & vnio. 38.1
Nullum medium melius intellectum potest vnire, sicuti fides. 48.1
Quo magis anima in oratione recedit à rebus quæ cognoscit eò magis Deo *appropinquat.* 61.1.
Nulla similitudine, aut figura mediante fieri potest hæc vnio. 68.2
Quare tam pauci ad hunc statum perueniunt. 293.1.
Ad vnionem requiritur recessus potentiarum, tam naturalium, quam spiritualium. 408.2
Non sunt verè Deo *vniti qui ad dicta hominum respiciunt.* 398.2
Quando vnio perfecta est viuit amans in amato, & è contra. 395.1.370.1
Post hanc vnionem, amans & amatus vnum sunt. ibid.

In hac vnione prælibat anima abundantiam bonorum, & inæstimabiles diuitias. 375.2
Vt anima obstringat Deum, vt sibi vniatur, illi proponit dispositiones quas habet. 439
Damonis bellum, vt vnionem impediat. ibid.1
Desiderat anima labores, tamquam dispositiones ad vnionem cum Deo. 430.1

Vnionis status.

Sentit anima in hoc statu maximam distinctionem partis inferioris, & superioris. 270.2
Est similitudo quædam status quo fruebatur Adam ante peccatum. 271.1
Pax inæstimabilis status vnionis habitualis, & quo pacto in eo anima sit Deo vnita. ibid.
Similitudo seu comparatio huius status. 281.1
Discrimen vnionis, & transformationis. 281.2
Maior dispositio requiritur ad transformationem. 282.2
Effectus huius Vnionis in anima 281.2
Conformitas cum diuina voluntate in hoc statu. 283.2.
Eius fœlicitas. 184.2
In hoc statu diuinitas translucet. 285.1
Desideria intensa animæ vitam cito finiendi. 284. & seq.
Deus animam in hoc statu in dies Deificat. 286.1
Effluge conuiuium pacis & consolationis. 297.1
In illo participat anima plurima Dei attributa, vnico actu simplici, & vniuersali. 298.
Est bonorum omnium aggregatio. 299.1
Similitudo eam declarans. 300.2
In hoc statu sunt potentiæ valdè immersæ in Deo. 320.2.
Reciprocus amor inter Deum & animam. ibid.
Vnio intellectus, & voluntatis in hoc statu quãdam fruitionem efficiunt. 321.2
Animæ actiones in hoc statu sunt perfectissimæ, & ordinatissimæ. 322.1
Ne anima in hoc statu deficiat confortatur à Deo. 326.2
Discrimen modi sentiendi animæ Deum intra se regulariter in hoc statu, & tempore harum excitationum. 327.2
Celsitudo amorosæ respirationis Spiritus S. in anima transformata in se. 328.1
In centro animæ fiunt excitationes. 325.2
Tota Dei solicitudo impensa videtur, vt hãc animam delitijs demulceat. 297.2
In obitu istorum amor est instar fluminum intrantium mare latum & tranquillum. 284.2
Plurimum hoc tempore Deus confidit animæ 284.2.
Impetuosus affectus cernendi Deum. 235.2
Nullares creata in hoc statu valet animam perturbare. 384.1

Zelus.

Zelus spiritualis indiscretus mansuetudini spirituali oppositus. 202.2

Zelotypia.

Zelotypia Magistrorum spiritualium ne animæ cum alijs spiritum suum conferant, Deo displicet. 315.1.

FINIS.

B.
Joann
à Cruc

Opera
mystic.
TVI
.12.

Errata in hisce Operibus Benevolus Lector sic corrigat.

Pagina 6. columna 1. linea 5. animæ, lege anima. p. 13. c. 2. l. 5. emitte, l. emite. p. 17. c. 1. l. 9. dictz l. dicti, p. 23. c. 2. l. 20. voluntarius, l. voluntarij, versatur, l. versantur. p. 31. c. 2. l. 19. debebemus l. debemus. p. 34. c. 1. l. 21. eligando l. eligendo, p. 54. c. 1. l. 19 illorum l. illarum, p. 55. c. 2. lin. 18. valer l. vellet, p. 41. c. 2. l. 10. intreut l. intret, p. 51. c. 2. l. 36. causu l. casu, p. 53. c. 2. l. 30. bucellis l. buccellis, p. 66. c. 1. l. 2 prospectum & l. ei, p. 66. c. 1. l. 15. eo quod l. eo quo, p. 66. c. 1. l. 26. distat l. discat, p. 70. c. 2. l. 19. falsi l. à falsis, p. 71 c. 1. l. 29. hæc l. hoc, p. 84. c. 1. l. 28. sapientiał sequentia, p 87. c. 2. lin. 30. præcibus l. precibus, p. 91. c. 1. l. 11. se gerebat l. se gerebant, p. 91. c. 2. l. 8. sensuus l. sensus, p. 91 c. 2. l. 31. per verbum meum, (adde) id est per filium meum, p. 101. c. 1. l. 6. huisteemodi l. huiusmodi, p. 101. c. 1. l. 38. siut l. sunt, p. 107 c. 1. l. 9. adferrent l. adferent, p. 110. c 2. l. 37. inellectus l. intellectus, p. 114. c. 2. l. 34. efficatiorem l. efficaciorem, p. 115. c. 1. l. 10. præcepesset l. præcepisset, p 117. c. 1. l. 31. maleus, l. malleus, p. 117. c. 2. l. 7. impediat l. impediant, p. 118. c. 1. l. 36. intellectum, l. in intellectu, p. 119. c. 1 l. vlt. mememoria l. memoria. à numero paginæ 121. id est, Q. R. S. T. deleatur titulus Viua Amoris Flamma, & ponatur Ascensus Montis Carmeli vsque ad numerum 151. p. 121. c. 1. 33 peculiari quodammodo l. pecuſiari quodam modo, p. 136. c. 2. l. 22. in huiusmodi in apprehensionibus l. in huiusmodi apprehensionibus, p. 140. c. 1. l 29. debita impendatur, l. debita non impendatur, p. 151. c. 1. l. 16. aliquod l. aliquem, p. 154. c. 1. l. 17. consistat l. cõstituat, p. 155. c. 2. l. 4 disputatur l disputatur, p. 159. c. 1. l 26. exercium l exercitium, pag. 159. col. 2. lin. 8. percipit l. non percipit, pag. 161. col. 2. li. 30. tempraliter lege temporaliter, pagina 163. col. 1. linea 3. afferri l. efferri, pag. 168. col 1. lin. 31. conquerabatur, l. conquerebatur, pag 172. col. 2. lin. 32. genere l. genere, pag. 171. col. 1. lin. 18. dmodum l. admodum, p. 176. c. 2. l. 17. accuunt l. acuunt, p. 177. c. 1. l. 12. producere l. producere, p. 177. c. 1. l. 22. pereas l. per eas, p. 181. c. 2. l. 2. & veritati l. & veritate, p. 182. c. 2. l. 33. eri l. erit ead: c. l. 35. quære l. quærere, p. 184. c. 2. l. 27. intollerabile l. intolerabile, p. 185. c. 1. l. 9. ceremonijs l. cæremonijs, p. 187. c. 1 l. 2. repræhendit l. reprehendit, p. 187. c. 1. l. 4. præfixisent l. præfixissent, p. 189. c. 1. l. 16. mediocriter l. non mediocriter, p. 220. c. 1. l. 10. citius pereficiat l. citius perficiat, p. 225. c 2. l. 7. à fine, scint l. siue, p. 231. c. 2. l. 24. istam consumtionem l. istam consumptionẽ, p 233. c. 1. l. 25. diggna est l. digua est, p. 233. l. 7. Cant. 11. l. 4. cedat l. cadat, p. 261. c. 1. l. 5 græstare l. præstare, p. 280. c. 1. l. 33. ascensum l. assensum, p. 293 c. 1. l. 41. hob l. hoc, p. 298. c. 2. l. 22. vnuscuiusque l. vniuscuiusque, p. 313. c. 2. l 32. vnusque l. vnusquisque, p. 320. c. 1. l. 7. liberal. liber p. 310 c. 2. l. 10. succouum l. succorum, pag. 324. c. 1. l. 29. humorem l. humorum, p. 332 l. 1. teuchur l. eructant, p. 337. c. 2. Cant. 15. v. 5. l. Musica quæ silens tacet, p. 348. c. 1. l. 6. dele non, p. 350. c. 2. l. 4. à fine dele inaccusat, p. 352. c. 2. l. 10 prisos l. pisces, p. 360. l. 2. dele non, p. 371. c. 1. l. 27 qua loqua, p. 374. c. 1. l. 7 suacium l. saucium, p. 375. titu: Explanatio l. adnotatio, p. 375. l. 13. sequutus l. sequetur, p. 377. c. 2. l. 16. audite l. audire, p. 381. c. 2. l. 29. flentem l flantem, pag. 385. col. 1. l. 7 nemorosorum l. nemorosarum, p. 389. c. 2. lin. 21. istirum. istorum, pag. 396. col. 2. lin. 25. officio l officia, pag. 397. col. 1. lin. 7. exercitum l. exercitium, pag. 402. col. 2. lin. 10. fuit l. facit, pag. 425. colin. 1. l. 4. ream l. arcam, pag. 433. in Declar. l. 8. illi l. ille, pag. 447. c. 1. l. 4. sicut l. sicut, p. 448. c. 7. l. 10. pondere dummodo grauaretur l. põdere grauaretur, dummodo &c. p. 449. c. 2. l. 39. solus l. solius, p. 451. c. 2. l. 19. nutrite l. nutrix è, p. 454. c. 1. l. 31. termitur l. terminatur, p. 451. c. 1. l. 3. lampedem i. lampadem, p. 454. c. 1. l. 25. & l. vt, col. 2. l. 2. qui mouetur l. non mouetur, p. 455. c. 2. l. 13. à fine dele interna, p. 456. c. 2. l. 4. quamquam l. quamque, p. 459. c. 1. l. 13. cibi l. tibi.

In Compendio vitæ §. 11. lin. 10. adde non.

NB. In Explanat. Cantus XVI. fol. 385. Col. 1. lineam vlt. obscurè impressam, lege: Dei, tanquam in subiecto innixæ, optimè.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

B.
Joann.
a Cruc

Opera
mystica
NVII
124

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PHRASIVM

MYSTICAE

THEOLOGIÆ

V. P. F. IOANNIS A CRVCE

Carmelitarum excalceatorum Parentis primi

ELVCIDATIO

AVTHORE

P. Fr. NICOLAO A IESV MARIA

Sacræ Theologiæ Lectore Salmanticensis Collegij eiusdem Ordinis.

AD ILLVSTR. DD. MELCHIOREM de Moscoso Episcopum Segouiensem.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Sumptibus Hæred: BERNHARDI Gualtheri

Anno M. DC. XXXIX.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

B.
Joann
a Cruc

Opera
mystica

NVII
124

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ILLVSTRISSIMO,

AC REVERENDISSIMO

D. D. MELCHIORI DE

MOSCOSO, ET SANDOVAL EPISCOPO

SEGOVIENSI REGIO CONSILIARIO, AC SERENISSIMI

Ferdinandi Hiſpaniarum Infantis Cardinalis

Cubiculario Maximo,

FRATER NICOLAVS A IESV MARIA

Carmelita Diſcalceatus.

TIBI (Præſul ampliſſime) Theologica hæc Myſtici Doctoris noſtri Ioannis Elucidatio multis nominibus debetur. Primum, quòd Elucidatio: Cui enim ſplendeſcens lux, niſi Soli; Tibi, inquam, genere, ac virtute micanti? Deinde quòd Theologica: cum ſacra imbutus ſapientia Salmanticæ Magiſtri olim lauream illuſtrans obtinueris. At cum Doctoris Myſtici ea ſit explicatio, te diuinorum Myſtem ac expertum decet. Ioannis autem noſtri qualiſcumque hæc defenſio, inſigni Ioannis ipſius veneratori ac laudatori commendanda: præci-

B.
Joann
à Cruc

Opera
Mystica
TOM
124

pue cum ad Segouienſem Pontificem eius, cuius Segouiæ corpus requieſcit, tutela pertineat. Sed hæc, & ſi maxima obſequij huius præſtandi vincula, minora tamen, ſi vni inſtaurati Carmeli titulo comparentur. Diſcalceati, namque Carmelitæ doctrina à Diſcalceato item Carmelita defenditur: renouati Carmeli, res agitur. Hæc vel vnica munus hoc tibi conſecrandi ratio. Quanto enim affectu noſtram proſequaris Religionem, non modo ipſa honoribus ac immenſis penè beneficijs à te obruta, ſed & fama vbique proloquitur. Videas (generoſe ac religioſe Princeps) quot, quantiſque deuinciar ipſe nominibus, vt tibi leuidenſe hoc munuſculum audeam, debeam conſecrare. Ea igitur beneuolentia, qua cuncta noſtra ſoles, illud ſuſcipe; qua te inſtaurati Carmeli Religio ſuſpicit, Patronum ſibi, & conſtituens, & votis omnibus, precibuſque iugiter ad Deum fuſis incolumem precatur. Vale, ô, præſidium, & dulce, & decus noſtrum. Salmanticæ.

APPRO-

Approbatio P. M. Didaci de Campo Auguſtiniani, Qualificatoris Inquiſitionis Generalis, & Examinatoris Generalis in Archiepiſcopatu Toletano.

EX commiſſione D D. Ioannis de Velaſco, & Acebedo in hac Regali Curia Vicarij Generalis perlegi librum, cui titulus Elucidatio circa aliquas Phraſes Theologiæ Myſticæ, editum à P. Fr. Nicolao à Ieſu Maria ſacræ Theologiæ Lectore in Collegio Salmanticenſi Carmelitarum Excalceatorum tanto patri pietate, doctrina & religione emicanti dignum, in hoc Conuentu Diui Philippi Madritenſis, die ſecundo Decembris anni 16,0.

Fr. Didacus de Campo.

Cenſura del P. Fr. Luis Cabrera.

HE viſto por mandado de los ſennores del Conſejo eſte tratado, cuyo titulo es, Elucidatio circa aliquas Phraſes Theologiæ Myſticæ, *Autor el P. Fr. Nicolas de JESVS Maria, Lector de Theologia en el Collegio de Carmelitas Diſcalços de Salamanca. Todo lo que contiene me parece muy conforme a la dotrina Sagrada, y a la enſennança de Santos y Dotores Eſcolaſticos. Serà de grande importãcia para direccion de los que han de calificar dotrinas, y propoſitiones tocãtes a materia de eſpiri-*

B.
Joann
à Cruc.

Opera
Mystica
TOM
124

tu, en que sin duda muchos se suelen adelantar por falta, no solo de esperiencia desta materia, sino de principios, y del conocimiento especulatiuo, que es necessario para dar parecer en ella; el qual se requiere mucho mayor quando falta el pratico, y experimental, pues en este caso la falta del vno se ha de suplir con el otro, para llegar y cono-cer especulatiuamente, adonde con la pratica, y esperiencia no se ha llegado. Para esto pues digo, que serà de grande importancia este tratado, en el qual muy sabia y doctamente se dà dotrina general admirablemente fundada, y declarada para el acierto de calificar proposiciones desta materia, lo qual haze en la primera parte. En la segunda declara algunas proposiciones, que el venerable Padre Fr. Juan de la Cruz dexo escritas en sus obras, por aver reparado en ellas algunos Teologos. Lo qual se haze en este tratado tan exactamente, como en lo antecedẽte, con que tengo por sin duda, que de oy en adelante, no solo no se hallarà en que reparar, sino que todos reconoceràn la verdad profundidad, y delgadeza, con que el dicho venerable Padre Fray Juan de la Cruz tratò las cosas del camino de espiritu. Y por el consuelo que me parece tendràn sus deuotos, que solo entienten Castellano, he querido dar este mi parecer en nuestra lengua bulgar. En este Conuento de san Felipe de Madrid, Março treinta de mil y scisientos y treinta y vn annos.

Fr. Luis Cabrera.

ELVCIDATIO THEOLOGICA.

CIRCA PHRASES, ET PROPOSITIONES Theologiæ Mysticæ in communi, & aliquas etiam in particulari, quæ in spiritualibus libris Venerabilis Parentis nostri IOANNIS A CRVCE, *primi post Beatam Fundatricem* THERESIAM, *reformati Carmeli erectoris reperiuntur.*

PROOEMIVM.

DVO sunt (amice Lector) quæ Elucidationem hanc Theologicam exposcere videntur. Primum est; ipsius Theologiæ mysticæ, de qua in suis spiritualibus libris Venerabilis Parens noster IOANNES A CRVCE, tanquam sublimis Doctor mysticus à Patre luminum eximiè illustratus, sublimiter egit, summa altitudo, difficultas, ac reconditum argumentum; quale ipsum nomen *Mystica* (quod vt aduertit D. Bonau. c. 3. de mystica Theologia, part. 4. idem sonat, quod occulta Theologia) præfefert. Cùm enim in qualibet scientia, vel arte propriæ phrases ac locutiones, quæ non nisi illius scientiæ, vel artis professoribus sunt notæ, quarum proinde intelligentia propria explicatione indiget, reperiantur, potiori sanè iure in hac adeo sublimi, occulta, difficili, ac ignota Theologiæ mysticæ scientia, quæ circa res à communi hominum captu altissimè reconditas, imò & prorsus ineffabiles versatur, similes longeque difficiliores, & abstrusiores phrases, ac locutiones ipsius proprias, quæ explicatione indigeant, reperiri necessum erit. Hanc enim sublimem scientiam magnus ille Theologiæ mysticæ princeps Dionysius cap. 7. de diuinis nominibus describens; sic inquit. *Est diuinissima Dei cognitio, quæ est per ignorantiam cognita secundum vnitionem super mentem, quando mens ab omnibus alijs recedens; postea & se ipsam dimittens, vnita est superfplendentibus radijs inde, & ibi non scrutabili profundo sapientiæ illuminata.*

Ex quo fit, vt sancti Patres, ac Doctores mystici, cum ad res adeò sublimes, & reconditas aliqualiter explicandas locutiones communes valde impares, ac demissas esse cernant, alijs locutionibus sæpè vtantur, in quibus etsi excessus aliquis vel minor proprietas appareat, inest tamen in illamet improprietate mira quædam proprietas, & apti-

B.
Ioann
a Cruc
Opera
mystica
NVI
12

& aptitudo ad denotandum rem altiorem esse, quam verbis exprimi queat, quæ proinde locutiones piè, ac reuerenter susciendæ, ac explicandæ sunt, multumque prædictis Doctoribus in hac parte deferendum, vt in prima huius elucidationis parte latiùs prosequemur.

Cum ergo Venerabilis Parens noster IOANNES A CRVCE tanquam sublimis Theologiæ mysticæ Doctor, de his altissimis, ac reconditis rebus in suis libris sublimiter scripserit, non potuit non prædictis locutionibus, & phrasibus huius recónditæ scientiæ proprijs, atque adeo difficilibus, debitaque vt ab omnibus rectè intelligantur, explicatione indigentibus sæpe vti, ad quarum proinde Theologicam explanationem meritò Elucidationem hanc instituimus.

Accedit secunda ratio ex præcedenti orta: cum enim in his libris prædictæ locutiones propter adductam rationem sæpe occurrant, aliqui eas legentes etsi Scholasticæ Theologię non omnino ignari, in mysticæ tamen studijs, & experientię parum versati illarum legitimum, ac verissimum sensum nequaquam capientes in illis offendere potuerunt, easque veræ Theologiæ parum consonas, imò & omnino falsas, vel etiam aliqua maiori censura dignas existimare, quasi hæreticorum (qui communiter illuminati dicuntur) erroribus fauere possint; cum tamen reuera, vt ex dicendis manifestè constabit, illis omnino sicut lux tenebris aduersentur.

Vt igitur vano horum timori, qui proculdubio *illic trepidauerunt timore vbi non erat timor*, eorumque scrupulis sacra Religio nostra, vt par est, occurreret, ne forte exinde mystici Doctoris nostri doctrina prorsus cœlestis, maximeque vtilis, & necessaria, minimeque censura, sed potius summa veneratione, & admiratione digna detrimentum aliquod, vel iacturam aliquando patiatur, nobis à Maioribus nostris iniunctum fuit, vt singulas locutiones, ac propositiones, in quibus illi (licet immeritò) trepidauerunt, ac offenderunt, percurreremus, legitimumque earum sensum Catholicæ doctrinæ, ac Sacræ Theologiæ consonum aperiremus, quod in hac Elucidatione Deo dante, ipsoque Doctore nostro edocente præstare intendimus, apertissimè (ni fallimur) ostensuri eas omnes locutiones, ac propositiones, prout in libris Venerabilis huius Parentis nostri continentur, non solum ab omni prorsus erroris suspicione immunes esse, sed etiam in Sanctorum Patrum, ac illustrium Doctorum, quos sancta veneratur Ecclesia libris sæpissimè, & expressè, tam quoad rem, quàm quoad loquèdi modum reperiri, sanamque, Catholicam, sublimem, vtilem, imò & animarum saluti, spiritualique profectui necessariam, ac denique Sacræ Theologiæ in omnibus minimè consonam, prorsusque diuinam doctrinam continere, quę proinde absq; vllo timore, sed cum magna securitate, inoffensoque pede percurrenda, addiscenda, veneranda, reuerenter suscipienda, ac opere diligenter exequenda est.

Cæterum, quia ad singularum propositionum debitam explicationem, & intelligentiam aliqua in communi circa easdem priùs adnotanda, & elucidanda occurrunt; ideo totam hanc Theologicam Elucidationem in duas præcipuas partes diuidemus, in quarum prima ea, quæ ad has propositiones in communi pertinent adnotabimus; in secunda verò prædictas propositiones sigillatim percurremus, & elucidabimus. Vtramque autem partem in diuersa capita secabimus.

PRIMA

PRIMA PARS ELVCIDATIONIS

Ea quæ ad propositiones has in communi pertinent complectens.

CAPVT I.

Huius libri doctrinam propter aliquorum scrupulum, districtioremvè censuram non obscurari, sed potius exinde occasionaliter illustrari, & commendari.

1. NE eorum, quorum in procemio iam meminimus, scrupulus, aut districtior cēsura circa propositiones infra referēdas, & explicandas, aliquem erga librum hunc Venerabilis nostri Ioannis legenti scrupulum, aut suspicionem ingerat, debitamque eius doctrinæ fidem, ac venerationem aliquo modo minuat, sed potiùs occasionaliter augeat, illud in primis prænotandum duximus, valde scilicet in Ecclesia antiquum, & consuetum esse, libros Sanctorum Patrum valdeque illustrium Doctorum excellenti doctrina refertos non modicas contradictiones districtioresque censuras, vel per inuidiam à malis, vel etiam ex nimio zeli feruore à pijs viris (Deo sic ad maiorem veritatis illustrationem permittente, diabolo verò ob eiusdem veritatis odium id procurante) per aliquod tempus pati, quæ tamen temporanea contradictio non obscuritatem, nec suspicionem, nec venerationis defectum, sed veritate perspecta perpetuum eis splendorem celebritatemque contulit, maioremque conciliauit auctoritatem: quod in his quoque mystici Doctoris nostri libris sublimi, & præclara doctrina vndequaque refertis euenturum merito speramus. In huius ergo veritatis confirmationem aliqua ex certis historijs exempla adducemus.

Et in primis, vt à præcipuis Ecclesiæ Doctoribus incipiamus, statim se se menti of- 2.
fert celebre illud opus maximi Doctoris D. Hieronymi, quod ad vniuersæ Ecclesiæ summam vtilitatem elaborauit, dum sacras Scripturas veteris Testamenti ex Hebraico fonte in Latinam linguam transtulit, aduersus quam translationem multi viri graues tunc acriter insurrexerunt, eam grauiter reprehendentes, pluraq. contra eam obijcientes, vt ex præfationibus eiusdem D. Hieronymi, quas præfixit sacris libris,

B.
Joann.
a Cruc.

Opera
mystica
TOM. II.
1622

quos ex Hebræo transtulit, quæque in Latinis Biblijs correctis, & auctoritate Clementis VIII. editis post libros sacros simul circunferuntur, in quibus de huiusmodi obtrectatoribus valde conqueritur, & se ab eorum telis defendit, manifestè constat: specialiterque Paladius Galata (referente eodem D. Hieronymo in prologo librorum contra Peliagian.) & Rufin. lib. 2. aduersus Hieronymum, prædictam translationem reprehensione dignam reijciendamq; esse existimauerunt, & (quod magis est) D. August. eam non fuisse Ecclesiæ, necessariam, neq; vtilem iudicauit, vt ex epist. 10. quæ est August. ad Hieron. & 11. quæ est Hieronymi ad Augustinum, quæ in tom. 2. operum D. Augustini habentur apertè constat. Cæterùm hac tam graui cõtradictione, districtioriq; plurium censura non obstante, tantum auctoritatis pondus, cõmenemque venerationem prædicta translatio obtinuit, vt Damasus Papa (sicuti refert Platina in eius vita) eam in communẽ Ecclesiæ vsum introduxerit, Ecclesiæ etiã generali applausu (vt affirmant D. Isidorus lib. 1. de diuinis Officijs cap. 12. & Raban. lib. 2. de Institutione Clericorum c. 54.) eam vt veriorem, & clariorem statim admiserint, insuper subsequentes Ecclesiæ Patres, vt D. Gregor. lib. 2. moral. c. 24. Isidorus lib. 6. ethymol. c. 5. & alij, imò & ipsemet D. August. lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 43. eandem valde commendauerint, ac tandem vniuersalis Ecclesia in Conc. Triden. sess. 4. diuinam vulgatam Latinam editionem pro authentica, & canonica habendam esse decreuit, hanc eandem summam auctoritatem prædicti D. Hieronymi translationi, quam continet maior pars librorum veteris testamenti eiusdem vulgatæ editionis contulit. Ecce ergo qualiter illa plurium offensione, grauique censura non obstante, non obscurata, sed insigniter illustrata prædicta translatio remansit.

3. Sed iam ad celeberrimum Ecclesiæ Doctorem, & lumen D. Augustinum transeamus, cuius insignes libri circa prædestinationẽ, & gratiam. Plurium animos non solũ de communi vulgo, sed etiam presbyterorum, ac Episcoporum, qui & pietate, & eruditione celebres erant, ita offenderunt, vt multum ex eorum doctrina turbaretur, eamque valde suspectam haberent, vt in epistolis D. Hilarij, & Prosperi ad eundem Augustinum, quæ in tom. 7. operum ipsius ante librum de Prædestinatione Sanctorum circumferuntur, cernere licet, satisque indicat idem D. Prosperus in præfatione responsionum ad capita Gallorum, vbi hæc habet verba, *Doctrinam quam sanctæ memoriæ Augustinus Episcopus contra Pelagianos inimicos gratiæ Christi, & liberi arbitrij decompsuit, per multos annos apostolicè asseruit literisq; mandauit, quibusdam visum est, aut non intelligẽs, aut intelligi eam nolendo reprehendere, & hoc quasi compendium cognitionis, his qui indoctorum ducebantur asserre, vt quæ in libris prædicti viri damnabilia reperisse iactabant, breuium capitulorum indiculo publicarent, talique commento, & detestationem eius, quem impeterent obtinerent, & ab his, quæ infamassent, curam exterriti lectoris auerterent.* Hæc Prosperus de Augustinianæ doctrinæ contradictoribus, quæ proposito nostro non parum adaptantur.

Sed nunquid propter hanc tantorum virorum contradictionem Augustiniana doctrina suspecta, aut minus venerata remãsit? imò potiùs occasione exinde desumpta magis illustrata fuit, maiusq; auctoritatis põdus, ac venerationis incrementũ suscepit: siquidem non solum prædicti Sancti Patres Hilarius, & Prosperus pro eius defensione fœliciter propugnarunt, sed etiam plures Summi Põtifices, vt Celestinus

in

in epistola ad quosdam Galliarum Episcopos c.2. Sanctus Leo I. epistola ad Nicetam Aquileiensem Episcopum, Gelasius in epist. 5. ad vniuersos Episcopos per Picenum, ac in decreto, cum septuaginta Episcopis habito de apocriphis scripturis, & Ioann. 2. in epistola ad quosdam nobiles Senatores Romanos, ac denique Concil. Arausic. 2. iussu citati Leonis Pontificis celebratum prædictam D. Augustini doctrinam non solum approbauere, eius obtractatores grauiter coarguentes, sed etiam summis laudibus commendarunt, adeò, vt iam Augustini in hac parte doctrina non tanquam vnius particularis Doctoris opinio, sed tanquam Ecclesiæ Catholicæ communis sententia habeatur.

Similem, imò & maiorem insectationem scripta magni Gregorij Pontificis maximi passa fuere. Etenim, vt referunt S. Antoninus 2. parte historiæ, cap. 3. titulo 12. §. 30. & Ioannes Diaconus libr. 4. suæ vitæ plures post Sancti Pontific. mortem ad comburendos libros ipsius cœperunt in Romana Ciuitate pariter anhelare, cumque aliquos iam combussissent, reliquos omnes proculdubio exurerent, nisi Petrus Diaconus Gregorij familiarissimus vehementer obstitisset clamans se super ipsius caput, dum scriberet, Spiritum Sanctum in similitudine columbæ frequentissimè perspexisse. Vnde ex illa tam acri persecutione non solum obscurati, aut in minori veneratione habiti prædicti libri remanserunt, sed potius æternum adquisiuere splendorẽ, ac tanquam in gens thesaurũ summo honore, ac reuerentia in Ecclesia custoditi sunt. 4.

Quid etiam de Angelici Doctoris D. Thomæ libris dicemus? Etenim (vt refert Magist. Fr. Ferdinandus del Castillo Centuria. 1. historiæ ordinis Prædicatorum lib. 3. cap. 31.) statim post S. Doctoris obitum in ipsamet vniuersitate Parisiensi, vbi ille floruerat, quam plurimi Theologi insurrexerunt auctoritatique doctrinę illius inuidentes multas eius propositiones erroris nota damnauerunt, quæ persecutio eo vsq; progressa fuit, vt Parisiensis Episcopus sententiam excommunicationis contra defensores prædictarum propositionum D. Thomæ protulerit.

Sed quid inde sequutum fuit? sane post modicum tempus fracti sunt fluctus isti, doctrinaque D. Thomæ, occasione ex inde desumpta, non solum ab omni calumnia libera, sed summopere illustrata remansit. Nam anno Domini 1325. Stephanus Parisiensis Episcopus, simul cum omnibus Doctoribus Theologiæ Ecclesię, & Vniuersitatis, qui numero erant 72. habita longa consultatione de prędictis propositionibus, & magno studio examinatis, easdem quas alij, tanquam erroneas ante damnauerãt, non solum catholicas esse iudicauerunt, sed vniuersam S. Doctoris doctrinam summis laudibus celebrarunt & (quod caput est) plures Summi Pontifices videlicet Innocentius VI. in quodam sermone de laudibus S. Thomæ, qui incipit: *Et ecce plus quã Salomon hic*, Ioannes XXII. qui Beatum Thomam Catalogo Sanctorum adscripsit. Clemens VI. in quadam Bulla, edita die quinta Februarij, Pontificatus sui anno secundo, Vrbanus VI. in Bulla ad Archiepiscopum, & Doctores Vniuersitatis Tolosanæ, Pius V. qui Doctorem Ecclesiæ quintum S. Thomam designauit in quadam Bulla edita Romæ die 11. Aprilis, anno 1576. ac tandem Clemens VIII. in Bulla speciali, qua Ciuitati Neapolitanæ sanctum Thomam in patronum, & protectorem concessit vniuersam Angelici Præceptoris doctrinam, non solum tanquam catholicam, & ab omni erroris labe immunem approbant, omnesque eius impugnatores 5.

B.
Joanni
a Cruce
Opera
mystica
NVI
124

tanquam de veritate ſuſpectos damnant, ſed etiam adeò laudibus eam extollunt, & celebrant, omnibuſque ſuſcipiendam ac venerandam proponunt, & commendant, vt ad vniuerſalem Eccleſiam illuminandam, eam à Deo datam fuiſſe, ſingulosque ipſius articulos totidem eſſe miracula affirment.

6. Iam verò (vt ad rem noſtrã proximius accedamus) ſi inſigniores libros, qui de vitæ internæ, & contemplatiuæ ſtudijs, de mentis vnione cum Deo, alijſque huiuſmodi minimè vulgaribus, & raris exercitijs myſticis ſublimiter agunt, mente recolamus, inueniemus ſanè eorum plures plurium quoque etiam piorum contradictiones, diſtrictioreſque cenſuras ad tempus paſſos fuiſſe: ex quo tamen libri illi eorum veritate, doctrinæque ſublimitate attentè perpenſa, & perſpecta non obſcuritatem aliquam, aut ſiniſtram ſuſpicionem, ſed maiorem ſplendorem, auctoritatemque apud omnes obtinuere: Quod in ſpiritualibus operibus celeberrimi illius contemplatoris Doctoris Ioannis Ruſbrochij, quæ ab omnibus in ſummo honore, & veneratione habentur, cernere licet.

Nam (vt in epiſtola nuncupatoria, quæ in principio operum ipſius apponitur, & in præfatione Laurentij Surij, quæ ibidem habetur, refertur) aliqua eius opera, ſpecialiter vero librum de Nuptijs ſpiritualibus, tanquam de errore ſuſpectum aliqui reijciendum putarunt, eo quod ea tempeſtate, qua ipſe floruit, erant impudentiſſimi, ac amentiſſimi quidam hæretici, qui Liberorum ſpirituum nomine tunc vocabantur, quorum opiniones quædam cum huius ſanctiſſimi viri, imò & cum quibuſdam ipſius Chriſti ſententijs nonnihil conſentire videbantur, quod prorſus idem in caſu, de quo loquimur, propter hæreticos, qui Illuminati dicuntur, contigit. Inter reprehenſores autem doctrinæ prædicti Ruſbrochij primum tenuit locum præclarus ille Theologus Doctor Ioannes Gerſon, de quo Surius loco citato ſic loquitur: *Salua Gerſonis reuerentia, quem & nos ita, vt decet, ob eius integritatem ex animo veneramur, tametſi peritus, & probè exercitatus fuit Theologus ſcholaſticus, ſed in myſticæ Theologiæ cognitione, ac experientia prorſus nihil habet ad Rusbrochium; quem licet doleamus ab eo nonnihil reprehenſum, tamen quia ignorans in virum ſanctum incurrit, nolumus acerbius in illum inuehi, certo videlicet, quod ſi Rusbrochij noſtri vitam perſpectam habuiſſet, ſummis eum laudibus celebraſſet.* Hæc Surius de Gerſone reprehendente doctrinam Ruſbrochij; hæc nos etiam de reprehenſoribus (ſi aliqui eſſent) doctrinæ myſtici Doctoris noſtri IOANNIS non immerito dicere poſſumus.

7. Simile quid in ſpiritualibus operibus Venerabilis Patris, & clariſſimi Theologi Doctoris Ioannis Thauleri, quæ magna apud omnes veneratione habentur, contigiſſe teſtatur Ludouicus Bloſius in Apologia, quam pro eius defenſione ſcripſit his verbis: *Cum intellexiſſem pleroſque à lectione librorum Doct. Ioannis Thauleri deterreri verbis Ioannis Eckij, operæ pretium eſſe duxi paucis ea refellere, quæ in ipſum Thaulerum minus conſideratè ſcribit Eckius. Hic enim diſputans aduerſus Martinum Lutherum Hæreſiarcham tertio libro de Purgatorio Thaulerum appellat Somniatorem, eumque hæreſeos inſimulare videtur, nihil tamen adducit quo comprobet illum eſſe hæreticum. Qui ſi diligenter legiſſet eius lucubrationes, longe aliter de eo ſenſiſſet. Nam Thaulerus Catholicæ fidei cultor integerrimus eſt, ea, quæ ſcripſit ſana, & plane diuina ſunt, vt cognoſcere poſſunt omnes, qui in illis ſunt verſati, ſed*

Eckius

Eckius ardore Ecclesiæ succensus indignè tulit, quod Lutherus magnificè laudaret Thaulerum, & sententijs eius sua praua dogmata confirmare niteretur. Quid verò mirum, si miser, & infœlix ille suos errores dictis Thauleri à se perperam allegatis tueri tentauerit; cum non solum Sanctorum Patrum, verum ipsius quoq; sacræ, & diuinæ Scripturæ verbis impudentissimè ad suam hæresim stabiliendam abutatur? Si doctrinæ Thauleri adhærere voluisset, profectò hæreticus numquam fuisset: nam ex vnius Thauleri scriptis hæreses, quæ hisce temporibus emerserunt, plenissimè confutari possunt, &c. Hæc Blosius, qui tandem, postquam Thaulerum ab iniuria egregie vindicauit, sic concludit: *Ipse itaque Thaulerus non acerbe in odium adducendus, sed vt eximius, orthodoxusque Theologus, ac singularis Dei amicus commendandus est. Eckius, non putans se falli, dicit: Vtinam Thaulerus prorsus lateret, & non inuolaret in monasteria: Ego verò in nomine Domini dico: Vtinam Thaulerus vbique gentium cognitus, & in omnia monasteria receptus esset, atque à quam pluribus diligentissime legeretur. Verum Eckius licet minus circunspectè damnauerit Thaulerum, nondum à se satis studiosè lectum, nequaquã tamen hoc malignè fecisse credendus est: sed feruens ille zelus, quo inuehebatur in Lutherum Haresiarcham facilè illi persuasit, vt præpropere iniquam de sanctissimo viro Thaulero sententiam ferret.* Huc vsque Blosius: quo nihil ad propositum nostrum aptius excogitari potuit.

Sed vt plures alios huius generis libros insigni pietate refertos, quique summa cum vtilitate, & laude præ omnium manibus habentur, quos in huius rei comprobationẽ adducere possemus, prolixitatis euitãdæ gratia omittamus, non possumus pręterire admirabiles illos libros præclarissimæ Virginis, ac SS. Matris nostræ THERESIÆ, qui toto terrarum Orbe, cum omniũ admiratione summis laudibus meritò celebrantur, & ad communem fidelium vtilitatem ex lingua Hispana, in qua ab ipsa B. THERESIA fuerunt conscripti, diuersis idiomatibus, videlicet Latino, Italico, Gallico, Germanico; Flandrico, & Polono, adhuc ante eius canonizationẽ, versi fuerunt.

Horum igitur cœlestium librorum doctrinam, cum primo in lucem prodiere, non defuerunt, qui bono fine (vt par est credere) fideique zelo succensi acriter reprehenderent, & damnarent, plura contra illam obijciẽtes, imò (vt bene adnotauit doctissimus Magister P. F. Basilius Pontius Legionensis Augustinianus, primariusque Theologus Salmanticensis in erudito Defensorio, quod pro doctrina Venerabilis Parentis nostri IOANNIS scripsit) eadem prorsus, quæ modo aduersus hanc mystici Doctoris nostri doctrinam obijciuntur; quibus omnibus abundantissimè, ac doctissimè satisfecit insignis ille vir Magister Frater Luisius Legionensis propter eius sapientiam, & scripta toto orbe celeberrimus in Apologia, quam pro defensione prædictæ doctrinæ THERESIÆ nostræ edidit, vbi latè ostendit illam non solũ ab omni erroris suspicione immunẽ, sed etiã diuinitus inspiratã, ac planè admirabilem, & cœlestem esse, idemq; iudicarunt plures alij grauissimi, ac sapientissimi viri, quibus iudiciũ de eius libris commissum fuit, vel qui propriam de illis sententiam, post attentam eorum lectionem, & discussionem protulerunt, ex quibus octoginta quinq; testes omni exceptione maiores iuridicè deponentes referunt sapientissimi illi, & Reuerendissimi Sacræ Rotæ Auditores in secunda relatione typis tam mandata, quam pro solemni huius præclaræ Virginis canonizatione Pontifici maximo Paulo V. post longam discussionem, ac maturam deliberationem fecerunt, in articulo secundo prædictæ relationis §. 2. pagina 149. cernere licet. Quæ etiam doctrinæ excellentia

B. Joann. à Cruce
Opera mystica
TOM. II
124

ex rei exitu, longaque experientia, & vberrimis fructibus, quos innumeri ex ea perceperunt, quotidieque percipiunt, satis superque comprobata est: imò (vt recte citatus Magister Luisius Legionensis adnotauit) nullus vnquam ex huius doctrinæ lectione illusus, aut deceptionem aliquam passus inuentus est, quin potius omnes ex ea in Dei amorem vehementer accenduntur, & in Perfectionis via, orationisque, & contemplationis exercitijs mirifice instruuntur.

Ex quo factum est, vt eò auctoritatis doctrina hæc Sanctæ Matris nostræ THERESIÆ iam peruenerit, quò amplius nullam aliam (excepta canonica) peruenisse sciamus, imò nec peruenire posse videatur, siquidem non semel, aut iterum, sed sæpius ab Apostolica Sede veluti canonizata fuit, dum Summi Pontifices Paulus V. Gregorius XV. fœlicis recordationis, & Sanctissimus Dominus noster Vrbanus VIII. in oratione, quam pro eius Officio approbarunt, præclara illa verba, *Cælestis eius doctrinæ* apponi iusserunt: quam etiam orationem simul cum eius speciali officio Sacra Rituum Congregatio approbauit.

Hanc quoque doctrinæ excellentiam, & sublimitatem considerantes Reuerendissimi Sacræ Rotæ auditores in secunda relatione iam citata art. 2. §. 1. pagin. 78. sic loquuntur: *Quartum argumentum sanctitatis B. THERESIAE elicitur ex libris spiritualibus, & plane diuinis quos, & Confessariorum suorum iussu, & ex illis aliquos particulari Christi reuelatione conscriptos reliquit, qui præ manibus habentur, quibus perlectis clarissimi omnium ordinum Theologi Beatæ Theresiæ sapientiam admirantur, & facilem mysticarum passionum explanationem adeò obstupescunt, vt rarum genus sapientiæ eis videatur, quod de mystica Theologia Patres obscure, ac sparsim tradiderunt, à Virgine vna in methodum tam perspicuè atque concinnè fuisse redactum: meritoque illam quasi spiritualis doctrinæ Magistram Ecclesiæ à Deo datam prædicant, conuicti scilicet experientia diuinæ lucis, & piorum affectuum, quos ex illius libris hauriunt, testanturque communiter doctrinam horum librorum non esse hominis, nec minus mulieris literarum ignaræ, sed Dei, & (vt aliqui subdunt) non adquisitam, sed infusam, & à Spiritu Sancto dictatam, maximæque vtilitatis fuisse, & esse, mirosque effectus eorum Lectione in Ecclesia Dei consequutos esse, & in dies consequi.* Et paucis interpositis subiungunt, *Cum igitur Deus misericors B. THERESIAM Ecclesiæ illuminandæ, & pietati augendæ destinauerit, omnino sentiendum videtur Deum ipsum qua solet sui communicatione, & illam prius excellenter illuminasse, & sanctitate insigni condecorasse.* Sed ne huiusmodi encomia quasi hyperbolicè dicta ab aliquo temere habeantur, tria in eis perpendenda sunt, scilicet grauitas materiæ, auctoritas loquentium, & dignitas audientis. Primum quidem est Sanctorum canonizatio pertinens ad res Fidei, quæ inter grauiora quæque grauissima est. Secundum verò est oratio sapientissimorum iudicum Romanæ Rotæ per multorum testium depositiones iuridice exceptas vera colligentium. Tertium autem ipsummet supremum Ecclesiæ caput diffinitionem super hoc daturum. Sanè hæc tria nullatenus hyperbolica patiuntur verba, sed veritatem nudam exigunt.

Quibus tandem accedit testimonium aliud omni exceptione maius, Summi scilicet Pontificis Gregorij XV. in Bulla canonizationis Sanctæ THERESIÆ vbi numer. 3. sic loquitur: *Quam Dominus ad tantum opus peragendum abundanter impleuit spiritu sapientiæ, & intellectus,* & postea numer. 20. sic subiungit: *Adimpleuit eam spiritu*

ſpiritu intelligentiæ, vt non ſolum bonorum operum in Eccleſia Dei exempla relinqueret, ſed illam cœleſtis ſapientiæ imbribus irrigaret, editis de myſtica Theologia, aliiſq; etiam multa pietate refertis libellis, ex quibus fidelium mentes vberrimos fructus percipiunt, & ad ſupernæ patriæ deſiderium maximè excitantur, &c. Hæc Summus Pontifex in THERESIÆ noſtræ doctrinæ commendationem & laudem, ex quo, & exhuc vſque dictis maxima eius auctoritas ſatis ſuperque damonſtratur.

Hæc autem omnia ſic aliquantulum latiùs commemorauimus propter duo: primo ſcilicet, vt appareat, multoties libros, quantumuis inſigni pietate, & præclara doctrina refertos, aliquorum etiam piorum, & doctorum offenſionem, diſtrictioremque cenſuram ad tempus pati, ex qua tamen, poſtquam talis doctrina ab exercitatis, & ſapientioribus viris ſincero animo attentius legitur, maturiuſq; perpenditur, non obſcurata, aut aliquo modo ſuſpecta, ſed multo magis illuſtrata maner. Vnde id etiam in his Venerabilis Parentis noſtri libris, quos omnino veram, & catholicam, imò & valde præclaram, ac ſublimem in Theologia myſtica doctrinam diuinitus inſpiratam vndique continere non poſſumus dubitare, euenturum meritò ſperamus, immò & iam euenisse gaudemus; ſiquidem doctrina hæc à pluribus grauiſſimis, ac ſapientiſſimis viris iam approbata, & eximiè laudata eſt, vt ſequenti capite oſtendemus.

Deinde alia etiam de cauſa ſummam librorum THERESIÆ noſtræ auctoritatem ſic ſtabiliuimus, vt cum in progreſſu huius operis ſæpè doctrinam illius in confirmationem huius, quam defendendam, & explicandam ſuſcepimus adduxerimus, manifeſte oſtendentes propoſitiones omnes in Doctore noſtro myſtico ab aliquibus animaduerſas, in Sanctæ THERESIÆ libris expreſſe contineri, eandemque prorſus doctrinam, vtpote ab eodem cœleſti Magiſtro acceptam, vtrumque Parentem noſtrum, ſcilicet THERESIAM, & IOANNEM docuiſſe, ſtatim etiam quanta ſit doctrinæ IOANNIS noſtri ſecuritas, ſublimitas, & auctoritas demonſtratum maneat: quia reuera, dùm THERESIÆ doctrina formaliter in ſe ipſa (vt ſcholaſtico loquamur more) adeò inſigniter à tot, tantiſque viris, imò & à Summis Pontificibus approbata, laudata, & commendata fuit, doctrina quoque Venerabilis noſtri IOANNIS, vtpote omnino eadem, eandem quoque approbationem, laudem, & commendationem in illa virtualiter obtinuit. Vnde illud pro certo ſtatuendum eſt (quod rectè adnotauit ſapientiſſimus Magiſter Frater Baſilius Pontius Legionenſis, in Defenſorio ſupra citato n. 3. & 6.) neminem poſſe aduerſus IOANNIS noſtri doctrinam inſurgere, quin, eo ipſo, aduerſus THERESIÆ quoque inſurgat doctrinam; omnem ſuſpicionem, quæ de illa habeatur, de hac quoque haberi, omniaque proinde tela, quæ aduerſus illam objiciantur, aduerſus hanc etiam contorqueri. Sed hoc iam ad ſequentis Capitis argumentum ſpectat.

(* * *)

CAPVT

B.
Joannis
a Cruce

Opera
Mystica
TOM II
124

CAPVT II.

SECVRITAS, VTILITAS, INSIGNIS-que auctoritas, & excellentia doctrinæ Venerabilis Parentis nostri IOANNIS A CRVCE *ex multiplici capite demonstratur.*

1 QVONIAM pius legentium erga doctrinam aliquam affectus (vnde eius debita intelligentia multoties non parum pendet) ex præclara, quam de Auctore, eiusque doctrina opinionem semel animum susceperunt, multum adiuuatur, quæ opinione semel imbuta facile quæuis circa talem doctrinam suspicio, aut scrupulus reijcitur, & ad inuestigandam latentem in illa veritatem animus applicatur, ideo initio huius operis aliqua de venerabilis Parentis nostri IOANNIS doctrinæ securitate eximia vtilitate, insignique auctoritate, & excellentia prænotanda duximus, quam ex multiplici capite aliquatenus inuestigare possumus.

2 Primo quidem ex plurium grauissimorum virorum pietate, sapientia, dignitate, ac religione illustrium testimonio, qui attento, ac sincero animo libros hos perlegerunt, eisque perlectis nihil in illis nisi pium, nihil nisi salutare, nihil nisi sublime, ac cœleste se inuenisse, omnesque eius sententias diuinum quiddam spirare, nec tam hummano studio, vel ingenio, quam diuino spiritu, & illustratione quidquid in illis reperitur conscriptum fuisse proclamant: pluraque in his libris obstupescunt, tum mirabilem quandam, raram, reconditam, sublimem, ac valde genuinam Sacræ Scripturæ testimoniorum, quæ in propriæ sententiæ confirmationem frequentissime mysticus noster Doctor adducit, explicationem Catholicæ veritati, antiquorum Patrum doctrinæ, ac Theologiæ Sacræ in omnibus mirifice consonam: Tum etiam insignem docendi methodum, modumque in rebus summè difficilibus, & à communi cognitione remotis explicandis, adeò facilem, ac suauem, vt quamuis intimam quandam, ac valde rigidâ mortificationem, abnegationemque, tam internam, quâ externâ, ac veluti propriam exinanitionē, & annihilationē semper edoceat, tamē abnegationem hanc, adeò suauiter simul, & efficaciter persuadeat, vt ad eius exercitium statim legentis animum bene dispositum vehementer allicat spiritualis viæ difficultates frequenter occurrentes clarissimè expediat, obscurissimis rebus singularem lucem conferat, pericula omnia diligentissimè præcaueat, ad eximiam perfectionem, mentisq; cum Deo intimam vnionem pertingendi commodissima, ac maximè compendiaria, & secura demonstret itinera, deceptionibus, & illusionib. quibus orationis, & contemplationis exercitia propter hominū vitiū, ac dæmonū malitiam immisceri solent, aditū mirabiliter præcludat, ac tandē modū quem in his omnibus, tàm spirituales Magistri, quàm Discipuli seruare debeant, dilucidè ac mira dexteritate ostendat. Obstupescunt deniq; miram horum librorū vim ad mentē in vir-

turum

tutum omnium exercitijs, ac in Dei amore inflammandum. Experiuntur namque ignitos quosdam aculeos, quos in lectoris animo altius infixos hi libri relinquunt, per quos legentis cor compunctione, deuotione, ac pietate mirabiliter mollificatur, & accenditur: Quod experimentum multi ex prædictis grauissimis viris in semetipsis agnouisse affirmant.

Vnde doctrinam hanc non solum tanquam veram, sanam, catholicam, vtilem, se- 3.
curam, optimæque Theologiæ, ac Sanctorum Patrum testimonijs omnino consonam approbant, illamque illustribus encomijs extollunt, sed (quod magis est) plures diuinitus infusam, & à Deo Optimo Maximo sublimiter edoctam media oratione continua conuersationeque adeò familiari, quam venerabilis noster IOANNES cum Deo habebat, merito iudicant, & reputant, sublimemque hunc Doctorem mysticum, speciali Dei prouidentia, ad magnam Ecclesiæ vtilitatem, tanquam excellentissimum Magistrum, qui cum diuino illo Dionysio Areopagita non immerito comparari possit, datum fuisse asserunt.

Multos sanè grauissimos, ac sapientissimos ex omni statu viros, ita sublimiter (vt 4.
modo retulimus) de doctrina venerabilis nostri IOANNIS sentientes recensere sigillatim possemus, qui in processibus Remissorialibus pro IOANNIS nostri Beatificatione, & Canonizatione (quam indies expectamus) iam factis, & ad Romanam Curiam missis iuridicè de his omnibus deposuerunt, alioque etiam, quibus à supremo Senatu Regio, locorumque Ordinarijs iudicium de his libris, cum sæpius prælo mandati fuerunt, commissum fuit, sed vt breuitati consulamus, fere omnes illos omittemus, lectorem remittentes ad nouissimam quandam, & optimam Introductionem (cuius auctor est P. Frater Hieronymus à sancto Ioseph, nostræ sacræ Religionis eruditus Historiographus) positam in principio librorũ mystici nostri Doctoris, in vltima impressione facta, & nouiter aucta, Matriti, hoc anno 1630. in qua Introductione plures grauissimi, & sapientissimi viri ex omni Religione, & statu, & inter eos celeberrima Complutensis Academia, & duo illustrissimi Sanctæ Romanę Ecclesiæ Cardinales, relationem de his libris in Sacra Rituum Congregatione faciẽtes nominatim cum suis approbationibus, & censuris, quas de prædictis fecerunt referuntur, in quorum testimonijs ea omnia, quæ in laudem doctrinæ mystici nostri Doctoris nuper diximus, facile poterit lector inspicere, qua etiam de causa ab eis sigillatim referendis modò abstinemus.

Cæterum non possumus præterire sapientissimum illum Magistrum in Salmanti- 5.
censi Academia Theologum primarium, Fratrem Basilium Pontium Legionensem, Augustinianum, propter eius eximiam, & multiplicem sapientiam, ac doctrinam, egregiaq; scripta, toto orbe celeberrimũ, cuius testimoniũ non solũ hac de causa, sed etiam, quia ad horum librorum lectionem, studium diligentissimè omnium adhibuit, eorumque doctrinam exactissimè examinauit, pluris faciendum est. Hic igitur insignis vir, cum illi ab illustrissimo rerum fidei supremo Præside huius doctrinę examen, & censura commissa fuissent, eamque simul cum obiectionibus, quæ aduersus illam proponebantur, ex professo, maturoque consilio, ac studio (vt rei grauitas postulabat) perpendisset, non satis illi visum fuit eam quomodocumque approbare, sed pro ea eruditissimum Defensorium conscripsit, illustrissimoq; fidei supremo Præsidi

præsentauit. Quo viso de prædictis obiectionibus amplius curatum non fuit, sed tota horum librorum doctrina in sua debita authoritate, & veneratione, imò potius multo magis illustrata remansit.

In prædicto autem Defensorio sæpissimè multa encomia in nostri IOANNIS doctrinæ laudem prædictus sapientissimus Magister profert, quæ longum esset recensere: vnde eis omissis verba quædam, quæ in fine prædicti Defensorij n. 43. subiunxit dumtaxat adducemus, quæ sunt hæc: *Iste author doctissimè pertractat materiam abnegationis suiipsius, in ordine ad istud genus contemplationis & vnionis: & quamuis alij Authores scripserint de externa abnegatione, at nullus de interna, vt iste B. Pater, nec certioribus documentis. Et quod ad illud punctum attinet, euitandi deceptiones in reuelationibus, circa quod tantopere desudant Viri & Magistri spirituales: nullus sane liber hactenus in lucem prodijt, qui cum isto æquiparari possit, vt experientia constabit, legenti secundum & tertium librum primæ partis: cum autem ista duo puncta sint adeò scitu necessaria in materia spiritus, & hic Author hanc tam exactè pertractet, vt hoc in genere cunctos in Hispania excellat: nescio qui dubitari possit de vtilitate horum librorum &c.* Quod sanè tanti viri iudicium, quamuis cætera omnia deessent, ad conciliandam his libris summam auctoritatem proculdubio sufficeret.

6. Sed non in Hispania solùm, communem, quam diximus approbationem, & laudem mystici nostri Doctoris doctrina promeruit, sed apud alias etiam nationes summa iam in veneratione habetur; adeò vt ex Hispanica lingua, in qua eius libri ab ipso conscripti fuere, iam in alia idiomata (sicuti de THERESIÆ nostræ libris diximus) transferri cœperint. Vnde Italica iam lingua translati circunferuntur, eorumque translatio in Romana curia cum approbatione Reuerendissimi Magistri sacri Palatij Apostolici, & auctoritate, ac expensis illustrissimi Cardinalis Roberti Vbaldini typis mãdata fuit, summoq; applausu, & laude in Romana illa Curia à totius gentis doctissimis & sapientissimis eius viris susceptа fuit. In Hispania vero in diuersis ipsius Regnis plures ipsorum impressiones multiplicatæ, & consumptæ sunt propter ardens desiderium, quo libri isti à viris pijs, & doctis magis, & magis in dies expetuntur.

7. Præter hoc autem argumentum ex tot, tantorumque virorum insigni testimonio desumptum, aliundè etiam horum librorum excellentiam, & auctoritatem possumus non parum efficaciter demonstrare, & præcipuè ex huius præclari viri eximia vitæ sanctitate, quæ in ore omnium versatur, quamque ad vltimas orbis terrarum partes iam fama diuulgauit, cuiusque solemnem declarationem, ab Apostolica Sede iam indies expectamus propter vltimos processus Remissoriales heroicis virtutibus, & præclaris miraculis iuridicè probatis refertos, qui iam pro huius venerabilis viri solemni beatificatione, & canonizatione ad Romanam Curiam sunt transmissi. Etenim quamuis aliquando contingat prauos mores cum sana docentis, vel scribentis doctrina coniungi; nunquam tamen cum optimis moribus, vitæque sanctitate malitiosa doctrina sociatur, nec sociari potest. Vnde de viro iusto prouidit Regius psaltes Psalm. 36. num. 30. *Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium.* Cuius rationem statim subiungens ait: *Lex Dei eius in corde ipsius*, ideò nam-que os iusti sapientiam meditatur, eiusq; lingua iudicium, id est omnia recto iudicio loquitur, *quia* (verba sunt Origenis to. 2. hom. 5. in hunc Psalmum) *lex velut radix quædam in profundo cordis posita germinat verba iustitiæ, verba sanctitatis, quæ profert iustus de cor-*

de ſuo, quod etiam optima ſimilitudine explicuit D. Hieronymus in epiſtola ad Principiam exponens verba illa Pſalm. 44. *Eructauit cor meum verbum bonum*, ſic enim habet, *Ructus propriè dicitur digeſtio cibi, & concoctarum eſcarum in ventrem efflatio, quo modo enim iuxta ciborum qualitatem de ſtomacho ructus erumpit, & boni, vel mali odoris ſtatus indicium eſt, ita interioris hominis cogitationes verba proferunt, & ex abundantia cordis os loquitur: iuſtus comedens replet animam ſuam: cumque ſacris doctrinis fuerit ſatiatus, de boni cordis theſauro profert ea quæ bona ſunt, &c.* Idque tunc, vel maximè verificatur quando docens, aut ſcribens ſimul cum vitæ ſanctitate ſupernaturali luce ſibi diuinitus infuſa fruitur, quod in venerabili Parente noſtro contigiſſe iam oſtendere pergimus.

8. Hinc igitur præcipuum aliud ad eiuſdem doctrinæ auctoritatem, & excellentiam demonſtrandam deſumitur argumentum, quia ſcilicet eam non humano, ſed diuino ſpiritu, ac ſuperna reuelatione docuiſſe, & ſcripſiſſe pluſquam ver oſimile eſt. Etenim inſignem hunc virum ad munus myſtici Doctoris ſublimiter exercendum ſupernaturali, & infuſo lumine abundantiſſimè à Deo illuſtratum fuiſſe plura, quæ in ipſius vitæ Hiſtoria referuntur, & in proceſſibus iam citatis pro eius canonizatione factis, iuridicè comprobata ſunt, manifeſte oſtendunt. Ex multorum namque teſtium omni exceptione maiorum iuridica depoſitione, & ex communi fama multis experientijs comprobata, conſtat, illum rerum naturaliter occultarum, quæque (vt cum D. Thoma 1. part. quæſt. 57. ar. 3. & 4. & 2. 2. q. 171. art. 3. & q. 172. art. 1. docent omnes Theologi) non niſi ex ſpeciali, ac ſupernaturali Dei illuſtratione, ac reuelatione cognoſci poſſunt, cuiuſmodi ſunt intimæ cogitationes cordium, & futura contingentia omnino certam, & expreſſam notitiam ad ſuorum ſubditorum, & aliorum plurium mores inſtruendos frequenter habuiſſe. Illudque etiam ex plurium teſtimonio iuridicè comprobatum eſt, multoties dum de rebus ſpiritualibus loqueretur, cœleſtem quendam ſplendorem præfulgentiſſimoſque radios, qui inſpicientium animos in maximam rapiebant admirationem, & ad tanti viri ſummam reuerentiam, & venerationem prouocabant ex eius facie dimanantes conſpici, qui quidem externus ſplendor ex interni ſplendoris, ac luminis, quo eius mens à Deo ſupernaturaliter illuſtrabatur, abundantia, & ex conſortio ſermonis Domini, tanquã in altero Moyſe perredundantiam quandam proculdubio dimanabat, idq; apud omnes illũ inſpicientes, & audientes tanquam certum omnino perſuaſum erat, ideoq; linguã eius non tanquam hominis inſtrumentum, ſed tanquam ſtylum, & calamum Spiritus S. contemplabantur, quod etiam mira quædam, & occulta ad virtutem, & perfectionem efficaciſſimè ſuadendam, menteſque ad Deum eleuandas vis, quam in eius verbis, & doctrina experiebantur, feruenſq; diuini amoris ardor, quo eorum omnium corda, dum eum audirent, ſuccendebantur, non leuiter comprobabat.

9. Hanc cœleſtem, & diuinam ſapientiam, quam ex ſupernaturali Dei illuſtratione ad animarum vtilitatem venerabilis noſter IOANNES acceperat, optimè nouerat illuſtris illa virgo, & Mater noſtra Sancta THERESIA, & ideò tanquam ſublimem magiſtrum (qui ſimul, & ipſius THERESIÆ diſcipulus erat) eum ſuſpiciebat, eiuſque doctrinam in ſumma veneratione habebat propter vberrimos fructus, quos, longa comprobante experientia, ex eius colloquijs perceperat ipſa, pluſq; alias perſonas

D. Joannis à Cruce
Opera Mystica
TVII
124

fonas percepisse nouerat, ideoque quoties eius communicatione frui poterat, difficultates omnes, ac dubia, quę in spiritualibus exercitijs, perfectionisq; studio sibi occurrebant, ipsi proponebat, eiusque responsionem tanquam à diuino quodam oraculo datam reuerenter expectabat, idemque suas omnes Moniales facere, tantique Magistri doctrina imbui, & edoceri, eiusque ductum sequi summopere desiderabat.

10. In cuius rei confirmationem (multis alijs probationibus, & exemplis omissis) vnicum dumtaxat referemus. Etenim cum Priorissa Monasterij de Beas, nomine Anna à Iesu in epistola quadam sanctæ matri nostræ THERESIÆ scripta conqueretur de inopia spiritualium magistrorum, quam in illo loco, vbi Religiosorum nostri Ordinis Conuentus non erat, Moniales patiebantur, cumq; ipsa sancta THERESIA nouisset Venerabilem nostrum IOANNEM aliquando ex Caluarij Conuentu finitimo, vbi Prælati munus exercebat, ad prædictum Monasterium illarum Monialium, pro earum spirituali instructione accedere, sic prædictæ Priorissæ respondit: *Querela tua, Filia, mihi prorsus visa est friuola & superflua, cum ibidem habeas meum Patrem Fratrem Ioannem à Cruce, virum plane cœlestem & diuinum: qui postquam ad illas transiuit partes, in toto Castellæ Regno non reperi illi similem, nec qui taliter incendat animas iter cœleste capessentes; Non crederes quãtam solitudinem experiar ob illius absentiam. Benè aduertite magnum vobis habere thesaurum in isto sancto: noueritis prout oportet ipsum æstimare; agant, & pertractent omnes ipsius Conuentus Moniales negotia animæ suæ cum ipso, & experientur quantum ex eius alloquio proficient, & quam multum in spiritu & perfectione procedant, Dominus enim ad hoc singularem illi contulit gratiam.*

Sic de IOANNIS nostri doctrina, & sanctitate non hac vice tantum, sed multoties, cum se se offerebat occasio, sentiebat, & loquebatur THERESIA nostra, in cuius verbis modo relatis illud, inter alia, valde obseruandum est, quod scilicet, cùm præclara hæc virgo in conquirendis vbique spiritualibus, ac eruditissimis magistris adeò sollicita fuerit, eaque de causa insigniores plurium ordinum Theologos, eximiaque sapientia, pietate, & doctrina celeberrimos viros in præcipuis totius Castellæ ciuitatibus, ac Vniuersitatibus consuleret (vt omnes eius vitæ Historiographi latè referunt, & perpendunt) tamen asserat se in vniuersa Castella nullum tam egregium in via spirituali Magistrum, sicuti Venerabilem nostrum IOANNEM inuenisse, ideoque ex eius communicationis defectu se magnam solitudinem pati. Sanè rara, & planè mirabilis IOANNIS nostri doctrinæ excellentia, & sublimitas vel ex hoc solo testimonio manifestissimè demonstrata manet.

11. Tandem alio præcipuo argumento, ex munere scilicet, ad quod Venerabilis parens noster à DEO fuit assumptus, deducto, ea, quæ in hoc capite circa doctrinæ ipsius excellentiam diximus, maximè confirmantur. Assumptus namque fuit inter viros primus ad hoc, vt præclarum illud opus erigendi Carmelitanæ Religionis, illustrem Reformationem toto ferè terrarum Orbe, iam nunc copiosissimè dilatatam ad ingentem Ecclesiæ vtilitatem animarumque salutem Fundatricis nostræ THERESIÆ hortatu, ductu, & imita-

imitatione inchoaret, multisque laboribus ad fœlicem exitum, finemque perduceret. Cum igitur tot tantorumque filiorum, quos in spirituali perfectionis via exemplo, verbo, & scripto edoceret, primus parens à DEO electus fuerit, dubitari non posse videtur, DEVM Optimum Maximum, iuxta suauem, & consuetum suæ prouidentiæ ordinem magna non solum sanctitatis, sed etiam diuinæ lucis, supernique spiritus abundantia illius mentem, & cor illustrasse, vt eius luce, ac doctrina tam illustris, & numerosa posteritas illustrari, edoceri, ac de eius spiritu posset participare.

Hac enim ratione, cum Moysen Israelitici populi ductorem DEVS constituisset, tanta diuini spiritus plenitudine illum repleuit, vt de eius spiritu auferre, aliisque pro debito illius populi regimine tradere posset, vt in Numerorum libro capite vndecimo sacra narrat historia; quo denotatum fuit superiores, qui alicuius populi, vel familiæ ductores, & Doctores à DEO eliguntur, magnam diuini spiritus, ac lucis abundantiam ab ipso DEO accipere, vt inde, ad cæteros possit deriuari, vt rectè adnotauit Hugo Victorinus libro quarto super Diui Dionysij librum de cœlesti Hierarchia capite tertio his verbis. *Superiores, & sublimes, & ipsi appropinquantes diuinitati immediatè ab ipsa accipientes, & purgationem, vt sint mundi, & illuminationem, vt sint clari, & perfectionem, vt sint sancti, & ab illis rursum secundum ordinem diuinæ dispositionis hi, qui sequuntur, & in ordine sunt subiecti, & purgantur, & illuminantur, & perficiuntur, &c.* Hactenus Hugo Victorinus consentaneè ad illud Psalmi septuagesimi primi. *Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam.* Quia plerumque superioribus, & Magistris multa bona à DEO conferuntur, vt per illos, & ex illis ad alios deriuentur: quod in præclaro hoc viro tam numerosæ familiæ, ac posteritatis Parente, ac spirituali ductore, & Doctore contigisse suauis diuinæ prouidentiæ dispositio dubitari non permittit, ideoque omnem eius doctrinam, tanquam à DEO ad plurium instructionem, & vtilitatem illi speciali illustratione datam venerari debemus.

Quod adhuc magis confirmatur ex eo, quòd iam tetigimus, scilicet Venerabilem hunc Parentem nostrum in adiutorium, ac societatem Sanctæ matris nostræ THERESIÆ ad prædictum opus electum à DEO fuisse: ex THERESIÆ namque consortio, societate, ac spiritualibus colloquijs non solum insignia virtutum exempla, pluresque pro sua informanda Familia salutares instructiones, sed etiam in Orationis, & Perfectionis via, quam ipsa THERESIA longa experientia, Deique speciali illustratione perfectissimè nouerat, spiritualia accepit documenta, ac tantæ Matris spiritualis doctrinæ lacte nutritus fuit. Vnde hanc eandem doctrinam IOANNES noster semper eructabat, adeoque inter sese vtriusque doctrina cohæret, vt propositiones omnes, quæ in IOANNIS nostri libris notatæ sunt, in S. THERESIÆ libris expressè etiam habeantur, vt in progressu harum obseruationum ostendemus. Cum autem doctrina THERESIÆ, tam insignem, & vniuersalem non

B.
Joannis
à Cruce
Opera
Mystica
TOM. II
124

solum ab omnibus pijs, & doctis viris, sed etiam à Summis Pontificibus approbationem, & laudem acceperit, vt Capite præcedenti à num. 8. satis demonstrauimus; hac eadem approbatione, & laude doctrina IOANNIS nostri stabilita, ac illustrata manet, & ideo eadem securitate, ac æstimatione vtraque amplectenda, ac veneranda est, quia reuera nulla de vna suspicio potest haberi, quin de alia pariter habeatur, vt in fine etiam præcedentis Capitis iam adnotauimus.

CAPVT III.

PRIMÆ OBIECTIONI, QVÆ ADuersus venerabilis Parentis nostri IOANNIS *doctrinam in communi fit, occurritur.*

1. POSTQVAM præcedenti cap. venerabilis nostri IOANNIS doctrinæ vtilitatem, excellentiam, insignemque auctoritatem in communi demonstrauimus, rectus procedendi ordo postulat, vt statim etiam, antequam ad singulas propositiones in particulari elucidandas accedamus, ea, quæ in communi aduersus eam obijci possunt, proponamus, & diluamus, quod in hoc, & sequentibus capitibus præstabimus.

Prima igitur obiectio desumitur ab inconuenienti, quia scilicet propositiones aliquæ in his libris contentæ similes, saltim quo ad verborum sonum, cum quibusdam hæreticorum, qui Illuminati dicuntur, propositionibus videntur, & ideò hi hæretici eas ad suos pestiferos confirmandos, vel defendendos errores adducunt, vel possunt adducere. Ex quo horum librorum doctrina suspicionem quandam videtur incurrere, siquidem nisi consonantiam aliquam, cum prædictis erroribus haberet, nequaquam eorum Auctores eam in sui fauorem adducere possent: ne igitur his erroribus vis, & auctoritas superaddatur, congruum erit (inquiunt) horum librorum doctrinam prorsus relegare. Quod inconueniens ex eo magis crescere videtur, quia scilicet non solum prædictis hæreticis ad persistendum in suis erroribus, sed etiam catholicis simplicibus ad incidendum in eos ianua aperiri videtur, eoque magis, quo huius doctrinæ Auctor maiorem apud illos auctoritatem, & venerationem habuerit, eo enim ipso personæ simplices, maximè verò mulieres has propositiones, quæ prauam illam hæreticorum doctrinam sapere videntur, legentes facilè in prædictos errores incident, valdeque pernitiosam deceptionem patientur.

Sed quam debile, & vanum sit hoc argumentum, ex eo satis colligitur, quod scilicet si aliquid probaret, conuinceret vtique omnium sanctorum Patrum opera, imò

2. &

& ipſam Scripturam ſacram prorſus abijciendam, ac exterminandam eſſe. Quis enim neſciat in omnibus libris ſacris, & catholicis plures propoſitiones reperiri, quæ ſi quoad ſonum dumtaxat verborum, vel ab antecedentibus, & conſequentibus diuulſæ ſumantur, propoſitionibus, ſeu erroribus hæreticorum valde ſimiles ſunt, vt inter plures alias cernere licet in propoſitione illa: *Iuſtificati ex fide*, quam habet Paulus ad Rom. 5. num. 1. quamque etiam docent hæretici, & tamen apud Paulum veriſſima eſt, & catholica, apud hæreticos verò falſiſſima, & omnino erronea, eo quod eadem verba ex antecedentibus & conſequentibus diuerſiſſimum, imò & oppoſitum ſenſum apud Paulum, & apud illos ſortiuntur, in ſoliſque vocibus nudè, ac diuulsè ſumptis eſt ſimilitudo. Qua de cauſa dixit Paulus 2. ad Corinth. 3. num. 6. *Littera occidit, ſpiritus autem viuificat*, quia ſcilicet (vt Origenes lib. 6. contra Celſum, pluresq; alij interpretantur) ex ſuperficiali, ac ſenſibili Scripturæ intelligentia, quæ verborum dumtaxat corticem, & ſonum attendit, exitiales errores ſequuntur.

Propter hanc ergo verbalem (vt ſic loquamur) ſimilitudinem, & conuenientiam 3.
cum ſuis erroribus, quam hæretici in libris ſacris, & Eccleſiaſticis frequenter inueniunt, nihil magis curant, quam vt Scripturæ ſacræ, ſanctorumque Patrum, & illuſtriũ Doctorum teſtimonia, tanquam ſuorum errorum fundamenta, ac præſidia frequentiſſimè adducant, ac ſeſe tali armatura muniant, vt, præter quotidianam experientiam, teſtatum, & expreſſum habemus apud Origenem tractatu 5. in Matthæum Athanaſium diſp. 1. & 2. contra Arrianos, Chryſoſtomum homil. 5. contra hæreſes, Hilarium lib. 2. de Trinitate, Ireneum lib. 5. contra hæreſes, Auguſtinum tractatu 18. in Ioannem, & in Pſalm. 62. Epiphanium epiſt. 60. & plures alios Patres, quos abunde refert Nicolaus Serarius in prolegomenis Bibliæ cap. 10. quæſt. 1. Quod adeò verum eſt, vt Arrius inſignis hęreſiarcha apud Auguſtinum lib. 1. contra Maximinum dixerit: *Si quid de diuinis Scripturis protuleris, neceſſe eſt, vt audiamus, hæc vero voces, quæ extra Scripturam ſunt, nullo caſu à nobis ſuſcipiuntur*, qua de cauſa referente Cardinali Oſio lib. 3. de auctoritate Scripturæ contra Brentium pagina 271. Lutherus non erubuit frequenter dictitare, *Scripturam ſacram eſſe librum hæreticorum*, cui conſonat Caluinus inquiens: *Vulgare Prouerbium circumfertur ſcripturam eſſe naſum cereum, quia conuertitur in omnes formas*. Imò Tertullianus lib. de præſcriptionibus cap. 39. ad finem dixit: *Nec periclitor dicere ipſas quoque ſcripturas ſic eſſe ex Dei voce diſpoſitas, vt hæreticis materiam ſubminiſtrarent; cum legam: Oportet hæreſes eſſe, quæ ſine ſcripturis eſſe non poſſent.*

Hac de cauſa ipſa Scriptura ſacra appellatur Pſal. 68. num. 1. & ad Rom. 11. num. 4.
9. menſa inimicorum ſuorum, hoc eſt Iudæorum, & hæreticorum iniquè, & ſubdolè eam deprauantium, dum dicitur: *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributiones, & in ſcandalum.* De hac enim Scripturæ menſa locum hunc interpretatur Origenes lib. 8. in epiſt. ad Rom. & plures alij.

Si ergo ipſis Scripturis ſacris, quibus fidei noſtræ veritas ſtabilitur, hæretici ſic ad ſuos errores ſtabiliendos, & confirmandos frequenter vtuntur, quid mirum, quod etiam vtantur teſtimonijs alicuius libri, quantumuis omnino veram, ſecuram, ac valde eximiam, & præclaram doctrinam contineat?

Sed nunquid propter hoc Scriptura ſacra ſanctorũq; PP. libri interdicentur, ſuſ- 5.
pective habentur? Quis catholicus id concedet? Nullus ſanè; imò potius hac de cauſa:

B.
Joannis
à Cruce
Opera
mystica
TOM II
124

causa omnes veri catholici propensiori studio, ac diligentia, maiorique humilitate ac veneratione eorum lectioni incumbunt, veramque eorum doctrinæ intelligentiam à Patre luminum humiliter, ac deuotè efflagitant, vt ex ipsis scripturis eosmet hæreticos sese earum præsidio munientes refutent, & conuincant, illud tanquam certum statuentes, quod D. Athanas. lib. de Synodis Ariminensibus in simili casu contra Iudæos, & Hæreticos prauè scripturas interpretantes, dixit, scilicet: *Non scripturæ sunt illis causa, sed propria ipsorum malitia siue animi peruersitas.* Qua de causa D. Augustinus super Psalm. 10. explicans illa verba: Pluit super peccatores laqueos, ait: Scripturam sacram esse imbrem cœlitus demissum, quo fidelium pectora fœcundantur, esse verò laqueos, quibus peccatorum pedes irretiuntur. Ponitque exemplum in illa Christi Domini sententia, Matth. 15. num. 11. *Non quod intrat per os coinquinat hominem, sed quod exit ab ore*, circa quam ita fatur. *Audit hoc peccator & gulam parat voracitati: audit hoc iustus, & à ciborum decernendorum superstitione munitur. & hinc eadem Scripturæ nubes, pro suo cuique merito & peccatori pluuia laqueorum, & iusto pluuia veritatis infusa est.* Quæ omnia ad alios libros Catholicos, & Ecclesiasticos proportionabiliter applicanda sunt, ex eisque manifestè constat nequaquam his scripturis, aut libris, sed ipsorum hæreticorum malitiæ, ac peruersitati erroneos sensus ex illis deductos tribuendos esse.

6. Modum autem, quo hæretici Scripturis sacris, & alijs libris catholicis abutantur, optimè explicuit Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromatum his verbis: *Quod si hæreseon quoque sectatores ausi fuerint Scripturis Propheticis vti, primum quidam non omnibus, deinde non perfectis vtuntur Scripturis, nec vt corpus Prophetiæ, & sacer contextus requirit, sed sligunt ambiguè dicta, eaque ad proprias opiniones stabiliendas transferunt. pauci sparsim hinc inde decerptis vocibus, & nulla significationis ratione habita, ad solum, nudumque vocabulum affici sunt, propemodum enim in omnibus, quæ citant testimonijs ipsos ad solæ nomina mutatis significationibus, adhærescere videbis, nec quorsum spectent intelligere, nec ijs quas afferunt allegationibus, ita vt earum natura postulat vti.* Hæc scitissimè, & verissimè Clemens, per quæ non modo sui æui, sed & nostræ tempestatis hæreticos egregie depingit, quibus nihil consuetius, quam siue in Scriptura sacra, siue in quibusuis libris præclara, & excellenti doctrina refertis nudas voces hinc inde captare, nequaquam antecedentia, & consequentia, & adiuncta attendere volentes, vt sic quouis modo quantumuis violenter eiusmodi Scripturas ad proprios sensus contorqueant, atque ex illis fidem, & auctoritatem suis erroribus concilient. *Nec enim volunt* (subiungit idem Clemens) *conuerti ad veritatem, vt quos pudeat deponere commodum suum in se ipsos amoris, nec sciunt qua ratione possint suas stabilire opiniones Scripturis vim afferentes, &c.*

7. Nec mirum, quod hæretici id faciant, ita namque à suo Magistro Diabolo primitus didicerunt, qui optimè nouit artem deprauatè citandi Scripturas, sicuti fecit, dū Christum Dominum ad præcipitium suadebat, dicens: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum: scriptum est enim, quia Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Matth. 24. vbi Glossa Interlin. & Hugo Card. rectè sic adnotarunt. *Scripturis vtitur, non vt virtutes instituat, sed vt errores ingerat, sic. & sui faciunt.* In qua Diaboli calliditate adnotandum est, nequaquam integrum Scripturæ testimonium ipsum retulisse, sed truncatum, omisit enim sequentia verba, *Super aspidem & basiliscū ambu-*

ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem, quia contra ipsum faciebant, quod rectè adnotauit Beda supra illum locum, & D. Greg. Nazianz. orat. in S. Lauacrum, sic inquiens: *Sed & Scripturas latro (Satan) nouit, ô Sophistæ malitia, cur sequentia supprimis? Rectè id noui, etsi tu fileas, quoniam super te aspidem, & basiliscum ascendam, & super scorpionibus & serpentibus Trinitate circumseptus ambulabo*, quod etiam adnotauit Hugo Card. his verbis: *Nota, quod Diabolus partem Scripturæ, quæ pro se videtur, inducit, & quæ contra se, omittit: tacet enim: Super aspidem, & basiliscum, &c.* Hac ergo ratione filij Diaboli, nempe hæretici à tali patre edocti simili quoque arte Scripturæ sacræ, & SS. PP. testimonia in suorum errorum confirmationem sæpe adducunt: ex quo Vincentius Lirinensis citatus à Glossa sup. eundem Matth. locum rectè intulit. *Magnopere doctrina loci istius, quod Diabolus contra Dominum Scripturas produxisse legitur, attendenda, & retinenda est, vt tanto auctoritatis Euangelicæ exemplo quando aliquos Apostolica, seu Prophetica verba proferre contra Catholicam fidem viderimus, Diabolum per eos loqui minime dubitemus.*

Quæ omnia non solum de Scripturis sacris, sed etiam de quibusuis alijs SS. PP. vel illustrium virorum intelligenda sunt. Vnde D. Greg. lib. 16. mor. cap. 12. explicans illud Iob 24. vigilantes ad prædam præparant panem liberis, sic inquit: *Ad prædam vigilant, qui verba iustorum ad sensum proprium semper rapere conantur, vt per hæc peruersis filijs panem erroris parent, de quo videlicet pane apud Salomonem verbis mulieris typum prauitatis hæreticæ gerentis dicitur: Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior.* Prouerb. 9. 8.

Hoc igitur pacto verum quidem est posse Hæreticos, qui Illuminati dicuntur, ad suos errores muniendos Vener. P. N. Ioannis aliqua truncata testimonia malitiosè proferre, paucis (vt loquebatur Clemes vbi supra) hinc inde decerptis vocibus, & nulla significationis, & contextus ratione habita, imò solis, ac nudis nominibus mutatis significationibus adhærendo: sed hoc non solum huius doctrinæ securitatē, & veritatem nequaquam minuit, sed potius eius excellentiam ostendit: hic enim merito queit aptari id, quod alias in laudem humilitatis D. Bern. rectè protulit. *Præclara res humilitas, quæ ipsa quoque superbia palliari se appetit, ne vilescat.* Sic igitur nos meritò dicere possumus præclara res Ioannis nostri doctrina, qua ipsi quoque Illuminatorum errores palliari se appetunt, ne vilescant. 9.

Sane quinam huiusmodi errorum auctores, & propagatores multo ante quam Mysticus noster Doctor suam scripserit doctrinam fuerint, quam longeque eorum vita, & deprauati mores ab huius præclari, atque Angelici viri eximia sanctitate distauerint, notissimum est, & in sequentibus latius ostendemus: vnde iniquum est talium errores tanto viro adscribere, ex eo, quod eorum aliqui ipsius testimonijs peruerse abutantur.

Quæ omnia rectè notauit Sapientissimus ille Magister Basilius Legionensis in Defensorio iam citato num. 9. his verbis: *Dura res est imponere doctrinæ viri prorsus Apostolici errores Illuminatorum, qui nunc huius, nunc istius doctrinæ partem, & non totam doctrinā sibi vsurparunt. Quid mirum, quod tales non attigerint præfixum scopum huius libri, cum media neglexerint in eo præscripta, imo ex toto contraria elegerint. Si puritatem vitæ & virtutum exercitia, quæ passim in isto libro edocentur, amplexi fuissent, se vtique per ea disposuissent, quatenus illis Deus communicasset Spiritum Contemplationis: At vellé brutalibus passibus pertingere ad istum* 10.

D.
Joannis
à Cruce
Opera
Mystica
TOM. II
1624

montem obscuræ lucis, & perlucidæ obscuritatis, profectò non mirum si id prouocet diuinam indignationẽ, vt illis inde mors euenerit, vbi vitam sperabant; ac proinde illorũ error nihili æstimãdus, nec in minimo doctrinæ huius libri detrahere putandus est. sed illorũ peruersæ voluntati adscribẽdus, quod cum noluerint amplecti media viæ purgatiuæ in isto libro præscripta, prætenderint peruenire ad finem priusquam vix primum gressum egissent. Et postea circa finẽ illius Defensorij, n. 41. ita subiungit. *Quod vero spectat ad dicta quæ obijciunt fuisse secuta ex occasione horũ librorũ, & quidẽ in aliquibus particularibus istorum Illuminatorum personis, dico, iam satis constare, quinam sint illi, qui hanc malam doctrinam aperte sparserint, & in quibus iampridem reprobata fuerit, videlicet, Alphonso de Mello, ab eo ipso qui Oppidum Durango in errorem pertraxit. Vnde opus non erat illum in hoc libro hanc falsam inquirere doctrinam, in quo nec ipsam quidem reperire poterant; Si vero suam voluerunt contegere, vel illustrem reddere doctrinã huius libri malitiosè incellectã, optimum ex hoc capite desumi potest argumentum excellentiæ huius libri, homines siquidem adeo crassi, & ignari, vt sunt isti Illuminati, nunquam aptiori ratione potuissent palliare suam turpitudinem, quam per vmbram scriptorum adeo puri & admirabilis viri, siquidem pallio deteriori nullatenus potuissent tegere malitias adeo enormes cum pallio clariori virtutis soleant ab Hypocritis obtegi maiora mala.* Huc vsque Basilius Legionensis.

VI. Ex quibus rectè perpensis illud manifestè deducitur, nequaquam propter horum Hæreticorum in præclara hac doctrina peruerse alleganda, ac deprauanda calliditatem, vel propter aliquas propositiones in his libris inuentas, quæ quoad verborum sonum, si ab alijs diuulsæ sumantur, illorum erroribus similes videantur, debere virum catholicum ab huius præclaræ doctrinæ lectione aliquomodo abstinere, aut illam vllo pacto suspectam habere, vel eius venerationem amittere, sed potius maiori animi propensione, cura ac diligentia eius lectioni, & studio incumbere, vt sic ipsius veritatem ab hæreticorum falsitatibus, sicuti lucem à tenebris discernere valeat.

VII. Nam vt scitè, & sanctè scripsit Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromatum: *Est ergo nobis maiori studio, & cura perscrutanda ea, quæ vere est veritas, laborem autem consequitur dulcis inuentio, & memoria: est ergo labor inueniendi subeundus propter hæreses, sed non est omnino deficiendum, necenim si appositus sit fructus vnus quidem verus, & maturus, alius vero factus ex cera, quam maxime simdu, propter similitudinem est abstinendum ab vtroque: & quomodo si vna quidem sit via regia, & multæ etiam, aliæ ex quibus aliquæ ferunt in præruptum, aliquæ vero ad fluuium rapidè fluentem, aut ad mare profundum, non dubitauerit quispiam viam ingredi propter dissentionem, sed vtetur via regia, & trita, & seiuncta à periculo, ita cum alij alia dicant de veritate, non est discedendum, sed est exactius, & diligentius inquirenda eius exactissima, & accuratissima cognitio. Nam cum oleribus hortensibus vna etiam nascuntur herbæ, num ergo abstinent agricolæ à cultura hortorum? &c.* Quibus similitudinibus eleganter ostendit Clemens, quomodo ex verbali similitudine, quæ inter veram & falsam docti inam reperitur, & ex hæreticorum astutia in libris sacris & Ecclesiasticis peruerse explicandis, & allegandis nequaquam ab eorum pia, diligenti, ac sincera lectione, studio, & vsu auerti, sed potius in eam diligentius incumbere debeamus.

VIII. Quod illustri exemplo sicuti, & reliqua egregiè docuit Christus Dominus: ex eo enim, quod Diabolus ad eum tentandum sacræ Scripturæ (vt supra vidimus) vteretur testimonijs, nequaquam ad illi resistendum ab eiusdem Scripturæ vsu cessauit, sed

sed potius ex eodem bellico armamentario, ex quo hostis tela peruersè, ac malitiosè deprompserat, fortissima arma ad eum repellendum, confundendum, ac debellandum verissimè sumptis: *Cum enim (verba sunt Burgensis super Psal. 90. num. 5.) aduersarius tentando circumiret per diuersa vitia, Christus circumdedit se scuto veritatis, quamlibet enim tentationem contra eum commissam euacuauit per auctoritatem sacræ Scripturæ, quæ est veritas diuina, primam scilicet, cum dixit: Scriptum est, non in solo pane viuit homo; secundam, cum dixit: Scriptum est, non tentabis Dominum Deum tuum, tertiam, cùm dixit: Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, &c.*

Vnde (ad propositum nostrum hæc applicando (quamuis hæretici, qui Illuminati dicuntur, testimonia mystici nostri Doctoris ad suos confirmandos errores adducerent; nullatenus credendum, vel suspicandum esset, cœlestem tanti viri doctrinam à partibus eorum stare; sed huic testimoniorum allegationi applicandum est, id quod insignis Hæresiarcha Lutherus propria, & domestica experientia edoctus circa falsã Scripturæ sacræ testimoniorum ab hæreticis allegationem notauit in quadam concione super Euang. Dom. 1. Quadragesimæ, vbi Christi tentatio refertur, quæ concio habetur tom. 6. Thren. Herm. vbi sic inquit: *Studiosè, & attentè videndum, & iudicandum est, an Verbum Dei verè, & candidè tractetur, ac proponatur, nam & Diabolus nouit artem citandi Scripturas: quapropter ne terrearis, licet Sectarij vociferentur: Hic est Scriptura, hic Verbum Dei, hi, quando à Scripturis causæ suæ præsidium mutuantur, & sua mendacia per illas pingere, & comere volunt, respondendum est: Non moueor, quod dicis Verbum Dei à partibus tuis stare, nam simul curare oportet ne tentemus Deum, & quamuis fortè Dei Verbum sit, quod tibi suffragari perhibes, fieri tamẽ potest, vt quadã addideris nonnulla detraxeris. Itaq; prius videamus num sit hæc mens Sancti Spiritus, & num Verbum Dei tractes, prout decet, nam Diabolus, & omnes hæretici, licet Verbo Dei sese exornent, perperam tamen illud tractant, &c.* Optimum sanè, & salutare licet ab inimico consilium, quod tam in sacrarum Scripturarum, quàm in cuiusuis alterius catholici libri quantumuis præclara doctrina referri studio diligenter obseruare debemus, vt sic falsas deceptiones euitemus; per quæ omnia, ab inconuenienti desumptum argumentum contra sublimis huius Doctoris mystici libros, propter peruersum scilicet, hæreticorum, qui Illuminati dicuntur, vsum, satis superque solutum relinquitur, demonstratumq; manet hoc inconueniens non in horum librorum doctrina, quæ excellentissima, & vtilissima est, sed in legentium peruersitate, & malitia fundari, de quo proinde iuxta rationem rectam curari non debet. 14.

Nec etiam mouere debet id quod insuper additur in huius argumenti confirmationẽ, scilicet, posse simplices, propter huiusmodi propositiones, quæ cũ hæreticorũ erroribus similitudiné aliquam saltim quo ad verborum sonum habere videntur, in eosdẽ errores facilè incidere, deceptioneſq; valde noxias pati. Hoc inquam, nullatenus mouere debet, tum quia (vt n. 2. vidimus) hoc ipsum periculũ, si vere periculũ est, tam in Scriptura sacra, quam in omnium SS. Patrum, atq; illustrium Scriptorum libris, siue latina, siue vulgari lingua editis reperitur, ex quo tamen nullus sanæ mentis intulit horum omnium librorum vsum relegandum esse: tũ etiã quia quicumq; libros hos mystici nostri Doctoris legerit, nisi malitiosè hinc inde, nulla contextus habita ratione, solumque ad externum sonum attendens verba captet, manifestè cognosceret, doctrinam hanc ab illorum hæreticorum erroribus longe distare, imò 15.

D. Joannis à Cruce
Opera mystica
TOM II
124

potius illis directè aduersari, siquidem passim inueniet salutarem de externa, & interna mortificatione, quam ipsi abhorrent, doctrinam, adeò, vt nullus huc vsque liber tam seuerè, & acriter contra carnem, & sanguinem bellum indixerit, frequentissimè etiam reperiet eximiæ puritatis præclara documenta, quæ omnia prædictis erroribus prorsus aduersa sunt. Vnde ex doctrina hac non solùm in eos errores non incidet, sed potius ab eis longissimè auertetur, efficacissimumque, ac salubberrimum contra illos antidotum inueniet, quod adhuc magis constabit, cum in fine c. vlt. huius 1. p. præsentis Elucidationis Illuminatorum errores referemus. Tum denique quia eo ipso quod simplex sit is, qui hos libros legerit, cum ad aliquas ex propositionibus, quarum sensus non adeò apertus fuerit, peruenerit, si non arroganter, & temere, sed prudenter se gerat, ac bono animo huic lectioni incumbat, nequaquam ex proprio cerebro, sed ex Magistri spiritualis ductu de eius doctrinæ sensu iudicabit, vel deficiente Magistro, proprium suspendet iudicium, eoque ipso ab omni erroris periculo liber remanebit. Si autem temerè, & absque scientia, vel spirituali Magistro de his rebus iudicare voluerit, nil mirum quod in suæ temeritatis, & superbiæ pœnam deceptiones aliquas pati permittatur: quod inconueniens non huic doctrinæ, sed legentis temeritati, & superbiæ tribuendum erit, in cuiusuis namque libri lectione, & in quauis disciplina idem contingit: & ideò de huiusmodi damnis sic affectatis nullatenus viri prudentes curant, siquidem ineptissimum esset propter illa non solum hanc, sed etiam omnem aliam veram & præclaram doctrinam damnare, vel tanquam noxiam periculisvè expositam reijcere.

16. Quibus omnibus tandem addimus, quod & si aliqui, vel propter malitiam, vel propter temeritatem, vel propter ignorantiam, vel alia de causa, horum librorum doctrina abutantur, nihil aliud ex inde sequitur, nisi doctrinam hanc habere generalem quandam rerum illustrium conditionem, quibus quò sublimiores, & excellentiores sunt, eò magis in sui perniciem homines abuti possunt, vt videre est in optimis quibusque rebus, tam naturalibus, quam supernaturalibus, vt verbi gratia, in luce solis, in diuinis Sacramentis, in donis gratiæ, imò, & in ipsa bonitate, patientia, & misericordia diuina, quibus homines sæpè in magnam sui perniciem abutuntur. Sicut igitur nefarium, imò, & insanum esset, velle, propter hoc, solis lucem de medio amouere, Sacramenta ab Ecclesia relegare, dona gratiæ reijcere, misericordiam, patientiam, & bonitatem à Deo excludere, ita etiam impium, & insanum esset, propter aliquorum abusum, vel Scripturas sactas, vel catholicos, ac spirituales libros relegare velle.

17. Huc spectat id, quod sapientissimus Magister Luisius Legionensis scripsit in Apologia, pro libris S. M. nostræ THERESIÆ: cum enim aliqui, eorum vsum inter dicendum esse dicerent, ex eo, quod propter reuelationes, quæ in eis referuntur, plurium desiderium, & appetitus similium reuelationum excitari posse videbatur, ex quo Dæmonis illusionibus aditus aperiebatur; huic obiectioni sic occurrit. *Cur illud quod bonum, est celandum? quod mirabilia Dei operatur? quod accendit magis ad eius religionem, cultum & amorem? quod præbet incentiua sanctitatis & virtutis? Dicunt quod similium rerum appetitus & desiderij aperat tanuam mulieribus, quæ ad credendū sunt faciles, vt eas demon decipiat illusionib. Desiderij inordinatij reuelationū, cōcedo quidē, at non lectio optimarū ac vere dicarum*

dicarũ reuelationũ; imo isti libri nil magis procurãt, quã talia desideria ad reuelationes præscindere, vt ex ipsis constat. Sed ex lectione, inquiunt, *enascitur desiderium: si ita est, expungantur ergo sacri codices, tradantur igni Historiæ Ecclesiasticæ, dilaceretur Flos Sanctorũ, vitæ Sanctorum, Dialogi S. Gregorij, reuelationes Fundatorum ac Propagatorium Ordinum. Ergone Ecclesia hactenus erro-re decepta fuit, quæ in hodiernum vsque diem varia scripsit, & voluit ea legi, quæ aperiunt dæmoni anuam? Et ne vnus aut alter, qui est suiipsius & propriæ excellentiæ plus nimio amans, occasionem deceptionis accipiat, eâne de causa oportet ea quæ sunt gloriæ Dei abscondi, mirabilia eius ignorari, iter illud præpediri, per quod quam plurimi excitantur ad eum amplius amandum, eiq; seruien-dum. Quot sunt qui fictè sanctitatis personam induunt, permoti honore qui sanctis tribuitur? cessent igitur virtutes, vel non exarentur litteris, nec celebrentur multorum egregia virtutum facta, ne ex isto capite Hypocritæ occasionem deceptionum arripiant. Plures sane Hypocritæ ex hac occasione decepti ceciderunt, quam illusi à dæmone, eo quod legissent reuelationes diuinas. Non est in rebus attendendum ad malum vsum aliquorum, quin potius ad vtilitatem communem. Quam in istis scriptis inuentri, si ratio non dictaret, experientia fidelis testis euidenter demonstrat. Defigant oculos in Religiosos, ac Religiosas Carmelitas Discalceatos, qui ab horum doctrina enutriti sunt, & eam ad vnguem norunt, & bene videant num stolidi sint, aut illusi: vel si istos, in puritate veræ Religionis ac sanctitatis & in Dei amore, quispiam excellat?* Huc vsque sapientissimus ille Magister, cuius verba non minus pro venerabilis nostri Io ANNIS, quam pro sanctæ matris nostræ THERESIÆ libris militant, & ideò pro responsione propositæ initio huius cap. obiectionis merito haberi possunt, pro cuius etiam ampliori solutione ea, quæ infra cap. 5. dicemus, videnda sunt.

CAPVT IV.

SECVNDA PRINCIPALIS OBIECTIO aduersus mystici nostri Doctoris doctrinam in communi proponitur, & diluitur.

SECVNDO principaliter aduersus horum librorum doctrinam nonnulli obji- 1.
cunt, debitam eius intelligentiam multis in locis satis difficilem esse, quam proinde non omnes assequi poterunt.

Cæterum id tantum abest, vt huic doctrinæ aliquo modo deroget, vt potius eius excellentiam ostendat: assimilatur enim quoad hoc Scripturæ diuinæ, in qua propter eius dignitatem reperitur inexhauribilis profunditas, & difficultas ex re-rum, ac mysteriorum, de quibus agit, magnitudine, sublimitate, & grauitate, non vero ex affectato verborum fuco, vitiosaque obscuritate styli orta, cum sufficienti tamen claritate temperata, taliter, vt quantum ad ea, quæ saluti necessaria sunt, satis perspicua, omnibusque accessibilis sese exhibeat, quantum verò ad alia sublimiora

B.
Joannis
à Cruce
Opera
mystica
NVI
124

valde lateat, ac non nisi à studiosissimis, ac peritissimis intelligatur, imò plenè, & 2.
perfectè à nemine, præterquam ab eius auctore penetretur.

Quod optime ipsamet experientia edoctus obseruauit D. August. tom 2. epist. 3. ad Volusian. his verbis: *Modus ipse dicendi, quo sacra Scriptura contexitur, quam omnibus accessibilis, quamuis paucissimis penetrabilis, ea quæ apertè continet, quasi amicus familiaru, sine fuco ad cor loquitur indoctorum, atque doctorum: ea verò, quæ in mysterijs occultat, nec ipsa eloquio superbo erigit, quo non audeat accedere mens tardiuscula, & imerudita, quasi pauper ad diuitem, sed inuitat omnes humili sermone, quos non solum manifesta pascat, sed etiam secreta exerceat veritate, hoc in promptis, quod in reconditis habens: sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus operta desiderantur, desiderata quodammodo renouantur, renouata suauiter intimantur, his salubriter, & prauæ corriguntur, & parua nutriuntur, & magna oblectantur ingenia, &c.* Et in eadem epist. de hac sacrarum literarum profunditate sic iterum eleganter subiungit: *Tanta est Christianarum profunditas literarum, vt in eis quotidie proficerem, si eas sola ab ineunte pueritia vsque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliori ingenio conarer addiscere, non quo ad ea, quæ necessaria sunt saluti, tanta in eis perueniatur difficultate, sed cum quisque ibi fidem tenuerit, sine qua pie, recteque non viuitur, tam multa, tamque multiplicibus mysteriorum vmbraculis opaca intelligenda proficientibus restant, tantaque non solum in verbis, quibus ista dicta sunt, verumetiam in rebus, quæ intelligenda sunt, latet altitudo sapientiæ, vt à nouissimis, acutissimus, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: Cum consummauerit homo, tunc incipiet, &c.* Idemque breuiter D. Basilius homilia de vera, & pia fide, de diuinis Scripturis loquens, his verbis docuit: *Rem ipsam plane, vt suapte natura est, & si omnes omnium mentes ads nuestigandum vna coirent, item ad denuntiandum linguæ concurrerent, tamen, qui assequi posset, existeret nemo &c.*

3 Qua de causa appellatur Scriptura, Apoc. 5. num. 1. & 5. *Liber signatus sigillis septem, quem nemo poterat, nec in cœlo, nec in terra, nec subter terrã aperire, prater vnum Leonem de Tribu Iuda.* Qui est Christus Dominus; propterea etiam *Regnum Cælorum*, id est (vt explicant Chrysost. hom. 3. in Genes. & Rupert. lib. 3. de victoria verbi cap. 26.) sacram Scripturam comparauit Dominus *Thesauro abscondito in agro.* Matth. 13. num 44. *Thesauro* quidem propter inexhauribiles eius diuitias, *abscondito* verò propter eius reconditam profunditatem: qua de causa non ad qualecunque, sed ad summam, & exquisitam diligentiam in Scripturarum lectione adhibendam ipsemet Christus Dominus inuitauit dicens, *Scrutamini Scripturas*, Ioann. 5. num. 39. quasi diceret: Puteus altus est, & aqua intelligentiæ longè haurienda, terra altius fodienda, & sub eius imis visceribus Thesaurus latitans detegendus, vnde Dauid Psalm. 118. num 2. Beati (inquit) *qui scrutantur testimonia eius: in toto corde exquirunt eum.* Inde etiam fit, vt non solum simplices, sed etiam literatissimi, præstantissimo quoque ingenio prædili, ac per longa tempora in Scripturarum studijs versati, multo plura ignorent, quam sciant, vt de semetipso professus fuit D. Aug. epist. 119. c. 2. inquiens: *In ipsis sanctis Scripturis multò nescio plura quam scio.* Hinc tandem ortum habuere, quotidieque habentur controuersiæ contentionesque, & rixæ non solum Catholicorum cum hæreticis, sed etiam inter ipsosmet Catholicos Doctores, super vero Scripturarũ sensu indagando: multa enim disputauit Cyprianus cum Cornelio Papa: Origenes cum Africano: Chrysostomus

ſtomus cum Theophilo Alexandrino; Epiphanius cum Ioanne Hieroſolymitano; Rufinus cum Hieronymo, Hieronymus cum Auguſtino: Auguſtinus cum Simpliciano, Proſpero, & Hilario, quotidieque ſimiles concertationes, & rixas, circa veram Scripturarum intelligentiam inter inſignes Catholicos Doctores videmus. Quæ omnia magnam, & valde reconditam Scripturarum profunditatem, & difficultatem ſatis ſuperque oſtendunt.

Hæc autem Scripturarum magna difficultas non ſolum earum dignitatem non minuit, ſed potiùs eam valde commendat contra Lutherum, Philippum Melanchtonem, Brentium, Bernardinum Okimum, Rolokum, & alios ſimiles hæreticos qui aliquibus Scripturæ, & Patrum teſtimoniis malè intellectis, ſophiſticiſque rationibus innixi dixerunt, Scripturas ſacras facillimas, planas, & cuique ad eas accedenti peruias, & apertiſſimas eſſe, contra quorum omnium errorem latè ſcripſerunt Bellarm. tom. 1. contr. 1. de Verbo Dei lib. 3. Salmeron tom. 1. prologom. 2. Anton. Perez volum. 3. de ſacra Scriptura dub. 11. & alij, qui argumenta hæreticorum ex profeſſo adducunt, & ſoluunt, propoſitamque veritatem Catholicam de ſumma difficultate, ac profunditate ſacrarum Scripturarum, tamquam earum dignitati, & maieſtati valde conuenientem latè demonſtrant prædictæq; difficultatis plures cauſas congruentiæque rationes adducunt. 4

Ex quibus omnibus id, quod ſuperius diximus, ſatis apparet, ſcil. difficultatem, & profunditatem, quæ in Venerabilis huius Parentis noſtri libris reperitur, neqnaquam eorum dignitatem minuere, ſed potius ſummoperè commendare, hæc namq; difficultas eſt valdè ſimilis illi, quam in Scriptura ſacra reperiri diximus: nec enim oritur ex affectato verborum fuco, neq; ex ſtyli obſcuritate, quin potius huius Myſtici Doctoris ſtylus valde perſpicuus eſt, & quantum rei materia patitur, rebus difficillimis, ac valde reconditis eximiam affert lucem, eaſque clariſſimè explicat: quod plures viri graues, & docti in hac doctrina, tamquam quid rarum, & egregium adnotarunt. Oritur ergo hæc difficultas ex rerum, de quibus agit, ſublimitate, ac recondita excellentia, quæ quantumuis perſpicuo explicetur ſtylo, ſemper ſatis abſtruſa, & à communi hominum intelligentia abſcondita manet. Præterea etiam, non in omnibus locis hæc reperitur difficultas, immò, vt plurimum multa tractat de externa, & interna mortificatione, rerum omnium creaturarum abdicatione, paupertate ſpiritus, eximia conſcientiæ puritate, reuelationum, ac ſimilium rerum in quibus multa ſolent immiſceri pericula, renuntiatione, quæ omnia facillimè à quouis intelligi poſſunt, & ex eis ingens vtilitas ſequi. 5

Hanc vero ſuæ doctrinæ aliqualem difficultatem, ipſemet Parens noſter optimè præuidit, & ideò tacitæ huic obiectioni ſic in prologo horum librorum occurrit. *Et quoniam doctrina hæc eſt de obſcura nocte, per quam anima ad Deum pergere debet: haud miretur Lector, ſi illi aliquantum obſcura appareat. Exiſtimo tamen, id ſolum initio lectionis futurum. Verum ſi in ea legenda progrediatur, priora clarius eum percepturum, vna quipperes per aliam dilucidatur. Quod ſi libri lectionem repetierit, puto manifeſtius cuncta intellecturum, doctrinamque hanc tutiorem apparituram. Si vero aliquibus lectio hæc non arriſerit, in cauſa eſt mea exigua ſcientia ac ſcribendi modus abiectus, & vilis: nam ſcriptionis materia ex ſe optima eſt & apprimè neceſſaria. Arbitror nihilominus, quod licet hæc ſublimiori exactioriq; ſtylo tractarentur* 6

quam

B. Joannis à Cruce

Opera mystica

NVI

12

quam hoc loco nos fecimus, non multorum palato bene saperent, nec à multis exoptarentur. Sæpe enim hic valdè moralia & spiritualibus, quibus per suauia & iucunda ad Deum ire placet, grata, tradentur, sed substantialis solum & solida pro vtriq; doctrina, si tamen ad spiritus nuditatem, de qua hic agitur, peruenire voluerint. Huc vsque Myst. noster Doctor.

Tandem pro huius etiam obiectionis solutione addere placuit id, quod citatus Magister Luisius Legionensis respondens simili obiectioni aduersus libros S.M. nostræ THERESIÆ factæ, in Apologia supra relata sic scripsit: *Quantum ad id, quod circa obscuritatem horum librorum attinet, si ea sufficiens foret ad prohibendam lectionem librorum, omnes simul scriptorum codices sunt prohibendi, quia nec ipsi Professores illos in multis locis exactè intelligunt. Quæro, S. Augustinum, quot Theologorum reperire est, qui illum non extra intelligant? Dionysium Areopagitam quis ille est qui hunc diuinum percipiat? & quod de isto dico, de Sanctis ferme omnibus assero, qui in plurimis suorum operum locis videntur linguâ propria loqui Arabica, & non solum id videtur illis qui Linguas Latinam, & Græcam norunt, verum & ijs quoque qui scholas frequentant & Theologicam scientiam profitentur. Quid dico de Sanctis, ipsimet Professores & Doctores Scholastici, à suismet proprijs Discipulis, quamuis attentè illis intendant, vix percipi possunt. Doctoris Angelici D. Thomæ doctrinam, Thomistæ in multis non intelligunt, multo minus Scoti Scotistæ. Idem censendum de Alexandro, Durando, Henrico Gandauens. Præterea, horum librorum obscuritas quæ exigua est, nemini refert damnum, & plurimis prodest, qui enim hanc intelligit, ex ea commodum refert, non intelligenti nec commodum nec damnum affert, malè dico, imò & non intelligenti est perutilis, quia ista obscuritas non consistit in verbis, sed in quibusdam rebus, quarũ qui caret experientiâ, nescit illas comprehendere. & quod hac ratione non percipitur, ordinariè generat admirationem & desiderium experiendi, quæ sunt respectu eius consequentia & vtilitatis.* Hucusque sapientissimus hic Magister, ex cuius responsione, & ex huc vsque dictis proposita obiectio satis superque soluta manet.

CAPVT V.

TERTIÆ PRINCIPALI OBIECTIONI aduersus eamdem doctrinam in communi sumptam occurritur.

1. TERTIO deinde aduersus hos libros modicam eorum vtilitatem aliqui obiiciũt, cuius nullam (quod sciamus) rationem reddunt, nisi forte dicant ideò esse parum vtiles, quia pauci sunt, qui de rebus adeò sublimibus, & à communi hominum sensu, & cognitione reconditis agunt. Imò addunt, non solum non esse vtiles, sed pluribus damnis occasionem præbere, maximè, cum in lingua vulgari præmantibus omnium habeantur, timent namque ne personæ spirituales simplices, maximè verò mulieres, debitam eorum intelligentiam assequi non valentes, in errores, aliaque damna incidant.

2. Sed huius obiectionis vanitas se se ipsa satis prodit: etenim negari nequit, non so-

lum

lum in religionibus, sed etiam extra illas, plures esse vtriusque sexus personas Deo altissimo famulatu seruientes, quæ nihil aliud curant, nisi, vt per creaturarum omnium externam, & internam abdicationem, perfectamque spiritus paupertatem, ad summam quamdam (quantum in hac vita fieri potest) cum Deo vnionem ardentibus desiderijs tendant, ad perfectionemq; illam anhelent, ad quam Christus Dominus nos inuitat dum ait: *Estote vos perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est.* Matt. 5. num. 48. quamque ipsemet in nobis exoptat, dum ad Patrem orans dicit: *Rogo Pater, vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint,* Ioann. 17. num. 21. non quidem, quia ad hanc adeò perfectam cum Deo vnionem peruenire possimus, sed quia ad eam, quam proximius fieri possit, aspirare debemus.

Nec minus indubitatum est huiusmodi animas esse præ alijs omnibus, Deo gratissimas, siquidem (vt habetur Ecclesiast. 16.) *Melior est vnus faciens voluntatem Domini, quam decies mille iniqui.* Imo pluris est apud Deum vnus ex his perfectis, quam cæteri omnes, & vniuersus orbis, imò, quam plures alij, ac innumeri Orbes. Hac enim de causa (vt bene notauit Chrysost. homil. 52. in Genes. & hom. 24. super Epist. ad Hebræos.) *Cum Deus terræ, & cæli, ac totius Orbis Dominus sit, tamquam glorioſum ſibi nomen aſſumpſit appellari Deus Abrahæm, Iſaac, & Iacob, huiuſmodique appellationem, vt illuſtriorem habuit, quam ſi totius Orbis, aliorumque innumerabilium Deus appellaretur.* Quo etiam pacto habuit se Deus erga Sanctissimam Matrem nostram THERESIAM, cum enim ipsa tanquam glorioſiſſimum ſibi nomen aſſumpſiſſet vocari THERESIA A IESV, ad denotandum se totam esse ipsius Iesu, simili quoque affectu ipsemet Christus Dominus semetipsum IESVM THERESIÆ appellauit, illi se totum tradens, vt in quadam visione testatus fuit, sic illam alloquens, *Filia, tam tota mea es, & ego totus tuus.* Et in alia visione summam quam de illa sola præ vniuerso Orbe æstimationem habebat, expressius ostendere volens, sic eam cum summo amore alloquutus fuit, *Filia, ni Cœlum creaſſem, pro te ſola crearem.*

3.

Ex quo recte infertur, quod ea, quæ ad huiusmodi animarum vtilitatem, & profectum necessaria, vel conducentia fuerint, non tamquam res parui momenti, sed tanquam magni ponderis Deoque iucundissima habenda sunt, imò, quod illis necessarium, vel vtile est, non priuatam dumtaxat vnius, vel alterius, sed communem vtilitatem obtinet, eo quod sæpe ex illis, etiamsi paucissimi essent, cæterorum omnium salus, ac totius ciuitatis, vel regni, in quo degunt, conseruatio, & fœlicitas pendet; quod multis sanè possemus exemplis, ac testimonijs illustrare, breuitatis tamen gratia sufficiet vnum, vel alterum in memoriam recolere.

4.

Etenim notissimum est illud, quod refertur, Gen. 18. dixit enim Deus Abrahamo, non delendam fore Sodomam, si saltim decem iusti in illa inuenti essent, propter quorum defectum subuersa fuit, ad eam tamen subuertendam oportuit, vt expectaret discessum Iusti Loth, quia dum ipse in illa remanebat, non poterat Deus prædictam ciuitatem, & si tot sceleratissimis hominibus plenam, euertere, ipsomet Domino attestante, qui sic ipsum Loth alloquutus est, *Feſtina, & ſaluare ibi: quia non potero facere quidquam donec ingrediaris illuc Gen. 19. n. 22.* Insuperq; propter ipsum Loth, vrbem Segot vicinam Sodomæ, pro qua ipse rogauerat, non subuertit, vt ex ipsius Dei verbis loco citato constat: dixit enim ad Loth: *Ecce etiam in hoc ſuſcepi preces tuas, vt non*

5.

B.
Joannis
a Cruce
Opera
mystica
NVI
124

subuertam vrbem, pro qua loquutus est. Ecce quantum, vel vnus vir iustus ad totius ciuitatis conseruationem conducat.

6. Quod etiam manifestissimè deprehenditur ex eo, quod cum quondam prouocaretur Deus ad puniendam Hierusalem, eamque cum Regno Iuda, Caldæis tradendam propter multa scelera, quæ populus ille contra Deum commiserat, dolens ipse Dominus futuram illius ciuitatis, ac Regni ruinam, cupiensq; causam aliquam, ad ei parcendum, inuenire, sic per Hieremiam c. 5. n. 1. ait, *Circuite vias Hierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei, &c.* Super quæ verba sic exclamat Hieronymus: *Grandis amor iustitiæ, vt nequaquam iuxta interrogationem Abrahæ, & responsionem Dei pro decem viris iustis liberauerit ciuitatem, sed si vnum inuenerit, iam iamq; peritura Hierusalem, qui faciat iudicium, & quærat veritatem, tamen Deus misereatur Hierusalem, &c.*

7. Plura alia illustrissima huius veritatis exempla omittimus, quis enim mente comprehendet, quantas vtilitates vnus Abraham suæ genti, vnus Moyses suo populo, vnus Elias, vnus Benedictus, vnus Augustinus, vnus Bernardus, vnus Dominicus, vnus Franciscus, vnus Ignatius, & vna THERESIA, toti mundo contulerint: sanè sicut modicum fermenti totam massam fermentant, ita modicum perfectionis vni animæ prærogatum, totam Congregationem, imò, & integrum populum illustrat: qua de causa Paulus ad Philipp. 2. n. 15. iure optimo viros sanctos, Orbis luminaria appellat, dicens: *Vt sitis sine reprehensione in medio nationis prauæ, & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, &c.* Meritò ergo diximus ea, quæ iustis, & amicis Dei, maximè vero perfectis, & si pauci essent, vtilia sunt, non priuatam, sed communem totius populi, ac Regni vtilitatem obtinere.

8. Ex dictis igitur intentum nostrum sic manifestatione ostendere possumus: inquirimus enim, num hi, qui perfectionem intendentes, contemplationiq; vacantes, ad intimam cum Deo vnionem tendunt, indigeant aliquibus documentis, quibus in hac difficili via rectè dirigantur, pluraq; pericula, quæ in illa frequenter occurrunt, euadant. Inquirimus etiam, vtrum spirituales Magistri, qui huiusmodi animarum curam habent, indigeant quoq; scientia, qua illas ducere, ac securè dirigere valeant? sanè nemo de hoc poterit rationabiliter dubitare, imò quo altior, & perfectior est via, eo est difficilior, abundantiorique, ac sublimiori doctrina indiget.

9. Et quamuis præcipuus huius doctrinæ Magister sit ille, qui dixit. *Nec vocemini Magistri, quia Magister vester vnus est Christus*, Matth. 23. n. 10. (quod Venerabilis Parens noster sæpissimè in suis libris admonet) certum est tamen, iuxta Catholicam fidem, præter hoc internum Magisterium (quod dumtaxat admittendum esse hæretici Libertini, & Suencfeldiani inaniter contendebant: vt refert Prateolus lib. 10. verbo Libertini, & lib. 17. verbo Suencfeldiani) externum etiam Magisterium in Ecclesia Dei esse necessarium, vt plures deceptiones, & errores euitentur, cum scriptum sit, quod ipse Satanas transfigurat se in Angelum Lucis 2. ad Corinth. 11. num. 14. secuti longa, & frequens experientia satis superque demonstrauit. Qua de causa docet Apostolus 1. ad Corinth. 12. & ad Ephes. 4. quosdam posuisse Deum in Ecclesia Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem sanctorum, vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni

omni vento doctrinæ in nequitia hominũ in astutia ad circumuention ẽ erroris, &c.

Hac etiã de causa quosdam voluit Deus esse in Ecclesia montes, vt lux Orientis iustitiæ solis, scilicet Christi in illis priùs recepta ex illis ad colles, & vsq; ad imas valles deriuaretur, iuxta illud Psal. 71. n. 3. *Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam*, quod optimè ad rem nostram explicat D. August. tit. 1. in Ioann. his verbis. *Montes excelsæ animæ sunt: & colles, paruæ animæ sunt; non autem acciperent minores animæ fidem, nisi maiores animæ, quæ montes dictæ sunt, ab ipsa Sapientia illustrarentur, vt possint paruuli trahere, quod possent paruuli capere, &c.* De necessitate ergo spiritualium Magistrorum, maximè in hac tàm difficili perfectionis, & contemplationis via, non potest, iuxta Catholicam fidem, dubitari.

Vt ergo prædicta omnia simul colligamus, sequentem efformamus rationem. 10.
Id quod est necessarium ad spiritualem salutem, profectum & instructionem illarum animarum altissimè Deo famulantium, quæ perfectionis viam ingredientes, per creaturarum omnium abdicationem ad intimam cum Deo vnionem flagrantissimis desiderijs tendunt, est magni ponderis, Deoque gratissimum, & communi bono vtilissimũ: at ad prædictarum animarum salutem, & instructionem summè necessaria est spiritualis Magistri in huiusmodi via periti doctrina: ergo doctrina hæc non parum vtilis, vel tanquam parui momenti habenda est, quin potiùs tanquam magni ponderis, communique bono vtilissima, ac Deo gratissima pluris est æstimanda, sed huiusmodi doctrina in libris Mystici nostri Doctoris adeò securè, sublimiter, ac dilucidè traditur, vt nullus huc vsque inueniatur liber, qui in huiusmodi certis documentis, ac in doctrinæ ad id spectantis soliditate, & securitate ei præponendus sit, imò paucissimi cum illo comparari valeant, vt ex communi sapientum, ac spiritualium virorum testimonio constat, iuxta ea, quæ cap. 2. diximus; ergo horum librorum doctrina, tamquam communi hono vtilissima, magnique ponderis, & Deo gratissima, veneranda, amplectenda, pluriſque æstimanda est.

Quæ ratio magis elucescit, & confirmatur, si attendamus inopiam, quæ communiter reperiri solet, spiritualium Magistrorum, qui cum debita scientia, & experientia, qualis ad hanc rem est necessaria, possint animas in hac contemplationis, & perfectionis via salubriter instruere, ac dirigere, periculisque, & difficultatibus, quæ in ea immiscери solent, occurrere: de hac. n. inopia, & fame, quam prædictæ animæ Deo dilectissimæ patiuntur, meritò dici potest illud Thren. 4. nu. 4. *Adhæsit lingua lactentis ad palatum eius in siti, paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis*, quã inopiam optimè deplorat Venerabilis noster Iohannes in horum librorum prologo, assignans causam, qua ad eos conscribendos motus fuit his verbis. *Ad hãc vero scriptionem non me virium mearum aliqua impulit facultas, quæ nulla est, si rei adeò sublimi arduæque conferatur; sed firma quam in Deum concepi fiducia, eum mihi laturum opem, vt aliquid proficui depromam; id q; ob summam plurium Animarum necessitatem, quæ in incepto virtutis itinere, dũ eas Dominus in hac obscura Nocte collocare vult, vt per eam ad vnionem diuinam perueniant, minimè vlterius progrediuntur: aliquando quia eam ingredi, aut sese in ea collocari recusant, aliquãdo vero, quia seipsas minimè intelligunt, nec idoneos peritosq; duces, qui eas ad summitatẽ vsq; montis perducant, sortiuntur. Quare est res cõmiseratione digna, videre plures Animas aptitudine naturali, diuinisq; fauoris auxilijs ad vlterius in via hac progrediendũ dotatas, in infimo cũ Deo a-* 11.

B.
Joannis
a Cruce
Opera
mystica
NVI
124

gēdi gradu remanere, eo quod abnuāt, vel ignorēt, vel certè à vitæ ſpiritualis initijs deſiſtere, & euelli nō doceātur. Nōnulli ſiquidem Confeſſarij & ſpirituales vitæ Patres eo quod lumine iſtarum viarū experimentis deſtituti ſint, potius huiuſmodi Animas præpediunt, illiſq; detrimento ſunt, quā adiumēto: ſimiles facti fabricatoribus Babylonis, qui cum materiā ædificio aptam porrigere debuiſſent, aliam multùm ab ea diſcrepantem ſuppeditabant, eo quod minimè idoneam illud perfectum illis eſſet: vnde nec quidquam aggreſſi operis perfecerunt. Quamobrem res eſt prorſus moleſta & dura Animam in huiuſmodi euentibus minimè ſeipſam intelligere, nec qui eam intelligat, reperire poſſe. Pluraq; alia ad hoc propoſitum optimè in eodem prologo ſubiungit, in ſuiſq; libris ſæpè repetit, præcipuè verò in illo, qui inſcribitur, *Flamma amoris viua*, Cant. §. 4. vbi ſic inquit. *Quantum ad primum ſpectat, non mediocriter neceſſarium eſt Animæ profitere, & non retrocedere cupienti, conſiderare, cuius ſeſe manibus credat, qualis enim fuerit Magiſter, talis erit & diſcipulus: & qualis Pater, talis & Filius. Pro itinere porro iſto, ſaltem pro ſublimioribus eius rebus, imo etiam pro mediocribus, vix ductorem aliquem perfectum ſecundum omnes quæ ad officium iſtud requiruntur partes reperiet. Vt enim eſſe ſapiens, diſcretus & rerum iſtarum experientia conſpicuus. Ad rectam enim directionem gubernationemq; ſpiritus, etſi fundamentum neceſſarium ſciētia ſit, & diſcretio, ſi tamen ſublimiorum rerum experiētia deſit, ignorabit in illis quando à Deo conferuntur animæ eam dirigere, magnoq; poſſet illi detrimento eſſe &c.* Quod experientia ipſa ſatis comprobatum eſt, quotidieque magis comprobatur.

Vnde S. Mater noſtra THERESIA cap. 4. ſuæ vitæ teſtatur ſe per plures annos non inueniſſe ſpiritualem Magiſtrum, qui eius ſpiritum intelligeret, eamque in hac ſpirituali vita rectè dirigeret, quamuis multa diligentia, & ſtudio diuerſis in locis illi quæſiſſet. *Nullum Magiſtrum Confeſſarium*, inquam, *inueni, qui me intelligeret, tametſi viginti ipſis annis poſtquam hoc quod hic dico, contigit, talem quæſierim. Quod haud dubiè mihi non parum nocuit ex huius defectu, non ſolum ſæpè retroceſſi, verum etiam in præſentiſſimo periculo fui, ne penitus peſſum irem, &c.* Qua etiam de cauſa multa damna, ſpiritualeſque labores cap. 5. & alibi affirmat ſe paſſam fuiſſe.

12 Cuius inopiæ facilis & euidens ratio apparet: cum n. ad hoc ſpirituale Magiſterium, præter ſcientiam, ſit etiam neceſſaria experientia; vt S. Patres paſſim clamant, & infra latiùs oſtendemus, hanc autem experientiam de rebus adeò ſublimibus pauciſſimi obtineant, quia pauciſſimi ſunt, qui eximiam illam ſpiritus paupertatem, vitæ puritatem, creaturarumq; abſtractionem ad eā neceſſariam habeāt, vt docent etiam communiter S. Patres D. Bernard. ſer. 5. de Circumciſione, ibi. *Ad hanc perfectionem pauci, ni fallor, perueniunt in hac vita,* & c. vlt. de interiori domo, vbi idem optimè tractat. D. Bonauent. de Myſtica Theol. c. 3. pag. 4. vbi ait, ideò Theologiam hanc vocari Myſticā, ſeu occultam, quia pauci ad ipſam recipiendam ſe diſponunt; Dionyſius Carthuſ. in præfatione ad tract. de fonte lucis, Ricardus de præparatione ad contemplationem cap. 76. ibi. *O quam rari ſunt, vel quia nolunt, vel quia nequeunt, qui huc vſq; aſcendunt, rarum valde in hunc montem aſcendere, ſed multò rarius in eius vertice ſtare, & ibi moram facere, rariſſimum autem ibi habitare, & mente requieſcere, &c.* Vbi hoc elegantiſſimè proſequitur: docent etiam Eſchius in Exercitationibus diuinis, exercitatione 5. Aluarez de Paz tom. 2. de vita ſpiri. lib. 2. p. 1. c. 11. & lib. 4. p. 3. c. 34. adducens ad hoc propoſitum illud Iob 28. *Sapientia vbi inuenitur, & quis eſt locus intelligentiæ?* noſter Ioannes à Iesv Maria, in ſchola orat. titul. 8. dub. 12. plureſque alij.

Cum

Cum ergo tam pauci sint, qui obtineant experientiam ad hoc spirituale magisterium necessariam, meritò Mysticus noster Doctor loco citato asserit vix aliquem inueniri, qui vndequaque possit in hac perfectionis, & contemplationis via, spiritualis Magistri munus exercere, cuius veritatis, adhuc intra naturalem ordinem, notitiã habuit Plato, si quidem lib. 4. Dial. de virt. fol. nobis 16. tam difficilè existimauit perfectum virtutis Magistrum inueniri, vt dixerit: *Sæpè numero si qui virtutis Magistri essent, omni studio inuestigaui, nec vnquam inueni, & si vna cum cæteris pluribus, atque his, vt videbatur, huius facultatis peritis, id quæsiui.* Ex hac igitur spiritualium Magistrorum inopia satis apertè horum librorum Venerabilis nostri IOANNIS ingens vtilitas apparet; siquidem in eis continetur tam solidum, securum, ac sublime Magisterium, ad quod non solum hi, qui ad prædictam perfectionem & intimam cum Deo vnionem tendunt, sed etiam eorum spirituales Magistri, & Confessarij tuto sese confugere possint; quia propter eximiam huius celebrimi Doctoris, in his rebus, sapientiam cum longa experientia coniunctam, insignemque vitæ puritatem, & perfectionem, quidquid ad hoc tam necessarium & difficile Magisterium desiderari potest; cumulatissimè in eius doctrina reperient. 130.

§. II.

Horum librorum in lingua vulgari vtilitas, & conuenientia demonstratur.

EX quibus etiam deducitur, non solum non esse nociuum, sed valde vtile, doctrinam hanc vulgari lingua scriptam prę manibus haberi: cum enim plures ex his, qui ad hanc cum Deo vnionem per contemplationis viam tendunt, simplices sint, ac Latinæ linguæ ignari, vel in ea non multum periti, vt experientia ipsa satis compertum est, & ratio id conuincit, eo, quòd prædictæ personæ à rerum tumultu, ac negotijs alijsque curis, quæ mentem distrahere solent liberi, & expediti esse soleant, non est dubium, quin ad contemplationem, familiaremque cum Deo vsum, satis apti sint, quia, vt docent D. Greg. lib. 6. moral. cap. 28. D. Thomas 2. 2. quæst. 180. artic. 2. D. Bonauent. in prologo libri de regimine conscientiæ, vel fonte vitæ, & communiter SS. PP. ad contemplatiuam vitam valdè conueniens est, ab exteriori actione, & immoderata occupatione, aliarumque rerum curis quiescere; impeditur enim actus contemplationis per tumultus exteriores, & curas. 141.

Cum ergo plures ex his, qui contemplationi vacant simplices, ac Latinæ linguæ ignari, vel parum in ea exercitati sint, conuenientissimum sanè fuit, doctrinam hanc adeò illis vtilem, & necessariam taliter scribere, vt commodè possent illam intelligere, eaque vti, quod, nisi vulgari lingua eam prę manibus haberent, nequaquam assequerentur; maximè, cum plures ex his spiritualibus, & simplicibus personis sæpe, vel ratione status, vel alijs de causis spiritualem Magistrum in his rebus peritum, vel alios viros doctos, quos consulant, habere nequeant. Vnde nisi in aliquo libro, vulgari lingua scripto, ea, quæ ad hanc tam sublimem, & reconditam, ipsisque necessa-

B. Joannis à Cruce
Opera mystica
MVI
124

riam materiam pertinent, inueniant, ac præ manibus habeant, ſpiritualis doctrinæ alimento omnino carebunt, fameque miſerè conſumentur, eruntq; de numero illorum, de quibus ſupra diximus verificari illud Thren. 4. n. 4. *Adhæſit lingua lactantis ad palatum eius in ſiti: parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.*

15. Sed non ſolum ad huiuſmodi animarum vtilitatem, verum etiam ad ſpiritualium Magiſtrorum lucem, id ipſum conuenientiſſimum fuit; cum enim plures ex illis in Theologia Myſtica, ac ſpiritualium rerum experientia (quæ, vt infra oſtendemus, ad hoc ſpirituale Magiſterium præcipuè ſpectanda eſt) non parum exercitati, in ſapientia tamen ſæculi, ac Latina lingua non admodum eruditi ſint, oportebat ſanè doctrinam hanc in hac materia adeò ſecuram, & ſalutarem, taliter ipſis offerre, vt abſque difficultate poſſent illam intelligere, eaque ad proprium munus exercendum commodè vti, quod niſi in vulgari lingua eam præ manibus haberent, vix ægrè aſſequi poſſent, & ideo maneret huius ſublimis doctrinæ ingens Theſaurus, reſpectu plurium, tam ex Magiſtris ſpiritualibus, quam ex diſcipulis, abſconditus, eoque ipſo reſpectu illorum inutilis, iuxta illud Eccl. 20. *Sapientia abſcondita, & Theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque?* Imò reprehenſionem mereretur ſublimis hic Doctor, ſi doctrinam hanc in his temporibus adeò neceſſariam, vtpote quæ in præcauendis illuſionibus, quibus plures perſonæ decipiuntur, tota verſatur, ſub Latini Sermonis velamine abſconderet, id namque eſſet abſcondere animarum frumentum, in tempore publicæ neceſſitatis, & famis, quod Deo valde ingratum eſt, iuxta illud Prouerb. 11. num. 26. *Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis.*

16. Hanc autem ingentem vtilitatem confirmat experientia ipſa, tam in his libris ſublimis noſtri Doctoris, quam in alijs ſimilis argumenti, qui in vulgari lingua circumferuntur, nam, vt modo omittamus vberrimos fructus ex doctrina Ioannis noſtri à pluribus, tam ſapientibus, quam ſimplicibus huc vſq; collectos, quis neſciat, cum quanta animarum vtilitate plures libri de oratione, & contemplatione, necnon, & de diuinis viſionibus, ac reuelationibus agentes, vulgari lingua, in omnium manibus circumferantur? cuiuſmodi ſunt libri illi, qui Hiſpano ſermone vocantur, *Abecedarij*, & etiam alius, qui inſcribitur, *Item, Aſcenſus Montis Sion*, ex quorum lectione S. Mater noſtra Theresia (vt plures alias perſonas omittamus) magnam vtilitatem experta fuit, eo tempore, quo ſpirituales Magiſtros, qui eius ſpiritum intelligerent, non inueniebat, vt ipſamet cap. 4. & 23. ſuæ vitæ teſtatur: ſimiliterque in lingua vulgari circumferuntur, cum magna vtilitate liber Theologiæ Myſticæ D. Bonauenturæ, Exercitia Nicolai Eſchij, Vita, & reuelationes S. Gertrudis, S. Catharinæ Senenſis, & Venerabilis Ioannæ De La Cruz, alijque libri ſimilis argumenti, noſtri Hieronymi à Matre Dei, alias Gratiani, Molinæ Carthuſienſis, Albaradi, & aliorum plurium, & vt cæteros omittamus vnus pro omnibus ſufficiat liber S. Matris noſtræ Theresiæ, ſublimis contemplationis doctrina, Myſtici noſtri Doctoris doctrinæ omnino ſimilis, diuiniſque reuelationibus refertus, qui vt ſupra cap. 1. à num. 8. diximus in omnibus fere linguis, cum communi admiratione, & vtilitate, totiuſque Eccleſiæ, ac Summorum Pontificum approbatione præ omnium manibus habetur: ex cuius doctrina (vt benè notauit ſapientiſſimus Magiſter Luiſius Legionenſis ſupra citatus) nullus vnquam deceptus, aut illuſus inuentus eſt. Si

ergo

ergo ex his libris, qui de hoc argumento vulgari lingua tractant, tam ingens vtilitas in Ecclesia Dei experimento ipso comprobata est, nulla apparet ratio cur de vtilitate librorum Venerabilis nostri IOANNIS, vbi hæc eadem doctrina adeò securè, & prudenter tractatur, possit cordate dubitari.

Quod etiam ex eo magis confirmatur, quia plures SS. Patres, tam Græci, quam 17.
Latini de huiusmodi, & alijs rebus valde sublimibus in proprio, & vulgari idiomate, quod respectu illorum, & gentis ad quam scribebant, Græcum, vel Latinum erat, suos libros ediderunt, ex quo non damna, sed ingentia commoda, & vtilitates in Ecclesia Dei secutæ sunt.

Imò addimus, quod etsi ex alijs libris, qui lingua vulgari de hoc argumento tra- 18.
ctant, modica vtilitas, vel etiam incommoda aliqua sequuta essent (quod, vt vidimus, verum non est) tamen in doctrina Mystici nostri Doctoris nullum fundamentum, aut occasio id prudenter timendi, sed potius ingentem sperandi vtilitatem, inuenitur: etenim damna, quæ ex huiusmodi libris, vt in plurimum oriri solent, proueniunt ex inordinato aliquo appetitu diuinarum visionum, ac reuelationum, aut aliarum rerum huiusmodi, ex quibus sanctitatis fama, proprijque nominis celebritas aequiri solet; ex quo appetitu aditus ad plures errores, Dæmonis illusiones, & vitia aperitur: at doctrina hæc IOANNIS nostri non solum appetitum hunc non excitat, quin potius illum omnino extinguit: totus enim est prudens hic Doctor in tali appetitu damnando, & extirpando, frequentissimè docens, non esse curandum de huiusmodi visionibus, ac reuelationibus, imo potius eas, communiter loquendo, respuendas esse, spiritualesque Magistros valde hortatur, vt à suis discipulis earum amorem, & æstimationem auferant: totamque suam doctrinam eo dirigit, vt animas absque vllo talium rerum adminiculo, sed solo fidei lumine innitendo, propriæque mortificationi internæ, & externæ semper incumbendo ad intimam cum Deo vnionem ducat, & ita tota eius doctrina carni, & sanguini, ac vano honoris appetitui, proprioque amori est valde aduersa, adeoque rigida, vt potius timendum sit, ne homines ab ea deterreantur, quam ne propter illam, ad prædictarum rerum vanum, & inordinatum amorem excitentur: quod optime præsensit ipse Venerabilis noster IOANNES, dum in prologo suorum librorum sic scripsit: *Arbitror nihilominus, quod licet hæc sublimiori exactiorique stylo tractarentur, quam hoc loco nos fecimus, non multorum palato bene saperent, nec à multis exoptarentur. Non enim hic valde moralia ex spiritualibus, quibus per suauia & iucunda ad Deum ire placet, grata tradentur, sed substantialis solum, & solida petrisque doctrina, si tamen ad spiritus nuditatem, de qua hic agitur, peruenire voluerint.* Tantum igitur abest vt doctrina hæc occasionem ad prædicta damna præbeat, vt potius saluberrimum contra illa antidotum contineat, & ideo de eius ingenti vtilitate, etiam in lingua vulgari dubitari non potest.

§. III.

B. Joannis a Cruce
Opera mystica
N V
142

§. III.

Insignis auctoritas Magistri Luisij Legionensis ad hoc propositum adducitur.

19. TANDEM ad hoc propositum non possumus non adducere insignem responsionem, quam simili obiectioni aduersus libros S. M. N. THERESIÆ factæ præbuit sapientissimus ille Magister, Luisius Legionensis, in Apologia citata, vbi sic habet: *Et ad primum, vt pateat esse calumniam præsuppono, Orationem vnionu esse suspensionem Animæ in Deo, quæ accidit, quando oranti & in discursu intellectuali existenti, Deus applicando suam virtutem, & potentiam eum ad se trahit, eique suspendit discursum intellectualem, & accidit voluntatem eius vnitiuo amore. Hoc præsuppositio, Dico: Verum esse huius vnionis mentionem haberi in istis libris, & in illis declarari, quid sit ista vnio, & in quo consistat: item de bonis effectibus quos causat, qua ratione valeat cognosci, & discerni vera à falsa, & si hoc est illam docere, verum est hos libros illam docere, sed quæro: talis doctrina quod nocumentum adfert, vel quodnam inconueniens in se continet; quod si asserere velint, tale orationis genus minimè reperiri falsissimum quid astruunt, & in sanctos maledici sunt, qui de hoc scripserunt, imo contra ipsam Fidei veritatem: constat quippe ex Sacra Scriptura dari orationem raptus seu ecstasis & vbi tale orationis genus reperitur, habetur & illud quod vocamus, vnionis; si vero fateantur, vti illos fateri oportet, dari tale orationis genus, non rectè asserere possunt hoc malum esse, cum illud Deus elargiatur: & si datur & bonum est, quanam ratione malum esse poterit tractare de tali vnione, eiusdem demonstrare qualitates, fallacias detegere, quæ hoc in itinere occurrere possunt; ne gradientes per illud decipiantur.*

20. *Si viterius dicant, hanc orationem per regulas, & præcepta minimè acquiri posse, maximam dicunt veritatem: & hoc est omnium primum monitum horum librorum; ac proinde nulla illum dant præcepta nec regulas, solum orationis studio incumbentes admonent, quod si ad hunc orationis gradum pertingere cupiant, magnam conscientiæ puritatem sectentur oportet; cor insuper à rebus terrenis auellant, ad ea quæ perfectiora sunt, semper adspirent, vt sunt præcepta & consilia Euangelica, si ergo hæc vnionis via est bona & perfecta, bonum quoque est & necessarium haberi libros, qui de ea tractent, & qui ostendant eius naturam, qualitates, & semitas. Cur conueniat librum reprobare, qui est dux viæ bonæ? Quod si expediat talia non scribere, ideo erit, ne sciantur, & si hoc conuenit, idcirco erit quia expedit ea non deduci in vsum. At nemo sanè erit adeo hebes & ignarus, qui hoc ipsum ausit asseuerare: imo è contra quia eius vsus vtilis est, etiam scientia erit necessaria: ac propter hanc ipsam rationem maxime proficuum eam scribere.*

21. *Respondeant mihi qui ista proferunt, quibusnam nocumentum aliquod cognitio huius vnionis adferat? an illis qui de ea tractant? minimè: quia communicatur illis lumen ad hoc ipsum quod pertractant melius edocendum. Isti vero qui non agunt de ijs quæ hic legunt, alterutrum necessario percipiunt, vel admirationem de Deo super delitijs, quibus suos fouet; vel desiderium sequendi ipsam viam, & deserendi totum vt Deum tam sibi amicum experiantur: quæ duo motiua, vt per se patet, vtilia sunt.*

Videtis

Videtur tales, qui ad ista attendunt, nullos præter hos vidisse libros, & ignorare alios quoq; reperiri scriptores, qui de eadem materia pertractant; quænam ergo iniustitiæ labes est, ab his dumtaxat scriptis cauere sibi, quæ inter alia millena scripta versantur? Videant S. Bonauenturam, Richardum à S. Victore, Ioannem Gersonem, & si conscriptos in lingua vulgari exoptant, videant tertiam partem Abecedariorum, & videbunt esse exiguum quod B. Mater THERESIA hoc in genere scribit, respectu eorum quæ alibi & dicuntur, & exarantur, & hoc quo ad primum. Huc vsque Legionensis loco cit. qui etiam in epistola scripta ad Moniales Monasterij Matritensis Ordinis nostri, quæ in principio operum S. M. N. THERESIÆ habetur, sic ad propositum loquitur. 21.

Iam reliquum est, respondere nonnihil ijs, qui adeo hosce libros periculosos censent, quod res, nimis quam subtiles, & sublimes tractent, quas ad vniuscuiusque genium non facere, nec ad omnes, passim spectare aiunt. Cum ergo triæ sint hominum genera, quorum alij de facto orationi intendũt, & vacant, alijs si vellent, ei possent intendere, alij denique ob status sui conditionem prorsus, etsi vellent, non possunt; peto iam ipse, quibusnam horum libri huius lectio periculum sit creatura? an spiritualibus? nequaquam: nisi fortasis alicui noxium & periculosum sit nosse quid faciat, & cuius rei professionem faciat. An vero ijs, qui orationi vacandi occasionem quidem habent, sed negligunt? multo minus: inueniunt namque in his libris, non solum qui ipsos, cum eam exercere volent, conducat, & viam commonstret; verum etiã qui eos excitet atq; animet, vt hic animum applicent. Quod profecto magnum bonum est. Tertij ergo generis hominibus, quid est, quod hic noceat, & periculum creet? an nosse, quod Deus hominibus amabilis, affabilis, & blandus est? quod eum inueniat, qui se ab omni prorsus re sequestrat, & denudat? quas animæ delitias afferat? quale sit inter eas quas illi confert consolationes discrimen? quo eum modo depuret, expurget, & velut sublimet? Quid hic, quæso est, quod cognitum legentem non sanctum reddat? quod non quandam in ipso Dei admirationem excitet, ipsumque ad eum diligendum inflammet? si ergo operum horum exteriorũ, quæ Deus in rerum creatione & gubernatione peragit, consideratio quædam communis boni, in omnium hominum vsum, schola sit, quomodo arcanorum eius mirabilium cognitio, cuiquam esse possit periculosa. 22.

Et licet fortasse quis ob malam suam dispositionem, aliquod hinc sibi damnum & noxam eliceret, anne idcirco tanto bono & vtilitati, & quod in tam multos dimanare posset æquum foret iamiam occludere & illud impedire? eadem ratione posset & ab Euangelij prædicatione cessari: nam ipsum, non recipientibus (vt Apostolus ait) maioris est damnationis occasio. Quæ demum scripta sunt, etiam ipsam sacrã Scripturam sub ijs cõprehendendo, è quibus male affectus animus non aliquem errorem posset arripere & haurire? In ipso rerum examine & dijudicatione videndũ est, num ipsæ in se bonæ sint, & ad fines suos consequendos congruæ, non autem quomodo siniſter nõnullorum vsus eas sit vsurpaturus, si enim ad hunc respicere velimus, nihil vsque eo sanctum est, quod non possit meritò vetari ac prohiberi. Quid Sacramentis Ecclesiæ sanctius est? quam multos tamen inuenire est, qui ex siniſtro eorum vsu & frequentatione deteriores fiunt? Diabolus, vtpotè subdolus & vafer, & semper ad nobis nocendum excubans, in varios sese induit colores, seque in mentibus quorundam tanquam de proximi salute & bono sollicitum & prospicientem ostendit, quò, per speciem alicuius particularis damni auertendi, simul ab omnium oculis submoueat id, quod publice & in communi bonum & proficuum est? Nouit quippe damni plus se facturum in omnibus ijs, qui horum librorum lectione, aut vitam emendabunt, aut ad spiritualem perfectionẽ peruenient, quam compendij ex inscitia, aut prauitate huius vel illius priuati, qui ob malam suam 23.

B. Joannis a Cruce

Opera mystica

NVI

124

dispositionem huius offendiculum capiet, & periculum. Quare ne priores illos amittat, paucorum horum, quos alijs sexcentis modis corrupit & deprauauit, damnum magnificat, & nobis ob oculos ponat. Quanquam sicuti paulo ante dixi, neminem ita male dispositum esse sciam, qui inde damnum referat, quod nouit Deum amicis suis amabilem esse & quamuis ipse in se suauis sit, & quibus animæ modis ad ipsum perueniant: quæ omnia hic tractatus quam cumulatissimè docet & tradit. num. 24. Solos illos hic timeo, qui omnes iuxta suam normam & præscriptum conducere volunt, ita vt vix quidquam probent, quod ipsi non dirigunt, & inadueniunt, & totis ad hoc viribus comtantur, ne, quod ex sola ipsorum mente & proposito non fit, vllam apud alios authoritatem assequiat. Quibus satisfacere & respondere omnino nolo, quod ex propria voluntate error ipsorum autum habeat, vnde nec responsionem aliquam volent admittere, sed cæteros omnes rogatum velim, ne quo illis modo auscultent aut credant, quod hoc non mereantur. Huc vsque sapientissimus hic vir, cuius verba sic ad longum retulimus, quia proposito nostro adeò mirificè congruunt, vt pro defensione horum librorum mystici nostri Doctoris, data opera, conscripta à tanto viro fuisse videantur.

§. IV.

Propositæ obiectionis responsio concluditur.

25. CONCLVDAMVS ergo responsionem huius obiectionis, colligendo ex dictis non aliunde, nisi ex Dæmonis malitia, & inuidia plurium bonorum, quæ ex horum librorum Venerabilis nostri IOANNIS lectione facilique intelligentia secuta sunt, in posterumque cum maiori incremento procul dubio sequentur: ex hac ergo Dæmonis inuidia ortum fuisse aliquorum scrupulum, vanumque timorem circa huius doctrinæ, adeò his temporibus vtilis, & necessariæ, & ab omni periculo liberæ, communem diuulgationem, sub titulo zeli boni communis, maximè cum huiusmodi relata & scrupulum non videamus in illis circa euulgationem aliorum librorum, qui quotidie lingua vulgari in lucem prodeunt, resque non solum inutiles, & vanas, sed valdè profanas, & nociuas, quibus vitiatus hominum animus facillime adhæret, continent, & in plurium manibus, cum maximo eorum, & totius reipublicæ damno, circumferuntur.

26. Quod etiam optimè adnotauit Sapientissimus Magister Luisius Legionensis Apologia iam citata his verbis: *Et sic dicendo concludo, quod citra vllam dubitationem credam, illos grauissimè à dæmone deceipi, qui de his libris non eâ quæ par est reuerentiâ loquuntur: & quod ab impostore diabolo eorum lingua dirigatur, ad horum librorum euidentem fructum ipsis mediantibus prapediendum, si posset. Quod euidenter ex hoc patet; si enim spiritu Dei agerentur, prius & ante omnia condemnarent libros Cælestinæ, Equestres & sexcentas alias Canilinas aliosque plenos vanitate, & lasciuia, quibus momentis singulis inficiuntur, velut pestifero veneno immunera anima. sed cum non moueantur à Dei spiritu, istorum nullam mentionem faciunt, per quos deprauatur Christianitas, & morum bonitas, sed de illis loquuntur, & illos canillant, qui bonos ordinant mores, qui recolligunt animam, & ad Deum maxima cum efficacia ducunt. Sacius*

sanè esset zelum in euulgatione horum librorum auertenda, ac reprimenda exercere, quam in impedienda diuulgatione librorum spiritualium, qui ad animarum profectum adeò vtilem, necessariam, ac securam (sicuti ostendimus, & ex dicendis magis constabit) doctrinam continent.

27. Nec huic indiscreto zelo suffragatur auctoritas aliquorum ex SS. Patribus, & Doctoribus asserentium res valdè sublimes non esse facile alijs communicandas: nam (vt ex huc vsque dictis constat) huiusmodi communicationem, & diuulgationem cum debitis circumstantijs, ita vt communis vtilitas prudenter ex tali diuulgatione sperari possit (vt in præsenti contingit) nequaquam reprobant; sed potius suis exemplis, & doctrina suadent: solum ergo reprobare possunt talium rerum diuulgationem; vel cum fit determinatè respectu personarum ad talem doctrinam capiendam inhabilium: Magistri namque doctrina cum discipulorum captu proportionanda est, iuxta illud Pauli, *Lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis*, 1. Corinth. 3. n. 2. quod inconueniens non reperitur, quando generaliter, absque huiusmodi personarum determinatione, doctrina scribitur, vt in eiusdem Pauli sublimi doctrina, quæ in eius epistolis continetur, cernere licet: vel etiam earumdem rerum euulgationem possunt reprobare, cùm specialiter ratione circumstantiarum, loci, temporis, & personarum maius damnum, quàm vtilitas prudenter timeri potest, quod in casu de quo loquimur, opposito modo contingere, satis ostensum est: vel denique huiusmodi euulgationem merito damnant, quando Scriptor, seu Magister taliter præsumit de rebus sublimibus, cuiusmodi sunt nostræ fidei mysteria, disserere, vt ea omninò, & perfectè declarari, ac ratione nostra assequi, & veluti comprehendi posse, denotet. Quod talium rerum altitudini, & profunditati valde derogat.

28. Cæterum, qui taliter de his rebus scriberet, vt potiùs rationis nostræ opus excludendum esse, intellectumq; proprium in fidei obsequium captiuari debere, huiusque fidei lumini in sublimibus rebus, cum magna subiectione, & reuerentia innitendum esse doceret, is proculdubio rectissimè, & cum magna vtilitate, & iuxta sanctorum Patrum documenta de his rebus sublimibus ageret. Quo pacto sublimem hunc Doctorem nostrum de illis tractare cuicumque doctrinam eius legenti manifestum erit, siquidem tota in eo versatur, vt animam per obscurum fidei lumen dum in huius vitæ caliginoso loco degit, ad sublimem contemplationis, & vnionis cum Deo montem ducat. Vnde ex doctrinæ huius euulgatione non damna, sed plures, & ingentes vtilitates prudenter sperari vndequaque possunt, idque experientia ipsa iam comprobatum est, sed circa hoc argumentum de vtilitate horum librorum, videantur ea, quæ duobus præcedentibus capitibus in præcedentium obiectionum solutionibus, necnon ea, quæ cap. 2. in huius doctrinæ commendationem diximus.

(..)

B.
Joannis
a Cruce

Opera
mystica
NVI
124

§. V.

Incidenti quæsito fit satis.

29. TAndem, vt cuiuis obiectioni, aut scrupulo, qui contra hos libros in commune occurrere posset, plenè satisfaciamus, placuit vltimò adijcere rationem eius, quod aliquis posset inquirere: Cur, scilicet sublimis hic Doctor, sicuti in suæ doctrinæ comprobationem, & confirmationem tot Scripturæ testimonia adeo sublimiter, ac subtiliter explicata adducit, sic etiam sanctorum Patrum testimonia non refert? Ex hoc namque occasio tribui videtur ad suspicandum doctrinam hanc non adeò conformem esse eorum doctrinæ, à quorum testimonijs abstinuit.

30. Sed suspicionem hanc vanam, & falsissimam esse ex dicendis in progressu harum obseruationum satis constabit; in quibus ostendemus IOANNIS nostri doctrinam in sanctorum Patrum Illustriumque Doctorum libris omnino contineri. Vnde non ideo ab eorum testimonijs referendis abstinuit, quia ipsis aliquo modo minus consonam esse existimaret, sed propter duo. Tum nimirum quia satis illi visum est, doctrinam suam Scripturæ sacræ (quæ diuinæ sapientiæ Thesaurus est) firmissimis testimonijs frequenter comprobare, & confirmare, vt sic maximam apud homines auctoritatem, & robur obtineret, summamque fidem sibi conciliaret. Tum etiam, quia intendebat doctrinam hanc, quantum fieri posset, breuiter, & sine prolixitatis fastidio, atque ad legentium solam vtilitatem, non autem ad propriæ eruditionis ostentationem scribere: & ita, cùm ex Scripturæ sacræ testimonijs debitum suæ doctrinæ robur præbuisset, ab alijs testimonijs adiungendis, quibus opus hoc nimium creuisceret, nec facilè præ manibus haberi posset, & ita eius communis vtilitas impediretur, libenter abstinuit; maximè cum eo ipso, quod demonstrasset eius doctrinam sacræ Scripturæ doctrinæ omnino conformem esse, eo ipso perspicuum remanebat, esse etiam conformem doctrinæ SS. Patrum, quam ipsi ex eodem fonte Scripturæ sacræ deprompserunt. Nihil ergo remanet, quod aduersus doctrinam hanc in communi obijci possit, ea verò quæ circa propositiones aliquas in particulari occurrunt, in sequentibus discutientur.

CAPVT VI.

THEOLOGIAM MYSTICAM, SICVTI & quamlibet aliam scientiam, vel artem, proprias, ac reconditas phrases, aut locutiones sibi vendicare, quarum vsus minimè ab alijs in tali scientia ineruditis iudicandus, aut taxandus, sed illius professorum iudicio (dummodo de veritate constet) relinquendus est.

24. QVIA ex vsu phrasium, seu locutionum, quæ in Theologia Mystica speciales, ac propriæ sunt, oritur difficultas plurium propositionum, quæ in his libris, quibus-

quibusdam nimis benè intellectæ, & propterea notatæ sunt, ideò, vt manifestè appareat nullatenus, propter has difficultates, doctrinam hanc minori commendatione dignam esse, necessarium sanè fuit, id, quod in titulo proposuimus, in hoc capite præmittere.

Illud igitur in primis, tanquam certum statuendum est, in qualibet scientia, vel 2.
arte, licitum, imò & conuenientissimum esse illius professoribus, pluribus locutionibus, ac phrasibus illius scientiæ proprijs, quarumque legitimus sensus, his, qui in tali scientia, vel arte versati non fuerint, ignotus sit sæpè, vti, quoties scilic. ad ea, quæ sunt illius scientiæ propria, conueniens iudicauerint; quæ proinde locutiones ab alijs, quantumuis in alijs scientijs eruditis, qui eas non benè capiunt, non statim reijciendæ, vel damnandæ, aut contemnendæ sunt, sed earum iudicium his, qui in tali scientia eruditi fuerint, relinquendum, multumque prædictis Professoribus in hac parte deferendum est.

Huius veritatis ratio in eo fundatur, quod scilicet ad rectam nominum impositionem, ac loquendi modum necesse est rerum quibus nomina imponenda sunt, vel de quibus sermo instituendus est naturam perfectè cognoscere. Hac enim ratione D. Thomas 1.p.q.13.ar.1.ait: *Voces referuntur ad res significandas media conceptione intellectus secundùm hoc igitur, quod aliquid à nobis intellectu cognosci potest, sic à nobis potest nominari, sicut hoc nomen homo exprimit suã significatione essentiam hominis secundum quod est &c.* Idemque docet art.8. eiusdem quæst. necnon opusc.73. his verbis: *Cum nomina sint signa rerum, & ipsas res nobiscum ferre non possimus in disceptatione veritatis ipsarum, ideò ipsis nominibus pro rebus vtentes, necesse habemus scire quid ipsa nomina significent, &c.* Quod etiam prius docuerat Plato, dum in libro, qui Phædrus, vel de Pulchro dicitur in fine sic scripsit: *Meminisse oportet non prius posse aliquem dicendi artem ad summum calere ad persuadendum, atq; docendum, quàm veritatem earum rerum quas dicit, aut scribit cognouerit, vniuersamque rem definire, & definitam posita rursus secundum species, vsque ad indiuidua diuidere nouerit.*

Vnde vt benè notauit Origenes homil.23. in Iosue, & D. Ambros. in comment. 3.
epist. ad Rom. cap.1 non casu, vel fortuitò, sed ratione, & consilio nomina rebus ab Antiquis posita sunt, quod benè confirmatur, ex eo quod sacra Scriptura Genes 2. refert, scilicet: *Adduxisse Deum ad Adam omnia animantia terræ, & vniuersa volatilia cœli, vt videret quid vocaret ea, omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis ipsum est nomen eius, appellauitque Adam nominibus suis cuncta animantia, &c.* Ideò namque id factum fuit, *quia* (verba sunt Abulensis super hunc locum) *Adam cognoscebat proprietates animalium, & secundum has imponebat eis nomina, vt non solùm cognitionem haberemus de rebus præsentibus per visum, sed etiam de rebus absentibus per nomen, quod imponitur, ideoq; appellauit cuncta nominibus suis, id est, nominibus cuilibet speciei appropriatis, &c.* Quod etiam docet super eundem locum Hugo Card. & ex huiusmodi nominum impositione colligit D. Thom. 1.p.q.94.ar.3. in argumento, sed contra Adam habuisse omnium rerum scientiam, *quia scilicet ipse* (verba sunt sancti Doctoris) *imposuit nomina animalibus, nomina autem debent naturis rerum congruere, ergo Adam scivit naturas omnium animalium, & pari ratione habuit omnium aliorum scientiam &c.*

Ex quo manifestè deducitur, quod cum soli sapientes, & periti in qualibet arte, 4.

B. Joannis a Cruce
Opera mystica
NVI
124

vel scientia naturas rerum ad illam pertinentium perfectè calleant, ad ipsos dumtaxat spectat eisdem rebus nomina imponere, ac phrasibus, & locutionibus ad proprias materias rectè significandas aptis vti, vt ea quæ modo diximus satis probant, insuperque docuit Plato in libro, qui Cratylus, vel de recta nominum ratione inscribitur circa finem his verbis: *Necesse est scientem fuisse illum, qui nomina posuit. aliter autem, vt iam dudum docebam, nomina nequaquam essent, &c.* Qua etiam de causa D. Hieron. Amos 1. *Naturale est* (inquit) *vt omnes artifices artis suæ loquantur exemplis, & vnusquisque in quo studio tenetur artem, illius similitudinem proferat.*

5. Vnde etiam constat ad huiusmodi sapientes, & peritos in qualibet arte pertinente de recta locutione, nominumque, & phrasium ad illam artem pertinentium vsu, iudicium ferre; cumque circa hoc difficultas aliqua occurrerit, illorum iudicio, non aliorum, quamuis in alijs artibus periti sint, standum esse: id namque in quauis difficultate, aut dubio circa propriam alicuius artis materiam seruari debere, optimè pluribus adductis exemplis docuit citatus Plato in libro, qui Theætetus, vel de scientia inscribitur his verbis: *Cùm medicinæ quispiam imperitus in febrim sese incursurum putat, atque ita sese calefactum iri, medicus autem repugnat contrariæ opinatus, vtrius illorum veram opinionem futuram ducimus? Num vtriusque? Ridiculum quidem id esset, quin etiam de vino, quod dulce, vel austerum futurum sit, agricolæ non citharistæ opinio præualet, nec de consonante, dissonantève futuro, gymnasticus melius, quam musicus opinatur, quando vero parata mensa offerenda sint epula, ac de futura illarum suauitate aliquid prædicendum, nonne coqui opinio potior, quam alterius cuiuslibet popinariæ imperiti?* quam ratiocinationem concludit sic in persona Socratis loquens: *Satù iam aduersus præceptorem tuum dictum sit, quod fateri cogitur, alium alio sapientiorem existere, eumque talem mensuram esse; me autem cum expers scientiæ sim, nihil mensuram sim cogit.* Idemque docuit dialogo de natura hominis circa principium. Habemus itaque eum, qui in vnaquaque scientia sapiens, ac peritus est, debere esse mensuram, cui cæteri in illa scientia, vel arte imperiti, quamuis in alijs sapientiores sint, debeant in his, quæ ad illam artem, vel scientiam pertinent, cuiusmodi sunt phrases, locutiones illius artis propriæ, aliaque huiusmodi, conformari.

6. Hac de causa diuersarum artium, vel scientiarum Professores, ijsdem vocibus, ac terminis materialiter sumptis, valde diuerso modo vtuntur, prout ad ea, quæ in vnaquaque scientia propria sunt, significanda congruentius esse iudicat, & ita eædem voces in hac, vel illa scientia longè diuersam obtinent significationem modumque dicendi, ac phrasim constituunt. Hac enim ratione Logici appellant, speciem id, quod Iurisperiti vocant, genus, nec non & indiuiduum sumunt illi, pro eo quod hi appellant, speciem. Mathematici tanquam principium per se notum constituunt, totum plus esse quam sui partem, cum tamen Politici affirment dimidium plus esse quam totum, eò quod in his materijs prudentialibus, ac Politicis, dimidium denotat mediocritatem, totum verò supremam potestatem, & quia conuenientius est ad rectam gubernationem prudenti quadam mediocritate, quam suprema potestate dominij vti, vt benè docuit Plato dialog. 3. de legibus asserens Græcorum Rempublicam, & potentiam antiquum splendorem, & fœlicitatem ideò amisisse, ac veluti euersam esse. Quæ (verba sunt Platonis) *illud rectissimè dictum ab Hesiodo ignorarunt, dimidium nonnunquam plus esse quam totum, quando videlicet totum comprehendere noxium est, dimidium verò moderate se habet, &c.*

Præ-

Præterea Philosophi, ac Theologi, Scholastici annihilationis nomen pro totali rei desitione sumunt, cùm tamen iuxta Scripturæ sacræ phrasim annihilatio profundam quandam humilitatem significet, iuxta illud Psalm. 72. *Ad nihilum redactus sum, & nesciui*, vt ibi Incognitus noster, & alij adnotarunt. Eamdemq; annihilationem Theologi Mystici pro summa quadam sumet, ac creaturarum omnium obliuione, ac derelictione ad Dei vnionem ordinata sumunt. Philosophus deinde Moralis quamlibet nimietatem, tamquam vitiosam, damnabit, eò quòd virtus in medio consistit; at verò, iuxta Scripturæ sacræ phrasim, nimietas perfectionis excellentiam denotat, iuxta illud Pauli ad Ephes. 2. n. 4. *Propter nimiam charitatem qua dilexit nos Deus &c.* Et Psal. 111. *Beatus vir, qui timet Dominum : in mandatis eius cupit nimis.* Similiterque Moralis Philosophus superbiam, ac furorem non nisi in malam, ac vitiosam partem sumet; at vero iuxta Scripturæ sacræ phrasim, generositatem, maiestatem, ac supremam excellentiam significat, iuxta illud Prophetæ Amos 8. num. 7. *Iurauit Dominus in superbiam Iacob*, id est, propter se ipsum, qui est bona superbia Iacob, in quo etiam sensu verba illa Psalm. 92. *Dominus regnauit, decorem indutus est*, transtulit ex Hebræo Caietanus, Dominus regnauit superbia indutus est, & iuxta eandem phrasim sæpè Regius Psaltes furorem Deo tribuit Psalm. 2. 6. 36. 37. & alibi, eundemque D. Dionysius spiritualibus substantijs sæpè adaptat. 7.

Præterea Philosophi, ac Theologi alicuius rei ignorantiam pro defectu, ac priuatione scientiæ sumunt: iuxta Scripturæ vero phrasim, vt videre est 2. ad Corinth. 5. & Matth. 25. num. 12. Deus ignorare, & nescire dicitur, non quia alicuius rei scientia, & cognitione careat, sed quatenus eam non approbat, vt docet D. Thom. 3. p. q. 15. art. 2. ad 2. Origenes in Psalm. 36. homil. 3. & Hieronymus circa principium libri 8. commentar. in Isaiam. 8.

Insuper Morales Philosophi virtutis nomen adaptant habitibus inclinantibus ad actus bonos, & laude dignos, at vero iuxta Theologos nulla virtus sine charitate reperitur, vt bene notauit D. Thomas, quæst. 14. de virtutibus artic. 6. ad 4. his verbis. *Dicendum, quod Philosophi non considerant virtutes, secundum quod sunt principia actus meritorij. Et ideò secundum eos habitus non formati charitate possunt dici virtutes, non autem secundum Theologos, &c.*

Tandem (vt plura alia exempla omittamus) Philosophi absolutè asserunt rem intellectam esse in intelligente, & cognitam in cognoscente, quamuis re vera talis res secundum suum esse naturale longè ab illo distet, quia ad prædictam locutionem in illa scientia verificandã sufficit talem rem secundum sui speciem, ac repræsentationem intellectui, aut sensui cognoscentis coniungi: similique ratione ijdem Philosophi asserunt amantem in rem amatam transformari, ibique magis esse vbi amat, quàm vbi animat propter magnam inclinationem amorisque pondus, quo amans in rem amatam fertur, cum illaque affectiuè vnitur, in quo sensu dicebat Paulus ad Galatas 2. numer. 20. *vivo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.*

Ad hunc ergo modum nulla est scientia, ars, aut lingua, quæ proprias phrases, ac locutiones peculiarem in illa significationem habentes sibi non vendicet, quas proinde, qui in illa scientia, aut lingua eruditus non fuerit, nequaquam callere poterit, & hac ratione impossibile omnino est Scripturæ sacræ sensum percipere, nisi plures

D.
Joannis
a Cruce
Opera
Mystica
NVI
124

res phrases, ac locutiones, quibus plerumque vtitur, præcognoscantur, pro quo plures regulas Cantapratensis in suo Hypothepseon, alijque Scripturæ Sacræ Interpretes assignant.

9. Ex quo etiam fit, vt sæpè alicuius artis, aut scientiæ professores aliquibus phrasibus, ac locutionibus tamquam proprio instituto congruentioribus, & ad res illius scientiæ proprias significandas aptioribus vtantur, quæ tamen apud alterius artis professores tanquam incongruæ reprobantur, quo pacto D. August. tract. 2. in Ioan. circa illa verba Ioann. 1. *Qui non ex sanguinibus*, sic inquit: *Non timeamus ferulas Grammaticorum, dum tamen ad veritatem solidam, & certiorem perueniamus, &c.* Quod ideò dixit, quia iuxta Latinæ linguæ proprietatem, sanguis pluralem declinationem non habet, qua tamen sacer Interpres vsus fuit, tam loco citato, quàm Psalm. 50. habit: *Libera me de sanguinibus*, vt sic phrasim originalis textus melius exprimeret, quod etiam adnotauit D. Gregor. epist. ad Leandrum. Vnde Origenes homilia 3. in Cantic. rectè dixit, *Melius est in interpretatione Scripturarum Grammaticos offendamus, quam scrupulum in veritatis explanatione ponamus.* Et Boëtius in proœmio Porphyrij à se translati inquit: *Verbum è verbo expressum reddidi, quòd in his scriptis, in quibus cognitio rerum quæritur, non lenti oratione lepos, sed incorrupta veritas exprimenda est, &c.* Cùm enim voces ad mentis conceptus exprimendos, veritatemque declarandam institutæ sint, illa sanè locutio, ac phrasis in vnaquaque arte, facultate, aut lingua congruentior erit, quæ ad ea, quæ talis artis propria sunt, declaranda aptior apparuerit, & ideò quamuis aliqua locutio vnius artis, aut scientiæ, ab alterius professoribus non plenè percipiatur, vel illorum Instituto non adaptetur, aut illis non placeat, non propterea ab eisdem, vel ab alijs reprobanda est, sed illius intelligentia ab eiusdem artis professoribus petenda, eorumque arbitrio eius vsui relinquendus, eorundemque iudicio in hac parte standum est.

§. II.

Facultatem hanc potiori iure Theologiam Mysticam sibi vendicare ostenditur.

10. HANC autem facultatem proprijs, ac specialibus vtendi phrasibus, ac locutionibus, potiori sanè titulo, inter cæteras alias artes & scientias, obtinet Theologia Mystica, vt bene adnotauit D. Bernard. serm. 79. in Cantic. in principio, Suarez tom. 2. de Religione lib. 2. de Orat. cap. 2. num. 17. noster Ioannes à IESV Maria, lib. de Mystica Theologia in principio nu. 11. & sequentibus, noster Didacus à Iesv, in Annotationibus ad libros Venerabilis nostri IOANNIS A CRVCE, ac plures alij.

Cuius rei ratio desumitur ex altitudine rerum circa quas versatur, quæ quò difficiliores, & abstrusiores sunt, eò per communes phrases, & locutiones, vtpotè valde inferiores, & impares, minus aptè explicari possunt: & ideò nomina oportuit excogitare, vel iam excogitata nouis vsibus accommodare ad eorum proprietatem, vt

vel aliarum scientiarum vsum sæpè non attendendo, vt sic, vel tenui quadam adumbratione rerum diuinarum altitudo proderetur, sicuti in operibus D. Dionysij, eiusq; interpretibus, necnon & alijs Doctoribus Mysticis passim cernere licet, quæ proinde speciales phrases non nisi ab ijs, qui in hac sublimi, & experimentali scientia eruditi fuerint, poterunt perfectè intelligi, & ideò cæteri, quamuis alias in speculatiuis scientijs non ineruditi sint, nequaquam ex eo, quod eas perfectè non calleant, occasionem ad eas reprobandas sumere debēt, sed potiùs quoties aliqua in illis, iuxta Scholasticæ Theologiæ regulas difficultas occurrerit, piè debent interpretari, vt D. Thom. in explanatione S. Dionysij suo nos exemplo docuit, beneque notauit noster Ioannes à Iesu Maria loco citato num. 12.

Quæ omnia à fortiori confirmantur ex quadam doctrina Senecæ epist. 55. vbi sic habet: *Adyce nunc quod artes quoque pleræque, imò ex omnibus liberalissimæ habeant decreta sua, &c.* Ex quo infert, *nulla ars contemplatiua sine decretis suis est, quæ Græci vocant dogmata, nobis decreta licet appellare, vel scita, vel placita,* & tandem concludit, *sequitur ergo, vt Philosophia cùm contemplatiua sit, habeat decreta sua, &c.* Si ergo scientia naturalis cōtemplatiua propria decreta sibi vendicat, quantò magis scientia contemplatiua supernaturalis, qualis est Theologia Mystica, sua peculiaria decreta, suasque locutiones, ac phrases eo difficiliores, & abstrusiores, quo obiectum sublimius est, obtinebit? Hac enim de causa Scriptura sacra, tot difficilibus locutionibus, ac phrasibus, sibi proprijs abundat, quia de rebus adeò sublimibus agit. *Profundos enim sensus* (inquit rectè Cantapratensis lib. 1. Hypotheposeon cap. 1.) *lingua non explicat, & cùm ipse sentiat, quid loquatur, in alienas aures puro non potest transferre sermone, &c.* 11.

Sed ex eo adhuc huiusmodi necessitas peculiarium phrasium, ac locutionum ad proprias Theologiæ Mysticæ materias explicandas, manifestiùs colligitur, quod scilicet, non solum hi, qui in hac scientia eruditi non sunt, sed etiam hi, qui harum rerum adeò sublimium contemplatione gaudent, ac diuina frequenter patiuntur, adeò impares locutiones omnes ad ea explicanda, inueniunt, vt nequaquam id, quod mente cognoscunt, ac in se ipsis experiuntur, valeant explicare, quo vsque ipsemet Deus, loquendi, ac dicendi modum talibus rebus adaptatum, eos peculiariter doceat, vt Sancta Mater nastra THERESIA cap. 12. suæ vitæ his verbis testatur: *Ad multos annos ita constituta fui, multa quidem vt legerem, nec tamen eorum quæ legebam, quidquam intelligerem, per longum quoque tempus ita disposita, vt, esto mihi Deus aliquid significaret, ne vel verbum tamen ego, ad illud expendendum efferre possem, quod non modico mihi labore constitit. Verum vbi Maiestatis eius visum fuerit, vno momento docet vniuersa.* Et paucis interiectis subiungit. *Interim mihi nec petenti, nec cupienti Deus dabat, vt hæc in puncto ac momento ita clarè intelligerem, vt etiam alijs ea exponere possem: adeò vt omnes non parum obstupescerent, & ego magis quam Confessarij mei, quod melius, quam ipsi meam ego stupiditatem intelligerem.* & capit. 20. loquens de vnione, & eius effectibus inquit. *Declaret hoc mihi Dominus, sicut & cætera declarauit, nam sanè nisi Maiestas eius mihi inspirasset, quibus modis, & rationibus dici aliquid posset, id ipsa per me facere non potuissem.* & cap. 23. subiungit. *Monebat porro Confessarius, vt, quidquid ad orationem meam spectare putabam sedulò notarem, & adipsum deinde referrem: sed in eo difficultas omnis erat, quod quæ & qualis oratio mea esset, exponere non possem: nam non nisi nuper admodum hanc mihi Dominus gratiam præstitit, quod intelligere, & exponere possem, quale id sit.* 12.

B.
Joannis
à Cruce
Opera
Mystica
TOM
124

13. Hoc idem optimè docuit, ac Scripturæ testimonijs, & exemplis comprobauit sublimis noster Doctor libro 2. Noctis Obscuræ, capite decimoseptimo, his verbis. *Hæc sapientia est adeo anima occulta, vt illam agnoscere, nomenque illi, ad eam verbis explicandam imponere nequeat, nam præter quam quod nullo tangitur animæ desiderio illam propalandi, nullum etiam reperit modum, aut rationem sicut similitudinem, quæ illi omnino ad intelligentiam adeo sublimem manifestandam, tamque delicatum & infusum spirituale sentimentum experimendum satisfaciat. Cuius rei suppetunt nobis authoritates simul & exempla in diuinis litteris. Inopiam siquidem ac insufficientiam exterius diuinum idioma manifestandi ac proferendi ostendit Ieremias, quando postquam Deus cum illo sermonem miscuisset, nihil aliud dicere scivit, præterquam A A A. Defectum quoque & insufficientiam interiorem, hoc est, interioris imaginationis sensus, nec non etiam exterioris, quantum ad præsens negotium spectat, ostendit etiam coram Deo in rubo Moyses, quando non tantummodo dixit Deo, se postquam cum illo verba fecisset loqui nescire; sed etiam* (iuxta quod in Actis Apostolor. dicitur) *ne considerare quidem audere, existimando imaginationem remotam ad modum, & mutam esse. Cum enim contemplationis huius sapientia, idioma Dei sit ad animam puri spiritus, cuius modi nequaquam sunt sensus; minimè illud percipiunt: atque hac ratione est illis secretum, neque illud norunt, neque verbis exprimere valent. Hinc elucere possimus causam, ob quam nonnulla personæ hac via incedentes, quæ sortitæ sint animas bonas, & suauidas, cum rationem eorum, quæ diuinitus percipiunt, rectoribus suis reddere cuperent, nullo id modo facere norunt aut valent, vnde & in proferendis illis magnam sentiunt renitentiam.*

Nec possumus præterire Diuum Bernardum, qui sermone octogesimoquinto,
14. in Cantic. elegantissimè id docet; nam postquam de perfectionis gradibus, quibus anima ad vnionem, Deique fruitionem, qualis in hac vita haberi potest, ducitur, in præcedentibus egerat, sic subiungit: *Pergat, quis forsitan quærere à me, quid sit verbo frui? Respondeo, quærat potius expertum à quo id quærat, aut si & mihi experiri daretur, putas me posse eloqui, quod ineffabile est? audi experta: siue mente excidimus, Deo, siue sobrij sumus, vobis, hoc est: aliud mihi, cum Deo solo arbitro Deo: aliud vobiscum, mihi illud licuit experiri, sed minime eloqui. O quisquis curiosus es, scire quid sit hoc verbo frui, para illi non aurem, sed mentem, non linguam, sed dat gratia: absconditur à sapientibus, & prudentibus, & reuelatur paruulis. Magna, fratres, magna, & sublimis virtus humilitas, quæ promeretur, quo non docetur, digna adipisci, quod non valet addisci, digna à verbo, & de verbo concipere, quod suis ipsa verbis explicare non potest.* Cùm ergo huius sublimis, ac experimentalis scientiæ, nempè Theologiæ Mysticæ materia adeò sublimis, recondita, ac explicatu difficilis sit, vt adhuc illi, qui in ea experti sunt, sine speciali Dei supernaturali illustratione, de ea loqui non valeant; duo manifestè ex hoc deducuntur.

15. Primum est, omnino à ratione alienum esse, velle prædictis professoribus modum, vel taxationem, iuxta Scholasticorum regulas, quas in suis phrasibus, ac locutionibus obseruare debeant, præscribere, sed potiùs (dummodò constet ipsos veritati non contradicere) amplam facultatem eis concedendam esse, ad hoc, vt iuxta supernam, qua afficiuntur, illustrationem, nominibus, ac locutionibus peculiaribus, prout ad proprios conceptus, ac res diuinas aliqualiter declarandas, conuenientius iudicauerint, vtantur, quamuis tales locutiones rigorem, ac proprietatem scholasticam non seruent, qua scribendi, ac loquendi facultate omnes SS. Patres ac Doctores Mystici frequentissimè vsi sunt, vt in D. Dionysio, Bernardo, Bonauentura, & alijs 5e-
cernere licet.

Secundum est, quod cum in hac sublimi scientia solum supremum illud Spiritus S. Magisterium, possit his, qui hæc diuina patiuntur, loquendi modum, ac phrases, quibus ea explicant, edocere, credendum proculdubio est, Doctores Mysticos, qui post huiusmodi rerum experientiam de eisdem locuti sunt, vel scripserunt, cuiusmodi fuere S. Dionysius, Bernardus, Bonauentura, Taulerus, Rusbrochius, Henricus Harphius, S. Mater nostra THERESIA, ac Venerabilis noster IOANNES, alijque similes, specialem Dei illustrationem, qua ad loquendum, vel scribendum fuerint edocti, habuisse, & ideò eorum phrases, ac locutiones, vtpotè à tam sublimi Magistro edoctas, sublimes quoque, ab alijs communibus longè diuersas, ac superiores, huiusque scientiæ valde proprias meritò extitisse; ac proinde quamuis hi, qui huiusmodi specialem illustrationem non habent, etsi in alijs scientijs eruditi sint, eas non calleant, non tamen propterea eas reijcere, aut damnare, sed humiliter venerari debent.

§. III.

Idipsum exemplis à terminis imperfectis, desumptis in Theologia Mystica, confirmatur.

EX dictis colligitur ratio, quare Doctores Mystici ad sublimes huius scientiæ materias aliqualiter declarandas, frequenter vtantur terminis, seu nominibus imperfectis superperfectis, contrarijs, ac dissimilibus, vt in eorum libris, præcipue verò in operibus Diui Dionysij Areopagitæ, Theologiæ Mysticæ Principis cernere licet. 16.

Et vt singulorum exempla breuiter apponamus, terminos imperfectos, sæpè ad res sublimes, ac diuinas explicandas aptiores esse, docet citatus Dionysius cap. 2. de Cœlest. Hierar. his verbis: *Porrò, quod mentem, atque animum nostrum similitudines illæ, quæ videntur absurdæ, potentiùs iuuent, atque ad diuina commodiùs subuehant, nemo, qui rectè sentiat, arbitror, infitiabitur; nam siquidem quæque sunt apud nos pretiosiora sumantur, quis non videat fore, vt per huiusmodi figuras oberrare incipiat animus, putans cœlestes illas aethereasque substantias, rutilantis auri præferre speciem, viroſque esse aliquos lucidos, & oris, maiestate coruscos, decoros, & vestis candore conspicuos, ignemque innocuè de se mittentes, & cætera id genus, quibus Theologia sublimes illos spiritus pingit, & figurarum varietate describit? quod vts, ne illi paterentur, qui nihil celsius mortali hac luce, & corporum specie contueri queunt, excellens illa Sanctorum virorum, qui diuina nobis monimenta reliquerunt, sapientia, vt adminicula necessaria infirmis animis daret, ad eas quoque dissimilitudines, quæ absurdæ, singulari dispensatione descendit, nequaquam permittens imbecillem mentem nostram fœdiu inhærere imaginibus, atque illa prorsus acquiescere, sed potius erigens animæ partem ad superiora tendentem, atque in honestate formarum à visibilibus omnibus reuocans, quasi fas non sit, nec verisimile omnino esse videatur, ne his quidem qui stolidiores, crassioresque intelligentiæ sunt, cœlestia illa, & diuina spectacula cum fœdis rebus re vera similia esse, &c.* Huc vsque Dionysius, cuius verba sic ac longum retulimus, quia rationem conuenientiæ huiusmodi imperfectis terminis ad res diuinas explicandas vtendi, optimè continent.

B. Joannis a Cruce
Opera Mystica
TOM. II
124

17. Et hac ratione sæpe etiam in sacra Scriptura nomina creaturarum infimarum, cuiusmodi sunt bos, leo, aquila, &c. Deo tribuuntur, ad eius sublimes proprietates aptius declarandas, quod optimè docuit D. Thomas 1. par. quæst. 1. articulo 9. ad 3. his verbis. *Ad tertium dicendum, quod sicut docet Dionysius cap. 2. Cœlest. Hierarch, magis est conueniens, quod diuina in Scripturis tradantur sub figuris vilium corporum, quam corporum nobilium, & hoc propter tria: primo, quia propter hoc magis liberatur humanus animus ab errore, manifestum enim apparet, quod hæc secundum proprietatem non dicuntur de diuinis, quod posset esse dubium si sub figuris nobilium corporum describerentur diuina, maximè apud illos, qui nihil aliud à corporibus nobilibus excogitare nouerunt. Secundo, quia hic modus conuenientior est cognitioni, quam de Deo habemus in hac vita, magis enim manifestatur nobis, de ipso quid non est, quam quid est, & ideò similitudine illarum rerum, quæ magis elongantur à Deo, veriorem nobis faciunt æstimationem, quod sit supra illud, quod de Deo dicimus, vel cogitamus. Tertio, quia per huiusmodi, diuina Magis occultantur indigni, &c.*

Hac ergo ratione Doctores Mystici imperfectis terminis ad res perfectas declarandas sæpe vtuntur, quo pacto Rusbrochius lib. 2. cap. 24. de ornatu spiritualium nuptiarum feruentissimum in Deum amorem, impatientem vocauit inquiens: *Hic amoris æstus, quædam interna, impatientia est, quæ rationi morem gerere, & obsequi non vult, donec amata potiatur.* Et Diu. Bonauentura, itiner. 4. æternit. dist. 5. artic. 2. perfectum Dei amorem, *summam amentiam* appellauit: quo pacto plures alias similes locutiones in Doctoribus Mysticis inueniuntur, quæ si ad proprietatem verborum attendantur, omnino falsæ, ac reijciendæ sunt, secus verò, si sensus inspiciatur, qui congruentiùs per huiusmodi imperfectas locutiones exprimitur.

§. IIII.

Vsus terminorum dissimilium, & contrariorum in Theologia Mystica exemplis ostenditur.

18. HAc etiam de causa terminis dissimilibus sæpe vtuntur, cuius rationem optimè tradidit citatus Dionysius vbi supra, his verbis: *Aliquando supersubstantialis Deitas ab eisdem laudatur scripturis honestissimè, ac penè diuine, dum in eius laude dissimilibus vtuntur signis, hic eam appellantes nominibus, quibus non* quid sit, *sed* quid non sit *dicitur. Hoc enim verius, vt arbitror, in ipsa est, & de illa propriè magis asseritur, nam dum illam esse aliquid negamus, ex his, quæ sunt, verum profecto loquimur; ergo in diuinis rebus negationes quidem veræ sunt; affirmationes verò nequaquam tantis arcanorum latebris congruunt; illa sanè conuenientior in rebus inuisibilibus erit expressa, quæ per dissimilia signa monstratur, &c.* Vbi Hugo Victorinus rectè subiungit. *Non solum idcò dissimiles figurationes probabiles sunt, quod supermundi alium excellentias ostendunt, sed ideò etiam, quod nostrum animum magis, quàm similes figurationes à materialibus, & corporalibus reducunt, nec in se quiescere sinunt, &c.* Quod etiam ex his, quæ nuper circa terminos imperfectos ex eodem D. Dionysio, & D. Thoma diximus, magis confirmatur.

Ob similem quoque rationem terminis contrarijs ad easdem res significandas
19. prædicti Doctores Mystici sæpè vtuntur: quo pacto citatus Dionysius, vbi supra, vt excel.

excellentiam quietis non otiosæ, aut remissæ, qua intellectuales illæ substantiæ fruuntur, exprimeret, *immunẽ quietem appellauit*, cùm tamen, iuxta verborum proprietatẽ, immunitas quieti omninò aduersetur. Similiter summam sapientiam non solum earundem substantiarum intellectualium, sed etiam ipsius Dei, appellauit, tam loco citato, quàm ca. 7. de diuinis nominibus, *amentem, stultam, & irrationabilem*, huiusmodi appellationem ex Apostolo 1. ad Corinth. 1. num. 25. deducens, & quamuis, iuxta verborum proprietatem, amentia, & stultitia, sapientiæ omninò aduersentur; per huiusmodi tamen contrarios terminos, sublimis illius sapientiæ eminentiam congruentius declarauit, vt D. Thom. super citatum Dionysij locum, & D. Bonau. cap. 3. de Mystica Theologia p. 4. benè explicant.

§. V.

Terminorum superperfectorum in Mystica Theologia, vsus, ad idem demonstrandum, adducitur.

TAndem, propter eandem rationem, terminos perfectos à Deo remouent, vt alios superperfectos illi tribuant, quo pacto sæpè D. Dionysius, in suis operibus, præcipue verò cap. 5. de Mystica Theologia, & cap. 7. de diuinis nominibus, asserit, Deum intellectualibus operationibus carere, & non habere intelligẽtiam, nec quietem, nec virtutem, nec vitam, nec substantiam, nec scientiam, nec veritatem, nec regnum, nec sapientiam, nec vnitatem, nec bonitatem, nec spiritum: cùm tamen iuxta verborum proprietatem, certissimum sit, iuxta fidem, & Theologiam, hæc omnia in Deo omnino formaliter reperiri. Cæterum, vt denotetur, hæc omnia non conuenire Deo, eo modo, quo hæc nomina, ex his quæ in creaturis reperiuntur deducta, significant, sed longè excellentiori modo, ideò congruenter prædicta nomina à Deo remouentur, & non sapiens, bonus, &c. *Sed supersapiens, superbonus, &c.* appellatur, vt locis citatis ipsemmet D. Dionysius docet, explicatq. etiam D. Thomas 1. p. q. 13. art. 3. ad 2. in quo etiam sensu, idem Dionysius loco citato ex Mystica Theologia, & D. Basilius lib. 5. contra Eunom. cap. 13. denominationem Patris, & Filij, & generationis Deo denegant, cum tamen sit fidei articulus, in Deo hæc omnia reperiri: vnde Theologus Scholasticus, qui ad solam verborum proprietatem, & rigorem scholasticum attendens, locutionem hanc damnaret, imprudenter proculdubio se haberet, manifesteque ostenderet suam in Mysticis locutionibus, ac phrasibus ignorantiam. 20.

Sed nullibi melius huiusmodi Mysticarum locutionum superperfectarum vis apparet, quam in locutione quadam, qua idem D. Dionysius c. 1. & 5. Mysticæ Theologiæ vtitur, appellans ipsam Trinitatem, *super Deam*, ac Deitatem illi denegans, cùm tamen, si ad verborum proprietatem attendamus, aliquid supra Deitatem constituere, absurdissimum sit, nullum nomen Deo proprius, quàm Deitatis nomen conueniat. Cæterùm, iuxta conuenientissimam Theologiæ Mysticæ phrasim, Deitas à Deo relegatur, & aliquid supra Deitatem constituitur, vt scilicet per hanc locutionẽ denotetur, Deitatem nequaquam conuenire Deo, eo modo, quo nos concipere possumus, sed alio longe sublimiori, quem aptissimè terminus ille, *Trinitas super Dea* exprimit. 21.

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
TVI
124

primit. Tandem *multa* (verba sunt Venerabilis nostri ac sapientissimi Ioannis à Iesu Maria, in sua Theologia Mystica, num. 14. & sequentibus) *Theologi Mystici simpliciùs minusque expressè, ac distinctè tradunt, quæ lectori parum oculato imponere possent: non enim in verborum proprietate, vel accurata rerum digestione, multum operæ posuerunt, quod in altera frequentur: sæpè contemplationem appellant, quæ propriè meditatio est, petito (vt conijcimus) nomine à termino meditationis, quæ propria solet contemplatione concludi; actum voluntatu proprium, nonnunquam cum intellectus actu commutant: puta, cum Dei sensui, gustui, vel experimento (quæ omnia voluntati congruunt) nomen visionis, notitiæ, vel cognitionis adscribunt; more videlicet in externis sensibus vulgatissimo; nam quæ quouis sensu percipimus, nos vidisse asseueramus, &c.*

22. Has igitur omnes Mysticas locutiones à verborum proprietate, & scholastico rigore alienas, exempli gratia, pluribus alijs omissis, adduximus, vt sic stabilitum maneret, sublimem hanc, & reconditam Theologiæ Mysticæ scientiam, multò potiori titulo, quam aliæ artes, aut scientiæ, proprias phrases, & locutiones suis dumtaxat professoribus plenè cognitas sibi vendicare, quæ proinde, etsi ab alijs in hac scientia non exercitatis, quamuis aliàs eruditissimi sint, non omninò percipiantur, imò potius dissonæ, vel disconuenientes, aut difficiles, vel etiam fallæ, verborum proprietate, & scholastico rigore attentis, illis videantur, non propterea reijciendæ, aut damnandæ, vel contenendæ ab illis, aut ab alijs sunt; cùm earũ vsus frequentissimè apud Sanctos Patres, ac Doctores Mysticos, cum totius Ecclesiæ approbatione, habeatur; sed potiùs piè, ac reuerenter, post humilem earum discussionem, & intelligentiam à peritis, & exercitatis in vtraq; Theologia, Mystica, scilicet, & scholastica acceptam, interpretandæ sunt, earumque vsus (dummodo veritati Catholicæ eas aduersari non constet) non ab alijs taxandus, sed professorum huius sublimis scientiæ arbitrio, diuinique spiritus magisterio, quo in suis scriptis specialiter instruuntur, relinquendus est.

CAPVT VII.

SCIENTIAM NON MEDIOCREM, sed summam, insuperque experientiam ad Mysticæ Theologiæ sublimes materias, propriasque eius locutiones, ac phrases perfectè intelligendas, & sine errore iudicandas, necessariam esse demonstratur.

1. EX his, quæ capite præcedenti diximus, veritas in præsentis capitis titulo proposita, satis manifestè deducitur. Cæterùm, quia ad iudicium de libris Mysticis ferendum, & aliquorum indiscretam censuram, & temeritatem reprimendam, ea valde necessaria est, eam in præsenti capite ex professo placuit confirmare.

Scientiam igitur, & non qualemcunque, sed eximiam ad huiusmodi materias, ac locutiones Mysticas perfectè intelligendas, & absque errore iudicandas necessariã esse, est communis Sanctorum Patrum, ac Doctorum sententia, quam ratio ipsa mani-

manifestè probat. Etenim cum certum sit, neminem posse materias & locutiones alicuius scientiæ, quantumuis inferioris, perfectè callere, & iudicare, nisi in ea eruditus sit, vt experientia ipsa est notum, quanto magis id erit necessarium in materijs, ac locutionibus illius scientiæ, quæ cæteris omnibus in rerum sublimitate, difficultate, & ineffabilitate præeminet? cuiusmodi esse Theologiam Mysticam, nemo dubitat, & ideò, qui sine hac notitia, & eruditione de his rebus iudicare præsumpserit, quàm plurimis proculdubio erroribus sese exponet, scandalumque plerumque patietur, vbi re vera nulla offensionis, aut scandali occasio erat. Vnde merito D. Dionysius cap. 1. de Mystica Theologia, huiusmodi imperitorum iudicium, ac temerariam præsumptionem præcauens, sic Timotheum, ad quem scribit, admonet: *Hæc autem caue, ne quis imperitus, aut rudis exaudiat, &c.* Quod etiam D. Bonauentura de Mystica Theologia, part. 4. cap. 3. admonet.

Huius scientiæ necessitatem optimè multis in locis profitetur, & ostendit Sancta Mater nostra THERESIA, post longam de hac re experientiam, ac post plura damna, quæ à Cõfessarijs ac spiritualibus Magistris parũ eruditis perpessa fuit. Vnde c. 5. suæ vitæ sic de hac re loquitur. *Erat in loco, quem curandi gratia adieram, sacerdos quidam, non contemnendis natalibus & ingenio, doctus quoq; sed non nisi mediocriter. Hunc ergo mihi in Confessarium delegi, quod litteratorum semper amans fui. esto multũ anima mea damni attulerint confessores, qui non nisi mediocriter docti erant: non enim poteram tam doctos semper reperire, ac quidem voluissem. Iam vsu ipso didici satius esse, eos, modo boni, beneque morati sint, nullas habere litteras, quam non nisi modicas: nam indocti cum sibi non fidant, necesse habent alios doctiores consulere: neque etiam ego ijs fiderem. Vir benè doctus nunquam me decepit, neque etiam indocti illi me volebant decipere, sed quod plura non sciebant.* Et cap. 1. Mansionis 5. sic ait: *Paratissima sum, ad ijs, quæ viri eruditissimi de illu censebunt, credendum: nam, quamuis fortè hi hæc ipsa non sint experti, habent tamen huiusmodi in rebus nescio quid singulare; adeo vt cum Deus eos tanquam lumen, à quo Ecclesia sua illuminetur habeat, si quando veritas aliqua declaranda venit, hanc ipsis aperiat, vt illis tradentibus, hæc passim ab alijs admittatur. Et, siquidem dissoluti distractique non sunt, sed Dei famuli, ad illius magnalia nullatenus obstupescant; norunt quippe, illum plura & maiora posse. Et paucis vt complectar, quamuis forte horum aliqua scripto commissa aut declarata nõ sint, alia tamen scripta inuenient, è quibus videre possunt, hæc & similia posse pertingere. Magnam ego rei huius habeo experientiam, quam etiã quorundam semidoctorum meticulosorum tractatione mihi paraui, vt mihi illa admodum carò steterit.* Quæ vltima verba denotant id, quod ipsamet S. Mater THERESIA, citato c. 5. suæ vitæ refert, scilicet se per plures annos in via spirituali, vt par erat, non profecisse, quia eius Confessarij propter debitæ eruditionis & scientiæ defectum, ipsam non bene instruebant.

Ac tandem c. 13. suæ vitæ id ipsum iterum commẽdans sic ait: *Qui autem per orationis viam incedunt, magis iuuari opus habent; & eo etiam magis; quo spiritualiores sunt. Equidem in ea sua sententia orationi incumbentem, & cum viris doctis conferentem, nisi ipsemet se decipere velit, non facile à diabolo per illusiones deceptum iri: crediderim namque dæmones doctrinam humilem & virtuti coniunctam non mediocriter timere: norunt enim per illam se detectum iri, & magno suo cum damno in fugam conijciendos. Paulo ante etiam dixi, directorem & Magistrum esse debere spiritualem: at si hic non simul doctus ac literatus sit, multa sequentur incommoda: sicut è contra magnum subsidium & auxilium confert, cum doctis, dummodo*

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
NVII
124

dummodo virtutibus præstent, agere: licet enim docti spiritum non habeant, multum tamen iuuabunt, ac Deus ipsis haud dubie inspirabit, quæ discipulis suis propone debeant, quin & spirituales eos efficiet, quo nobis vtiles esse queant. Nihil autem hac in re dico, quod non antea ipsa experta sum: hoc quippe mihi plus quam cũ duobus contigit. &c. Plura alia adducere possemus, vt necessitatem scientiæ ad sublimes Theologiæ Mysticæ materias, aclocutiones intelligendas ostenderemus: sed quia veritas hæc satis ex se manifesta, & ex dictis probata manet; ideò hac parte omissa, ad aliam, quæ experientiam requirit, iam accedimus.

§. II.

Necessitas experientiæ, præter scientiam, demonstratur.

4. NOn igitur ad id sufficit scientia, sed insuper requiritur experientia; eò quod Mystica Theologia non in speculatiua, sed in experimentali Dei cognitione consistit: & ideò hi, qui in speculatiua dumtaxat Theologia eruditi sunt, plura, quæ ad Mysticam pertinent, propter experientiæ defectum, ignorãt. Veritatẽ hanc communiter SS. Patres, ac Doctores omnes etiam Scholastici docent, vt bene probant, & ostendunt Venerabilis ille, ac sapientissimus Antistes, Archiepiscopus Bracarensis, Frater Bartholomæus à Martyribus, in vtraque Theologia, Mystica scilicet, & Scholastica insigniter eruditus, in 2. p. Compendij spiritualis in principio, & cit. Dionysius Carthusianus de Fonte lucis, artic. 13. Guillelmus Parisiensis, quem refert, & sequitur Gerson c. 8. de Monte contemplationis, & tract. de Mystica Theologia speculatiua, consider. 3. tit. 3. Alphabeto 64. liter. n. Suarez lib. 2. de oratione c. 10. n. 8. Noster Hieronymus à Matre Dei, aliàs Gratianus, de Theologica Mystica, in via vnitiua c. 2. noster Thomas à IESV, lib. 5. de contempl. c. 12. noster Ioannes à IESV Maria in lib. de Theologia Mystica, in princip. numer. 4. & 20. noster Dulcus à IESV, in annotationibus ad libros Mystici nostri Doctoris discurs. 1. §. 1. Magister Luisius Legionensis in Apologia pro libris Sanctæ Matris nostræ THERESIÆ, Molina Carthusianus tract. 2. de orat. cap. 6 §. 2. & 3. Albarado in Arte benè viuendi tit. 1. lib. 2. cap. 35. Magister Basilius Legionensis, in Defensorio librorum Venerabilis nostri IO ANNIS, propositione 32. pluresque alij.

5. In cuius veritatis confirmationem aliqua, ex multis SS. Patrum testimonia adducemus. S. igitur Bonauent. in prologo Mysticæ Theologiæ sic inquit: *Hæc sapientia in hoc differt ab omnibus alijs scientijs, quia in hac, primo oportet vsum habere in se ipso, quam verba intelligere, & practica hic præcedit Theoricam, & c.* Et in eodem lib. c. 3. p. 4. circa finem sic ait: *Ista sapientia Anagogica, est quædam Theorica per se distincta, & diuersa ab omni speculatiua sapientia, quæ omnem rationis apprehensionem transcendit: & quia multi Sapientes, & Doctores hoc videre non prævalent, hanc summam sapientiam irrident, & in hoc per consequens Deum altissimum collatorem huius sapientiæ impugnant: ideò cum Beato Dionysio, sed (quod magis est) cum Domino Iesu Christo, rogo illum quicunque hoc scriptum inspexerit, ne indocta huiusmodi Doctoribus Philosophis, carnalem vitam ducentibus, vllatenus manifestet &c.* Concluditque asserendo, *Quod si illi, qui hanc sapientiam irrident, eam experimento cognoscant,*

omnia quæ à Doctoribus Mysticis dicuntur, multo melius, & multo iucundius experimentali notitia veracissima approbabunt, &c. Eandem tradit doctrinam itiner. 6. æternit. dist. 1. pro ea D. Bernardum, & Hugonem referens.

Idem etiam docet S. Bernard. multis in locis, & præcipuè ser. 79. in Cant. his verbis: *In epithalamio hoc non verba pensanda sunt sed affectus. Cur ita? nisi quod amor sanctus, quem totius huius voluminis vnam constat esse materiam, non verbo sit æstimandus, aut lingua: sed opere, & veritate, amor vbique loquitur, & si quis horum, quæ leguntur, cupit adipisci notitiã, amet, alioquin frustra ad audiendum, legendumve amoris carmen, qui non amat, accedit, quoniam omnino non potest capere ignitum eloquium frigidum pectus, quomodo enim Græcè loquentem non intelliget, qui Græcum non nouit, nec Latinè loquentem, qui Latinus non est, & ita de cæteris sic lingua amoris ei, qui non amat, barbara erit, sicut æs sonans, aut cymbalum tinniens, &c.* Vnde idem Bernardus ad Fratres de Monte Dei (vt refert Frater Bartholomæus à Martyribus citat. cap. 12. Compendij spiritualis) sic scribit: *Multi fuere perfecti in Theologia Mystica, absque speculatiua, nunquam tamen Theologus aliquis speculatiuus tantum culmen perfectionis est adeptus, imo neque perfectus extitit in ipsa acquisita Theologia sine Mystica, &c.* Cuius rationem citatus Auctor sic subiungit: *Hoc autem ideo fit, quod nunquam alicui licebit Apostoli, aut Prophetæ verba intelligere, nisi scribentium plenè imbiberit affectum: quomodo non potuerit aliquis perfectè concipere, quid sit libertas Filiorum Dei, aut dulcedo diuini amoris, si eam nunquam experiri licuit, &c.* Eandem veritatem tradit idem D. Bernardus serm. 22. in Canti. ibi: *Porrò in huiusmodi non capit intelligentia, nisi quantum experientia attingit, &c.* Et serm. 41. & 85. in Cant. ac multis alijs in locis. 6.

Idem etiam docuit Angelicus Doctor D. Thomas super illa verba Psal. 33. *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus*, quæ verba sic perpendit, *Experientia diuinæ bonitatis dicitur gustatio. 1. Petri 2. si tamen gustastis, quam dulcis, &c.* Effectus autem experientiæ ponitur duplex, vnus est certitudo intellectus, alius securitas affectus, quantũ ad primum dicit, *& videte*, in corporibus namque priùs videtur, & postea gustatur, sed in rebus spiritualibus priùs gustatur, postea autem videtur, & ideò dicit prius, *gustate* & postea, *videte, &c.* 7.

Consonat Hugo Victorinus super 7. Angelicam Hierarchiam relatus à D. Bonauẽtura itinere 6. dist. 1. his verbis: *Magistra enim intelligendi est experientia, & ille optime iudicij veritatem cognouerit, qui eam non audiendo, sed gustando didicit, &c.* Idemq; testatur Dionysius Carthusianus art. 13. de fonte lucis his verbis: *Contemplatio est experimentalis cognitio Dei per vnitum amplexum amoris, seu sapida Deitatis notitia, dum ei supremus affectus apex per amorem vnitur ardenter.*

Hac de causa S. Mater nostra THERESIA c. 13. suæ vitæ inquit: *Permagni ergo refert, instructorem virum prudentem & cordatum esse, boni, inquam, ingenij & multæ experientiæ: si præterea doctus sit & litteratus, hoc magnum quid est, & peroptandum. At si tria hæc simul in vno reperiri nequeãt, duo priora potiora, & maioris momenti sunt. &c.* Et in libello qui inscribitur, *Conceptus amoris diuini*, super Cantica c. 6. ait: *Non vero sicut quidam docti, qui quod per hunc orationis modum à Domino non conducantur, nec aliquod eius principium habeant, ita omnium ex rationis & ingeniorum suorum modulo mensuraq; intelligere volunt, vt per suas literas & doctrinam omnia Dei magnalia comprehensuri videantur &c.* Et c. 34. suæ Vitæ sic inquit: *Vnde grauiter erramus, cum credimus, nos ob plurimos annos contemplationi impensos ad cogni-* 8.

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
TVI
124

tionem eius debere venire, quod sine experientia nullo modo haberi potest, & hinc est quod, vt dixi, plurimi errent, quod cum spiritum non habeant, eum nihilominus habere velint. Non dico autem, *eum, qui spiritu caret, tamen doctrina valet, non debere dirigere illos qui spiritum habent: sed, illum tam quoad exteriora, quam interiora, in rebus naturalibus quidem, iuxta rationis & intellectus dictamen, in supernaturalibus vero iuxta sacra scripturæ normam sese conformare debere, in reliquis autem ne caput suum torqueat, nec intelligere se putet quod minimè intelligit nec spiritus suffuret; nam hi quantum ad hoc iam tum ab alio maiore Domino gubernantur; neque enim Dominos vel superiore carent. Nam iterum dico, nisi experientiam habeat & maximam humilitatem, qua sibi persuadeat, se nihil hic intelligere; non propterea tamen id impossibile esse, & ipse valde parum ingrabitur, & etiam faciet vt is quem dirigendum habet minus proficiat &c.*

Quam etiam doctrinam docet Venerabilis noster Ioannes in lib. *Flamma amoris viuæ.* Cant. 3. vers. 3. §. 4. ibi. *Pro itinere isto saltem pro sublimioribus eius rebus, imò etiam pro mediocribus, vix doctorem aliquem perfectum, secundum omnes quæ ad officium istud requiruntur partes reperiet. Debet enim esse sapiens, discretus, & rerum istarum experientia conspicuus. Ad rectam enim directionem, gubernationemque spiritus, etsi fundamentum necessarium scientia sit & discretio: si tamen sublimiorum rerum experientia desit, ignorabit in illis quãdo à Deo conformitur anima, eam dirigere, magnoque posset illi detrimẽto esse &c.* Tandem id ipsum omnes SS. Patres, spiritualesque Doctores, ac Magistri, imò & Scholastici proclamant, quorum omnia testimonia nimis longum esset recensere.

§. III.

Aliquando simplices personas esse sapientiores in Mystica Theologia, quam alias in speculatiuis scientijs eruditas ostenditur.

10. IMo prædicti Patres & Doctores non solum docent, experientiam ad id esse necessariam, sed etiam sæpè personas simplices, & in Scholastica Theologia ineruditas sapientiores esse in hac Mystica Theologia, quam alias, quæ sine huiusmodi experimẽto in speculatiuis scientijs eruditæ sunt. Vnde D. Bonau. in prologo de regimine cõscientiæ, vel fonte vitæ ait: *Istum ergo librũ offero intuendũ, non Philosophu, non mundi sapientibus, nẽ magnis Theologis infinitis quæstionibus implicatis, sed rudibus, & indoctis, magis Deũ diligere, quã multa scire conantibus: non enim disputãdo, sed agendo scietur ars amandi, arbitror autem ea, quæ hic continentur ab istis quæstionarijs, & in omni scientia summis, sed in amore Christi inferioribus, non posse intelligi, vnde nec eis scribere decreui, nisi postpositis, & oblitis cunctis, quæ ad mundum pertinent, solius conditoris inardescant desiderio mancipati, &c.* Id etiam docet de processu Relig. in 7. cap. 16.

11. Et D. Bernar. serm. 85. in Cant. *O quisquis curiosus es scire, quid sit, hoc verbo frui, paruuli non aurem, sed mentem, non docet hoc lingua, sed docet gratia, abscondisur à sapientibus, & prudentibus, & reuelatur paruulis,* quod idem ipsemet Bernardus docuit loco sup. cit. ex sermone ad fratres de monte Dei. Consonat Gerson de Mystica Theologia speculatiua consider. 3. Alphabeto 64. litera N. ibi: *Quia ex his, quæ interius experiuntur, idiota contemplatiui perfectius diuina percipiunt, quam multi literati, &c.* Similiter citatus Bartholomæus à Martyribus in 2. p. Compendij, c. 23. §. 3. sic inquit: *Hæc Mystica sapientia, quam*

quam Dionysius propriè Christianorum vocat, citius, ac sublimius Idiotis simplicibus, qui nihil aliud quàm salutem in timore, & tremore curant, quàm eruditis Theologis conferri solet, nisi & ipsi toto mentis affectu humiliitati studeant, &c. Qua etiam ratione S. Mater nostra THERESIA c. 34. suæ vitæ loquens cum suo Confessario, sic inquit: *Non ergo plus nimio hoc miretur aut hæc impossibilia esse putet (Domino namque omnia possibilia sunt) sed fidem corroborare, seque humiliare studeat, cum videat Dominum fortasse vetulam quandam hac in scientia peritiorem versatioremque facere, quam se, esto bene doctus & sapiens sit.* Idem etiam docuit Suarez lib. 1. de orat. cap. 10. n. 8. his verbis: *Sæpe personæ simplices diuina gratia adiutæ profundius, quàm docti veritatem penetrant, & ponderant, &c.* In cuius rei confirmationem D. Bonauenturam de processu religionis in 7. c. 16. adducit, idemque plures alij, quos prolixitatis euitandæ gratia, omittimus, expresse docent.

§. IIII.

Quinam Theologi apti, vel inepti sint ad iudicium, de rebus, ac locutionibus Mysticis, ferendum, ex dictis concluditur.

EX quibus omnibus satis comprobatum manet, Theologos, qui in scholastica Theologia parce versati sunt, quiq; proinde non plenè Theologi, aut literati; sed valde imperfectè, & dimidiatè tales, seu semi-Theologi, aut semiliterati vocãdi sunt, nullatenus esse aptos ad iudicium, de his rebus, ac locutionibus ad Mysticam Theologiam spectantibus, ferendum. Prædicti namque Theologi ad illorum numerum pertinent, quos S. Mater nostra THERESIA cap. 5. suæ vitæ, & cap. 1. Mansionis 5. vocat: *Semidoctos, meticulosos, &c.* & de quibus doctissimus Magister Luisius Legionensis in principio Apologiæ sæpè citatæ asserit: *Male sinistreque de his rebus loquuntur, vel quia similia ignorant, vel quia se scire existimant, vel propter alios emolumenti respectus,.* & horum censuram, offensionem, ac scandalum timebat etiam S. Dionysius, quando cap. 1. de Mystica Theologia, admonuit Timotheum, ad quem scribebat. *Vide, quod nullus indoctorum hæc audiat.* Hi namque qui, & si mediocriter in Scholastica & speculatiua Theologia, minimè autem in Scriptura sacra, & alijs, quæ ad consummationem Theologorum pertinent, versati sunt, potiùs indocti, quam docti appellari debent. 12.

At verò alij Theologi, qui non solùm in scholastica Theologia, sed in Scriptura sacra, ac SS. Patrum operibus, alijsque ad Theologiam pertinentibus, valdè versati, & eruditi sunt, quamuis experimentam huiusmodi rerum diuinarum in se ipsis non habeant, non poterunt quidem de his rebus omnino perfectè propter experientiæ defectum iudicare, vt ex dictis satis constat. Cæterũ non propterea ad spirituale magisterium, ac censurã de libris Mysticis ferendam inhabiles iudicandi sunt, quia & si huiusmodi res in se ipsis non experiantur, eas tamen, vel alias similes in Scriptura Diuina, ac SS. Patrum, Doctorumque Mysticorum libris, in quorum lectione (vt supponimus) versati sunt, inueniunt, & ideò iudicare possunt an prædictæ res, ac locutiones sint conformes rectæ doctrinæ, ac sacræ Script. Sanctorumq; Patrum documẽtis: 13.

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
TVI
124

quod optimè S. Mater nostra THERESIA docet citato cap. 34. suæ Vitæ his verbis: *Non dico eum, qui spiritu caret, tamen doctrina valet, non debere dirigere illos qui spiritum habent: sed illum tam quo ad exteriora quam interiora, in rebus naturalibus quidem, iuxta rationis & intellectus dictamen, in supernaturalibus vero iuxta sacræ Scripturæ normam sese conformare debere &c.* Hocidem docet cap. 1. Mansionis 5. ibi: *Paratissima sum, ad ijs, quæ veruntissimo de illis censebunt, credendum: nam, quamuis fortè hi hæc ipsa non sint experti, habent tamen hausurdi in rebus nescio quid singulare; adeo vt cum Deus eos tanquam lumen, à quo Ecclesia sua illuminetur habeat, si quando veritas aliqua declaranda venit, hanc ipsis aperiat, vt illis tradentibus, hæ passim ab alijs admittatur. Et, siquidem dissoluti distractique non sunt, sed Dei famuli ad illius magnalia nullatenus obstupescunt; norunt quippè illum plura & maiora posse. Et paucis vt complectar, quamuis forte horum aliqua scripto commissa aut declarata non sint: alia tamen scripta inuenient, é quibus videre possunt, hæc & similia posse contingere. Magnam ego rei huius habeo experientiam; quam etiam quorundam semidoctorum metuulosorum tractatione mihi parauí, vt mihi illa admodum carò steterit.* Hucvsque S. Mater nostra THERESIA, cuius verbis præsens caput concludere placuit.

CAPVT VIII.

ERRORES HÆRETICORVM, QVI Illuminati dicuntur summatim proponuntur.

1. VT manifestiùs constet, quantum distet sublimis nostri Doctoris præclara doctrina, à pestiferis erroribus illorum hæreticorum, qui Illuminati dicuntur, seu potiùs quantùm prædictis erroribus aduersetur sicut tenebris lux, atque adeò etiam constet, quantum aberrauerint illi, qui, aliquas horum librorum propositiones his erroribus infectas esse, aut illos redolere, vel illis fauere suspicati sunt, prædictos errores in hoc capite summatim proponere placuit, vt cum in progressu huius Elucidationis singulas Mystici nostri Doctoris notatas propositiones retulerimus, ac explicuerimus, id, quod nuper diximus, euidentius appareat.

Sciendum igitur est, humani generis hostem, nostræ salutis, ac spiritualis perfectionis inuidum, illud semper maximè curasse, vt orationis, & contemplationis viam, vtpotè adeò hominibus salutarem, totiusque spiritualis boni principium, ac fontem, vel omnino relegaret, vel saltim in aliquibus eam tot damnis, ac illusionibus immisceret, vt ex inde apud reliquos suspecta haberetur, & huiusmodi periculorum, ac illusionum timore, ab ea homines auerterentur.

2. Hac igitur de causa, prætextu orationis, & contẽplationis, ac supernæilluminationis, spiritum erroris, quibusdam Diabolus immiscuit, se in Angelũ lucis, illos illuminantẽ, transformans, vnde Illuminatorum nomen sibimet ipsis imposuere, plureſq; errores pestiferos illis suadẽs, diuersisq; temporibus iam sepultos iterum excitans de quibus fit mentio in Clementina ad nostrum, de hæreticis, & Clement. 1. de Religiosis domibus, & in extrauagant. de Relig. domibus, eosque referunt Eimericus in Dict.

Directorio Inquisitor. q. 7. 8. 9. 15. 16. & 17. & ibi, Penna in annotationibus ad illas quæst. noster Guido in summa tit. de hæresibus, Beguinarum, Aluarus, Pelagius lib. 2. cap. 52. D. Antoninus in summ. p. 4. q. tit. 11. c. 7. §. 4. & 5. Prateolus lib. 2. de vitis, & sectis Hæretic. c. 17. & optimè Rusbrochius lib. 2. de ornatu spiritualium nuptiarum c. 76. 77. 78. & 79. vbi diuersa genera huiusmodi Illuminatorum ex professo refert, quos spirituales falsò otiosos appellat, eò quòd omnes hi hæretici Illuminati, cùm legerent, vel audirent Doctores Mysticos, & contemplatiuos, Sanctosque PP. hominibus spiritualem orationis viam sectantibus, suadere creaturarum omnium renunciationem, sanctamque oblivionem, vt sic ad infusam contemplationis quietem, sanctumque otium, quod 2. p. huius Elucidationis explicabimus, sese disponant, huius quietis, & otij, vtpotè facilitatis, ac suauitatis speciem præseferentis in ordinato amore, quo non Deum, sed semetipsos amabant, capti, ad illudque sine mortificationis labore, vitæ puritate, virtutumque exercitijs, alijsque dispositionibus, quas Sancti PP. ac Doctores Mystici ad id necessarias esse docent, peruenire cupientes, & ita perfectorum nomen, & famam ambientes, in vanas quasdam, & illusorias quietes, falsaque otia, seu potiùs stupiditates inciderunt, & ita vitam valde remissam, stupidam, negligentem, mollem, dissolutam, ab omni virtutum exercitio alienam, imò, & delitiosam, prætextu illius sanctæ quietis, & otij spiritualis degebant, à Dei amore omnino alieni, quin potiùs proprio, ac pernicioso sui amori immersi, in quæuis cordis sui desideria etiam turpia abeuntes, ne suam illam quietem perturbarent, pluresque Dæmonis illusiones, ac deceptiones, tamquam Dei illuminationes suscipientes; qua de causa semetipsos, præ cæteris omnibus, Illuminatos, ac sanctissimos appellarunt.

Horum igitur Hæreticorum Illuminatorum, seu falsò otiosorum, quos diuersis in locis, ac temporibus Diabolus suscitauit, quatuor veluti sectas prædictus D. Ioannes Rusbrochius locis citatis optime adducit, ostendens quantum eorum falsa, & pestifera doctrina ei, quam Doctores Mystici de contemplationis quiete, sanctoque otio tradunt, aduersetur. Vt ergo hæc omnia præ oculis habeantur, vtpote ad ea, quæ in progressu huius Elucidationis dicenda sunt omnino necessaria, celebertimi huius Doctoris verbis ea in præsenti simul adducere, ac proponere placuit.

§. II.

Prior Hæreticorum, qui Illuminati dicuntur classis, eiusque errores referuntur, & ex doctrina Mystici nostri Doctoris, aliorumque PP. reijciuntur.

IN capite igitur 76. primam huiusmodi falsò otiosorum, seu illuminatorum sectã referens prædictus auctor, sic inquit: *Hic tamen, antequam ad alia transeamus, opera pretium fuerit, commemorare quosdam, qui & si forinsecus boni videantur, cunctis tamen virtutibus contrariam agunt vitam; quotquot enim a charitatis supernaturalis expertes viuunt, ad seipsos reflexi in rebus extraneis quietem captant, & aucupantur; ex ipsa siquidem natura creaturæ omnes* 3.

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
TVII
124

quietem appetunt. Sed iam aduertatur, obsecro, quà ratione quieti huic naturali vacetur. Hanc *Sectatores seorsum abeunt, manentque quieti, & otiosi, absque vlla interna, vel externa exercitatione, quo optata potiantur requie, nec aliunde impediantur.*

4. Sed quàm noxia sit huiusmodi quies, necnon quieti illi supernaturali, de qua Doctores Mystici loquuntur, contraria, statim idem Rusbrochius his verbis adnotauit: *Verum hoc pacto quieti dare operam, nefas est, & illicitum: huiusce modi namque quies quandam in hominem cæcitatem, & ignorantiam nihil scientem adducit, efficitque, vt absque omni affectu, totus iners in seipso subsidat, nec aliud quidquam ista quies est, quam otium remissum, cui adeò se tradunt illi, quos præ manibus habemus, vt quantum ad actionem attinet, & Dei, & sui ipsorum, & rerum omnium obliuione capiantur. Est igitur quies hæc supernaturali illi, quæ in Deo posidetur, quieti planè contraria; quando quidem ea amorosa spiritus liquefactio est, cum simplici quadam in incomprehensibilem claritatem prospectu coniuncta, planè igitur falluntur quicunque seipsos intentione prosequentes in naturali quiete molliter subsidunt, & nec desiderio Deum quærunt, nec amore fruitiuo reperiunt: siquidem quies eiusmodi in desidioso quodam consistit otio, quo penitus ipsi vacent, ad quod tùm natura, tùm consuetudine procliues, ac propensi sunt, quo sane in otio quies magna, & delectabilis sentitur, quæ tamen, secundum se ipsam, peccatum nullum est; verum si quispiam eam sectari, eique se se dedere velit, absque studio & actibus virtutum, iam quidem abit in vitium, idemque ipse in spiritualem ruit superbiam, hoc est, complacentiam sui ipsius, quod vitium vix vnquam benè curatur: vbi igitur quietem hanc ista ratione inerti in otio posidet, putatque omnem amorosam ad Deum conuersionem, & applicationem impedimento sibi esse, eadem ipsa quietem ipso subsidet, quod re vera omnis erroris spiritualis initium est.* Huc vsque Rusbrochius, qui optimè huius falsæ quietis, & otij damna, eiusque cum sancta illa quiete, & otio, ad quæ Doctores Mystici dirigunt, contrarietatem optimè adnotauit.

5. Huiusmodi etiam falsum otium, & quietem fugiendam esse optimè docuit S. Mater nostra THERESIA, c. 12. suæ vitæ, his verbis: *Præsumere porro aut cogitare, posse nos per nos intellectum nostrum suspendere, planè nos, vt dico, non oportet, vti nec operationem eam omittere; hoc quippè si fecerimus, instar statuarum insensibiles, stupidi, & frigidi manebimus, & ne vnum nec alterum faciemus. At cum DEVS OPT. MAX. intellectum suspendit, & sistit, et admirandi, & in qua se interim occupet, materiam dat; & efficit vt, etiam sine mentis discursu brevissimo tempore, plus intelligat, quam nos omni nostra terrena diligentia, & studio adhibito plurimis annis possemus comprehendere. Insania quadam species est animæ potentias occupatas tenere velle, ac cogitare nos eas sistere & quietas detinere posse.*

6. Quod etiam multis suæ doctrinæ locis adnotauit, & monuit Venerabilis noster IOANNES, vt lib. 2. qui inscribitur *Ascensus Montis Carmeli* cap. 13. vbi agens de signis, quæ obseruare debet, qui meditationis, ac discursus viam relinquere debet, vt superna contemplationi vacet, sic inquit: *Non posse discurrere, neque de rebus diuinis meditari posse, hoc ex melancolia promanare, vel aliquo deprauato humore, qui cerebrum corque occupat, quique solet producere in sensu suspensionem & impletionem quandam: quæ efficiunt, vt nihil cogitet, nihil velit, nec libeat illi aliquid meditari, sed solum in illa sapida abstractione cupiat permanere. Contra quæ omnia debet tertium habere indicium; videlicet notitiam & attentionem amorosam in pace & tranquillitate interna sicut diximus.* Et cap. 14. sequentis huius rei rationem subiungens, sic ait: *Verumtamen adducemus nunc vnam solam rationem,*

tionem ; qua manifeste demonstremus, quomodo in euentu, quo Contemplatiuo præmittenda sit meditationis via, necessarium illi sit, hoc aduertentia, amorosa, ac generalis Dei notitia indicium. Est autem hæc ratio, quia si animæ tunc temporis istâ notitia vel in Deum assistentia destitueretur, sequeretur nihil illam tunc agere, nec intelligere : relicta enim meditatione & discursu etiam Contemplatione quæ est notitia generalis (de qua locuti sumus) in qua anima habet actu potentias suas spirituales occupatas, quæ sunt memoria, intellectus, & voluntas ; necessario illi vniuersum circa Deum exercitium deesset. Et paucis interiectis, addit : *Quod si anima in nullo istorum exercitiorum detineatur, hoc est, nec in meditatione & discursu, potentiarum sensituarum operatione vtatur ; nec in contemplatione & notitia simplici, de qua iam dictum est, rebus iam receptis & operatione acquisitis, fruatur : sed in vtrisque otiaretur & vacaret, non esset vnde, vel quomodo posset dici occupata. Est ergo hæc notitia necessaria ad discursum & meditationem relinquendam, &c.* Huc vsque Venerabilis noster IOANNES, ex cuius verbis euidenter constat, ipsum nullatenus admittere falsam illam quietem, & otium Illuminatorum, sed potiùs illud omnino reprobare, & damnare, atque adeò sine manifesta calumnia prædictus error, nec leue aliquod patrocinium in eius doctrina obtinere potest, quem potiùs ex ea fortiter impugnatum manet, stabilitumque salutarem quietem, otiumque sanctum debere desidiam, & remissionem cauere, vt optimè docuit Augustinus serm. 27. de verbis Domini, adnotans, vitam contemplatiuam, & otiosam, quæ significata fuit per Mariam, nullatenus fuisse desidiosam, hanc enim, scilicet desidiosam (inquit) cauere debet otiosa, sed ad aliam iam huiusmodi Illuminatorum, seu falsò otiosorum sectam transeamus.

§. III.

Secunda, & peior Illuminatorum classis refertur.

SEcundam igitur eorum sectam idem Rusbroch. cap. 77. citato referens, sic inquit : *Verum, ibi quispiam otiosam prorsus requiem, sine vlla ad Deum amorosa applicatione, & conuersione, possidere instituit ; is iam facilè in quosuis poterit prolabi errores, quippè qui à Deo auersus, & ad seipsum amore naturali reflexus, solatium, suauitatem, & quidquid libet, captat, & aucupatur : interim tamen huius farinæ quosdam inuenire est, qui rigidam, & asperam viuendi teneant rationem, & magnis pœnitentiæ actibus incumbant ; sed hoc tantùm fine vt magnæ sanctitatis opinionem celebrem obtineant ; omnis enim naturalis amor sibi ipsi cupit, & fauet. Quidam ex horum genere multa optione vtuntur, & eligunt multa, itemque plura, rara, ac singularia prædicantur, & appetunt sibi præstari à Deo, quam ob rem falluntur sæpius, permittente Deo, vt Dæmonum operæ, obtingant, ea quæ concupiscunt : quod tamen suæ illi sanctitati tribuunt, & omnibus planè dignos se arbitrantur : nec id mirum, cùm superbiæ morbo laborent, nec tacti, nec Illuminati diuinitus sint : hærent igitur, atque subsidunt in se ipsis, prorsusque secundum appetentiam ad saporem, vel gustum internum, & spiritualia naturæ commoda captanda propensi sunt, qua luxuria spiritualis recte dici* 7.

potest,

B.
Joannis
à Cruce

Opera
mystica
NVI
124

potest, eo quod inordinata quædam naturalis amoris propensio est, semper ad seipsum reflexi, & suum commodum in rebus omnibus captantis, & expetentis, semper etiam spiritualis labor am superbia, & propriæ sunt dediti voluntati; quo fit, vt affectu, desiderio, & appetitu vsque adeò nonnunquam ad ea ferantur, quæ concupiscunt, & à Deo importunè obtinere contendunt, vt non raro decipiantur. Quidam etiam à malo spiritu occupentur; nimirum quot quot huius farinæ sunt, omnes vitam viuunt repugnantem charitati, & amorosæ illi introuersioni, vbi se totum quis offert, & simul quidquid præstare, vel habere potest in honorē, & amorem Dei, &c. Ecce pestiferam huiusmodi Illuminatorum doctrinam, & vitam, quam non minus à doctrina, & vita Venerabilis nostri IOANNIS distare, quam tenebras à luce adeò euidens est, vt nullus nisi omnino cæcus de hoc valeat dubitare: quod patet, tùm ex ipsius summaria vitæ in principio eiusdem operis appositæ; tùm etiam ex ipsis libris Venerabilis Patris, præcipuè tamen ex primo libro *de Obscura Nocte*, à cap. 1. vsque ad 8. vbi dum incipientium imperfectiones recenset, hæc Illuminatorum vitia describit, ac damnat, sed ad tertiam huiusmodi hæreticorum sectam iam transeamus.

§. IIII.

Tertia, & pessima Illuminatorum classis refertur.

8. HAnc igitur tertiam sectam prædictus Doctor Ioannes Rusbrochius ca. 78. citato describens, sic ait: *Deinde postea, quam naturali quispiam requie potitus est, tempus inerti otio possidet in cunctis actibus suis se ipsum spectans, & in proprietate sua, obstinato animo inflexibili perseuerans, is planè neutiquam Deo vnitus potest, eò quod vitam agat vitiosam, & charitatis expertem; est autem vita hæc planè iniusta, erroribus spiritualibus, & omnigena aduersitate abundans: hoc genus hominum Dei contemplatores se esse arbitrantur, imò omnium, quæ orbi habeat, longè sanctissimos esse se autumant, ob eam quam experiuntur, & in se ipsos otiosi obtinent, possident quietem, liberos sese putant, & absque medio, Deo vnitos.*

9. *Neque id tantum, sed etiam transcendisse, atque subleuatos se esse supra omnem Ecclesiæ cultum, & exercitium, vltra præcepta Dei, supra legem, & actus omnes virtutum, qui vllo possint exerceri medio: siquidem persuasum sibi habent otium hoc tanta esse præstantia, vt nullis quamuis exemplis, & præclaris actibus interturbandum sit, eo quod cunctu præstet virtutibus; quamobrē mere sedeant, vt ita dicam, passioni, nihil prorsus, neque sursum, neque deorsum actitantes, perinde, vt instrumentum aliquod in seipso otiosum, artificem, dum operari velit, præstolatur; putant enim, si quid ipsi moliantur operis, Dei opus præpeditum iri: sedent igitur ab omni virtutum studio & actione otiosi, idque adeò, vt nec laudes, neque grates agere Deo, neque cognoscere, neque velle, neque amare, neque precari, neque desiderare velint; arbitrantur enim quidquid, vel petere, vel desiderare queant, id omne se iam obtinuisse, atque ita spiritu se iam pauperes esse; vtpotè qui voluntatis exortes sint, & omnibus valefecerint, & absque vllius delectationis, vel otiosis proprietate vitam: putant inquam planè se expeditos, ac otiosos esse, & transcendisse omnia, iamque obtinuisse ea, quorum causa omnis Ecclesiæ cultus, & exercitia instituta sunt, & vt ipsi aiunt, nemo prorsus, & neque ipse quidem Deus, quidquam eis, vel conferre, vel auferre possit.*

Etenim pro suo iudicio, exercitia, cultum, & virtutes omnes excessrunt, & ad merum quidam pertigerunt otium, vbi à cunctu sint virtutibus absoluti, & hoc quidem, putà vt ita quispiam in otio à virtutibus absoluatur, maiorem requiri aiunt operam, ac studium, quàm ad ipsas virtutes obtinendas; quapropter libertate gaudere volunt, neque parere cui quam omnino; non Summo Pontifici, non Episcopis, non Pastoribus, siue Prælatis suis.

B

Et licet foris quamdam sola simulatione præseferant obedientiam, nulli tamen intus, neque actione, neque voluntate subditi sunt: quæcumque enim sancta actitat, & obseruat Ecclesia, ab iis omnibus omnino vacant, & se volunt esse immunes, ac exemptos, & est hæc eorum sententia, donec quispiam virtutibus acquirendis dat operam, & gratam appetit exequi Dei voluntatem, cum nec-dum perfectum esse: eò quod virtutes etiam nunc colligat, & comparet sibi, & spiritualem hanc paupertatem, atque otium ipsorum penitus habeat incomperta. 10.

Et ipsi quidem supra omnes omnino, & Angelorum, & Sanctorum choros, siue ordines, atque premium omne, quod vlla ratione mereri quis possit, subleuatos esse se putant; ideoque nihil se vltra mereri, nullum vnquam amplius in virtutibus profectum facere, sed neque peccatum deinceps vllum admittere posse; quippe qui voluntatis expertes sint, & spiritum suum Deo tradiderint in quiete, & otio, adeoque vnum cum Deo effecti sint, vt in se ipsis penitus in nihilum redierint.

Hinc iam quidquam corpori libet, etiam planè licere sibi affirmant; vtpotè qui ad statum innocentiæ redacti, nullam sibi habeant positam, ac præscriptam legem. Itaque si alicui rei, qualis ea sit, natura ipsorum corporea ex appetitu afficiatur, si spiritus sui otium, ea re subtrahenda, interturbari sentiant, aut aliqua ex parte impediri, naturæ indulgent, ac satisfaciunt desiderio, ne quod spiritus otium impedimentum patiatur. Hac de causa ieiunia, festorum celebrationem, & præcepta denique omnia prorsus nihili pendunt, nisi fortè hominum gratia secus agant: si quidem in omnibus absque vlla conscientia viuunt, nec quicquam nefas sibi esse arbitrantur. Tùm vero tanta eorum solliditas, & versutia est, vt difficile possint ratione superari, &c. Hucvsque Rusbrochius, qui optimè horum falso Illuminatorum mores, & opiniones describit; & quamuis Doctor hic de antiquis Illuminatis sui temporis loquatur, eius tamen descriptio non minus Illuminatos nostræ ætatis, quam illos antiquos ad viuum exprimit: quia eadem prorsus falsa dogmata in hac descriptione contenta verbo, & opere sequuntur, quæ quantum doctrinæ Mystici nostri IOANNIS aduersentur, luce meridiana clarius apparet, vt mirum sanè sit, posse aliquem sanæ mentis, vel leuiter suspicari, prædicta falsa dogmata patrocinium aliquod obtinere posse in hac Venerabilis nostri IOANNIS doctrina, quæ contraria omnino documenta, rigidam scilicet mortificationem, tàm externam, quam internam, propriorum appetituum, voluntatis, ac iudicij omnimodam negationem; promptissimam Maiorum obedientiam, exactissimam præceptorum, & consiliorum obseruantiam, Angelicamque vitæ puritatem efficacissimè suadentia, remissumque illud otium, & falsam quietem, quam Illuminati à Deo magnifaciunt, damnantia passim & vbique continet: vt cuicumque hos libros legenti euidentissimum erit, sed vltimam iam huiusmodi Illuminatorum sectam referamus. 11.

§. V.

Vltima Illuminatorum classis refertur.

DE hac igitur vltima secta citatus Rusbrochius sermonem instituens ca. 79. citato sic loquitur. *Præter hos aliud quoddam hominum genus pernersum, hypocrisi, & simulationi deditum inuenire licet, qui tamen ab istis in certis quibusdam dissideant, eisque contrarij sint; & hi quidem Deũ patientes dici se volunt, & hactenus, cum superioribus consentiunt, quod se quoque ab omni actione immunes, & otiosos putant, nec aliud nisi velut quoddam Dei instrumentum se esse, quo Deus quidquid, & vtcumque velit, agat.* 12.

Affir-

B. Joannis à Cruce

Opera Mystica

Tom. II

124

Affirmant igitur, absque vlla actione, tantummodo merè se pati, eaque opera, quæ Deus ipse tanquam suis organis perficiat, præclariora, ac meritis maioris esse, quàm cuiuslibet alterius, quæ ipsemet in Dei gratia peregerit: aiunt ergo Deum se pati, ac sustinere, nihil se ipsos agere, sed actuosè omnes Deum operari.

13. *Deinde quemadmodũ alij, sic etiã ipsi nullum se peccatum cõmittere posse asseuerant, eo quòd Deus in ipsis agat omnia, ipsi verò planè otiosi sint; & quidquid Deus velit, id per ipsos fieri, nihil præterea homines isti, omni intus actione postposita, otiosè dediderunt, & omnis electionis, vel optionis expertes viuunt simplicẽ, ac resignatũ præseferunt viuendi modum, & moderatè, ac æquabiliter ferre norunt, quidquid eis accidat: putant enim Dei instrumenta se esse, quibus is pro suo arbitrio vtatur, & agat.*

Ad quæcumque intus incitantur, siue ea virtuti consentanea sint, siue ab ea abhorreant, ea omnia putant ex sancto Spiritu proficisci; difficile tamen est, fateor, istos agnoscere, nisi quis illuminatus sit, & spirituum, ac diuinæ veritatis discretionem obtinuerit; quidam enim ex eis acuti, & subtiles admodum sunt, & ea quibus virtute aduersentur probe fucare, & velamina quædam eis prætexere nouerunt, propriæque voluntati dediti sunt, adeoque pertinaciter, & animo obfirmato se ipsos possident, vt antè mortem oppetere velint, quam vel ab vnico semel concepto articulo discedant; omnium enim, quos præsens habeat vita, sanctissimos, maximeque illuminatos se autumant.

14. *Discrepant autem à prioribus, quòd se progredi, & mereri posse non negent, illis contra asserentibus, nihil vltra mereri se posse, eo quod in vnitate, & otiosè possideant, vbi non luceat vltra progredi, quando quidem nullum ibi exercitium est. Sed simul omnes isti peruersi, & mortalium, omnium multo pessimi sunt, haud secus quam ipse hostis tartareus fugiendi, siquidem vitam viuunt contrariam Deo, iustitiæ, & sanctis omnibus, & sunt omnes re vera præcursores Antichristi, viam illius ad molem errorum, ac infidelitatem præparantes, ac munientes. Volunt namque absque Dei præceptis & virtutibus immunes esse, ac liberi, & otiosi, ac vniti Deo, sine amore, & charitate, Dei quoque contemplatores, absque amoroso contuitu; & viuentium omnium sanctissimi, absque actibus sanctitatis; dicunt etiam quiescere se in eo, quem tamen amore haud prosequuntur; & in eo sublimari se esse, quem minimè sentiunt, nec concupiscunt, & à cunctis denique virtutibus, & omni sui ad Deum applicatione se vacare, & otiosos agere, ne quod Dei actionibus obijciant impedimentum: quam ob rem otium, quod isti colunt, non nisi quædam impostura censenda est.*

15. Hucvsque celeberrimus ille Doctor falsa dogmata, & mores huiusmodi falsò Illuminatorum, & otiosorum describit, de quo etiam agit in Apologia de alta contemplatione, quæ alias *Samuel* inscribitur c. 4. eosdemque errores refert, & impugnat sublimis ille Doctor Thauler. ser. 2. Dominicæ 2. quadragesimæ; quæ omnia falsa dogmata, cum his, quæ verbo, & opere hæretici nostræ ætatis, qui Illuminati appellantur, docent omnino coincidunt, & ideò ad longum ea referre operæ precium esse duximus, vt sic euidentius appareat, eis doctrinam Venerabilis nostri IOANNIS, non solùm aliquomodo non suffragari, sed etiam illis vehementer aduersari, vnumque illud otium, quod omnium prædictorum errorum fundamentum est, prorsus damnare, cæteraque omnia, quæ ex tali fundamento prædicti hæretici deducunt, detestari, vt tum ex dictis supra n. 6. tùm etiam ex dicendis in progressu huius Elucidationis manifestè constabit, imò cuicumque doctrinam Venerabilis nostri IOANNIS legenti, nisi semetipsum, data opera, & malitiosè excæcare velit, lùce meridiana clariùs manifestum erit.

CAPVT IX.

Vnde aliquorum deceptio circa ſiniſtram ſuſpicionem, minuſque benignam cenſuram aliquarum propoſitionum Venerabilis noſtri IOANNIS orta fuerit, declaratur.

CVm ſæpè veriſimile dictum ſit, doctrinam Venerabilis noſtri IOANNIS, non ſolùm non ſuffragari hæreticorum, qui Illuminati dicuntur, falſis dogmatibus, ſed etiam illis omninò aduerſari, idque ex ipſamet horum librorum ſincera lectione euidenter appareat, inſuperque plures ex propoſitionibus infrà referendis, de quibus aliqui ſiniſtrè ſuſpicati ſunt, quaſi prædictorum hæreticorum doctrinam ſapiant, adeò ſint doctrinæ noſtræ fidei, SS. Patrum teſtimonijs, ſanæ Theologiæ, ac veritati apertè conformes, vt nullatenus de eis potuiſſe rationabiliter dubitari videatur: his igitur de cauſis meritò poſſet aliquis inquirere, quonam pacto fieri potuerit, viros aliquos non omnino ineruditos adeo deceptos fuiſſe, vt ſiniſtram hanc, de prædictis propoſitionibus, horumque librorum doctrina, opinionem, vel ſuſpicionem conceperint, propoſitioneſque adeò manifeſtè veras, minùs benigna cenſura dignas exiſtimauerint. Ante quàm igitur, ad ſingulas propoſitiones in particulari explicandas, & confirmandas in ſecunda huius Elucidationis parte accedamus, huic quæſito ſatisfacere, ac prædictæ ſuſpicionis ſiniſtræ radicem, & fundamenta detegere placuit, quod in præſenti capite præſtabimus. 1.

Vt igitur id radicitus intelligatur, animaduertendum eſt, nihil magis humani generis hoſtem, propter ſpiritualis noſtræ ſalutis inuidiam, & odium, curare, ac ſemper curaſſe, quàm vt homines ab orationis, & contemplationis ſtudio, vnde omnia nobis bona promanant, auerteret; ad quod aſſequendum, inter alia media, vnum præcipuè tanquam efficaciſſimum eligit, ſcilicet orationis, & contemplationis viam, tamquam valdè periculoſam, ac multis erroribus expoſitam proponere; exemplaq; aliquorum, qui in ea periclitati ſunt, ac diuerſimodè à Dæmone decepti, ac illuſi fuere, in erroreſque, & abſurda, præcedenti capite relata, inciderunt, in medium adducere, ac valde vrgere, vt ex hoc, huiuſmodi via, & ſtudium ab alijs ſuſpecta haberentur, ab eiſque, propter timorem prædictarum illuſionum, ac errorum, auertentur. 2.

Quod rectè cœleſtis illa Magiſtra Sancta Mater noſtra THERESIA in ſuis libris ſæpe adnotauit, ſed præcipue cap. 11. ſuæ vitæ his verbis: *Difficultates, quas primum incipientibus Diabolus proponit, ne viam hanc ita vt oportet, ingredi incipiant, maximæ ſunt & plurimæ; vt qui optimè calleat, quantũ inde ſibi damni obueniat, nõ ſolum quod hanc animã amittat, verum etiã eius occaſione alias plurimas; tã multas igitur eis difficultates & pericula obijcit, vt nõ paruo, ſed maximo eis, ad non retro flectendum, opus ſit animo, nec non maxime Dei gratia, &c.* 3.

B. Joannis à Cruce
Opera mystica
NVI
124

& cap. 21. Viæ perfectionis inquit: *Sæpe nos dæmon in hoc itinere conatur præpedire obijciens multa in eo inesse pericula, ille & ille per hoc perijt, alius ille deceptus est, alius qui multum orationi vocali deditus erat, lapsus est, alijs diabolus illusit: non sunt curandi isti timores nec pericula, & cum hæc sit via regia, per quam Rex noster & omnes electi & sancti iuêre, nemo nos seducat aliam nobis viam demonstrans quam orationis. Hoc Religiosorum munus est; & quicumque vobis aliquod ipsum periculum contineri diceret, illum vti periculum quoddam habitote & fugite. Non sinat Deus vnquam vt viæ orationis ceu via periculosa habeatur. Sed hanc timendi occasionem, diabolus induxit sua vafritie aliquos, qui prius orationis studio tenebantur, ad lapsum pertrahendo. Sed videte quæso intollerabilem cæcitatem: non enim considerant quam multa hominum millia ideo in hæreses alasque grauia mala prolapsi sint, quod orationi non insisterent, nec quid ea esset scirent. Quod autem inter tam multos diabolus quo hac ratione melius negotium & rem suam ageret, nonnullos eorum qui orationem frequentabant (quos facile esset enumerare) ad lapsum pertraxerit & deceperit, hinc factum est, quod nonnullis in rebus ad virtutem spectantibus, tam timidos esse facerit, &c.*

4. Vnde, tam in prædictis locis, quàm in alijs multis ipsamet Sancta THERESIA maximè hortatur omnes, vt propter huiusmodi pericula, nequaquam deterreantur; sed potiùs astutiam & inuidiam Dæmonis cognoscentes, maiori studio horetam salutari exercitio incumbant. & ideò cap. 8 suæ Vitæ inquit: *Non intelligo sanè quid eadem timeant, qui mentali orationi se applicare timent: & vere cur metuant nescio; consuluit autem Dæmon hunc metum causat, vt per eam vere nobis noceat ac malefaciat, cum scilicet per hunc impedit, quo minus recogitem, quoties & quam grauiter Deum offenderim, quantum illi debeam, esse infernum, ac cælestem gloriam, denique ne cogitem ingentes illas cruciatus & labores, quos mei causa subijt. Si ergo oratio, etiã ipsi minimè seruientibus, imo etiam aduersus ipsum de inquentibus tamen prodest ac necessaria est, & nemo dicere in veritate possit, vllum ex ea damnũ prouenire solere: fit, maius ex eo sequi, quòd oratio non colatur, cur quæso, eam omittant qui Deo vel seruire nolunt, vel seruire volunt? Quod cur facerẽt, cuidẽ prorsus non intelligo, nisi fortasse, vt vitæ huius vel suas adeo difficultates maiore cum difficultate transigant, deoque velut tantam occludant, ne quam ipse in illa consolationem & recreationem immittat. Illorum profectò me miseret, quod suo detrimento Deo seruiant, cum è contra ijs, qui orationi se dant, ipsemet Dominus sumptus omnes quam largissime quodammodo suppeditet.* Et cap. 39. viæ perfectionis sic inquit. *Est autem illud mirabile & nouum; quasi si Diabolus non tentaret eos, qui viam orationis minimè insistunt. & homines magis obstupescere, si quando aliquem, qui perfectionis iam propior sit, ab eo decipi contingit, quamsi centum aliorum millia, quos in maximis erroribus & publicis peccatis hærere vident; inter quos necesse est inquirere num quis bonus aut malus sit; hoc namque iam inde à mille leucis facile auditur. Sed, verum fatear, merito id faciunt: nam tam paucos Dæmon decipit illorum, vt velut nouum & insolitum & inusitatum quid admirationem moueat; cum hominibus proprium sit, facile præterire, nec reflectere ad ea quæ assiduè vident; quod verò raro & vix aliquando contingit, maximopere mirari. Imo ipsimet Diaboli hanc in illo admirationem adaugent, quod in bonum illorum id cedat cum propter vnum qui ad perfectionem tendit, perire faciant multos. Nolite timere carissimæ per hasce rationis vias, quæ permultæ sunt, incedere. Cæterum via ipsa per se secura est. Citius porro & facilius haud dubie à tentationibus liberamini cum Domino vicinæ & propiores estis, quam dum ab eo distatis.* & cap. 40. sequenti sic ait. *Vt enim animam vestram Dæmon inquietet, impedíatque quominus tantis bonis fruatur, sexcentos vobis timores incutiet cum per se, tum per alios. Putatisne pa-*

rum dæmonis intereſſe quod in huiuſmodi timores homines coniiciat: non parum certè, ſed permultum eũ id intereſt: ita quippe duplex damnum infert. Primum, quod eos qui audiunt, timidos reddat; qui ideò ſe orationi applicare verentur, ne pari modo decipiantur. Alterum quod alioqui plures longe ad Deum ſe conuerterent, videntes eũ tam ſuæ bonum, (vti demonſtrauit) & poſſibile eſſe, vt is ſe peccatoribus modo tam familiarem exhibeat. &c. Hanc etiam dæmonis inuidiam adnotauit S. Nilus cap. 45. de oratione, ibi. *Vehementer inuidet homini oranti Dæmon, & omni arte, atque machina vtitur, vt illius propoſitum ladat, &c.* Quod idem cap. 46. ſeq. proſequitur.

Hac igitur de cauſa, cum Dæmoni perſpectum ſit, quam vtiles, & neceſſarij ſint ad orationis, & contemplationis ſtudium ſuadendum, atque in hac parum trita, imò potiùs valde recondita via homines dirigendos, libri ſpirituales, ac Myſtici, qui de hac materia, eiuſque reconditis ſecretis optimè tractent, quantaque ex horum librorum lectione damna ipſi Dæmoni prouentura ſint, illud ſemper præcipuè curauit, curatque, vt quoties aliquis huiuſmodi liber prodierit, aliquos non omninò ineruditos (quamuis in Myſtica Theologia parum verſatos, minuſque expertos) ſub Catholicæ doctrinæ zeli prætextu excitet, ac tanquam ſuæ aſtutiæ inſtrumenta moueat, ad hoc, vt aliquorum verborum exteriorem dumtaxat ſonum attendentes, aduerſus huiuſmodi libros acriter inſurgant, eorum doctrinam tanquam de Illuminatorum erroribus ſuſpectam damnent, atque adeò à communi fidelium vſu relegari curent. 5.

Vnde propter huiuſmodi Diaboli inuidiam aſtutamque ſollicitudinem, hanc perſequutionem, acremque cenſuram ſub zeli prætextu, fere omnes excellentiores libri agentes de contemplatione, ac Myſtica Theologia illuſtriorum Doctorum, quos ſancta Mater Eccleſia, tanquam vtiliſſimos approbat, & veneratur; paſſi ſunt, vt multis exemplis ſupra capite 1. latè oſtendimus: plurimiſque alijs oſtendere poſſemus: ex eodem principio ſiniſtra aliquorum ſuſpicio circa aliquas propoſitiones librorum Venerabilis noſtri IOANNIS dimanauit: eoque magis, quo huiuſmodi libri excellentiorem, & perſonis ſpiritualibus vtiliorem, ac magis neceſſariam doctrinam continent: vt ſupra cap. 2. oſtendimus; eo enim ipſo Dæmonis inuidia creuit, eaque creſcente, prædicta quoque perſequutio, ſub zeli prætextu, incrementum ſuſcepit. 6.

Si autem aliquis inquirat; quonam pacto, vel quo fundamento ducti potuerint homines, alias non ineruditi, nec malitioſi, ita falli, vt de doctrina adeò apertè vera, ſecura, & vtili ſiniſtram hanc opinionem conceperint; triplicem huius rei cauſam breuiter aſſignabimus, in quarum numero nullatenus prauum affectum, aut malitiam computabimus; hanc enim, vtpotè cuiuis Chriſtiano animo valde indignam, ab eiuſmodi viris longè abeſſe, ſupponere volumus. 7.

Prima eſt, quod prædicti viri, propter ingens odium, quod meritò conceperunt aduerſus falſum illud otium, ſuſpenſionem, & quietem, ex quo tanquam ex præcipuo fundamento hæretici illi, qui Illuminati dicuntur, ſuos omnes errores deducũt, vt capite præcedenti demonſtrauimus; propter ingens inquam huius falſi otij, & quietis odium; eo ipſo, quod in his, & alijs Doctorum Myſticorum libris doctrinam, ſanctum contemplationis otium, ſuſpenſionem, & quietem, in ſenſu infra in progreſſu huius Elucidationis explicando, ſuadentem legunt, ad verborum dumtaxat ſonum, in quo ſimilitudinem, & conuenientiam aliquam, quo ad hoc cum

B.
Joannis
a Cruce

Opera
mystica
NVI
124

falso illo otio,& quiete reperiunt,attendentes;statim fidei, ac sinceræ doctrinæ zelo inardescunt,eiusmodique zelo succensi, absque maturiori discussione, & examine, & absque antecedentium, ac subsequentium collatione, illam doctrinam, de contemplationis otio,& alias quascumque illi annexas, tanquam de Illuminatorum erroribus suspectas,vel eis patrocinantes damnant.

8. Sed imprudenter sanè,ac temerè,& cum magno animarum dispendio huiusmodi iudiciũ de his rebus proferunt:vnde debuissent illi,qui sic iudicant,aduertere,non posse quempiam rectè de aliqua scriptura,aut doctrina iudicare,si externum tantum verborum sonum,vel aliquas dumtaxat propositiones à tota contextus serie intercepras accipiat,sed necessarium esse rerum ordinem , & consequutionem attendere,singulas propositiones,cum antecedentibus,& consequentibus conferre,earumque legitimum sensum maturè indagare,ac discutere;sin minus,iudicium illud multis erroribus expositum , ac planè temerarium fore : vt optimè docuit D.Ioannes Chrysostomus hom 39.in Ioannem his verbis : *Sicut qui metalla fodere aggreditur aurum ignarus,auri venam non inuenit,sed confundit , & laborem subit incassum ; ita qui diuinarum Scripturarum ordinem non intelligunt , qui earum proprietatum leges non exquirunt , sed omnia ad verborum sonum accipiunt , aurum terræ confundentes nunquam in his reconditum thesaurum assequentur , &c.* quæ sententia ad eos etiam , qui cæteras scripturas legunt,proportionabiliter applicanda est,quo etiam pacto Medin. 1.2.qæst.22.in fine loquens de impetu spirituali ait:*Impetus temerè & sine ratione non sunt reprobandi.*Quæ omnia docuit Paulus,dum 1.ad Thessalonic.5.n.19.ait:*Spiritum nolite extinguere, prophetias nolite spernere,omnia autem probate,quod bonum est,tenete , &c.* Vnde qui sine examine,& discussione matura iam dicta, propter verborum dumtaxat sonum, spiritualem aliquam doctrinam damnant, proculdubio Apostoli præceptum transgrediuntur, si quidem suo temerario iudicio plurium spiritum extinguunt, doctrinam diuinitus inspiratam spernunt,non omnia probant,nec quod bonum est, tenent:de quo sanè in die iudicij strictam rationem reddent(quamuis id malitioso animo non fecerint)eo quod temere in re hac tanti ponderis iudicium ferre voluerunt, cum magno animarum detrimento,spiritualisque earum profectus impedimento,quod rectè adnotauit Venerabilis noster Ioannes in libro qui inscribitur, *Flamma amoris viua*,Cantic.3.versu 3.§.11.his verbis.*Verum fortassis homines isti bono ducti zelo in errorem labuntur , eo quod eorum scientia non se amplius extendat. Non tamen propterea excusati sunt,cur rudem suam manum rei quam ignorant , adhibere non verentur,nec tales animas adeunt, qui melius eas intelligant,& dirigant,transmittunt. Nec enim exiguus est oneris & culpæ, in causa esse vt inæstimabilium bonorum iacturam faciat anima|ob inepta consilia , imo vt tota possessum eat:vnde ille qui temerarie errat, cum obligatus sit non errare , non erit absque pœna secundum modum damni quod intulit. Diuina siquidem negotia considerate admodum oculate tractanda sunt,præsertim,quæ res tam delicatas sublimesque concernunt , in quibus quasi immensum lucrum si non erretur,sperari potest,immensum vero detrimentum imminet,si aberretur.*

9. Debuissent etiam prædicti secundo aduertere suum iudicandi modum esse valde similem iudicio,quod hæretici de Scripturis Diuinis faciunt,ac modo quo eis abutuntur,ita scilicet,*Vt(*quemadmodum ex Clem.Alex.lib.7.Stromatum supra cap. 3.dicebamus*)non omnibus Scripturis Diuinis vtantur,deinde non perfectis, nec vt contextum requirit,*

quirit, sed soligant ambiguè dicta, pauciùs sparsim hinc inde decerptis vocibus, & nulla significationis ratione habita, ad solum, nudumque vocabulum affixi sunt. Quod citato cap. 3. latius prosequuti sumus: sic ergo isti non omnibus horum spiritualium librorum propositionibus vtuntur, deinde non perfectis, nec vt totius doctrinæ contextus requirit, sed sumunt aliquas propositiones ambiguè dictas, paucis sparsim hinc inde decerptis vocibus, & nuda significationis ratione habita, ad solum nudumque vocabulum otij, suspensionis, quietis, ac similia, in quibus aliqua cum illorum hæreticorum vocabulis exterior consonantia apparet, affixi sunt; quid ergo mirum, si in tali iudicio, & censura omnino errent, ac veluti in meridiana luce cæcutiant?

Debuissent ijdem tertiò aduertere, non rectè propositionem aliquam damnari, aut suspectã haberi, quamuis quoad verborum sonũ, & corticem cũ falsa aliquorum doctrina conuenire videatur, dummodo ex antecedentibus, & subsequentibus, & ex tota contextus serie, non illi falsæ doctrinæ conformem, sed potius aduersam esse constet, & ideò hæc omnia prius maturè discutienda esse, antequam propositio aliqua damnetur, vel relegari intendatur; ne fortè sub falsæ doctrinæ titulo, & apparenti dumtaxat similitudine, aliqua doctrina, re ipsa vera, & salutaris, cum magno animarum dispendio, exterminetur. Hac enim de causa Christus Dominus Matth. 13. in parabola zizaniæ proposuit interrogationem seruorum, qui cognoscentes zizania superseminata esse ab inimico in medio tritici, dixerunt Patri familias, *Vis, imus & colligimus ea?* Quibus ille respondit, *non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum; sinite vtraque crescere, vsque ad messem, & in tempore messis, dicam messoribus: colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum.* Hanc enim responsionem, in sensu quem proposuimus, explicant plures ex SS. Patribus, nempè Hieronymus super hunc locum his verbis: *Inter triticum, & zizania, quod nos appellamus lolium, quamdiu herba est, & necdum calamus venit ad spicam, grandis similitudo est & in discernendo, aut nulla, aut difficilis distantia, monet ergo Dominus, ne verbi, quod est ambiguum, aito sententiam proferamus, &c.* Similiter D. Thomas in proprijs commentarijs super eundem locum, assignans quatuor causas, quare non debeant eradicari zizania, quo vsque crescant, tertiam causam sic adducit. *Tertia ratio, quia aliqui videntur mali, & non sunt; ideò si vellès euellere malos, statim multos bonos extirpares; & hoc apparet, quia noluit Deus, quod colligerentur, donec ad perfectam maturitatem peruenirent.* Vnde 1. ad Corinth. 4. *Nolite ante tempus iudicare, &c.* Idemque docuit D. Chrysostomus homil. 4. in Matthæum, inquiens: *Sed propter quid dicit: Colligite primum zizania? vt non timeant boni, quasi simul cum zizanijs tollatur frumentum, &c.* Ac tandem Rabanus ibi inquit: *& notandum, quod vbi dicit; ne fortè colligentes zizania, donauit nobis discretionis exemplum, &c.* Quæ quidem discretio in eo consistit, vt scilicet, vbi ambiguitas aliqua in doctrina reperta fuerit, antecedentia, & subsequentia maturè discutiantur, vt sic veritas appareat, eaque cognita, id quod reijciendum est reijciatur, & quod retinendum est, teneatur, quamuis quoad verborum corticem ex aliqua parte similitudinem cum falsa doctrina habere videatur. 10.

Pro quo, non possumus non egregiam illam sententiam Clementis Alexandrini libri 7. Stromatum, quam capite tertio adduximus, iterum in præsenti referre: *Est ergo* (inquit ille) *nobis maiori studio, & cura præscrutanda ea, quæ verè* 11.

B.
Joannis
à Cruce

Opera
Mystica
NVII
124

verè est veritas. laborem autem sequitur dulcis inuentio, & memoria; est ergo labor inueniendi fabeundus propter hæreses, sed non est omnino deficiendum; nec enim si appositus sit fructus, vnus quidem verus, & maturus, alius verò factus ex cera, quam maximè similis, propter similitudinem est abstinendum ab vtroque; & quomodo si vna quidem sit via regia, & multæ etiam aliæ, ex quibus aliquæ ferunt in præcipitium, aliqua verò ad fluuium rapidè fluentem, aut ad mare profundum, non dubitauerit quispiam viam regiam propter dissensionem, sed vtetur via regia, & tuta, & secessa à periculo; ita cum alij alia dicant de veritate non est discedendum, sed est exactius, & diligentius inquirenda eius exactissima, & accuratissima cognitio: nam cum oleribus hortensibus vna cum nascuntur herbæ, num ergo abstinent Agricolæ à cultura hortorum, &c. Quibus similitudinibus eleganter ostendit Clemens propter verbalem similitudinem apparentemque consonantiam, quæ inter doctrinam aliquam, cum falsa, & erronea reperitur, non statim reijciendam, aut damnandam esse, vel eius studium omittendum, sed maiorem deberi diligentiam apponi, vt omnibus antecedentibus, & consequentibus rectè, & maturè perpensis veritas appareat, sanaque doctrina quantumuis falsè apparenter similis approbetur, & teneatur; de quo plura diximus citato cap. 3. vbi etiã ostendimus, non esse sufficiens argumentum, ad aliquam doctrinam damnandam, quod hæretici eam in suorum errorum patrocinium adducant, cum id etiam in sacra Scriptura, Sanctorumque Patrum libris frequenter faciant: non ergo propter aliquam doctrinæ Venerabilis nostri Io ANNIS, aliorumq; Doctorum Mysticorum, sanctum contemplationis otium, suspensionem, & quietem suadentium, verbalem, ac superficialem similitudinem, cum pestifero Illuminatorum errore, circa falsum illud otium, suspensionem, & quietem, quam præcedente capite retulimus, vel etiam propter aliquorum ex prædictis Illuminatis astutiam in doctrina hac, in suorum errorum patrocinium dolosè alleganda, debuerunt isti eam damnare, aut suspectam habere, ac velle relegare, cum re vera nullatenus pestiferæ illi doctrinæ suffragetur, sed potius omnino aduersetur, ac longe diuersimode Venerabilis noster Io ANNES, ac Doctores Mystici, necnon, & Sancti Patres, huiusmodi otium, suspensionem, & quietem accipiant, quam ea sumunt prædicti hæretici, cum quibus, non nisi quoad aliquorum verborum sonum conueniunt, vt in progressu huius Elucidationis manifestè ostendemus, & ex ipsa horum librorum lectione satis constat.

12. Debuissent quarto prædicti aduertere, non solum in Doctorum Mysticorum, ac SS. Patrum libris, sed etiam in Scriptura sacra frequenter reperiri propositiones aliquas quæ, si separatim, & ab antecedentibus, & consequentibus auulsæ sumantur, non Catholicum, sed erroneum, & hæreticum sensum efficere videntur, ad quarum proinde rectum iudicium non sufficit, eas, vt sic auulsas, & separatas, examinare; sed necessarium est, eas cum antecedentibus, & consequentibus, & cum totius contextu serie diligenter conferre, vt sic verus earum sensus, ac diuersitas, imò & oppositio, quam habent cum apparenter similibus hæreticorum propositionibus, dignoscatur. Plura sanè huius rei exempla adducere possemus. sed, prolixitatis euitandæ gratia, vnum vel alterum sufficiat. Quis enim nesciat dogma hæreticorum esse; non fide iustificari, & tamen Paulus ad Rom. 5. num. 1. eandem propositionem eisdem verbis statuit asserens: *Iustificati ergo ex fide pacem habeamus, &c.* Si ergo quis propositionem hanc Pauli, hæreticorum propositioni in verbis à Deo similem, à contextu

serie

serie auulsam sumeret, velletque illam, vt sic tanquam hæreticam damnare, turpiter proculdubio erraret, imò & ipse hæreticus esset, non alia certè de causa, nisi quia contextus seriem non aduertit; iuxta quam hæc eadem propositio, prout à Paulo profertur, nullatenus hæreticorum errori suffragatur, sed potiùs illi omnino aduersatur, quantumuis quoad verborum sonum, & corticem illis fauere videatur, eamque ipsi hæretici in sui erroris patrocinium adducant? Similiter hæreticorũ dogma est; nos iustificari per gratiam, & iustitiam, quæ est in Deo aut in Christo Domino; & tamen D. Paulus ad Titum 3. num. 7. asserit, nos iustificari gratia ipsius Christi, quæ propositio prout ab hæretico profertur, erronea, prout verò habetur in Paulo, Catholica est; quod diuersum iudicium ex antecedentibus, & consequentibus sumitur, & ideò pessimè iudicaret, qui ad hæc non attendens prædictam Pauli propositionem propter hanc verbalem cum hæreticis similitudinem, vel quia ipsi eam in sui erroris patrocinium adducunt, damnaret, vel suspectam haberet.

Hac ergo de causa vehementer errant, ac temerariè iudicant, qui propositiones 13.
aliquas, quæ in libris Venerabilis nostri IOANNIS, aliorumque Doctorum Mysticorum reperiuntur, separatim à contextus serie, & ab antecedentibus, & consequentibus auulsas sumunt, & propter aliquam verbalem similitudinem, quam cum Illuminatorum falsis dogmatibus, vt sic, habent, vel quia ipsi Illuminati eas, vt sic auulsas, ad suorum errorum patrocinium adducunt, prædictas propositiones damnant, vel suspectas habent; cum tamen reuera, si cum antecedentibus, & subsequentibus, totiusque contextus serie conferantur, euidenter appareat, eas ob illorum hæreticorum erroribus, non minus, quam lucem à tenebris, distare; siquidem passim in libris externa, & interna mortificatio valdè rigida, Angelica vitæ puritas, falsi, ac remissi otij fuga, virtutum omnium exercitium, perfecta Christi imitatio, eiusque crucis amor, proprij iudicij, ac voluntatis intima abnegatio, Maiorum stricta obedientia, peculiarium reuelationum, ac visionum abdicatio, pluraque alia his similia, quæ prædicti hæretici omninò abhorrent, & damnant, expressissimè commendantur, ac efficacissimè suadentur; ita, vt reuera nullus liber, qui acrius prædictos Illuminatorum errores, & deceptiones damnet, huc vsque scriptus inueniatur, vt legenti manifestum erit.

Debuissent tandem prædicti aduertere regulam illam, quam expurgatorium 14.
Romanũ in instructione ad eos, qui libros sunt expurgaturi, in titulo de correctione librorum §. 4. tradit, quod scilicet, quando author aliquis in vno loco loquitur clarè, & in altero obscure, reducendus est locus obscurus ad clarum. Si enim regulam hanc obseruassent, nullatenus de sinceritate, ac veritate doctrinæ huius libri vnquam dubitassent; siquidem cum toties adeò clarè loquatur Venerabilis noster IOANNES circa reprobationem falsi illius otij, suspensionis, & quietis Illuminatorum, vt cap. præced. num. 6. vidimus; necnon circa alia omnia, quæ in fine numeri præcedentis retulimus, in quibus omnes prædictorum hæreticorum errores adeò clarè damnat; debuissent sanè, ne forte aliquam loquutionem obscuram, vel minus claram in illo inuenerunt, ad tot locutiones claras (iuxta prædictam Expurgatorij regulam) eam reducere; quod si fecissent, nullatenus sinistrè de prædictis propositionibus iudicassent, sed quia hæc omnia, quæ diximus, noluerunt aduertere, nihil mirum quod

B.
Joannis
a Cruce

Opera
mystica
TOM. II
128

offenderint, vbi nulla offensionis occasio erat, & quod in rebus adeò claris, & apertis cæcutirent. Et hæc de prima causa, vnde prædictorum deceptio circa huius doctrinæ iudicium, eiusque siniſtram ſuſpenſionem emanauit.

25. Secunda verò causa eiusdem deceptionis, fuit defectus tùm eruditionis, ac lectionis librorum SS. Patrum, ac Doctorum Mysticorum, qui de his materijs agunt (quorum forsitan in alijs materijs scholasticis inerudititi non sint) tùm etiam (& hæc 3. causa) defectus experientiæ de his rebus Mysticis; vtramque enim, scilicet ingentem eruditionem, ac experientiam, ad rectum iudicium de his rebus adeò sublimibus, ac reconditis perfectè ferendum, necessariam esse satis capite 7. SS. Patrum testimonijs manifestaque ratione ostendimus. Vnde nihil mirum, quod his deficientibus, rectum quoque iudicium deficiat, veraque doctrina cum falsa confundatur, ac lux pro tenebris habeatur.

26. Quibus omnibus sic in communi obseruatis, superest modo, vt ad singulas propositiones, de quibus prædicti siniſtrè ſuſpicati sunt, quasque figillatim notarunt, in particulari descendamus, earumque Catholicam veritatem, fidei nostræ, ac Sanctorum PP. doctrinæ omnino conformem esse manifestè ostendamus: quod sanè difficile non erit; quia reuera, vt iam diximus, tota Mystici nostri Doctoris doctrina palsim in Sanctorum PP. illustriumque Doctorum libris continetur: id autem in secunda huius Elucidationis Theologicæ parte præstabimus per singulas propositiones, prout ab illis notatæ sunt, suo ordine discurrendo, singuliſque genuinam declarationem, & elucidationem adhibendo. Vnde ad hoc propositum meritò applicare possumus optima quædam verba D. Prosperi, quæ in præfatione responsionis ad capita Gallorum, pro D. Augustini doctrinæ defensione in hunc modum præmisit.

27. *Doctrinam, quam sanctæ memoriæ Augustinus Episcopus* (dicere nos possumus, quã Mysticus Doctor IOANNES A CRVCE) *per multos annos Apostolicè assertuit, luculenterque tradidit, quibusdam visum est, aut non intelligendo, aut intelligi eam nolendo, reprehendere. Et hoc quasi compendium cognitionis, his, qui iudicio eorum ducebantur, afferre; vt quæ in libris prædicti viri damnabilia reperisse iactabant, breuium capitulorum induculo publicarent, atque commenta, & detestationem eius, quem impeterent, obtinerent, & ab his, quæ infamassent, curam externis lectores auerterent. Ne ergo hanc persuasionem temere quis recipiat, & talem putet sensum scripti Catholici in esse Doctoris, qualem eum, qui frustra calumniantur, ostentant: singulu capitulis, quæ rationis titulo prænotarunt, breui, & absoluta professione respondeo, in nullo recedens à tramite eorum diffinitionum, quæ in sancti viri disputationibus continentur, vt facilè, vel tenui diligentia aduertat inspector, quàm iniustis opprobrijs Catholici prædictoris memoria carpatur, & in quod peccatum cadant, qui aliena instigatione commoti, scriptorem celeberrimi nominis promptius habeant culpare, quàm nosse.*

Hæc D. Prosper circa Augustini propositionum, quæ à plerisque grauibus viris, tamque suspectæ fuerant notatæ, defensionem: hæc etiam nos circa Venerabilis nostri IOANNIS propositionum, quæ etiam ab aliquibus notatæ sunt, defensionem, proportione seruata dicimus.

(::)

SECVN-

SECVNDA PARS
ELVCIDATIONIS, EA, QVÆ AD propositiones in particulari pertinent, complectens.

CAPVT I.
PRIOR PROPOSITIO ELVCIDATVR, ac Sanctorum Patrum illustriumque Doctorum manifestis testimonijs corroboratur.

PRIOR propositio ab aliquibus notata, habetur in lib. 1. qui inscribitur *Subida del Monte Carmelo*, cap. 5. in principio, vbi Venerabilis noster IOANNES hæc habet verba. 1.

Summa est animæ stultitia, quæ posse se ad sublimem vnionis cum Deo statum euolare arbitratur, nisi prius appetitum naturalium, imò etiam supernaturalium rerum, secundum quod proprio amori innixæ sunt, exuat & euacuet.

Circa elucidationem huius propositionis, prius legitimum eius sensum, quem ipsamet satis exprimit, aperte declarabimus; eumq; veritati, ac sacræ Theologiæ omnino conformem esse ostendemus; deinde, eodem loquendi modo communiter SS. Patres, ac Doctores Catholicos semper vsos fuisse, pluribus eorum testimonijs adductis, manifestè demonstrabimus: ex quo apertum relinquetur, nihil in hac propositione, siue quo ad rem, siue quo ad loquendi modum reperiri, in quo quis rationabiliter possit offendere, vel aliquam de illa sinistram suspicionem concipere; quin potius ex omni capite verissimam, ac fidei Catholicæ, Sanctorumque Patrum doctrinæ conformem esse, vtilissimamque, ac sublimem doctrinam ab Ecclesia semper approbatam continere: quem etiam stylum in aliarum propositionum elucidatione seruabimus.

§. 1.
Pro elucidatione huius propositionis aliqua præ-notantur.

VT igitur legitimus huius propositionis sensus intelligatur, obseruandū est, proprium hominis amorem posse tripliciter se habere ad charitatem; prout docet D. Thomas 2. 2. quæst. 19. art. 6. his verbis: *Amor autem sui tripliciter se potest habere ad charitatē: vno enim modo contrariatur charitati, secundū quod aliquis in amore proprij boni finem cōstituit, alio modo in charitate includitur, secundū quod homo se propter Deū, & in Deo diligit: tertio modo à charitate quidē distinguitur, sed charitati nō contrariatur, puta cū aliquis diligit se ipsū,* 2.

B.
Joannis
à Cruce

Opera
Mystica
TOM II
124

secundum rationem proprij boni; ita tamen, quod in hoc proprio bono non constituat finem; sed etiam, & ad proximum potest esse aliqua alia spiritualis dilectio, præter dilectionem charitatis, quæ fundatur in Deo, dum proximus diligitur ratione commoditatis, consanguinitatis, vel alicuius conditionis humanæ, quæ tamen referibilis sit ad charitatem, &c.

3. Ex his ergo tribus modis certum est, proprium amorem primo illo modo sumptum, esse omnium malorum radicem, de quo loquebatur Paulus cũ 2. ad Timoth. 3. dicebat: *In nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, &c.* Vbi prædictum proprium amorem pro tot malorum causa assignat; & Christus Dominus Ioan. 12. num. 25. asserit: *Qui amat animam suam, perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*, super quæ verba D. Aug. tract. 5. in Ioan. ait: *Noli amare ne perdas, noli amare in hac vita; ne perdas in æternam, &c.* Vnde D. Thomas 1. 2. q. 77. art. 4. in corpore, inquit: *Manifestum est, quod inordinatus amor sui, est causa omnis peccati*, & D. Aug. lib. 4. de Ciuitate Dei c. 7. & c. 14. ibi: *Amor sui, qui est causa peccati, est ille qui perducit ad contemptum Dei.* Idemque docet ser. 39. de tempore. Quam etiam veritatem tradunt D. Greg. hom. 4. in Ezechiel, S. Basilius in reg. breu. ad interrogationem 34. S. Anselmus super citatum D. Paulilocum, D. Bernard. ser. 7. in Psalmum qui habitat & lib. 4. de considerat. ad Eugenium c. 2. ad illa verba: *Ecce nos reliquimus omnia*, D. Bonauent. 3. p. breuiloquij cap. 11. Dionysius Richelius lib. de laudibus vitæ solitariæ artic. 6. Aluarez de Paz tom. 2. lib. 2. p. cap. 2. de exterminatione mali, ac tandem idem omnes S. Patres, ac Doctores proclamant. Imò & Philosophi veritatem hanc agnouerunt, & ita Plato lib. 5. de legibus dixit: *Nimius in se ipsum amor, omnium peccatorum omnibus est causa, obcæcatur ira amatum qui amat; quapropter qui se amat, cum se magis, quam veritatem honorandam putet, quod iustum, bonum, pulchrum sit malè iudicat.* Idemque docuit Plutarchus de officio auditoris, ac Seneca epist. 86. sed in hoc, vtpotè omnino certo, immorari non oportet.

4. Deinde certum etiam est, proprium amorem secundo illo modo sumptum, prout scilicet in charitate includitur, secundum quod homo se propter Deum, & in Deo diligit, non solum esse malum, vel imperfectum, aut vnionis cum Deo impeditiuum, sed potius optimum, imò & inclusum in præcepto charitatis, & ab illa procedere; siquidem debet quis se ipsum, & corpus suum ex charitate diligere, vt D. Thomas 2. 2. quæst. 25. art. 4. & 5. & omnes docent, constatque ex præcepto illo Decalogi: *Diliges amicum tuum sicut te ipsum*, Leuitic. 19. num. 8. In qua veritate, vtpotè certissima, & indubitata confirmanda, immorandum non est.

5. At verò proprius amor, tertio illo modo sumptus, prout scilicet aliquis diligit se ipsum, secundùm rationem proprij boni, verbi gratia, ratione commoditatis, vel alicuius alterius conditionis humanæ, quamuis in hoc proprio bono vltimum finem non constituat, sed ad charitatem referibile sit; huiusmodi, inquam, amor imperfectus est, pluraque spiritualia damna inuoluit, & causat. De quo proprio amore loquebatur D. Basilius in reg. breui. ad interrogationem 54. dum dicebat: *Amãs sui ipsius est, qui se ipsum amat priuato, & immodico amore; talem autẽ se esse quis cognoscet, si quæ facit, ea cõmoditate sui faciat; licet quod fiat, ex mãdato fiat*, & de illis qui se huiusmodi amore prosequuntur, ait Aluarez de Paz loco sup. cit. c. 11. *Hi in quadam inquietudine perpetuo versantur, cum dolor à proprijs affectibus excitatus, non sinit eos in aliquo loco quiete consistere, &c.*

Vide

Vndè hunc imperfectum amorem proprium, debet perfecta charitas excludere, ita vt ille, qui ex charitatis perfectione operatur, nullatenus in se ipso, vel in suis rebus commodum proprium, vel propriam vtilitatem quãtumuis licitam quærat, sed præcisè se ipsum, & cætera omnia propter Deum, & in Deo diligat, atque adeò solùm ipsum Deum quærat. Hac enim ratione Apostolus 1. ad Corint. 13. nu. 5. docet: *Charitas non quærit quæ sua sunt*, quod explicans D. Bernard. tract. de diligendo Deo etiam respectum, & intuitum ad vtilitatem, & commodum præmij æterni, à perfecta charitate excludit, dicens: *Non sine præmio diligitur Deus, & si absque præmij intuitu diligendus sit: vacua namque vera charitas esse non potest, nec tamen mercenaria est; quippe non quærit, quæ sua sunt; affectus est, non contractus; verus amor præmium non requirit, sed meretur, &c.* Et in eodem tractatu explicans illud Psalm. 117. *Confitemini Domino quoniam bonus*, inquit: *Qui Domino confitetur, non quia sibi bonus est, sed quia bonus est, diligit Deum propter Deum, & non propter seipsum, &c.* Idemque communiter SS. Patres tradunt; cuius doctrinæ sensus non est, esse illicitum operari propter præmium, & retributionem, vt dicebant aliqui hæretici, quos damnauit Concilium Tridentin. sess. 6. c. 11. can. 31. & Innocent. 3. cuius diffinitionem refert Directorium Inquisitorum 2. p. q. 9. art. 10. sed sensus est, talem operandi modum, non esse perfectiorem, nec eo, vt in plurimum, vti illos, qui ad statum perfectorum, & vnionis cum Deo peruenerunt; vt optimè libellus ille spiritualis, qui inscribitur: *Ars seruiendi Deo*; cuius Auctor est Frater Ildephonsus de Madrid, pertractat. Charitas ergo perfecta, prout cum hac perfectione operatur, proprium amorem in tertia acceptione sumptum excludere debet; ita vt, non attendat quis in rebus, quæcumque illæ sint, ad eas amandas, aliquid proprij commodi, vel vtilitatis, sed præcisè conducentiam ad diuinam gloriam; atque adeò quæuis alium particularem affectum excludat: in quo sensu dixit Christus Dominus: *Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*, Luc. 14. n. 33. & Matt. 16. n. 24. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Et Paulus 1. ad Corinth. 7. n. 29. *Tempus breue est, reliquum est, vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint; & qui flent, tanquam non flentes; qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non possidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur, &c.* Vndè meritò D. Augustinus lib. 83. quæstionum quæst. 36. ait: *Augmentum charitatis diminutio cupiditatis, perfectio nulla cupiditas.* & Dionysius Richel. lib. de laudibus Vitæ solitariæ art. 6. *Minoratio amoris proprij, est charitatis profectus, & incrementum*; idemque docent omnes Sancti Patres, & Doctores catholici, quorum plura testimonia infra referemus.

§. II.

Ex doctrina tradita propositionis huius legitimus sensus ostenditur.

EX his igitur patet clarus, & legitimus sensus propositionis Venerabilis nostri IOANNIS, quam elucidamus: in ea namque statuit, necessarium esse ad perfectionem charitatis, & vnionis cum Deo dimittere appetitum omnium rerum, tàm naturalium, quàm supernaturalium; non quidem, prout ad gloriam Dei conducere possunt, sed prout ex aliquo particulari cõmodo, vel vtilitate propria in eis reperta amari

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
TOM. II
124

possunt, vt verba illa, quæ ipsemet subiunxit: *Secundū quod proprio amori inimicæ sunt, eum arat & euacuet*, euidenter ostendunt; proprius enim amor, in cōmuni loquendi modo in malam, vel imperfectam partē sumi tolet; sicuti & odium sui in bonam, iuxta illud Ioan. 12. n. 25. *Qui amat animam suam, perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*, vbi Augustinus tract. 5. in Ioannem inquit: *Noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita.*

Vnde in hac propositione quemuis proprium amorem, in hoc dumtaxat malo, vel imperfecto sensu, atque adeò secundum primam, & tertiam considerationem ex D. Th. adductam & explicatam, reijciendum esse ad perfectionem charitatis obtinendam, docet sublimis noster Doctor, non quidem, quia perfecti etiam, postquam ad statum perfectionis deuenêre, non possint aliquos actus exercere intuitu præmij, vel alicuius propriæ vtilitatis, sicuti exercebat Dauid, dum dicebat: *Inclinauit cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem*, Ps. 118. n. 112. & S. Mat. nostra THERESIA c. 15. suæ vitæ docet etiam, perfectos aliquando indigere huiusmodi motiuis ad rectè operandum, & ad euitanda peccata. Sed quia hic operandi modus propter proprium commodum, aut vtilitatem, etiam spiritualem, & supernaturalē, non est omnium perfectissimus; ideò hi qui ad perfectionem charitatis, ac vnionis cum Deo, qualis in hac vita haberi potest, proximè iam accedunt, eo communiter & vt in plurimum, non vtuntur: *Perfecti namque* (verba sunt D. Th. 2. 2. q. 24. ar. 9. ad 3.) *& si in charitate proficiant, sed non est ad hoc principalis eorum cura, sed iam eorum studium intabescit maximè versatur, vt Deo inhæreant.*

7. Hic est igitur legitimus, & manifestus sensus huius propositionis, quem ipsamet eius verba satis aperte declarant, ipseque etiam Extaticus noster Doctor in tribus libris Ascens. Montis Carmeli; specialiter verò l. 3. à c. 16. latè, & sublimiter ostendit plures imperfectiones, ac spiritualia damna, quæ ex hoc proprio amore, circa quæuis bona, tam naturalia, quam supernaturalia oriuntur, mirificè explicans, ac perpendens, ex hunc sensum catholicum, verissimum ac bonæ Theologiæ, scriptioni, & Sanctorum Patrum Doctrinæ omnino conformem esse satis ostendimus: Nunc autē plura Sanctorum Patrum, & illustrium Doctorum testimonia subiungemus, in quibus propositionem hanc, non solum quoad eius legitimum sensum iam explicatum, sed etiam quoad loquendi modum vnanimiter tenent, imò & strictioribus verbis, quàm Ven. noster IOANNES, prædictam rerum omnium creaturarum, tam naturalium, quàm supernaturalium, proùt ex proprio amore appeti possunt, abdicationem, appetitusque vacuitatem, suadent, & commendant.

§. III.

Plura Sanctorum Patrum, & illustrium Doctorum testimonia ad propositum adducuntur.

8. IN primis ergo Sanctus Dionysius Areopagita, cap. 1. de Mystica Theologia, ad Timotheum, ad quem scribit, alloquitur: *Tu verò, Timothee charissime, intentissima contuendu spectaculis Mysticis exercitatione, & sensus linque, & intellectuales operationes, & sensibilia, & in-*

& intelligibilia, & quæ non sunt, & quæ sunt omnia, & vt illis iungaris, qui super omnem substantiam, omnemque scientiam est, ignotè pro viribus te ipsum intende. Enimverò abs te ipso, atque ab omnibus liberè & absolutè, ac purè excedendo, ad supersubstantialem diuinæ caliginis radium, sublatis omnibus, & absolutus ex omnibus euolabis, vbi verba illa: *Unque quæ non sunt, & quæ sunt omnia*, necnon & illa: *Sublatis omnibus, & absolutus ex omnibus*, ponderanda, & cum iis, quæ in hac propositione Extatici Doctoris nostri habentur, conferenda sunt. 8.

Deinde D. August. lib. 1. de doctrina Christiana cap. 22. explicans illa verba Matt. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua*, sic inquit: *Deum ex toto corde diligere, præcipere est, vt omnes cogitationes tuæ, ex tota anima, vt omnem vitam tuam, ex tota mente tua, vt omnem intellectum tuum in illum conferas, à quo habes ea, quæ confers; nullam ergo vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, vt alia re velit frui, sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur quo totus dilectionis impetus currit, tunc enim est optimus homo, cùm tota vita sua pergit in incommutabile bonum, &c.* Vbi verba illa: *Vt alia re velit frui*, necnon & illa, *quidquid aliud diligendum venerit*, ad propositum perpendenda sunt. 9.

Præterea D. Hieronymus epist. 1. ad Heliodorum sic inquit: *Perfectus seruus Christi nihil præter Christum habet; aut si quid præter Christum habet, perfectus non est, &c.* Quo nihil strictius dici potuit.

Eandem etiam doctrinam, & locutionem habet Diu. Bernardus in tractatu de diligendo Deo, his verbis: *Quomodo stilla aquæ multo vino infusa deficere à se tota videtur, dum & saporem vini induit, & colorem; & quomodo ferrum ignitum, & candens igni simillimum fit, pristina propriaque forma exutum; & quomodo solis luce perfusus aër in eandem transformatur luminis claritatem, adeo vt non tam illuminatus, quàm lumen ipsum esse videatur; sic omnem in Sanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo, necesse erit à semetipsa liquescere, atque in Dei penitus transfundi voluntatem: Alioqui quomodo omnia in omnibus erit, si in homine de homine quidquam supererit?* Et Paulò superiùs dixerat: *Quoniam Scriptura loquitur, Deum omnia fecisse propter semetipsum, erit profecto, vt factura se se quandoque conformet, & concordet auctori; oportet proinde in eundem nos affectum quandoque transire, vt quomodo Deus omnia esse voluit propter semetipsum, sic nos quoque, nec nos ipsos, nec aliud aliquid fuisse, vel velimus, nisi æquè propter ipsum ob solam videlicet ipsius voluntatem, non nostram voluptatem. Opera, & defæcata intentio voluntatis, eò certe defæcatior, & purior, quo mea de proprio nihil iam admixtum relinquitur; eo suauior, & dulcior, quo totum diuinum est, quod sentitur: sic affici, deificari est.* Quibus in verbis strictissimam rerum omnium quarumcumque, quatenùs ex proprio amore etiam licito appeti possunt, renunciationem, & abdicationem, in his qui perfecta charitate Deum prosequuntur D. Bernardus statuit. 10.

Bernardo adiungendus est Gilbertus Abbas valdè illi in spiritu similis, qui in sermone 1. super Cant. eorum, quæ ad complementum sermonum D. Bernardi scripsit, explicans illa verba Cant. 3. *Per noctem quæsiui quem diligit anima mea*, sic loquitur: *sicut in lectulo, sanctæ quietis accipiis otium, sic obliuionem quandam intellige. Inumbra rerum visib. l. ũ obliuionẽ aliquantã accipe; in nocte omnimodam. Dilectio ipsa hanc noctem inducit, quæ reliqua omnia, nec respicit, nec notare putat, cum ad illum quem diligit intenta suspirat, &c.* 11.

Insu-

B. Joannis a Cruce

Opera mystica

TOM II

124

12. Insuper D. Thomas 2.2. quæst. 23. ar. 6. in corp. excellétiam charitatis explicans inquit: *Charitas attingit ipsum Deum vt in ipso sistat, nō vt ex eo aliquid nobis proueniat, &c.* Quæ vltima verba doctrinam nostræ propositionis expresse continent, & q. 24. art. 8. perfectionem charitatis, ad quam potest quis in hac vita peruenire, declarans sic habet: *Alio modo contingit, aliquem diligere Deum quantum potest, vt scilicet homo studium suum deputet ad vacandum Deo, & rebus diuinis prætermissis alijs, nisi quantum necessitas præsentis vitæ requirit: & ista est perfectio charitatis quæ est possibilis in via, non tamen est communis omnibus habentibus charitatem &c.* Ecce qualiter omnia, præter Deum, à viris perfectis prætermittenda esse docet, & q. 180. ar. 6. ad 2. explicans quænam requirantur in anima ad hoc vt perueniat ad perfectam Dei contemplationem, quam (iuxta D. Dionysij c. 4 de diuinis nominibus phrasim) vocat circularem, sic ait: *Exigitur, quod duplex eius affectus amoueatur. Primò quidem illa, quæ est ex diuersitate exteriorum rerum, prout scilicet relinquit exteriora: Secundò autem, ea, quæ est per discursum rationis: & hoc contingit, secundum quod omnes operationes animæ reducuntur ad simplicem contemplationem intelligibilis veritatis. Et tum, istis duobus præmissis, tertio ponitur vniformitas conformis Angelis, secundum quod, prætermissa omnibus, in sola Dei contemplatione persistit, &c.* Vbi verba illa: *prætermissis omnibus*, ad propositum perpendenda sunt.

13. Accedit D. Bonauent. serm. 2. de luminaribus Ecclesiæ inquiens: *Hæc contemplatiua iuuatur industria, vt separetur homo ab omni eo quod Deus non est, etiam à seipso &c.* Quid strictius? Nec minus stricta est alia eiusdem S. Doctoris locutio lib. 1. de profectu Religiosorum vbi sic habet: *Perfectio memoriæ est, ita hominem in Deum esse absorptum, vt etiam sui ipsius, & omnium quæ sunt, obliuiscatur, & in solo Deo absque omni strepitu volubilium cogitationum, & imaginationum suauiter quiescat, &c.*

14. Nec minus strictè id ipsum docuit Albertus Magnus in lib. de adhærendo Deo, sæpè specialiter verò cap. 2. in hunc modum: *Qui talem statum aggredi desiderat, & exigit, opus est omnino, vt velut clausis oculis, & sensibus de nullo se penitus implicet, ac perturbet, solicitus sit, & curet: sed cuncta, tanquam impertinentia, & perniciosa funditus excutiat &c.* Et cap. 5. & 8. hæc notabilia verba subiungit: *Deuota namque anima sic debet esse cum Deo vnita, & suam voluntatem diuinæ voluntati tam conformem habere, & facere, quòd se cum nulla creatura occupet, seu adhæreat, sicut dum non erat creata, ac si nihil sit, præter solum Deum, & ipsam animam &c.* Qua locutione nihil strictius dici potuit.

15. Strictissima est etiam ad hoc propositum doctrina, & loquutio sublimis illius Doctoris Mystici Ioannis Thauleri qui serm. in dom. 25. post Trinitat. sic inquit: *Ad nec pro se ipso, vel sui causa vero amatori in spiritualis interna dulcedine voluptatem, aut oblectionem quærere licet, tametsi imperfectis, ac incipientibus Christi seruis hoc videatur esse permissum, perfectis verò minimè, puro namque amori nulla ratione conceditur, vt consolationem, dulcedinem, saporem, deuotionem sensibilem, ac in cunctis exercitijs spiritualibus prosperum successum propter seipsum quærat; id enim magis esset donis Dei, quam ipsi Deo confidere, &c.* Et paucis interiectis subiungit: *Purus amor, nec in æternis seipse bonis quærere debet, puta, vt magnam expectet cœlis gloriam, honorem, mercedem pro bonis suis actibus consequi, quæ sanè, & si quæ sunt eiusmodi, propter se dumtaxat expetere, vel quærere, nec perfectæ virtutis, nec puri amoris est, nec quam ad verè purum amorem attinet. siue is, (scilicet Deus) dare cœlestia regna, seu denegare, siue seruare, siue damnare velit, &c.* Et Dominica infra octauam Epiphan. *omnes namque*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vires animæ, vt intellectus, memoria, voluntas, ratio, cunctæq; operationes illarum cùm sint multæ, & multiplicia, ipsum quoq; hominẽ multiplicẽ efficiunt, distrahuntq; : omnis igitur sensualitas, cuncta imagines, & quidquid hoc est, in quo nos ipsos quærimus, nos ipsos intendimus, nos ipsos inuenimus, relinquenda penitus sunt & abdicanda, &c. Similia habet serm. 4. de Natiuit. Dom. serm. 23. post Trinit. per totum.

Consonat, tam in doctrina, quã in locutione celiberrimus ille Doctor Mysticus D. Ioan. Rusbroch. in ope de vera contẽplatione c. 37. *Qui Deo seruiunt non ex charitate, sed solum propter seipsos, & propter priuatum suum lucrum, ac commodum, tales vocantur mercenarij: quisquis autem Deo seruit aliquam ob causam, quæ Deus non sit, is non amat Deum, qui autẽ Deum amat, ipso contentus est, nec quidquam præterea appetit; qui verò Deo, lucri & commodi sui causa, seruit, vtique non diligit Deum, vera enim charitas non quærit, quæ sua sunt, &c.* 16.

Eamdem etiã habet doctrinã Caietan. super Ep. ad Phil. 2. n. 21. circa illa verba: *Oẽs enim quærunt, quæ sua sunt, &c.* sic enim inquit, *Per hæc verba penuria apud Paulũ perfectorum discipulorũ insinuatur, nam particula hæc, vt ratio præcedentia affertur, vt testatur cõiunctio enim, dicendo omnes enim: nec dicit amant, sed quærunt; Nec intelligas significari amorem præferentiæ proprie ijs, quæ Iesu Christi, huiusmodi enim amor esset peccatum mortale. sed amorem quærentem incrementa Iesu Christi, huiusmodi siquidem studium, est studium imperfectorum, &c.* 17.

Consentit in doctrina, & locutione huius propositionis Tho. de Kempis de imitatione Christi l. 3. c. 31. inquiens: *Oportet igitur omnẽ pertransire creaturam, & sensum perfectè deserere, ac in excessu mentis stare & videre te omnium conditorẽ, cum creaturis nihil simile habere, & nisi quis omnibus creaturis fuerit expeditus, non poterit libere intendere diuinis. Ideò enim pauci inueniuntur contemplatiui, quia pauci sciunt se à peritu is & creaturis ad plenum sequestrare.* Et c. 32. eiusdem libri ait. *Tene breue, & consummatum verbum: Dimitte omnia, & inuenies omnia, relinque cupiditatem, & reperies requiẽ. Hoc mente pertracta; cũ impleueris, intelliges omnia:* 18.

Strictissimis etiam, & valde notatu dignis verbis veritatẽ hanc stabiliuit sapientissimus ille, ac pijssimus Archiepisc. Bracharensis, Frat. Bartholomæus à Martyribus, in 2. par. sui compendij spiritualis, c. 10. vbi de perfectis viris sermonem instituens, sic loquitur: *Nihil intentione mentis, & amore prosequuntur nisi Deum, interius erga ipsum iugiter occupantur; Deo ita adhærent, vt videntes sint velut cæci, audientes surdi existant, loquentes quasi muti permaneant; bi cœlestem, & angelicam vitam in terris viuunt, & terrestres Angeli iure dici poterunt, &c.* Statimque media ad hunc statum perueniendi assignans, subdit: *Igitur athletæ Christi, si velis ad hunc salutis portum appellere; sequentia totis animi viribus obseruare cõtendito: nihil tenaci corde possideas, nulli creaturæ mente inhæreas, nullius viri quãtumuis sancti amicitiam, & familiaritatem humanitus expetas, nam non solum, quæ mala sunt, sed etiam bona huic sapientiæ efficient, si inordinatè diliguntur, vel quærantur; nam lamina aurea oculis obiecta non minus quam lamina ferrea impediri solet visum: Priuatum amorem ex toto corde extirpato, & propriam voluntatem deponens, Deo te ipsum tradito, & te in ipsum perfectè transfundito: Nunquam ore, vel corde, habita tui ipsius, & propriæ commoditatis ratione, dicas; hoc volo hoc nolo, hoc eligo, illud respuo, nec vnquam aliquid tunc quæras, sed omni prorsus proprietate reiecta spolia te ipso, & tibi, ac omnibus huius mundi rebus ita moriaris, ac si nunquam viueres, aut omnino mortuus esses, in omnibus honorem Dei quærito, & id enititor, vt eius voluntas in omnibus impleatur, &c.* 19.

B.
Joannis
a Cruce

Opera
Mystica
TOM. II
124

§. IV.

Testimonijs S.M. nostræ THERESIÆ huius propositionis elucidatio absoluitur.

20. TAndem, vt plura alia testimonia, prolixitatis euitandæ gratia, omittamus, coronidem huic capiti apponere placuit testimonijs sanctissimæ Mat. nostræ THERESIÆ: ipsa namque sæpissimè hanc rerum omnium creatarum abdicationem, tanquam necessariam ad perfectionem assequendam, suadet; specialiter vero c. 8. viæ perfectionis sic loquitur. *Iam de abnegatione, quã habere nos oportet etiã nonnihil dicamus, in ea namque omnia sita sunt, si quidem perfectè, & prout oportet, fiat. In hac inquam sita sunt omnia, cum enim cum solo Creatore dissuauiamur, & deliciamur, omnia vero creata negligimus, ita nobis Maiestas ipsius infundit virtutes &c.* Et statim subiungit: *Anne paruum esse putatis bonum, (carissimæ hoc ce bonum procurare, nos inquam totas, non autem in partes & frusta diuisas illi tradere, cum in eo (vt iam dixi) omnia bona inueniantur.* Ad quam omnino integrã rerum omnium, tam naturalium, quàm supernaturalium, præter ipsum Deum, abdicationem, THERESIAM nostram Dei gratia peruenire, inter maxima Dei beneficia sibi collata, ipsamet numerauit in quadam relatione sui spiritualis profectus, quam suo confessario scripsit, quamque Reuerendiss. Episcopus Tirasonensis Frater Didacus de Yepes, suæ vitæ in fine refert, vbi habet hæc notandæ verba. *Hoc quam optime nouit Dominus, nil ipsa in grauissimam cæcitatem incidi, quod nec honor, nec vita, nec gloria, nec bonum aliquod, in corpore nec in anima sit quod me retineat, & quod nec velim, nec desiderem, nec aliud emolumentum quæram, præter gloriam eius, &c.* Qua etiam de causa ipsamet ca. 39. suæ vitæ, sic de ipsa testatur. *Verba autẽ quæ idem dicere & quidem verissime (prout mihi quidem videtur) soleo sunt hæc:* Quid de me ipsa sollicita sum, præterquam de te Domine?

21. Eandem veritatem, & locutionem circa rerum omnium creatarum abdicationem, ac negationem plures alij SS. Patres, ac Doctores tradunt: de quo videri potest liber, qui inscribitur. *Ascensus montis Sion*, jornada 3. c. 1. & 8. Antonius Sucuet. in operi viæ vitæ æternæ c. 11. & 16. Dionys. Richelius lib. de laudibus vitæ solitariæ art. 6. Arias tom. 2. de imitat. Christi tract. 4. c. 2. Albarez de Paz, to. 2. lib. 2. p. 3. de mortificatione hominis interioris per multa capita, specialiter vero c. 2. Fonseca in tra. de amore Dei c. 9. Alphons. Rodrig. tract. de mortific. per multa capita, Suar. to. 2. de Relig. c. 12. n. 19. N. Didacus à IESV, in annotationibus ad libros Venerab. N. Thom. à IESV, in tra. de orat. c. 9. noster Venerab. Ioan. à IESV Maria, lib. de prudentia Iustorum p. 3. c. 1. noster Ildephonsus à IESV Maria, in lib. *de periculis & remedijs perfectionis*, & pars religios. par. 2. disc. 2. §. 9. & alij plures.

22. Ex quibus omnib. manifestè cõstat, quod cũ propositio hæc Mystici N. Doctoris non solũ quoad rem, sed etiã quoad loquendi modum, habeatur cõmuniter apud Ecclesiæ Patres, & Doct. Catholicos, non potest, siue quoad rẽ, siue quoad loquẽdi modum rationabiliter reprobari, aut suspecta haberi, nisi pars modo reprobetur, aut suspecta habeatur doctrina, & locutio omnium Ecclesiæ Patrum, & Doctor. in Catholica Ecclesia recepta, & approbata; valde; cõmendataneo vllus hæreticorũ error potest in prædicta propositione patrocinium quærere, nisi etiã eodẽ modo in cõmunes SS. Patrum, & Doctor. Illustriũ doctrina illud quærat, quam notam nemo, nisi valde temere, & cum magna eorum omnium iniuria, illis apponere poterit.

C. 22.

CAPVT II.

Secunda Venerabilis nostri IOANNIS propositio elucidatur, eamque, tam quoad rem, quã quoad modum loquendi, apud Ecclesiæ Patres, & Doctores Catholicos frequentem esse, ostenditur.

SECVNDA propositio, quæ ab aliquibus notata est, habetur in lib. 2. operis, quod inscribitur, *Ascensus Montis Carmeli.* cap. 2. circa finem; vbi sublimis noster Doctor, agens de nocte fidei, per quam transire debet anima, ad hoc vt ad perfectam, qualis in hac vita haberi potest, cum Deo vnionem perueniat, sic loquitur. *Hæc secunda fidei Nox, ad superiorem hominis portionem, quæ est rationalis pertinet, & consequenter intimior est magisque obscura: spoliat quippe illam rationali lute, vel vt verius dicam illam excæcat.* 1.

Circa Elucidationem huius propositionis, stylum iam propositum seruabimus, vt scilicet priùs verum eius sensum explicemus, deinde veritatem illius, & etiam loquendi modum communi Sanctorum Patrum, & Doctorum Catholicorum calculo comprobemus.

§. I.

Legitimus huius propositionis sensus declaratur, & ex sacra Scriptura, ac Theologia comprobatur.

SENSVS igitur legitimus, quique ex contextu apertè deducitur, est verissimus, Catholicus, ac sacræ Theologiæ omnino conformis; non enim intendit, fidem, vel supernaturalia bona destruere naturam, vel illi aduersa esse, aut naturale rationis lumen extinguere; id namque falsissimum est, vt docet D. Thom. 1. part. quæst. 1 artic. 8. & in 3. dist. 23. q. 2. artic. 4. quæstiunc. 1. ad 3. & dist. 24. artic. 3. quæst. 2. ad 2. & alibi sæpè; sed solum vult fidei cognitionem, ac Mysticæ Theologiæ supernaturalem contemplationem excludere proprium, & cõnaturalem modum cognoscendi luminis naturalis; atque adeò quoad hunc modum connaturalem priuare animam, in ipso fidei, & contemplationis Mysticæ actu, rationali lumine, eamque relinquere velut cæcam, vt ad superiorem, & longè diuersum cognoscendi, & intelligendi modum eam eleuet, atque ita rationale lumen nequaquam re vera destruat, aut extinguat, sed perficiat. 2.

Explicatur hoc; etenim proportionatum, & connaturale obiectum intellectus nostri, pro hoc statu, sunt res sensibiles, materiales, & corporeæ. Vt docet D. Thom. 1. parte q. 12. artic. 4. & 11. & quæst. 84. art. 7. & q. 85. art. 1. & 5. & alibi sæpe, & in eis- 3.

B.
Joannis
a Cruce

Opera
Mystica
TVI
124

dem locis eius Expositores, imò & omnes Philosophi communiter tenent. Huiusmodi autem res connaturaliter appetit homo cognoscere per scientiam, quæ importat claritatem, & euidentiam: vt ex Aristot. docet idem D. Thom. 1. Methaph. lect. 1. & in 2. dist. 22. q. 2. art. 1. ad 5. Ex quo fit, vt proprius, & connaturalis modus cognoscendi, pro hoc statu, duo habeat; vnum, scilicet terminari ad res corporeas, & sensibiles, & non nisi ad instar earum cætera cognoscere; aliud verò est, claritatem, & euidentiam, quantum fieri possit, in sua cognitione quærere. Cæterum fidei cognitio, & Mystica contemplatio duas has conditiones excludit, vt alias duas longe diuersas, & superiores statim explicandas inducat; hinc ergo fit, vt meritò dici possit, ac debeat fidei lumen, Mysticamque cognitionem, animam priuare rationali luce, non quidem quo ad habitum, aut quasi habitum, aut potentiam, sed quo ad connaturalem eius in contemplatione vsum, eamque quæ ad huiusmodi connaturalem vsum, velut excæcare, vt ad aliã longe superiorẽ, ac diuersam lucem, ac intelligendi modũ eam eleuet.

44. Hic autem superior, & diuersus intelligendi modus, duas, vt iam diximus, habet conditiones, illis duabus, quas in connaturali cognoscendi modo luminis rationalis pro hoc statu reperiri diximus, contrarias. Prima est, vt ne quaquam cum claritate, & euidentia, sed potius cum obscuritate, & caligine ad Deum tendat. Hæc namque obscuritas & caligo propria est luminis fidei; quod taliter illustrat, vt simul obscuritatem, caliginem, & cæcitatem inducat; iuxta illud 2. Petri 1. num. 19. *Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco*, quod etiam docet D. Thom. 2. 2. q. 1. art. 4. & 5. ibidem que omnes eius Expositores, imò & omnes Theologi, id accipientes ex D. Paulo ad Hebr. 11. n. 1. *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Secunda verò conditio eiusdem Mystici, & superioris cognoscendi modi est, vt ne quaquam anima Deum, ad instar rerum sensibilium, imò nec aliarum rerum creatarum, per affirmationem cognoscat, sed potiùs per huiusmodi omnium rerum negationem, ac remotionem, cognoscendo vtique non, *quid sit, sed quid non sit*; atque adeò potiùs ignoratione, seu ignorantia, aut cæcitate, & caligine, quàm scientia.

55. De quo cognoscendi modo lòquebatur D. Dionys. c. 7. de diuin. nominibus, cum dicebat: *Ad id quod omnia transcendit, via & ordine pro viribus scandimus in omnium eminentissima priuatione, atque in omnium causa, idcirco, & in omnibus Deus agnoscitur, & seorsum ab omnibus, & per scientiam & per ignorantiam noscitur Deus*, & paucis interiectis subungit: *Et istem augustissima Dei scientia, quæ per ignorationem scitur in coniunctione illa, quæ supra est omnia, quando mens omnia transiliens, & seipsam demum linquens, coniuncta fuerit lucidissimis radiis inde, atque illic inserutabili sapientiæ profundo illustrata, &c.* Et lib. de Cœlesti Hierarch. c. 1. sic inquit: *Excedit illa* (nempe diuina substantia) *substantiam omnium, vitamque transcendit; nulla hanc exprimit lux, omnisque sermo, omnis mens, atque ratio absque vlla comparationis, similitudine inferior est, &c.* Et paucis interiectis subiungit: *eamque inuisibilem, infinitam, & incomprehensibilem prædicant, his eam appellantes hominibus, quibus non quid sit, sed quid non sit dicitur; hic enim verius, vt arbitror, in ipsa est, & de illa propriè magis asseritur. Nam sicuti secretior illa Sacerdotalisque traditio docuit, deum illam esse aliquid negamus ex his quæ sunt, verum profectò loquimur, & si modum quo illa indiffinita est; quippe quæ supersubstantialis, & incomprehensibilis, atque inuisibi-*

lis

lis est prorsus ignoramus. Si ergo in diuinis rebus negationes quidem veræ sunt, affirmationes verò nequaquam tantis arcanorum latebris congruunt, illa sanè conuenientior in rebus inuisibilibus erit expressio, quæ per dissimilia signa monstratur, &c. Idemque docet in lib. de Mystica Theologia cap. 1. 4. & 5. necnon epist. 1. ad Caium Monachum, & epist. ad Titum.

Quam etiam doctrinam ex D. Dionysio his in locis desumptam tradit, & expli- 6.
D. Thom. 1. part. quæst. 1. artic. 9. ad 3. 2. 2. quæst. 8. artic. 7. in 3. distinct. 34. quæst. 1. artic. 4. in corpore, & distinct. 35. quæst. 2. artic. 2. quæstiuncula 2. & super cap. 7. D. Dionys. de diuin. nomin. lect. 4. & alibi, sæpè. Idemque D. Damascen. lib. 1. de Fide cap. 4. præclarè docuit his verbis: *In Deo autem impossibile est, quidnam essentia sua, ac natura ipse sit, dicere, aptiusque est ex omnium rerum sublatione, atque inficiatione operationem habere; neque enim eorum, quæ sunt, quidquam est; quod quidem non ita accipiendum est quasi non sit, sed quia supra omnia, quæ sunt ipse sit, atque adeò supra ipsum esse, &c.* Quam similiter doctrinam communiter Sancti Patres, & Doctores, vt D. Basilius contra Eunomium, D. Cyprianus de Cardinalibus operibus Christi in prologo, Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum, D. Augustinus, tract. 23. in Ioannem, D. Bonauentura lib. de puuo bono part. 3 prope finem, Picus Mirandulanus lib. de ente, & vno cap. 5. noster Ioannes à IESV Maria de Mystica Theologia cap. 7. noster Thomas à IESV, lib. 5. de Diuina Contemplatione cap. 7. & sequentibus, pluresque alij docent, & bene explicant.

His igitur de causis, dum anima vtitur in contemplatione superiori hac cognitione Mystica, quæ per fidem habetur, quæque duas explicatas conditiones connaturali cognoscendi modo luminis naturalis contrarias obtinet, meritò ab Ecclesiæ Patribus, & Doctoribus Catholicis, quorum testimonia statim referemus, dicitur esse in tenebris, & in caligine, & cum ignorantia, atque sine oculis, atque adeò cum cæcitate, & priuata rationali lumine: non quidem quoad eius habitum, vel quasi habitum, aut potentiam, sed quoad eius connaturalem vsum, vt explicatum est; nihil enim aliud omnes huiusmodi locutiones denotant, in quo sensu, vt ex dictis constat, verissimam, ac sublimem doctrinam in Theologia Mystica valde necessariam continent: & in eodem sensu eisdem locutionibus ab Ecclesiæ Patribus communiter receptis, & approbatis vsus fuit Mysticus noster Doctor, tam in hac propositione, quam elucidamus, quàm in alijs, in quibus eandem doctrinam tradit. 7.

Desumiturque huius doctrinæ, & locutionis fundamentum ex Scriptura sacra, in 8.
qua, ad declarandum quomodo Deus sublimem hanc, & obscuram sui cognitionem amicis suis communicet, dicitur habitare in caligine, seu in tenebris Psal. 17. *Caligo sub pedibus eius*, Psal. 96. *& posuit tenebras latibulum suum*, Psal. 22. *Nubes, & caligo in circuitu eius.* Quare, postquam intulerunt Sacerdotes arcam fœderis Domini in Sanctum Sanctorum, nebula impleuit domum Domini, nec poterant Sacerdotes stare, & ministrare propter nebulam: impleuerat enim gloria Domini domum Domini, dixitque tunc Salomon: *Dominus dixit, vt habitaret in nebula, seu* (vt alij legunt) *Dominus pollicitus est, vt habitaret in caligine* 3. *Regum* 8. *num* 12. quod etiam denotauit illud, quod refert Exod. 20. num. 21. scilicet: Moysen, dum accederet in montem ad loquendum cum Deo, accessisse ad caliginem, in qua erat Deus, & cap. 24. num. 15. vbi dicitur:

B. Joannis a Cruce
Opera Mystica
NVI
124

cumque ascendisset Moyses, operuit nubes montem. & habitauit gloria Domini super Sinay, tegens illum nube sex diebus, septimo autem die vocauit ũ de medio caliginis, &c. Quem locũ de caliginosa, & obscura Dei cognitione, communicata Moysi, explicant D. Dionys. c. 1. de Myst. Theolog. D. Thom. in 3. dist. 35. q. 2. art 2. quæstiuncula 2. D. Bonauent. de Mystica Theologia c. 3. particul. 1. & itinere 3. dist. 6. Dionys. Carthusianus in Exod. art. 42. pluresque alij Doctores.

9. Quod etiam denotatum fuit in eo, quod refertur 3. Regum 19. numer. 13. scilicet, Parentem nostrum Eliam, ad Dei transitum in monte operuisse vultum suum pallio; ad significandam scilicet obscuram hanc, & caliginosam Dei cognitionem, quæ in sublimi illa visione ipsi communicata fuit, quod rectè sublimis noster Doctor IOANNES in lib. 2. operis, quod inscribitur, *Ascensus montis Carmeli, &c.* cap. 8. his verbis ad propositum explicuit: *De sanctissimo quoque Elia Propheta Patre nostro legimus, quod cum in monte Horeb moraretur, Deusque præsens adesset, faciem suam obuelarit. Quo facto significauit, sũ intellectum obcæcasse, nec fuisse ausum vti instrumento adeo abiecto in re tam sublimi attingenda: manifestè agnoscendo, quod quidquid considerasset, ac in particulari intellexisset, plurimum ad Deũ dissimile, ac ab eo diuersum futurum &c.*

10. Habet ergo locutio hæc, eiusque doctrina maximum in sacra Scriptura fundamentum, cui innitentes Sancti Patres, & Doctores Mystici, Venerabilisque noster IOANNES prædictam propositionem, & locutionem sæpe protulerunt, & scripserũt, cuius sensum verissimum, Catholicum, sacræque Theologiæ omnino conformem esse, satis ostendimus. Vnde modo tantum superest, vt Sanctorum Patrum, ac illustrium Doctorum testimonia adducamus, in quibus eandem, qua Mysticus noster Doctor in prædicta propositione vsus fuit, locutionem sæpe repetunt; vt ita manifestum relinquatur, propositionem hanc, non solum quoad rem, sed etiam quoad loquendi modum, ab Ecclesia receptam, approbatam, & commendatam fuisse.

§. II.

Sanctorum Patrum, & illustrium Doctorum testimonijs eadem doctrina, & locutio corroboratur.

11. OBTINEAT igitur primum locum inter Ecclesiæ Patres primus ille Theologiæ Mysticæ Magister Dionysius, qui multis in locis huiusmodi locutione vtitur, ex quibus pauca aliqua seligemus, is igitur primo Theologiæ Mysticæ capite sic ad Timotheum scribit: *Tu verò Timothee charissime intensissimæ contuendis spectaculis Mysticis exercitatione, & sensus linque, & intellectuales operationes, & sensibilia, & intelligibilia omnia & quæ non sunt, & quæ sunt omnia, & vt illi iungaris, qui super omnem substantiam, omnemque scientiam est, ignotè pro viribus te ipsum intende, &c.* Vbi ad propositum particula illa *ignote perpendenda est.* Sed adhuc strictius eandem doctrinam, & locutionem reperit in fine eiusdem capitis, his verbis, *tum vero, ipsa quoq; visibilia, atque intellectualia contemplator linquẽs, ingreditur ignorationis Mysticã profecto caliginẽ; in qua omnia scientia, & cognitiua præsidia terminans, totus in ea fit, qui tactũ penitus, visumque refugit, transcendit q; omnia, penitus autẽ ignoto scientiæ omnis, & cognitionis vacatione, & præstantiori modo coniunctus, & eo quoque*

ipſo,

ipso, quod nihil cognoscit, supra sensum mentemque cognoscens, &c. in quibus verbis particula, illa, *ignorationis Mysticam caliginem*, necnon & illa, *penitus ignoto, scientia omnis, & cognitionis vacatione*, adhuc strictiorem locutionem continent, quam sit ea, quæ in Doctoris nostri Mystici propositione continetur, vtriusque vero idem est sensus, vt iam explicuimus.

Quam doctrinam habet etiam idem Dionys. c. 7. de diuin. nominib. his verbis: *Ad id quod omnia transcendit via, & ordine pro viribus scandimus, in omnium eminentissima priuatione, atque in omnium causa; idcirco, & in omnibus Deus agnoscitur, & seorsum ab omnibus, & per scientiam, & per ignorationem noscitur Deus, &c.* paucisque interiectis subiungit: *Et est idem augustissima Dei scientia, quæ per ignorationem scitur, in coniunctione illa, quæ superat sensum, quando mens omnia alia transiliens, & se ipsam demum linquens, coniuncta fuerit lucidissimis radijs, inde, atque illic inscrutabili sapientia profundo illustrata, &c.* Vnde idem Dionysius ad Titum scribens inquit: *Verte te ad radium tenebrarum*, satis exprimens qualiter hæc Mystica Dei notitia in tenebris, seu naturalis luminis cæcitate, sicut Venerabilis noster IOANNES docet, fiat, eo modo, quem iam explicuimus. Alia loca eiusdem Dionysij omittimus, in quibus eadem locutio continetur, quia ea, quæ iam retulimus, satis superque intentum conuincunt. 12.

Deinde D. Bonauent. in 1. 5. æternit. distinct. 6. sic ex Lincolniensi inquit: *Surge, & restitue te incognitè, vt possibile est, ad vnionem Dei, id est, eius, qui super omnem cognitionē est, quæ quidem restitutio, vel resurrectio fit per ipsius solius forte desiderium, & amorem superfruidum, quæ nulla rationatiua inuestigatione potest esse cognita, &c.* Et infra adiungit: *Cessans enim in ista caligine ab operatione cognitionis, sed æstuans desiderio solius Dei perfectè ab ipso incogniti, ipsi soli vnitur, & cognoscens videt in ista caligine super intellectum, quia ad hoc cognoscendū non posset intellectus humanus, & inoculatus attingere, non quod intellectus dicatur inoculatus à priuatione potentiæ visiuæ, sed à priuatione omnis actus visiui dum otiatur in illa caligine, &c.* Quibus in verbis Seraphicus hic Doctor, quonam pacto in hac caligine & tenebris intellectus maneat *inoculatus*, atque adeò *cæcus* (sicut Venerabilis noster IOANNES asserit) rectè explicat, & iuxta hanc doctrinam statim subiungit; *Gradus igitur ascensionis istius sunt, primo derelinquere omnia sensibilia, secundo omnia intelligibilia, tertio ingredi caliginem vbi apparet Deus, &c.* Et paucis interiectis, id ipsum ex Vercellensi sic explicat: *Sed adhuc restat principalior Dei cognitio, quæ figuratur in eo, quod Moyses, post prædicta separatur, ab ijs, qui prædicta secum viderant, & subtrahitur illis visis, & intrat in caligine ignorantiæ, &c.* Et paucis interiectis, subiungit: *Quasi à se ipso segregatur, & per vnitatem dilectionis, quæ est effectiua vera cognitionis, vnitur Deo intellectualiter ignoto, & cum cognitione multo meliori, quam sit cognitio, in eo quod intellectualis est, quia in eo quod cognitionem intellectualem derelinquit super intellectum, & mentem Deum cognoscit, &c.* Quod etiam optimè explicuit in lib. de lumine Ecclesiæ serm. 2. de ingressu ad sapientiam ibi: *In anima sunt multæ virtutes apprehensiuæ, sensitiuæ, imaginatiuæ, intellectiuæ, omnes has oportet relinquere, &c.* Et post pauca, ex D. Dionysio subiungit: *Debemus habere mentes non habentes oculos, quia mens oculis intellectualibus diuinam essentiam aspicere non potest; & ideò amouendi sunt, iuxta illud, quod scriptum est, in Cant. Auerte oculos tuos, quia ipsi me auolare fecerunt; tunc Christus recedit, quando mens oculis intellectualibus nititur supernā sapientiā aspicere, &c.* Et inferius addit: *Quod auferendo spiritus creaturarum debet intrare caliginem, & radium tenebrarum, &c.* 13.

Præter-

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
TVII
124

14. Præterea Dionysius Carthusianus sæpè eandem doctrinam, & locutionem tradit, sed præcipuè in lib. de Mystica Theolog. vbi sic loquitur. *Verùntamen in hac contemplatione fertur apex mentis, & intelligentiæ vertex Deo vniri tanquam omnino ignoto, nonnimoda quoque caligine fieri, nihilque penitus de illo cognoscere &c.*

Eadem doctrina, & locutio habetur apud Henricum Arphium lib. 3. Mysticæ Theologiæ partit. 3. cap. 23. his verbis: *Qua propter per nudam cognitionem suam non audet intrare in illam diuinam caliginem, vbi nimirum in quadam perfecta Dei ignorantia constituam velut inter duas mensas quasi præsume moritura ponitur, &c.* Et paucis interiectis, subiungit: *Sic igitur manet sedens in nuda caligine, & immediatè coram ignota gloriosæ Diuinitatis præsentia suam ibi constituens habitationem, &c.*

15. Quam similiter doctrinam, & locutionem satis indicauit Gilbertus Abbas sermone 1. in Cant. vbi explicans illa verba: *Per noctem quæsiui quem diligit anima mea, sic* loquitur: *Quod si ad inuentionem dilecti, & nox operatur cooperatur planè, & accommodatius, dilectio ipsa hanc noctem induxit, &c.*

Vlterius Gerson tractatu de Mystica Theologia eadem locutione vtitur dicens: *Vt abnegatis omnibus, quæ vel sentiri possunt, vel imaginari, siue intelligi, ferat se spiritus per amorem in diuinam caliginem, vbi ineffabiliter, & supereminentialiter Deo coniungitur, &c.*

16. Accedit illuminatus ille Doctor Mysticus Ioannes Thaulerus, qui multis in locis hanc eandem doctrinam, & locutionem habet, sed præcipuè sermone in Dominica infra octauam Epiphaniæ, vbi sic optimè ad propositum nostrum loquitur. *Nam si Deus Diuino quodam modo inter nos lucere debeat ad hoc, non solum nihil confert lumen nostrum naturale, sed ipsum etiam ad merum quoddam nihilum oportet redigi, nosque simul ex toto eum nos ipsos. &c.* Et paucis interiectis subiungit. *Nam si hoc pacto Deum scire debeat, ipsam scientiam suam ad meram quandam ignorantiam, & tam sui, quam creaturarum omnium eliminem deduci oportet, &c.* Et post pauca addit. *Nihil enim homini consultius, nihil vtilius est, quam vt in obscuritate quadam, & ignorantia se constituat, hic enim scire omne penitus desinatur, vel potius homo ab omni cognitione destituitur, &c.*

17. Et sermone 1. Dominica 4. Quadragesimæ sic inquit: *Itaque vnicuique fideli, sic Christus ait: Renuntia propter me lumini tuo, quod mea collatum luci veritatis caligo est, & lumen meo contrarium, & ego cum sim lux vera, pro tenebris tuis æternam tibi lucem meam, gaudium, beatitudinem, essentiam, & vitam restituam, &c.* Et sermone primo in festo Sanctissimæ Trinitatis inquit. *In hac namque conuersione spiritus purgatus in Diuinam caliginem, & quietum silentium, ac ineffabilem Diuinitatis vnionem immergitur, & absorbetur: hic vero, in ista scilicet immersione, omnis æqualitas, & inæqualitas perditur. Enim vero in hac Diuinitatis abyssi spiritus purgatus se ipsum amittit, nihil iam, vel de Deo, vel de se ipso, vel de æqualitate, vel inæqualitate, nec de vlla alia re scies, &c.* Quam doctrinam & locutionem sæpe in suis operibus Extaticus hic Doctor repetit, in prædictis verò locutionibus plura verba, quæ naturalis luminis, quoad vsum, priuationem, ac cæcitatem pro hac sublimi Dei contemplatione Mystica exigunt, inueniuntur, vt intuenti constabit, atque adeò prædictæ locutiones omnino, cum locutione Mystici nostri Doctoris consonant, imò & strictiores sunt, eundem vero sensum quem iam explicuimus habent.

18. Eadem verò doctrina, & locutione vsus fuit sublimis ille Mysticus Doctor Ioann. Rusbroch. lib. 2. de ornatu spiritualium nuptiarum cap. 71. his verbis: *Porrò, quando*

intro, vt dictum est, reuertimur, siue rursus intra nos recipimus, fruitiua Dei vnitas, cæci caligo quædam, & velut qui dum modi expers, ac omnino incomprehensibile se habet. Et paulo inferius huius rationem reddens, sic subiungit: *Nam quemadmodum, licet aër solu splendore perfusus sit, & oculorum acies bene firma, & perspicax. si quis tamen radios splendorem efficientes oculis insequi, & in ipsam solis aciem intendere velit, non possunt non oculi, in sua actione deficere, & radiorum splendorem patiendo suscipere; ita planè lucis incomprehensibilis Dei coruscatio irradiatio in supremarum virium nostrarum vnitate, tam vehemens, tamque ingens occurrit, vt actionem omnem quatenus creaturæ est, & cum discretione, siue discretione coniuncta est, deficere, & Dei hic operationem perpeti oporteat*, & capit. 73. sequenti addit: *Ex ipsa autem Dei vnitate simplex quædam lux in ipsum radiat, exhibens se velut caliginem, nuditatem, ac nihilum, in caligine quidem homo istius modi circundatur, vel circumplectitur, omnemque amittens modum, quasi errabundus vagatur, in nuditate verò omni consideratione, & discretione rerum omnium destitutus, &c.* Quibus in locis, & in alijs similibus non minus, sed magis sanctè, quam Mysticus noster Doctor IOANNES de hac re loquitur.

Accedit Richardus Victorinus tractatu de gradu violentæ charitatis, vbi sic loquitur: *Suauitas itaque eius sentitur, sed species non cernitur, adhuc nubes, & caligo in circuitu eius, adhuc thronus eius in columna nubis.* & post pauca subiungit: *In hoc itaque statu animæ dilectum suum sentire potest, sed sicut dictum est, videre non potest, & si videt quidem, videt quasi nocte, videt velut sub nube, &c.* 19.

Consonat Albertus Magnus de adhærendo Deo cap. 7. vbi hæc habet verba: *Non insuper est figurabilis, sed intimo affectu perfectissimè appetibilis, non æstimabilis, sed mundo corde totis affectibus; quia super omnia amabilis & delectabilis, infinitaque bonitatis & perfectionis; & tunc fertur in mentis caliginem, & altius intra se elevatur, & profundius ingreditur.*

Insuper Ambrosius Florentinus Camaldulensis, in Mystica Theologia sic loquitur: *Tunc, quando contemplator ad Mysticam Dei cognitionem aspirat, creaturarum omnium tum corporearum, tum incorporearum imagines relinquēs, secretam quandam in nebulam abdit se, vbi mira est ignoratio, ibi enim amittit omnia scientiæ, cognitionisque adminicula; hoc est simulachra, quibus hominis innititur cognitio.* 20.

Præterea Beata Angela de Fulgino diuina contemplatrix, agens cap. 25. de septima consolatione, & visione, sic scribit: *Et post istud, vidi Deum in tenebra vna, & ideo in tenebra, quia est magis bonum, quod possit cogitari, nec intelligi,* & paucis interiectis, *& quia illud bonum est cum tenebra, ideo magis certissimum, & magis superans omnia, quanto magis videtur in tenebra, & est secretissimum*, quem loquendi modum in eodem loco sæpissime repetit.

Accedit etiam pijssimus ille, ac simul sapientissimus Archiepiscopus Bracharensis Frater Bartholomæus à Martyribus, qui 2. part. compendij spiritualis cap. 11. sic loquitur: *Sic denique fit idonea ad contemplandum diuinitatis abyssum sereno simplici, & iocundo intuitu, & caligante rationis oculo ad tantæ lucis conspectum ipse simplex mentis oculus viget, ac perspicit transcendens corporeas, atque incorporeas imagines, in sola caligine quiescens, quæ maxima lux est in hoc exilio &c.* Vbi particula, *caligante rationis oculo in sola caligine quiescens*, perpendenda est, æquiualet enim omnino illi, quam Mysticus noster IOANNES in 21.

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
NVII
124

sua habet propositione, dicés in sublimi hac contemplatione manere animam cæcã, ac priuatam sua rationali luce, quoad eius connaturalem actum, vt iam explicuimus, quam doctrinam, & locutionem citatus Frater Bartholomæus à Martyribus in eodem loco latè ex doctrina D. Dionysij explicat, & confirmat.

22. Et, vt ex alijs Doctoribus scholasticis præter Sanctos Patres iam recensitos aliquem referamus, sufficit pro omnibus præclarus ille Doctor Picus Mirandulanus lib. de ente, & vno cap. 5. vbi sic loquitur: *ad quartum igitur gradum conscendentes, intremus ignorantiæ lucem, & diuini splendoris caligine exoculati clamemus cum Propheta: Dissipauerijs tuis Domine, &c.* Vbi particula illa, *Caligine exoculati*, valde ad propositionem perpendenda est.

§. III.

Illustri Sanctæ Matris nostræ THERESIÆ *testimonio eadem doctrina, & locutio corroboratur.*

23. SED vt plura alia Sanctorum Patrum, & Doctorum testimonia omittamus, coronidem huic capiti apponemus, præclaro quodam testimonio cœlestis illius Magistræ, THERESIÆ inquam nostræ, quæ c. 18. suæ vitæ de hac sublimi contemplatione sic sermonẽ instituit: *Iam ad internum illud quod anima hic sentit, veniamus; quod, qui nouit, dicere potest; nam intelligi id nequit, nedum dici. Cogitanti mihi apud memetipsam, cum iam hæc scribere volebam (cum scilicet iam à sacra communione, & ab ea oratione, qualem hic describo, surgerem) quidnam anima hoc tempore ageret; responsum à Domino fuit*: Totam sese ô Filia, destruit, quo se profundius intra me abscondat: & iam non est ipsa quæ viuit, sed ego; & quia, quæ intelligit, nequit comprehendere, hinc perinde est, atque sinon intelligendo, non intelligeret. *Qui quidem hoc expertus fuerit aliquid horum intelliget, quæ ad clarius exponi non potest, eo quod perobscurum sit, id quod illic peragitur.* Et paucis interiectis subiungit: *Intellectus, si quid intelligat, non intelligit, quomodo intelligat; saltem nihil eorum quæ intelligit potest comprehẽdere, equidem non puto ipsum quidquam intelligere; nam si tantam rem, hoc non intelligitur, & quomodo id fiat, plane ego intelligere non valeo, &c.* Quibus in verbis, tam ex Dei oraculo, quam suimet testimonio, & experientia egregiè docet quonam pacto in hac sublimi contemplatione, & si intellectus reuera intelligat, tamen non intelligit modo sibi connaturali, atque adeò, quoad hunc connaturalem modum, & vsum, amittitur tunc rationale lumen, manetque, vt sic anima cæca, vt ad altiorem, & secretiorem intelligendi modum eleuetur, quod optimè explicatur per illud Christi Domini responsum: *Est non intelligere, intelligendo.*

24. Vnde tam doctrina, quam locutio Mystici nostri Doctoris IOANNIS, ipsiusmet Christi Domini testimonio, præter tot alia sanctorum Patrum, ac Doctorum Catholicorum iam recensita, omninò illustrata, & confirmata manet; adeò, vt nemo possit rationabiliter hanc propositionem suspectam habere, quin pariformiter suspectas habeat locutiones, & doctrinam tot, tantorumque Ecclesiæ Patrum, ac Doctorum, imò & ipsiusmet Christi Domini oraculum suæ amantissimæ sponsæ THERESIÆ datum.

Hanc

Hanc eandem doctrinam, & locutionem ex professo tractant, & approbant Doctores alij moderni, cuiusmodi sunt Venerabilis noster IOANNES à IESV Maria cap. 6. de Mystica Theologia, noster etiam Thomas à IESV lib. 5. de diuina contemplatione cap. 3. & sequentibus, Suarez tom. 2. de Religione lib. 2. de oratione c. 12. & 13. & plures alij.

In fine tandem huius elucidationis obseruamus, quod præter dicta, alio etiam modo posset prædicta locutio, & doctrina Venerabilis nostri IOANNIS, asserentis fidem excæcare (quo ad actualem vsum) rationalem lucem, intelligi, & explicari. Cùm enim fidei sit proprium captiuare intellectum, iuxta illud 2. Corinth. 10. *Captiuantes intellectum in obsequium fidei*, atque adeò eundem intellectum ad obedientiam cæcam adducere: qua de causa actus credendi solet obedientiæ nomine significari, iuxta illud ad Rom. 1. *Ad obediendum fidei*, & ad Hebr. 11. num. 8. *fide obediuit Abraham, &c.* Hinc fit, vt meritò fides prædictam cæcitatem inducere dicatur, eò quòd de ratione perfectæ obedientiæ est, quod sit cæca. Hanc enim conditionem ei tribuunt communiter Sancti Patres, & Doctores, vt D. Bernardus sermone de conuersione Sancti Pauli, Sanctus Ioannes Climacus gradu 4. de obedientia, Rosignolius lib. 4. de disciplina Christiana cap. 24. Ildephonsus Rodriguez tractatu 5. de obedientia capite 6. Lessius lib. 2. de iustitia capit. 46. dub. 5. num. 29. pluraque ad hoc propositum testimonia Sanctorum Patrum, & exempla referunt Aluarez de Paz tomo 2. de exterminatione mali, tractatu de obedientia capite 11. & Suarez tom. 4. de Religione tractatu 10. lib. 4. cap. 15. Iuxta hunc ergo adeò communem, & approbatum sensum, & locutionem verissimè dici potuit, fidem inducere in rationali lumine cæcitatem, illam vtique, quam perfecta obedientia inducit. Vnde, tam in hoc, quàm in præcedenti sensu, quem latius prosecuti sumus, Catholica est, & verissima communique Sanctorum Patrum, & Doctorum calculo approbata hæc secunda propositio Mystici nostri Doctoris, non solum quoad rem, sed etiam quoad modum loquendi. 25.

CAPVT III.

TERTIA ELVCIDATVR PROPOsitio, eiusque doctrina, & loquendi modus pluribus Sanctorum Patrum, & illustrium Doctorum testimonijs confirmatur, & illustratur.

SEQVITVR iam elucidanda tertia Mystici nostri Doctoris propositio, quæ ab aliquibus notata est, habeturque lib. 2. operis, quod inscribitur: 1.

B. Joannis a Cruce
Opera mystica
NVI
124

Ascensu Montis Carmeli, cap. 13. vbi assignans indicia, quæ habere debet is, qui intellectum à formis imaginarijs, actibusq; discursiuis nudare debet, vt ad contemplationis sublimitatem ascendat, sic loquitur.

Primum est cognoscere, se iam non posse amplius meditari, neque imaginationis operari, nec hac in re gustum ac refectionem mentis sentire, vti antea percipere; quin potius ariditatem quandam in ijs reperire, in quibus solebat sensum defigere & succum ac pastum elicere.

20. In huius propositionis elucidatione consuetum stylum seruantes, prius legitimum eius sensum proponemus; deinde tam doctrinam, quam locutionem pluribus Sanctorum Patrum, & illustrium Doctorum testimonijs elucidabimus. Vt autem in hoc clarius, & distinctius procedamus, propositionem hanc in tres partes secabimus. In priori namque parte asserit, eum, qui ad contemplationis sublimitatem iam peruenturus est, debere intellectum in ipsa contemplatione nudare à formis seu speciebus imaginarijs. In secunda verò parte docet, debere etiam tunc nudare intellectum ab actibus discursiuis, qui in meditatione reperiuntur. In tertia tandem parte asserit, signum huius status, in quo scilicet debeat quis iam ad hanc contemplationis sublimitatem ascendere, in eo consistere, quod nequeat iam imaginationis operatione, actibusque discursiuis vti, nec in hoc voluptatem aliquam, aut deuotionem, sicuti antea, inueniet. Has ergo tres propositionis huius partis figillatim suo ordine elucidabimus, quod, vt rectius, & clarius fiat,.

§. I.

Præmittuntur quædam notatu digna.

31. PRÆMITTENDVM est primò, ex D. Thoma in 3. distinctione 34. quæst. 1. art. 2. & dist. 35. q. 2. art. 2. quæstiuncula 1. duplex cognitionis, & contemplationis supernaturalis genus reperiri posse: aliud scilicet secundum humanum modum, quatenus, & si fiat cum auxilio ordinis gratiæ, adaptatum tamen nostro connaturali operandi modo, vtique medio discursu præuio, necnon, & cooperatione phantasiæ: aliud verò, supra humanum modum, quatenus nimirum, ex specialissimo auxilio gratiæ, correspondente dono intellectus, mens eleuatur ad hoc, vt sine prædictis imperfectionibus pro hoc statu connaturalibus, veritatem quasi nudam contempletur, quod plerumque contingere, ex testimonijs eiusdem Angelici Doctoris, & aliorum Patrum infra adducendis, manifestè constabit.

4. Secundo prænotandum est, diuersimodè Sanctos Patres, ac Doctores Mysticos ad vnum quodque ex his duobus generibus supernaturalis contemplationis nos dirigere: cum enim primum illud genus sit in nostra potestate simul cum auxilio gratiæ (quod vt docet idem D. Thom. 2. 2. q. 45. art. 2. nemini ad hoc denegatur) ad eum vtique modum, quo alij actus supernaturales, verbi gratia, fidei, spei, & charitatis in potestate nostra esse dicuntur, hinc fit, vt huiusmodi contemplationis genus, vtpotè vtilissimum, meritò hominibus suadeant, & ad illud quærendum, & assequendum valdè eos alliciant.

55. At verò cum aliud supernaturalis eleuationis, & contemplationis, quæ est supra humanum modum, genus eo ipso, quod supra humanum modum sit nullatenus huma-

humana diligentia, etiam cum communi auxilio gratiæ acquiri possit, sed solum misericorditer à Deo infundatur, hinc fit, vt nullatenus Sancti Patres, ad illud quærendum, aut intendendum, homines inuitent; id namque præsumptuosum proculdubio esset, vt cõmuniter docent idem Sancti Patres, & Doctores Mystici, cuiusmodi sunt D. Dionysius c. 1. de diuin. nominib. §. 1. Ricard. de Sancto Vict. lib. 4. de contempl. c. 2;. D. Laurentius Iustin. de perfectione monastica c. 18. & S. Mater nostra THERESIA c. 12. suæ Vitæ, vbi idem adnotauit in marginali nota Magister Luysius Legionensis; necnon, & in Via perfectionis cap. 25. Beatus Thomas de Villanueua in Cantica, super illa verba. *Introduxit me Rex in cellam vinariam*, Suarez tomo 2. de Religione lib. 2. de oratione c. 14. num. 5. Molina Carthusianus tractatu 2. de oratione cap. 6. §. 2. Ludouicus à Ponte in introductione ad orationem mentalẽ §. 11. circa finem, Magister Basilius Legionensis in Defensorio sæpè citato propositione 5. & plures alij.

Cæterum quamuis hoc secundum genus contemplationis, quæ est supra humanũ modum, veluti positiue quærere, & intendere nequaquam prædicti Doctores suadeant, sed potius damnent, in alio tamen sensu; nos ad illud erigunt, quatenus, scilicet, docet remouere impedimenta, quæ talis contemplationis à Deo infusionem impedire, nosque ad eam indisponere possent; hoc enim nullatenus præsumptuosum, sed conuenientissimum est, vt ex se satis est manifestum.

Tertiò deinde animaduertendum est, in vtroque ex prædictis duobus generibus contemplationis denudationem à formis imaginarijs, & àmodo operandi discursiuo reperiri posse; licet diuersimodè. Nam in contemplatione, quæ est supra humanum modum, dari potest omnimoda denudatio à prædictis formis rerum sensibilium, & à cooperatione phantasiæ, necnon & à discursu, tam præuio, quàm concomitanti; vt ex testimonijs infra adducendis manifestè constabit. At verò in contemplatione illa supernaturali, quæ est secundum humanum modum, hæc quidem omnimoda denudatio, ac depuratio reperiri nequit; eo quod humanus modus operandi tantam perfectionem sortiri non potest, sed exigit semper tum discursum saltim antecedentem, & præuium ad ipsum contemplationis actum, vt docet D. Thomas 1. p. quæst. 85. art. 5. consentiuntque omnes Philosophi, ac Theologi: tum etiam cooperationem, seu associationem phantasiæ, vt statuit idem S. Doctor 1. p. q. 84. art. 7. iuxta illud Aristot. 3. de anima: *Necesse est intelligenti phantasmata speculari*, quod non solum in operatione circa obiecta naturalia, sed etiam circa supernaturalia, quãdo humano modo fit, necessarium esse docet D. Thomas 1. p. q. 48. art. 7. & quæst. 94. art. 2. & 2. 2. quæst. 173. art. 4. & quæst. 174. art. 2. ad 4. Cum quo Doctores alij consentiunt, sumiturque ex illo Dionysij cap. 1. de cœlesti Hierarch. *Impossibile est lucere nobis diuinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumuelatum*, & ex D. Gregorio Nazianzeno oratione 2. de Theologia, vbi id expresse docet. 6.

Cæterum in alio sensu prædicta denudatio potest in hac eadem contemplatione reperiri, à discursu quidem, quatenus & si illum supponat, cessat tamen cum ad hanc contemplationem peruenitur, & loco eius succedit simplex quædam veritatis æternæ intuitio, quietaque, & conformis operatio, vt ex D. Dionysio expresse docet, & declarat D. Thom. 2. 2. q. 180. art. 6. beneque tractat Suarez citato lib. 2. de oratione cap. 10;. 7.

B. Joannis a Cruce
Opera Mystica
NVI
124

Deinde etiam potest reperiri denudatio à formis imaginarijs, ad hunc sensum, vt scilicet intellectus concipiat Deum, & res spirituales per modum remotionis, vt docet D. Thomas 1. parte quæst. 84. art. 7. ad 3. & alibi sæpe, de quo cognoscendi modo præcedenti capite latè disseruimus. Tunc enim licet necesse sit dari cooperationem, & associationem phantasiæ circa obiecta illa, quæ à Deo remouentur, tamen cognitio ipsa non concipit in obiecto aliquid corporeum, & ideo non dantur phantasmata, aut formæ imaginariæ talis obiecti sic cogniti: vt expressè docet Diuus Thomas loco proximè citato his verbis: *Deum, vt Dionysius dicit, cognoscimus, vt causam, & per excessum, & per remotionem; alias etiam incorporeas substantias in statu præsentis vitæ cognoscere non possumus, nisi per remotiones, vel aliquam comparationem ad corporalia, & ideo cum de huiusmodi aliquid intelligimus, necesse habemus, conuerti ad phantasmata corporum, licet ipsorum non sint phantasmata.*

8. Hæc igitur cognitio ex parte quidem obiecti cogniti nihil corporeum importat, ex parte tamen modi cognoscendi, dici potest, importare aliquid materialitatis, non quia modum aliquem materialitatis in obiecto concipiatur; illum enim potius remouet, sed quia postulat per se coniungi cum operatione phantasiæ circa propria phantasmata corporea iam dicta: & in hoc consistit conuersio illa phantasmatica, quam docet D. Thom. esse necessariam, & de qua loquebatur Aristoteles, cum 3. de anima dixit: *Oportet intelligentem phantasmata speculari.*

9. Vnde hæc cognitio rerum spiritualium, potiorique titulo cognitio Dei, nullatenus est quidditatiua, & perfecta, sed potius valde imperfecta, & confusa, quatenus concipit Deum esse aliquid supra omnia alia, quæ potest attingere; atque adeo est cognitio valde adaptata caliginosæ illi cognitioni Mysticæ, de qua cap. præcedenti latè disseruimus; quam imperfectam rerum spiritualium cognitionem à rebus corporeis, modo dicto, abstrahentem, ac supra illas se eleuantem, concedit expressè D. Thom. 1. parte, quæst. 88. art. 2. in corpore, & ad 1. & 3. contra sentent. cap. 45. quibus in locis Caietanus, & Ferrara aduertunt sententiam D. Thomæ re ipsa nullatenus discordare à sententia Scoti in 1. dist. 3. q. 2. conclusione 1. 3. & 4. asserentis, posse nos peruenire in statu viæ, ad conceptus de Deo proprios, qui creaturis non conueniant, licet non possimus aliquem conceptum proprium de Deo in particulari, hoc est perfectum, vsque ad vltimam Dei differentiam, aut quasi differentiam habere: & ita dicunt prædicti Auctores solum esse diuersitatem inter D. Thomam, & Scotum in modo loquendi; quatenus D. Thom. huiusmodi cognitionem imperfectam rerum spiritualium, & si earum propriam, quia tamen non pertingit vsq; ad vltimam earum differentiam in particulari, appellat cognitionem dumtaxat, quoad *an est*, seu *quia est*? Scotus verò eandem appellat cognitionem, quoad *quid est*; quia per eam saltim in communi, & imperfectè quid prædictæ res spirituales sint cognoscimus.

10. Conueniunt tamen, vterque Doctor, Angelicus, & subtilis, & cum eis cæteri Theologi, & Philosophi, in eo quod iam diximus, & ad propositum nostrum pertinet, scilicet posse dari in via cognitionem propriam de rebus spiritualibus, & de Deo, per quam imperfectè, & veluti in confuso tales res, vt ab omnibus rebus corporeis separatæ, & eleuatæ, per viam remotionis cognoscantur. Et ad hunc sensum potest in contemplatione supernaturali, quæ secundum humanum modum fit, dari denu-

datio

datio à formis imaginarijs, quatenus scil. per talem cognitionē omnia materialia, & corporea, imperfectionesq creatæ à Deo, modo dicto, remouētur, formaturq; proprius, licet imperfectus, & confusus conceptus Dei, vt ab illis omnibus distincti, quāuis detur semper in hac contemplatione associatio phantasiæ circa propria ipsius phantasmata corporea, quæ tamen associatio, & adumbratio multoties fere imperceptibilis est, vt recte docet noster Tho. à Iesu lib. 5. de diuina contempl. c. 1. circa finē, qui etiā in eodē lib. c. 10. optime explicat ex SS. Patrū doctrina, quomodo hęc notitia secludēs ex parte obiecti oēs imperfectiones, possit in hac vita, modo dicto reperiri.

§. II.

Ex dictis elucidatur prior pars huius propositionis.

11. OVibus suppositis, quod attinet ad primam partē huius propositionis, duplex illius sensus, & vterq; verissimus esse potest. Primus est, eū qui ad supernaturalis contēplationis, etiā illius, quæ secundum humanum modū fit, sublimitatem peruenturus est, debere non quidē habitualiter, sed actualiter, hoc est in ipso contemplationis actu, intellectū à formis, seu speciebus imaginarijs nudare ad hunc sensum, vt & si reuerā cum phantasiæ associatione, atq; adeò per conuersionē ad phantasmata operetur, tamen ex parte obiecti, nihil tale concipiat, sed in sola illa Dei cognitione confusa, & caliginosa sistat, in qua ipsam phantasiæ associationē, seu adumbrationē, vtpote fere imperceptibilē, non sentiat; quod quonā pacto connaturaliter fieri possit, paragrapho præcedenti explicuimus. Et ad huiusmodi denudationē sic explicatam positiuè (vt sic dicamus) debito tēpore quærendam, Mysticus noster Doctor virum cōtēplatiuū instruit, quia (vt sup. n. 4. dicebamus) re vera est in nostra potestate, cū auxilio gratiæ, quod consonè ad connaturalē hominis operādi modū à Deo tribuitur.

12. Secundus vero sensus eiusdē partis est, eum qui ad illius contēplationis supernaturalis, quæ supra humanū modū fit, sublimitatē peruenturus est, debere tunc intellectum à formis, seu specieb. imaginarijs omnino nudatū habere, taliter, vt etiā phantasiæ associationem, conuersionemq; proinde ad phantasmata excludat: quamuis. n. id secundum connaturalē operandi modum contingere nequeat, quod tantum voluit D. Thom. & alij PP. ac Doctores supra nu. 6. citati, bene tamen secundum alium superiorem, & supra humanum modum; quod apertè docent SS. Patres, imo & Angelicus ipse Doctor, pluresq; alij illustres Doctores, præsertim Mystici, quorum testimonia statim referemus; tenentq; plures alij; cuiusmodi sunt noster Thom. à Iesu c. l. 5. de cōt. c. 1. & 2. noster Ioan. à Iesu Maria in Theol. Myst. c. 6. noster Hier. à Matre Dei tr. de Theol. Myst. in via vnit. c. 2. 3. 4. & 5. Ant. Sucq. in 1. Viæ vitæ æternæ lib. 3. c. 16. Greg. de Valēr. to. 1. disp. 6. p. 1. punct. 3. Raguſa in 3. p. disp. 26. Molin. Carthusian. tr. 2. de or. c. 6. §. 1. liber qui inscribitur, *Ascensus Montis Sion, dicta* 3. c. 4. Aluarado to. 1. Artis bene viuendi lib. 2. c. 42. Luisius Legionensis in quadam nota marginali, quæ habetur in cap. 1. Mansionis septimæ S. Matris nostræ THERESIÆ, Basil. Legionens. in Defensorio cit. propositione 3. & in quibusdam annotationibus ad confessiones Beati Ildephonsi de Orozco n. 21. & 23. pluresq; alij Doctores.

13. Vnde quamuis hæc prima pars propositionis Mystici nostri Doctoris in hoc secundo sensu, qui strictior & rigorosior est, intelligatur, insignem hanc tot Sanctorū Patrum, illustriumque Doctorum approbationē, tam quoad rem, quam quoad loquendi

B. Joannis a Cruce
Opera Mystica
NVI
124

quendi modum obtinet. Cæterum ad hanc contemplationem supernaturalem hoc secundo modo sumptam, atque adeò ad hanc omnimodam denudationem sic acceptam positiuè quærendam, nequaquam inuitat Mysticus noster Doctor, propter ea, quæ supra n. 5. diximus, sed solum docet, eam non impedire, seu remouere ea, quæ eius à Deo infusionem impedire possent. Superest autem modo, vt Sanctorum Patrum, ac illustrium Doctorum testimonia, in quibus eadem doctrina, & locutio Venerab. N. IOANNIS de prædicta denudatione non solum in primo, sed etiam in secundo sensu iam explicato continetur, referamus.

§. III.

Testimonijs Sanctorum Patrum prædicta doctrina, & locutio comprobatur.

14. OBtineatque primum locum Ecclesiæ lumen D. Augustinus lib. 12. de Genesi ad literam c. 12. & 26. vbi de eleuatissima contemplatione, quæ in hac vita haberi potest, loquens, sic habet: *Ibi sine vlla corporis similitudine perspicua veritas cernitur, nullis opinionum falsarum nebulis offuscatur, ibi virtutes animæ non sunt oppressæ ac laboriosæ*, & infra subiungit: *Vna ibi, & tota virtus est, amare quod videas, & summa fœlicitas est, habere quod amas*, quod etiam docuit tract. 102. in Ioannem his verbis: *Cùm verò spiritualis cæperit omnia iudicare, ipse autem à nemine diiudicari, etiam si in hac vita adhuc velut per speculum ex parte perspicit, tamen nonnullo corporis sensu, nonnulla imaginaria cogitatione, quæ capit, aut fingit qualiscumque similitudines corporum, sed mentis certissima intelligentia Deum intelligit, non corpus esse, sed spiritum, &c.*

Sed latiùs, & expressius id ipsum docet lib. 9. confess. cap. 10. his verbis. Dicebamus: *Si cui sileat tumultus carnis, sileant phantasiæ terræ, & aquarum, & aëris; sileant & poli, & ipsa sibi anima sileat, & transeat se non se cogitando: sileant somnia & imaginariæ reuelationes, omnis lingua, & omne signum, & quidquid transeundo fit, si cui sileat omnino. Quoniam si quis audiat, dicunt hæc omnia: Non ipsa nos fecimus, sed fecit nos qui manet in æternum. His dictis si iam taceant, quia erexerunt aurem in eum qui fecit ea, & loquatur ipse solus, non per ea, sed per se ipsum, vt audiamus verbum eius, non per linguam carnis, neque per vocem Angeli, nec per sonitum nubis, nec per ænigma similitudinis, sed ipsum, quem in his amamus, ipsum sine his audiamus: sicut nunc extendimus nos, & rapida cogitatione attingimus æternam sapientiam super omnia manentem; si continuetur hoc, & subtrahantur aliæ visiones longè imparis generis, & hæc vna rapiat, & absorbeat, & recondat in interiora gaudia spectatorem suum, vt talis sit sempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ cui suspirauimus, nonne hoc est: in gaudium Domini tui?*

15. Consonat Augustino eius perpetuus discipulus, & illustrator Angelicus Doctor D. Thomas in 3. dist. 34. q. 1. art. 4. his verbis: *In statu viæ Deum magis videmus cognoscendo quid non est, quam apprehendendo quid est; & ideo quantum ad statum viæ, ponitur cordis munditia, non solum à passionum illecebris, sed etiam ab erroribus, & phantasmatibus, & spiritualium formis, à quibus omnibus docet abscedere, Dionys. cap. 1. de Mystica Theologia, tendentes in diuinam contemplationem*, & in eadem quæstione art. 2. sic inquit: *In his autem, quæ supra rationem sunt, perficit fides, quæ est inspectio diuinorum in speculo, & in ænigmate, quod autem spiritualia quæ*

quasi nuda veritate capiantur, supra humanũ est modum: & hoc facit donum intellectus &c. quasi diceret, quòd & si intellectus cum humano modo, tam in ordine naturali, quã in ordine supernaturali operatur, nequit spiritualia, quasi nuda veritate capere, sed in speculo, & ænigmate medijs phantasmatibus, & formis sensibilibus, vt ipsemet S. Doct. locis supra n. 6. citatis, & alijs docet; attamẽ quando intellectus supra humanum modum operatur, tunc phantasmatum, ac specierum sensibilium vsu nequaquã indiget; idemque docet dist. 35. quæ. 2. articulo 2. quæstiuncula 2. in corpore, & ad secundam vbi authoritatem illam Dionysij 1. cap. de cœlesti Hierarch. quod scilicet, *Impossibile est nobis aliter lucere diuinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumuelatum*, sic explicat Sanct. Doctor, quod *Dionys. loquitur quantum ad principium reuelationis diuinorum, in qua, quasi per sermonem quendam, nobis in signis, & figuris proponuntur, sed vlterius de auditis sic per donum intellectus mens illustratur.* Quam etiam doctrinam docuit de verit. q. 13. artic. 2. ad 9. vbi expressè asserit, species intelligibiles à Deo aliquando infundi sine vllo phantasmatum aut imaginationis consortio: agit enim ibi de duplici raptu, quorum vnus est, quo mens rapitur, id est, alienatur, & omninò abstrahitur à sensibus externis ad imaginariam visionem; alter, quo abstrahitur, & rapitur à sensu, & imaginatione simul ad intellectualem visionem: *Et hoc* (inquit D. Thom.) *dupliciter, vno modo secundum quod intellectus intelligit Deum per aliquas intelligibiles immissiones, quod est propriè Angelorum, & sic fuit extasis Adæ, vt dicitur Genes. 2. in Glossa; quæ extasis rectè intelligitur ad hoc immissa, vt mens Adæ particeps Angelicæ Curiæ, & intrans in Sanctuarium Dei nouissimè intelligeret, &c.* Vbi apertè docet Adam, modo Angelorum, sine vlla imaginationis cooperatione per species intelligibiles à Deo infusas, Deum fuisse contemplatum. 16.

Eandem doctrinam habet D. Bernardus serm. 52. in Cantic. vbi sic inquit: *Moriatur anima meæ morte etiam, si dici potest, Angelorum, vt præsentium memoria excedens rerum se inferiorum corporearumque non modo cupiditatibus, sed & similitudinibus exuat, sitque pura cum eis conuersatio, cum quibus est puritatis similitudo talis, vt opinor, excessus aut tantum, aut maximè contemplatio dicitur, rerum enim cupiditatibus viuendo non teneri, humanæ virtutis est, eorporum vero similitudinibus speculando non inuolui, Angelicæ puritatis est. Vtrumque tamen diuini muneris est, vtrumque excedere, vtrumque teipsum transcendere est, sed longe vnum: alterum non longe. Beatus qui dicere potest: Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine, &c.* Id ipsum docet sermone 5. in Cantic. his verbis: *Transilijsti carnis oblectamenta, vt minimè iam obedias concupiscentijs eius, nec tenearis illecebris, perfecisti, & superasti te, sed nondum elongasti, nisi, & irruentia vndique phantasmata corporearum similitudinum transisti clare mentis puritate præualeas, &c.*

Accedit D. Bonauentura itinere 5. æternit. distinct. 4. vbi sic loquitur: *Secundò modo fit hæc reuelatio æternorum siue visio intellectualis, vt dicit Ricardus, quãdo spiritus humanus per internam inspirationem suauiter factus, nullis mediantibus rebus visibilibus ad cœlestium cogitationem erigitur, sicut vidit Propheta, qui vidit in spiritu,* & Aimo super Apoc. concordat vbi dicit: *Intellectualis visio siue reuelatio fit quandoque non per corporales res, nec per similes, sed ipsa veritas immediate manifestatur videntibus, &c.* Et itinere 3. æternit. distinct. 4. ar. 2. sic ait: *Quartus gradus secundum Ricardum est, qui in ratione, & secundum rationem formatur, quod vtiq; fit, cum semoto omni officio imaginationis solum alijs animus intendit,* 17.

B.
Joannis
a Cruce

Opera
Mystica
NVII
124

quæ imaginatio nō nouit, &c. Et inferius subiungit: *Hic gradus contẽplationū perfectior est præcedentibus, eo quod tam à corporalibus, quam à temporalibus magis elongatur. Vnde* Ricardus dicit, *quod in hac contemplatione animus humanus, primum pura intelligentia vtitur, quia semota omnis imaginationis officio ipsa intelligentia nostra in hoc primo negotio se ipsa, & per seipsam in genere videtur, &c.* Ad quod propositum ibidem, & ar. 4. multa subiungit, & de Theologia Mystica circa finem ait: *Quod si etiam per amorem, & illuminationem diuinitus infusam ab intellectu admixtio phantastica separetur, semper tamen intellectus Deum modo simplici, & limitato apprehendit, &c.* Et de luminaribus Ecclesiæ serm. 2. de ingressu ad sapientiam sic ait: *Ad istum saporem iuuat superferri omnibus sensibilibus, omnibus occupationibus intellectualibus, quæ sunt cum phantasmatibus, transire etiam Angelicas intelligentias, vt possit cum Sponsa dicere: Inuenerunt me vigiles, &c.*

18. Huic etiam sententiæ subscribit Hugo de Sancto Victore lib. 2. de anima cap. 20. his verbis: *Redeat ad se mens rationalis, & colligat se in se, vt sine imaginibus corporis sapiat, & Omnipotentis Dei inuisibilem naturam considerare valeat, terrenarum phantasmata imaginum, & quidquid terrenum cogitationi eius occurrit, respuat, &c.* Et clarius in eodem cap. huiusmodi contemplationem explicat dicens: *Cum enim cœperit mens per puram intelligentiam semetipsam excedere, & illam incorpoream lucis claritatem tota intrare, in tantum in hoc mentis excessu pax illa, quæ exsuperat omnem sensum, inuenitur, atque obtinetur, vt fiat silentium in cœlo quasi hora dimidia, ita vt contemplantis animus nulla altercantium cogitationum tumultuatione turbetur, nihil sensualitas, nihil illic agit imaginatio, sed omnis interior vis animæ prorsus interim viduatur officio.*

19. Præterea Ricardus de Sancto Victore lib. 3. de contemplatione cap. 1. sic inquit: *Quid hic facit phantasmatum corporalium creatrix, moderatrix, & reparatrix imaginatio, recedat procul ab hoc negotio tot phantasiarum formatrix imaginatio, quæ tot corporalium formas quotidie nouas creat, &c.* Subiungitque, *nihil hic prosunt, imo multum obsunt suorum simulachrorum tam copiosa multitudo, &c.*

20. Insuper Albertus Magnus lib. de adhærendo Deo cap. 4. sic ad propositum nostrum loquitur: *Fœlix ergo, qui per absterſionem continuam phantasmatum, & imaginum, ac per introuersionem, & sursumductionem mentis in Deum, tandem aliquando obliuiscitur phantasmatum, &c.* Et paulò inferius subiungit: *Omnia igitur phantasmata, species, imagines, & formas rerum omnium citra Deum, à mente reijcias, vt in solo nudo intellectu & affectu ac voluntate tuum pendeat exercitium circa Deum intrare, &c.* Et paucis interpositis, sic concludit: *Summopere igitur necessarium est, vt audita, visa, facta, & dicta, & similia sine phantasmatibus, imaginibus, & occupationibus recipiantur, nec etiam ex consequenti, vel ansa, vel materia super hoc phantasmata, & implicationes formentur, aut nutriantur, &c.* Quam etiam doctrinam c. 8. & 10. repetit.

21. Consonat Sanctus Nilus cap. 63. de oratione, vbi sic inquit: *Cum orat, ne ſingas Deum in teipso, imò accede sine materia ad expertem materiæ, & intelligis, &c.* & c. 64. ait: *Cum non potest inuidus Dæmon memoriam in oratione excitare, tunc temperationi corporis vim infert, vt faciat aliquod inusitatum simulachrum apparere ad figurandum Deum, quamobrem sanctissima tua, mentemq; tuam à notitiis istis inter orandum custodi, &c.*

22. Doctrinam hanc sæpissimè docet, probat, ac defendit Dion. Carthusian. necnon opusc. de Vita inclusarum cap. vltimo, vbi loquens de contemplatione perfecta, sic inquit:

inquit: *Interdum autem fit hoc sublimius, purius, atq; diuinius per species & radios intellectuales, hoc est per solam intellectualem illuminationē, & spiritualis speciei, aut luminis infusionē. sicq; contingere solet personis perfectis, heroicis, ac diuinis, &c.* Quod adhuc clariùs docet in cōmentarijs Mysticæ Theologiæ art. 2. id ex Dionysio probans, & inter alia, sic inquiens: *Si sine phantasmate nequit mens humana quidquam cognoscere, quomodo vera sunt, quæ de anagogica, ac pure mentali contemplatione, & superna illustratione Sancti locuti sunt, & scripserunt, &c.* Nec minus clare idem statuit in commentario cœlestis Hierarchiæ art. 5. q. 6. nec nō, & in 1. sententiarum dist. 2. alijsq; in locis.

Docet etiam id ipsum Doctor Ioannes Taulerus sæpissimè in suis operibus Mysticis, vt sermone vnico Dom. 1 post Natiuitatem, his verbis: *Vbi enim vires animæ à cunctis operibus, & imaginibus abstrahuntur, ibi verbum istud profertur, &c.* Vbi ad hoc propositum multa subiungit, & clarissimè cap. 25. institutionum, nec non cap. 35. eiusdem libri, vbi sic ait: *Quod si quærat aliquis, cur omnibus imaginibus renunciandum sit? Respondetur eam ob causam, quod non nisi via quadam sint ad nudam, & simplicem veritatem. si ergo ad veritatem ipsam pertingere velint, paulatim abdicanda via est, &c.* Et inferius sic subiungit: *Cæterum tria sunt, ex quibus aduerti potest, quando prædictæ imagines abdicandæ sunt, &c.* Vbi de hoc latè, & eruditè tractat, signaque ad hoc cognoscendum, sicuti Venerabilis noster IOANNES constituit. 23.

Accedit Rusbrochius de perfectione Filiorum Dei cap. 2. vbi agens de rebus, quæ reddunt hominem internum, inquit: *Primum est, cor imaginibus vacuum, &c.* Et paulo inferius: *Est interna libertas, id est, vt abs̄q; imaginibus, vel simulachris & impedimentis se se quis possit erigere in Deum in cunctis exercitijs internis.* & cap. 3. sequenti, *homo contemplator sit liber, & expeditus ab omnib. semper in intima spiritus sui penetralia nudus & imaginib. vacuus, &c.* 24.

Consentit sapientissimus ille Antistes Frater Bartholomæus à Martyribus 2. part. Compendij spiritualis cap. 11. vbi sic loquitur: *Imo tempore vnionis inter Deum, & animā quacunq; licet bonæ imagines sunt, procul expellendæ, quia sunt media inter vtrumq;, ideò athleta huc peruenire cupiens (Deo ipsum trahente, atq; vocante) cum primum senserit se diuino amore vehementer inflammari ac sursum trahi, propere rescindat quaslibet imagines, seipsumque ad Sancta Sanctorum, & ad internum illud silentium, in quo non humana, sed diuina duntaxat est operatio, ibi enim Deus ipse est agens, homo verò patiens: nam dum vires animæ silent, & à propria actione quiescunt, atq; ab omni denique externa imaginatione liberæ sunt, Deus ipse loquitur, easque mentis vires pro libito disponit, & afficit, nobilissimum opus in ea peragens, &c.* Et paulo antea dixerat: *O vere beata anima, quæ propria omni operatione sepositā, in vi memoratiua nudatur omnibus imaginibus, &c.* Id ipsum docet 2. part. compendij cap. 12. §. 1. vbi sic loquitur: *Euenit enim sæpissimè vt is qui rapitur, non solum cesset ab operationibus sensuum externorum, ita vt omnino ignoret quid extra fiat, sed etiam virtuti phantasticæ, ac imaginatiuæ actio sua penitus denegetur, adeo vt phantasma nullum irruere valeat, aut si irruat, non rationis, voluntatisq; superioris virtute prematur.* 25.

Cotonidem etiam huic testimoniorum catenæ apponat testimonium cœlestis 26.
nostræ Magistræ THERESIÆ, quæ capit. 27. suæ vitæ de hac altissima contemplatione loquens, sic inquit: DEVS *quippe in intimis animæ penetralibus id imprimit, quod eam vult intelligere, ac sine vlla imagine, aut verborum forma id repræsentat: hic modus*

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
TVI
124

quo Deus animam intelligere facit id quod vult, nec non magnas veritates & mysteria, imprimis notetur: nam sæpe, hoc est, tum cum mihi Dominus aliquam visionem, quam Maiestas eius mihi representare dignatur exponit; tali modo id fieri solet: & hic modus esse videtur, in quem secundum minus potest ingerere. Hæc quippe visionis & locutionis species, est quid ita spirituale, vt nulla, nec iudicio, in potentijs aut sensibus sit concitatio, è qua aliquid ad rem suam spectans dæmon possit elicere. Ex quibus omnibus prima pars huius propositionis Mystici nostri Doctoris, quæ de imaginum, ac phantasmatum denudatione agit, satis superque, tam quoad rem, quàm quoad loquendi modum tot Sanctorum Patrum illustriumq; Doctorum testimonijs comprobata manet.

276. Nec ex huiusmodi doctrina sacrarum imaginum externarum vsus, ac debita reverentia etiam perfectis, & contemplatiuis interdicitur, imo potius debitum earum vsum, & cultum Mysticus noster Doctor suadet; vt infra ostendemus, sed solum cum prædictis Sanctis Patribus, & Doctoribus intendit Ven. noster IOANNES, imagines internas rerum corporearum, & has non semper, sed in ipso contemplationis perfectæ actu, denudandas esse; quomodo autem vir perfectus circa externarum imaginum vsum se gerere debeat, infra, in propositione citata ex professo declarabitur.

§. IV.

Anima aduersio circa statutam doctrinam valde notanda.

283. CÆterum adhuc circa internarum imaginum denudationem, valde obseruandum est, in earum numero nequaquam computari voluisse Mysticum nostrum Doctorem, Christi Domini eiusque humanitatis imagines, ita vt etiam in sublimi hac contemplatione semper denudandæ sint, quamuis etiam aliquando eas dimittendas esse asserat, quoties scilicet ipsemet Deus ad puræ diuinitatis sublimem contemplationem mentem eleuat: quam doctrinam expresse tradidit lib. 3. operis quod inscribitur, *Ascensus Montis Carmeli*, cap. 1. his verbis: *Hoc autem studium obliuiscendi ac reliquendi notitias & figuras, nunquam de Christo eiusque sacratissima humanitate intelligi debet. Licet enim interdum in contemplationis culmine, & simplici diuinitatis intuitu sacratissima huius humanitatis non recordetur anima, eo quod propria sua manu subleuauerit Deus spiritum ad eam quasi confusam, & valde supernaturalem notitiam; verum & industria data que opera illius reliquisci nullo pacto ac nulla ratione expedit; siquidem eius intuitus, amorosaque meditatio ad omne bonum promouebit, illiusque adiminiculo facilius vnionis fastigium conscendet. Clarum est enim, quod quæuis aliæ visibiles & corporeæ res obliuione sepeliri debeant, eo quod vnionem impediant, quamquam tamen in hoc numero reponendus est ille, qui ob remedium nostrum Homo factus est, qui veritas, ostium, via, & dux ad omnia bona.* Quibus verbis nihil clarius, nec conueniens pro hac re dici potest.

285. Vnde eandem prorsus doctrinam docet S. Mat. N. THERESIA, quæ & si valde reprobet eorum opinionem, qui humanitatis Christi Dñi imagines data opera ab his, quæ ad sublimis contemplationis statum iam accedunt, vel peruenerunt, relegandas esse sentiunt; tamen non propterea negat, imò potius expresse concedit aliquando in sublimi contemplatione huius sanctissimæ humanitatis præsentiam dimittendam esse, vel, vt melius dicam, vi huius sublimis contemplationis diuinæ omnes scor-

mæ,

næ; & imagines etiam Domini, & Saluatoris nostri Iesu Christi à Deo remouentur, vt manifestè constat ex eius expresso testimonio in eodemmet loco, vbi de hac re ex professo agit; & prædictam opinionem reprobat, nempè c. 22. suæ vitæ, vbi post eius longam reprobationem, vt plenius suam mentem explicaret, sic subiungit: *Hoc autem punctum bene velim intelligi, & vtinam me commode possem declarare. Cum enim omnes potentias Deus suspendere vult (sicut ex orandi modis, quos hactenus declarauimus, perspicuè videre fuit eas suspendi) tunc certum est, etiam nobis inuitis & reluctantibus, corpoream hanc præsentiam humanitatis Christi tolli, sed tollatur parum refert: fælix & optanda est huiusmodi iactura, cum per eam magis fruamur eo, quod videbatur amitti; tunc quippe anima totam se impendit, amando, quem intellectus cognoscere tam operosè studuit, & amat id quod minimè potuit comprehendere, & fruitur eo quo tam bene frui non posset, nisi seipsam perderet, vt se (vt dixi) magis lucrifaceret. Sed vt data opera & studio assueseremus, ex omnibus nostris viribus non conari sanctissimam hanc humanitatem semper præoculis habere (& faxit Deus semper eam præoculis haberemus) hoc inquam, mihi prorsus non placet; atque hoc est animam velut in aëre suspensam (vt vulgo dicitur) tenere: videtur quippe omni fulcimine & adminiculo carere, quantumuis Deo se putet plenam esse, &c.* Idemque docet Mansione 6. cap. 7. vbi de hac eadem præsentia Christi Domini loquens, sic subiungit: *Si fortè Dominus eam exinde suspendat, per me licet, suspendat; nam, quamlibet ipse nolit, faciet is eam relinquere id, in quo iam de facto erat.*

Idipsum cum eodem temperamento docuit sæpè iam citatus Antistes Frater 30.
Bartholomæus à Martyribus 2. parte compendij cap. 11. §. 2. pagin. 97. his verbis: *Multorum sententia fuit hanc vnionem quamuis esset, à quibuscumque imaginibus posse impediri, licet essent imagines ipsæ vtiles, quæ animam ipsam disposuerant, vt imagines mysteriorum humanitatis Christi, & etiam diuinorum attributorum: hoc tamen caute intelligendum est, ne erroris existat occasio; si enim intelligamus has imagines, dum se offerunt intellectui animæ iam immediatè quiescentis, ac fruentis vnione diuina pura, non esse tenaciter recipiendas, nec morosè eo temporis articulo illis vacandum, aut rebus quas illæ representant, sed reuera claudendos esse ad eas mentis oculos regulariter loquendo, verum hoc fateamur necesse est: diuertere enim ad eas morosè impedit progressum immediatè vnionis cum Deo. Si autem intelligamus has imagines quotiescumque occurrunt purè contemplanti, atque amanti Deum, impedire, hebetareque vigorem, ac perfectionem vnionis, credo falsum esse: experientia enim constat hoc sæpè euenire, cum homo in solum Deum totomentis actu fertur; fit enim, vt eo tempore raptim occurrat intellectui hæc imago, videlicet hic Deus pro me homo factus est, ac crucifixus, hæ namque imagines non solum non impediunt, verumetiam promouere, & augere solent vnionem amoris, atque admirationis suspensiua, imò nec imago peccatorum raptim transiens officiet, videlicet, hic Deus tot crimina pro sua benignitate condonauit, nam hæc imago non perturbare, sed quietem mentis occasionaliter adaugere solet, dummodo homo tunc non descendat ad specialem ipsorum considerationem, sed mox resiliat in fontem aquæ viuæ, &c.* Quibus in verbis Apostolicus hic vir rem hanc optimè explicat, ita vt nihil addendum supersit, cum prædicto namque temperamento omnia euitantur inconuenientia, sicut etiam ex doctrina Mystici nostri Doctoris, quæ cum hac, & cum ea, quam ex THERESIA nostra retulimus, omninò coincidit, vt ex eius adducto testimonio manifestè constat. Idipsum docuit D. Bonauentura de Theologia Mystica partic. 3. Tauletus cap. 25. institutionum, Molina Carthusianus tractatu 2. de oratione capite 6. §. 4. alijque Doctores.

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
TVI
124

32. Ex dictis deducitur, doctrinam hanc longissimè abesse ab octauo illo errore Beguardorum, & Beguinarum, quem damnat Concilium Viennense, & Clemens V. in Clementina ad nostrum de hæreticis, vbi prædictum errorem talem fuisse dicitur, quod scilicet in eleuatione corporis Iesu Christi non debent assurgere, neque eidem reuerentiam exhibere, asserentes, quod esset imperfectionis eisdem, sua puritate, & altitudine suæ contemplationis tantum descenderent, quod circa ministerium, seu Sacramentum Eucharistiæ, aut circa passionem humanitatis Christi aliqua cogitarent.

Hunc ergo errorem à doctrina tradita longissimè abesse satis constat: prædicti namque hæretici exteriorem cultum, & reuerentiam sanctissimo Eucharistiæ Sacramento debitam, necnon & omnem memoriam humanitatis Christi Domini, ab his qui ad contemplationis statum peruenissent, volebant habitualiter excludere, hoc autem nullatenus prædicti Doctores Mystici, & cum eis Venerabilis noster IOANNES suadent, quinimò oppositum omnino docent, vt constat tum ex testimonio eius supra, nu. 28. adducto, tum etiam ex multis alijs, quæ in eius operibus frequenter inueniuntur, cuiusmodi est illud, quod habetur in lib. 2. Ascensus Montis Carmeli cap. 32. vbi loquens de ipso tempore contemplationis; sic inquit: *Tunc enim temporis semper conandum & laborandum est, vt in quiete intellectus permaneat, nulla alia forma, figuras notitiasque particulares intermiscendo, nisi fortè hoc cursim admodum fiat, & cum valde exiguo studio; nam hoc faciendum est cum quadam amoris suauitate ad se amplius inflammandum. Cæterum extra hoc tempus in omnibus suis exercitijs & operibus vti debet memoriam, & bonarum meditationũ adminiculis, idque eo modo & medio, quo maiorem deuotionem & vtilitatem senserit: singularissimè vero vti debet memoria & meditatione vitæ, passionis & mortis Domini nostri Iesu Christi, vt actiones suas, exercitia & vitam illi valeat conformare, &c.* Et cap. 7. eiusdem libri loquens de exercitio imitationis Christi, sic inquit: *Quod si in hoc exercitio fuerit defectus & negligentia (quod est summa omnium radixque virtutum) omnes istiusmodi nihil aliud sunt, quam radice prætermissa ramusculos consectari, ac proinde in hac via non proficere, licet huiusmodi sublimes habeant considerationes & communicationes. Verus enim in via spirituali progressus, non reperitur, nisi in Christi imitatione, qui est via, veritas & vita, & nemo venit ad Patrem, nisi per ipsum,* Ego sum via, veritas, & vita, nemo venit ad Patrẽ nisi per me. *Et in alio loco dicitur;* Ego sum ostium: per me si quis introierit, saluabitur. *Quamobrem omnem spiritum, qui ad Deum ire cupit per dulcedines, commoditatesque & Christum imitari recusat, minimè bonum iudicarem.*

33. Quæ testimonia valdè notanda, & perpendẽda sunt, quia ex eis euidenter apparet quantum aduersetur doctrina Mystici nostri Doctoris errotibus prædictorum hæreticorum, cæterorumque, qui Illuminati dicuntur. Solum ergo IOANNES noster alijq; Doctores Catholici asserunt, in illo tẽpore perfectæ contemplationis quando scilicet Deus mentem ad solius diuinitatis cognitionem eleuat, formas rerum corporearũ relinquendas esse, internas verò imagines humanitatis Christi, siue sint cum cooperatione, & ministerio phantasmatum, siue purè intellectuales (vt reuera esse possunt) tolum cum temperamento iam explicato admitti debere. Et hæc de

prima parte huius propositionis.

§. V.

Secunda propositionis pars declaratur, & elucidatur.

QVOD verò attinet ad secundam eiusdem propositionis partem, in qua Mysti- 34
cus noster Doctor asserit eum, qui ad sublimen hanc contemplationem iam peruenturus est, debere intellectum ab actibus discursiuis denudare, & in simplici quodam veritatis æternæ intuitu permanere, duplicem etiam sensum, & vtrumque verum potest habere.

Primus est, quod loquendo de contemplatione supernaturali, quæ fit secundum humanum modum, debet dari denudatio ab actibus discursiuis ad hunc sensum, quod scilicet, & si iam præcesserint tales actus, tum tamen iam non remaneant, sed sola simplex, & vniformis veritatis æternæ intuitio; quam doctrinam expressè docet D. Thom. ex D. Dionys. 2.2. quæst. 180. art. 6. ad 2. his verbis: *Oportet, quod in anima, antequã ad istam vniformitatẽ perueniatur, remoueatur secunda difformitas, quæ est per discursum rationis, & hoc idem contingit, secundum quod omnes operationes animæ reducuntur ad simplicem contemplationem intelligibilis veritatis, & hoc est, quod secundo dicit, quod necessaria est vniformis conuolutio intellectualium virtutum ipsius vt scilicet cessante discursu, figatur eius intuitus in contemplatione vnius simplicis veritatis, &c.* Quam etiam doctrinam expressè tenet in 3. dist. 35. q. 1. artic. 2. quæstiuncula 2. in corpore, vbi contemplationem ab inquisitione rationis, seu discursu, tanquam terminum illius distinguit, & deinde in solutione ad primum asserit, hominem, quoad hunc actum contemplationis modum cognoscendi Angelorum per simplicem intuitum attingere, sic enim habet, *ad primum dicendum, quod homo in quantum est contemplatiuus est aliquid supra hominem, quia in intellectus simplici visione continuatur homo superioribus substantijs, quæ intelligentiæ, vel Angeli dicuntur, &c.* Similiaque docet in 2. dist. 10. q. 1. artic. 4. ad 2. & 2.2. quæst. 9. art. 1. ad 1. & super cap. 7. & 11. de diuinis nominibus.

Consonat D. Augustinus lib. de quantitate animæ cap. 33. vbi contemplationem 35.
vocat: *Mansionem quandam serenitatis & æternitatis afflatum:* Quod etiam docuit D. Bernardus lib. de scala claustrali, contemplationem sic diffiniens: *Contemplatio, est mentis in Deum suspensa eleuatio.* Et libro 2. de consideratione ad Eugenium: *Est* (inquit) *vnus certus intuitus animæ, de quæcumque re siue apprehensio veri non dubia:* Quem contemplationis actum D. Dionysius capite 4. de diuinis nominibus appellauit motum circularem, iuxta expositionem D. Thom. dicta quæst. 180. artic. 6. eundemque actum comparat Ricardus de Sancto Victore citatus à Suarez tom. 2. de Relig. lib. 2. de oratione cap. 10. quieti quam nonnullæ aues interdum in alta regione aëris retinent, vbi postquam ascenderunt, quasi suspensæ immobiliter in vno loco manent: ac tandem doctrinam hanc docent communiter omnes Theologi, vt videre est in Suarez libro 2. iam citato capite 9. & 10. & ideò sumpta hac parte propositionis in hoc sensu, adeò vera est, vt nullatenus possit ab aliquo viro mediocriter docto de ea dubitari.

Secundus verò eiusdem secundæ partis huius propositionis sensus est, quod in 36.
contemplatione illa supernaturali, quæ fit supra humanum modum, quæque ad donum intellectus valdè eleuatè operantem pertinet, iuxta ea, quæ diximus supra

numero

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
NVII
124

numero 3. non datur discursus aliquis, sed sola simplex, & nuda veritatis æternæ intuitio, & ideò debere eum, qui hunc contemplationis sublimem gradum impedire non vult, sed se ad illud debito modo disponere, debere, inquam, actus ratiocinatiuos, seu discursiuos relinquere, vt sic simplicem hanc veritatis æternæ intuitionem à Deo infusam sine impedimento recipere possit.

37. Quam doctrinam verissimam esse in dubium verti non potest: si enim contemplatio illa supernaturalis, quæ secundum humanum modum fit, cùm sit longè hac inferior, discursus imperfectionem secum concomitanter non admittit, quanto magis supernaturalis hæc contemplatio, quæ supra humanum modum est, atque adeò longè eleuatior imperfectionem hanc omnino excludet, ita scilicet, vt nullo modo ex vi sua discursiuos actus siue antecedenter, siue concomitanter exigat, sed modum operandi supra humanum modum, atque adeò non per discursum, sed ad modum Angelorum per modum simplicis intuitionis importet.

38. Vnde doctrinam hanc expresse docet D. Thom. in 3. dist. 34. quæst. 1. art. 2. in corpore his verbis: *Quod autem spiritualia quasi nuda veritate capiantur, supra humanum modum est, & hoc facit donum intellectus, qui de auditis per fidem mentem illustrat, vt dicit Gregorius*, vbi particula illa *quasi nuda veritate*, ad propositum perpendenda est, sed clariùs id ipsum expressit Sanctus Doctor in eodem 3. distinct. 35. quæst. 2. art. 2. quæstiuncula 1. in corpore, vbi sic loquitur: *Si aliqua sunt, quæ statim sine discursu rationis apprehendantur, horum non dicitur esse ratio, sed intellectus, sicut principia prima, quæ quisque statim probat audita. sicut autem mens humana in essentiã rei non ingreditur nisi per accidentia, ita etiam spiritualia non ingreditur nisi per corporalia, & sensibilium similitudines, vt Dionysius dicit. Vnde fides, quæ spiritualia in speculo, & ænigmate quasi inuoluta tenere facit, humano modo mentem perficit. & ideò virtus est, sed si supernaturali lumine mens in tantum eleuetur, vt ad ipsa spiritualia aspicienda introducatur, hoc supra humanum modum est. & hoc facit intellectus donum, quod de auditis mentem illustrat, vt ad modum primorum principiorum statim audita probentur, & ideò intellectus donum est.* Quibus verbis nihil ad propositum nostrum expressius & efficacius dici potuit, quod etiam à fortiori conuincitur, ex his, quæ numero præcedenti circa contemplationem, quæ secundum humanum modum fit, diximus.

39. Vnde in quouis sensu intelligatur prædicta propositio Mystici N. Doctoris, nempè siue intelligatur de contemplatione supernaturali, quæ fit secundum humanum modum, siue de alia eleuatione, quæ humanum modum excedit, verissimam, & indubitatam doctrinam de denudatione actuum discursus, siue ratiocinationis continet, vt mirum sit potuisse aliquem Theologum hoc in dubium reuocare. Et quamuis ex testimonijs adductis satis superque id ipsum probatum maneat, aliqua tamen alia subiungemus, in quibus eadem doctrina, & loquendi modus expresè continetur.

§. VI.

Pluribus Sanctæ Matris nostræ THERESIÆ, & aliorum Doctorum testimonijs eadem doctrina comprobatur.

Hanc

HANC ergo doctrinam, sæpissimè docet S. Mater nostra THERESIA, præcipuè verò cap. 10. suæ vitæ, vbi de hac contemplatione sic loquitur: *Voluntas quippe amat, memoria propè amissa esse videtur, intellectus (quantum mihi videtur) non discurrit, non tamen amittitur: sed vt dico non operatur, at est velut consternatus præ multitudine eorum quæ intelligit: vult enim Deus eum nosse se nihil eorum, quæ Maiestas ipsius ei repræsentat, intelligere,* circa quem locum marginalem quandam notam sapientissimus Magister Luisius Legionensis apponit his verbis: *Dicit intellectum non operari, quia vt dixit, non discurrit ab vna re ad aliam, nec aliquas considerationes elicit; quod boni ei obiecti magnitudo, tunc eum totum occupet: reipsa tamen & realiter operatur quod oculos in id, quod ei repræsentatur coniiciat, & cognoscat se id, quomodo sit intelligere non posse. Cum ergo ait intellectum non operari, significare vult, eum non discurrere, sed velut consternatum manere, præ multitudine eorū quæ intelligit, id est, præ magnitudine obiecti quod videt: non quod multa de eo intelligat, sed tantum, quia id tam magnum in se esse videt, vt penitus id intelligere non possit.* 40.

Idem expresè docet eadem Sancta THERESIA Mansione 4. cap. 3. vbi sic loquitur: *Quod autem conuenientius ac potius facere posse ac debere putem animam illam, quam in hanc mansionem Dominus introducere est dignatus, est hoc quod dixi; adhæc vt sine vlla violentia ac strepitu discursum intellectus constringere, ac velut colligare procuret, non tamen eum suspendere, vti nec cogitationem: quanquam bonum est, meminerit se in Dei præsentia & conspectu agere, & quis sit iste Deus, si vero illud ipsum quod in se sentit, ipsam absorbeat & inebriet, per me licet; sed intelligere is nolit quid sit, quia id voluntati datum est sinat ergo eam frui eo quod habet, sine eo quod ad hoc vllam adhibuerit industriam, sed tantum verba aliquot amorosa proferat &c.* Et in libro viæ perfectionis cap. 25. sic loquitur: *In contemplatione perfecta, magnitudo quoque illius loquitur, ei intellectum eius eleuando, cogitationem velut colligando. & verbum ei de ore (vt vulgo dicitur) rapiendo ita vt tametsi hic velit loqui plane nō valeat nisi summa cum difficultate, sentit itaque se à diuino hoc Magistro, sine vllo verborum strepitu tum edoceri potentias animæ eleuando, tunc quippe si operarentur, plus obessent quam prodessent, &c.* Et statim subiungit: *Hæc perfecta contemplatio est, carissima: iam vero intelligetis, ecquæ sit inter eam & mentalem orationem differentia: hæc namque in eo sita est, (sicut iam supra dixi) vt cogitemus & intelligamus quid & quocum loquamur, & quinam ipsi simus, qui cum tam magno & potenti Domino loqui audeamus. Hos & alia id genus cogitare oratio mentalis est; orationem vero Dominicam, & Salutationem Angelicam, aut aliud quodcumque legere oratio vocalis est. In duabus his rebus aliquid quidem cum Dei gratia, ipsæ per nos possumus: sed in contemplatione, de qua modo loquebar, nihil omnino. Maiestas illius est, quæ omnia peragit, & illius hoc est opus, naturam nostram longe transcendens. &c.* 41.

Vnde capite 15. suæ vitæ reprobat pro tempore huius contemplationis actus discursiuos sic asserens: *Sciat, nihil tunc apud Deum per violentiam & magnam corporis contentionem obtineri: hæc quippe sunt velut vasta quædam signa temere congesta ad scintillam hanc exstinguendam. Ipsa igitur hoc intelligat & cum humilitate dicat: Domine quid ego hic facere possum? & de intellectu non magnopere laboret, quod is vexator sit & importunus, &c.* & cap. 12. suæ vitæ sic de hac contemplatione loquitur: *In Theologia Mystica, de qua ante loqui cœperam, suam intellectus operationem amittit, quia Deus ipsum suspendit, vti postea latius ostendam. Præsumere porro, aut cogitare, posse nos per nos intellectum nostrum suspendere, plane nos, vt dico, non oportet; vti nec operationem eius omittere, hoc quippe si fecerimus, instar statuarum insensibiles,* 42.

B.
Joannis
à Cruce

Opera
Mystica
NVII
124

stupidi, & frigidi manebimus, & nec vnum, nec alterum faciemus. At cum Deus Opt. Max. intellectum suspendit & sistit, ei admirandi, & in qua se interim occupet materiam dat; & efficit vt, etiam sine mentis discursu breuissimo tempore, plus intelligat, quam nos omni nostra terrena diligentia & studio adhibito; plurimis annis possimus comprehendere, &c.

43. Circa quem locum citatus Magister Luisius Legionensis in Marginali nota, sic inquit: *Verùm Deũ suspendere cogitationẽ vel intellectum, de quo loquitur Sancta Mater, quodque mysticam Theologiam vocat, nihil est aliud quam simul illi repræsentare plures res supernaturales, & diuinas, magnamque luminis copiam ei infundere, vt simplici quodam intuitu & sine vllo discursu, sine consideratione & labore eas videat: idque tanta vehementia, vt alij rei cupiam attendere aut inde diuertere se nequeat. Nec in solo visu & admiratione res hæc terminatur, sed lumen etiam quoddam ad voluntatem deriuatur, & ignis quidam in ea nascitur, qui eam amore succendit: adeò, vt qui hoc patitur, eo quo patitur tempore, intellectum habeat fixum in eo, quod videt, & hoc ipso obstupentem voluntatem amore eiusdem æstuantem, & memoriam penitus otiosam: Animamque præsenti fruitione occupata, aliam memoriam nõ admittit. Hanc ergo eleuationem, vel suspensionem, ait esse supernaturalem, scilicet animam nostram in ea magis propriè pati, quam agere: dicetque neminem præsumere debere, vt animam eo modo sustollat, antequam à Deo sustollatur: primo, quod id nostram omnem industriam excedat, vnde incassum erit. Secũdo quia id ex humilitatis defectu fiet.* Plura alia testimonia cœlestis nostræ Magistræ adducere possemus, in quibus eandem tradit doctrinam, quæ tamen prolixitatis euitandæ gratia, & quia ea, quæ retulimus satis superque intentum nostrum probant, omittimus.

44. Id ipsum optima comparatione explicuit sæpe citatus Antistes Frater Bartholomæus à Martyribus 2. parte compendij cap. 13. §. 3. his verbis: *Cùm ergo ardenter amantes, Deum intimè sentiant, vt dictum est, merito Deum videre dicendi sunt, similes namque fiunt paruulo matrem amplexanti, vbera sugenti, qui plerumque nil videt, aut audit, aut saltem se videre, & audire non iudicat, experimentali solum delectatione, & lætitia occupatus: qui est affectualis cognitio Theologorum Mysticorum delitijs affluentium super dilectum suum,* &c cap. 12. circa finem, sic inquit: *Oratio est eleuatio mentis in Deum, ergo perfecta oratio perfecta erit eleuatio, hæc autem non fit nisi amoris, ac desiderij vehementia, licet orans non intelligat se tunc aliquid postulare. Vnde Beatus Antonius dicebat eum, qui perfectè orat non intelligere se aliquid petere, non enim orans supra se reflectitur, non componit, aut diuidit, sed puro simplicique amoris actu soporatur cum Propheta dicẽs, in pace in id ipsum dormiam, & requiescam. Et hæc est plena pax, & summa huius vitæ felicitatis, quæ omnem sensum exuperat,* &c. Et cap. 12. eiusdem compendij discursiuos actus à contemplatione excludit, eam ex hoc à meditatione distinguens, his verbis: *Meditatio, cum sit certa veritatis inquisitiua, laborat cum fructu, contemplatio circumuolat sine labore, cum fructu tamẽ maximo: non enim moratur in inquisitione, sed in admiratione; meditatio si debitè fit, transit in cõtemplationem, facta namque sedula veritatis inquisitione, denudatis insuper vehementi studio, rerũ quidditatibus ab omnibus accidẽtibus, & circumstantijs generatur ex ea assiduitate quidam habitus, purificatur lumen intelligentiæ, tantoque fit acutius diuinis spectaculis inspiciendis, quãto à sensibilibus est liberius: contẽplans enim, vt dicit Augustinus de Trinitate, similis fit homini in excelsi montis cacumine residenti, quo nec nubes, nec venti attingunt, ideo ibi liberius oculos potest circumagere, & ad serenum solis iubar extẽdere, ob cæli puritatem, & tranquillitatem Religionis, ita quamdiu menti licitum est in arce intelligentiæ suæ*

de

de lapsu ad inferiora morari, libero intuitu poterit diuinas perfectiones contemplari &c. Et paucis interpositis subiungit: *Contemplatores ergo viri habitant in regione æternitatis, & perspicuitatis, positi namque sunt extra omnem fluctuationem, & desideriorum confusionem infinitam, & in auram quandam libertatis serenam euolantes assurgunt, quorum vita non minus differt à reliquorum hominum vita, quam ipsi homines à pecoribus, &c.*

Eandem doctrinam tradit noster Hieronymus à Matre Dei, alias Gratianus, in annotationibus ad cap. 6. libri S. Matris nostræ THERESIÆ, qui inscribitur *Conceptus amoris diuini*, super Cantica, in illo ergo loco, sic inquit prædictus auctor. *Quamuis videatur animam non operari, dum in ista diuina inebriatione constituta est, nunquam sanè in rebus maioris momenti occupatur quam eo tempore. Tametsi enim sensus exteriores, imaginatio, & appetitus sint velut somno oppressi, & otiosi; at intellectus & voluntas sunt in eminenti operatione detenti. Intellectus siquidem occupatur in intelligendo Deum, & attente auscultat quid ibidem ei Deus loquatur, & diuinum lumen recipit, ac intelligit ordinem charitatis, quem ei eo puncto temporis ostendit. Verum quidem est, non operatur cum discursu, nec meditatione, inquirendo seu deducendo vnam rationem ex altera, sed persistit cum attentione intelligendo. Et hac est ratio cur nonnunquam B. Mater Theresia, & aliæ personæ spirituales asserant, intellectum velut colligari, nec eum tunc temporis operari: dicere volunt, non discurrere, nec meditari nec operari vti aliæ operari consueuit, non secus ac quando quis ingrediens cubiculum alicuius Pictoris, in quo sunt diuersæ, ac præstantes picturæ, de vna vadit ad aliam, suum proferens sensum de vnaquaque illarum; at vbi in excellentem aliquam incidit imaginem, hæret animo si spensus contemplando eandem, nec vltra os aperire valet ad eam extollendā licet eam aspiciendo demiretur: voluntas amat quidem at in solo Dei amore hærens, &c.* Et statim subiungit: *Aptius sane exemplum pro hac re non inuenitur quam infantuli obdormientis, cui Mater impomit vber in os: vere enim sugit, trahit & deglutit lac, tametsi ex eo quod dormiat, nescit quonam id modo fiat, &c.* 45.

Denique cæteri omnes Sancti Patres, & Doctores, quorum testimonia suprà adduximus asserentium debere reperiri in hac sublimi contemplatione corporearum imaginum denudationem, eisdem in locis asserunt, debere etiam reperiri denudationem ratiocinationis, seu actuum discurrendi, & in sola, & quieta veritatis æternæ intuitione, & contemplatione debere mentem permanere, vnde ab alijs testimonijs pro hac re referendis prolixitatis euitandæ gratia abstinebimus. 46.

§. VII.

Tacita quædam obiectio præcluditur.

NEQVE ex hoc quod ab huiusmodi contemplatione actus discursiui excludantur, excluditur memoria, & attenta consideratio humanitatis Christi aliorumque mysteriorum eius, vt passionis, mortis &c. Hæc namque memoria sine discursu potest in sublimi contemplatione optimè haberi, vt expresè docet Sancta Mater nostra THERESIA cap. 7. Mansionis sextæ, vbi sic loquitur: *Iam nouistis, aliud esse per intellectum discurrere, aliud vero, memoriam intellectui quid repræsentare. Meditationem esse censeo, per intellectum circa rem aliquam discurrere hoc modo. Incepimus cogitare gratiam, quam Deus OPT. MAX. nobis tam fecit, cum Filium suum vnigenitum nobis dedit, neque in hac sistimus, sed vlterius pertransimus. Et est hoc mirabile & valde meritorium* 47.

B. Joannis à Cruce

Opera Mystica

NVII

129

orationis genus. Et est hæc oratio quam dico merito illas dicturas se tenere non posse, quas ad res supernaturales Dominus euexerit & ad perfectã contemplationẽ; at sine causa dicẽt se in hisce mysteriis diu manere, eaque sæpius ob oculos & in memoria habere non posse, ac præsertim cum Ecclesia Catholica eadem recolit. Neque vllatenus fieri potest, vt anima, quæ tam multa à Deo accepit tam præclara amoris indicia memoria sua excidere patiatur: sunt quippe velut vinæ quædam scintillæ ad amorem, quo Dominum suum prosequitur, magis in ipsa accendendum: nisi quod seipsa non intelligat. Hæc namque mysteria modo quodam perfectiore intelligit, cum intellectus eadem ipse vnus repræsentet, itaque hæc eius memoriæ insculpta maneant, vt vel vnica Domini in horto prostrati, & sanguineum sudorem exsudantis aspectus & consideratio, nimis quam satis sit ad illam, non ad vnam solum horam, sed ad multos quoque dies absorptam detinendam. Illico voluntas hoc accurrit, licet nõ cum illa sensibili teneritudine, vt pro tam singulari benignitate ei, vel in aliquo seruiat, & pro eo vicissim pœnosum quid pati desideret, qui tam multa, tamque atrocia pro ipsa pertulit, & alia eiusmodi, in quibus & memoria, & intellectus occupatur. Et hoc in causa esse credo cur vlterius insuper passione discurrendo progredi nequeat; hoc quoque eam credere facit, quod de illa cogitare & meditari prorsus nequeat. Et si quidem de ea non cogitet, certe bonum est cogitare procurrit: scio namque, id per quantumcumq; sublimem orationis modum, minime impediendum; nec possum dicere, bene eũ agere, quod frequenter in ea recolenda sese non exerceat. Si forte Dominus eam exinde suspendat, per me licet suspendat; nam quamlibet ipsa nolit faciet ut eã relinquere id in quo defixa erat. Et hũc procedendi modũ, nullatenus aliquod impedimentũ, verũ insigne ad omnia bona genera adiumentũ esse, mihi certissime persuadeo. Quod sane non esset, si se in discurrẽdo, (vt iniuria dicẽdi) multum fatigaret, at quisquis iam ad maiora peruenit, penitus id facere (vt quidem puto) non poterit, &c. Quibus in verbis expresè docet, quonam pacto sine actibus discursiuis, memoria, & consideratio Mysteriorum humanitatis Christi Domini in contemplatione perfecta reperiri possit. Vnde ex eo, quod Mysticus noster Doctor denudationem discursuum pro tempore huius contemplationis suadeat, nequaquam hanc memoriam reijciendam esse docet, vtpotè cum hac sublimi contemplatione compatibilem, sed circa hoc regula supra num. 28. 29. & 30. ex ipsomet, & ex alijs Doctoribus Mysticis relata, seruanda est.

§. VIII.

Animaduersio notatu digna pro debita tradita doctrina intelligentia.

48. ILLVD solum obseruare in præsenti oportet, doctrinam hanc de denudatione actuum discurrendi, ac meditandi, sicuti & illam, quæ de denudatione imaginum agit, debere intelligi solum pro tempore huius contemplationis, nam pro alijs temporibus semper debet quis quantumuis perfectus sit in bonis, & sanctis cogitationibus, ac meditationibus actibusq; virtutũ, præcipuè verò in Christi Domini meditatione exerceri, vt expresè docet Mysticus noster Doctor in testimonijs supra num. 32. adductis, & in alijs multis, quæ adducere possemus.

49. Vnde fit, vt prædicta denudatio pro paruo tempore reperiri debeat, eo quod prædicta sublimis cõtemplatio non multum, sed parum possit connaturaliter, & de legi-

lege ordinaria durare, vt docuit Cassianus collat. 1. quæ est Abbatis Moysis cap. 13. ibi: *Inhærere Deo quidem iugiter, & contemplationi eius, quemadmodum dicitis, inseparabiliter copulari, impossibile est homini istius carnis fragilitate circundato, &c.* Et collatione 23. quæ est Abbatis Theone cap. 5. sic inquit: *Quis enim vnquam, quamtis præcipuus omnium iustorum, atq; Sanctorum huius corporis vinculis colligatus, summum hoc bonum, ita possidere potuisse credendus est, vt nunquam à diuina contemplatione discedens, nec paruo quidem tempore ab eo, qui solus bonus est, terrenis cogitationibus putetur abstractus, qui nunquam vllam cibi, vllam indumenti aliarumue carnalium rerum gesserit curam, numquam de fratrum susceptione, de loci commutatione, de cellulæ structione solicitus, aut operam aliquam humani concupierit adiumenti, aut impiæ sterilitate vexatus illam sententiam Dominicæ increpationis incurrerit: ne soliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, nec corpori vestro quid induamini. Deniq; ipsum illum Apostolum Paulum, qui omnium Sanctorum laborem, passionum numerositate transcenderat, nequaquam hoc impleri potuisse confidenter adstruimus, ipso in Actibus Apostolorum discipulis attestante: ipsi scitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ, vel cum Thessalonicensibus scribens in labore, & fatigatione, nocte, & die operatum se fuisse testatur, quibus laboribus licet magna eidem meritorum stipendia pararentur, tamen mens eius quamuis sancta, atque sublimis, non poterat non ad illa cœlesti Theoria intentissime terrena operis aliquando diuelli, &c.*

Quod etiam docuit Diuus Gregorius lib. 5. mor. cap. 23. dicens: *Nec enim in suauitate contemplationis intimè diu mens figitur, quia ad semetipsum immensitate lucis reuerberatæ reuocatur. Cumque internam dulcedinem degustat amore æstuat, ire super semetipsam nititur, sed ad infirmitatu suæ tenebras s. acta relabitur, & magna virtute proficiens, videt quia videre non potest hoc, quod ardenter diligit, nec tam ardenter diligeret, nisi aliquatenus videret, non ergo stat, sed transit spiritus, quia supernam lucem nostra nobis contemplatio, & inhiantibus aperit, & mox infirmantibus abscondit.* 50. Qua de causa Diuus Augustinus lib. 7. confessionum. cap. 17. sic cum Deo loquens inquit: *Rapiebar à te decore tuo, moxque diripiebar abs te pondere meo, & ruebam in ista cum gemitu, & pondus hoc consuetudo carnalis, &c.* Idemque lib. 10. confessio. c. 40. reperit, de qua etiã sublimi contemplatione loquens D. Bernard. libro de amore Dei, c. 4. inquit: *Hic est finis, hæc est consummatio, hæc est perfectio, hæc est pax, hoc est gaudiũ diuinum, hoc est gaudium in Spiritu Sancto, hoc est silentium in cœlo, quamdiu quippe sumus in hac vita, hoc fœlicissimæ pacis silentio in cœlo, id est, in animatusti, quæ sedes est sapientiæ, aliquando fruitur affectus, sed hora est dimidia, vel quasi dimidia, intentio vero de reliquis cogitationibus diem festum aget tibi perpetuum, &c.* Egregie etiam Ricardus de præparatione ad contemplationem cap. 76. explicans illud Ptalm. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius?* ita ait: *Rarum valde in hunc montem ascendere, sed multo rarius in eius vertice stare, & ibi moram facere, rarissimum autem ibi habitare, & in monte requiescere.* Consonat Sancta Mater Nostra THERESIA cap. 18. suæ vitæ, vbi sic inquit: *Notandum autem est, quantumlibet diu anima in hac omnium potentiarum suspensione agat, illud tamen tempus, meo iudicio, nimis quam breue esse, & si hæc suspensio ad semihoram duret, multum id esse; imo vt mihi videtur, non tam diu quidem vnquam illa mihi durauit, &c.* Sed circa hoc videri potest noster Thomas à Iesu lib. 1. de contemplatione cap. 10. vbi de eo ex professo agit.

Cæterum quomodo hæc breuis mora contemplationis intelligenda sit, optimè explicuit D. Thom. 2. 2. quæst. 181. art. 8. vbi postquam in corpore articuli docuerat, 51.

B.
Joannis
à Cruce

Opera
Mystica
NVI
142

vitam contemplatiuam non solum secundum suam naturam, sed etiam quoad nos diuturnam esse, eò quod competit nobis secundum actionem incorruptibilis partis animæ, scilicet secundum intellectum, & etiam quia in operibus contemplationis corporaliter non laboramus, postea in solutione ad secundum argumentum, in quo authoritates Augustini, & Gregorij supra à nobis adductas breuitatem contemplationis statuentes sibi obiecerat, sic respondet: *Ad secundum dicendum, quod nullus actus potest diu durare in sui summo, summum autem contemplationis est, vt attingat ad vniformitatem diuinæ contemplationis, vt dicit Dionysius, sicut supra positum est, vnde & si quantum ad hoc contemplatio diu durare non possit, tamen quantum ad alios contemplationis actus potest diu durare.* In quo testimonio optimè quomodo hæc diuturnitas vitæ contemplatiuæ secundum alios minùs perfectos actus simul cum breuitate ipsius contemplationis, secundum eius perfectissimum, & vniformem actum, cohærere possit explicat, de quo etiam agit noster Ioannes à Iesu Maria in schola orationis tractatu, 8. dub. 15. Suarez lib. 2. de Relig. cap. 10. & alij.

52. Ex hac ergo doctrina demonstratum manet, denudationem illam, tam à formis imaginarijs, quam ab actibus discursiuis, de qua Mysticus noster Doctor agit eá studens, non esse intelligendam pro omni tempore, imò nec pro longo tempore etiam in his, qui ad sublimis contemplationis statum deuenêre, sed solum pro illo breui tempore, pro quo talis contemplatio vniformis, & perfecta durat; in alijs verò temporibus debere vnumquemque quantumuis perfectum formis imaginarijs rerum vtili, necnon & actibus discursiuis circa illas vti, vt satis ex ipsiusmet IOANNIS nostri testimonijs supra n. 32. ostendimus, & infra etiã c. 4. sequẽti n. 8. & 9. ostendemus, & ideò quoad hanc etiã partem huius propositionis doctrina omnino vera, & Sanctorũ Patrum, & illustrium Doctorum testimonio conformis est, & ita nullus Illuminatorum error ei adscribi potest, nisi etiam cõmuni Sanctor. Patrũ doctrinæ adscribatur, quin potius prædictis erroribus manifestè, & expresse Mysticus noster Doctor in testimonij eius iam citatis contradicit. Et hæc de secunda parte huius propositionis.

§. IX.

Tertia propositionis pars elucidatur, & Sanctorum Patrum testimonijs corroboratur.

53. TErtia denique pars eiusdem propositionis statuens signum, quod contemplationis studiosus debet in se agnoscere ad hoc, vt prædictam denudationem, de qua huc vsq; locuti sumus, faciat, quòd scilicet in actibus discursiuis, & in operatione imaginationis, in quibus antea se exercebat, nequaquam voluptatem iam sicut antea, sed potiùs tædium, & fastidium capiat, imò nec iam huiusmodi actus exercere possit, sed solum simplicem quandam, & quietam ad Deum attentionem amori diuino associatam appetat, hæc inquam pars verissima, & vtilissima est, ita vt rationabiliter de ea dubitari non posse videatur.

54. Vnde eandem prorsus Doctrinam, & eadem omnino signa ad idem propositum assignat sublimis ille Mysticus Doctor Ioannes Taulerus cap. 35. Institut. his verbis Cã-

Caterum, tria sunt ex quibus aduerti potest, quando iam dictæ imagines abdicandæ sint, ne, vel citius, quam oportet, repudientur, vel nimis diu eisdem inhæreatur. Primum est quando quidquid auditu percepimus, vel intellectu cum tedio respicimus. Secundum, quando quidquid audimus, vel intelligimus nulla nos delectatione afficit. Tertium, cum intra nos sitiem desideriumque summi boni illius, quod tamen apprehendere non valemus, magis, ac magis crescere sentimus, ita vt dicamus: Domine Deus meus, vltra iam procedere nequeo, orare meum est, annuere tuum. Hæc tria quisquis in se ipso deprehenderit, non solum poterit, sed & debebit eas de quibus prædiximus imagines sanctas, & operatione abiliter abdicare. Sed dicat aliquis, cui ergo spiritus inhæret, cunctis repudiatis imaginibus? Planè nulli omnino inhæret, sed totus ab omnibus nudus est. si enim alicui inniteretur, hoc ipsum imago foret: sponte ergo, amoris elegit suspendium, à quo nec absolui vnquam desiderat, nisi sum eum conditor absoluat. sicut & Iob sanctus ait, suspendium elegit anima mea, &c.

Eandem doctrinam expresse habet Sancta Mater nostra THERESIA cap. 7. Mansion. 6. vbi sic loquitur: *Sunt & quædam animæ (imo earum non pauca mecum de hoc ipso egerunt) quæ cum Domino dante semel ad perfectam Contemplationem pertigere, semper in ea manere vellent; quod tamen omnino non potest esse. Per hanc ergo diuinam gratiam ita affectæ manent, vt quemadmodum anteà solebant, deinceps nequeant de Passionis, ac vitæ D. Nostri Iesu Christi mysterijs meditari. Cuius rei quæ sit causa non video; hæc tamen ordinarie causa est, quod videlicet intellectus exinde minus ad meditationē habilis & idoneus maneat. Cuius inhabilitatis hanc esse causam mihi verisimile fit, quod, cum meditationis obiectum & finis alius non sit, quam vt Deus inuestigetur & quæratur, vbi is ergo iam semel inuentus erit, & anima per operationem voluntatis ad eundem denuo quærendum iam assuetudinem quandam parauit, vlterius se per intellectum defatigare nolit. &c.* Quibus verbis nihil clarius dici potuit ad propositum, idemque repetit sæpè toto illo capite, & cap. 25. viæ perfectionis, de hac eadem contemplatione perfecta loquens, inquit, quòd dum anima est in illa: *Tametsi hic velit, loqui planè non valeat, nisi summa cum difficultate: sentit itaque se à diuino hoc Magistro, sine vllo verborum strepitu tum edoceri, potentias animæ eleuando; tunc quippe si operarentur, plus obessent quam prodessent &c.* 55.

Hanc eandem doctrinam docent plures alij Doctores, cuiusmodi sunt Beatus Thomas de Villanueua in Cant. fol. 124. Magister Luisius Legionensis in marginali nota supra relato numero ad cap. 12. vitæ Sanctæ matris nostræ THERESIÆ, Frater Basilius Legionens. in Defensorio sæpe citato, propositione 3. Aluarado tom. 1. artis bene viuendi lib. 2. cap. 41. art. 3. & plures alij. 56.

Tandem circa hanc etiam partem aduertimus, id ipsum intelligendum esse solum pro tempore contemplationis, nō autem pro alijs temporibus, vt ex testimonijs Mystici nostri Doctoris supra num. 32. adductis manifestè constat, per quod omnes errores hæreticorum, qui Illuminati dicuntur, manifestè excluſi, & damnati manent, nulloque pacto possunt etiam per leuem suspicionem huic doctrinæ Venerabilis nostri IOANNIS tales errores adscribi, nisi eodem modo communi Sanctorum Patrum, & aliorum illustrium Doctorum, quorum testimonia retulimus, doctrinæ (quod absit) adscribantur. 57.

CAP. IV.

B.
Joannis
à Cruce

Opera
Mystica
TVII
124

CAPVT IV.

QVARTA, ET PRÆCIPVA PROPOsitio elucidatur, Sanctorumque Patrum, ac illustrium Doctorum testimonijs comprobatur.

1. ACCEDAMVS iam ad quartam, & præcipuam propositionem, quam non in vno dumtaxat loco, sed in multis docet Mysticus noster Doctor, & ideo eius verba formalia non referemus, sed solum doctrinam, quàm sæpè repetit, quæque in ipso præcipuè notata est, proponemus. Asserit igitur sæpè Venerabilis noster IOANNES, quod in sublimi contemplatione, *anima non operatur ex se, cum suis potentijs, sed quod in illa Deus intelligentiam, & spiritualem saporem operatur, & quod ipsa passiuè se habet ad hanc intelligentiam à Deo recipiendam*, ita enim habet lib. 2. Ascensus Montis Carmeli cap. 15. & in eodem lib. cap. 31. & in lib. qui inscribitur, *Flamma Amoris viua*, Cant. 3. v. 3. §. 6. & 7. & alibi sæpe, qua etiam de causa huiusmodi contemplationem appellat, *otium, & rerum obliuionem*, vt videre est lib. 2. citato Ascens. Montis Carmeli cap. 14. & citato §. 6. & 7. in quo etiam loco asserit tunc *spiritum annihilari*, ac tandem eandem contemplationem appellat, *somnum, & ignorationem*, vt cernere licet citato capit. 14. libri secundi Ascensus Montis Carmeli, quibus & similibus locutionibus alijs etiam in locis vtitur.

Circa huius propositionis, & locutionum quæ in ea continentur elucidationem, vt cconsuetum ordinem seruemus prius verum, & legitimum earum sensum doctrinæ Catholicæ, ac Sacræ Theologiæ, in omnibus conformem, ex ipsiusmet Mystici nostri Doctoris, doctrina & testimoniis euidenter ostendemus, postea vero eandem propositionem, & locutiones non solum, quoad earum sensum, sed etiam quoad tenorem verborum, & quoad loquendi modum communi Sanctorum Patrum illustriumque Doctorum calculo comprobabimus.

§. I.

Erroneus Illuminatorum sensus à prædictis Mystici nostri Doctoris locutionibus, pluribus, & manifestis eiusdem testimoniis euidenter excluditur, & Catholicus eius sensus comprobatur.

2. INprimis igitur nullatenus in prædictis locutionibus intendit Mysticus noster Doctor in illa sublimi contemplatione dari cessationem ab omni actu intellectus, & voluntatis, nec ipsum intellectum & voluntatem taliter passiuè se habere, vt nihil vitaliter operetur, si enim ipsamet loca, quæ in hac propositione referuntur, & plura alia inspiciantur, euidenter constabit nunquam ipsum hæc asseruisse, sed potius omnino oppositum expresè docuisse.

Vnde

Vnde, vt ex eisdem locis, quæ in oppositum notantur, id manifestè demonstremus, in loco illo citato ex cap. 14. lib. 2. Ascens. Mont. Carm. sic loquitur: *Quamobrem hæc oratio breuissima apparet animæ, quia peracta est in intelligentia pura.* Et post pauca subiungit: *Quia Anima in quadam cœlesti intelligentia vnita est.* & paucis interpositis iterum dicit: *Vnde licet videatur anima in hac notitia constituta, nihil se prorsus facere, neq; se re aliqua esse occupatam, eo quod sensuum operatione non vtatur: credat tamen, nequaquam se tempus otiose transigere; quamuis enim potentiarum animæ harmonia cesset, ipsius tamen intelligentia ad eum se modum habet, sicuti exposuimus.* Et idcirco *sapiens sponsa, tacitæ suæ hac de re obiectioni respondet dicens: Quamuis dormiam ego secundum id quod naturaliter mihi competit, ab operatione desistendo; meum tamen cor vigilat supernaturaliter, ad nouum supernaturalem eleuatum, &c.* Ecce qualiter sæpè in hoc loco expressè repetit dari in hac sublimi contemplatione actum intelligendi supernaturalem; deinde in alio loco etiam in oppositum adducto, videlicet in capit. decimo quinto, eiusdem libri secundi, idipsum expressè declarat, sic inquiens: *In istis principiis, quando ex allatis indicijs, iam cognouerimus animam minimè quiete illa seu notitia occupatam esse, omnino discursu vti oportebit eam, donec acquirat habitum (de quo iam locuti sumus) aliquo modo perfectum: tunc autem erit habitus iste acquisitus, quando quotiescumq; meditari voluerint, confestim se sentiant in ista pacis notitia constitutos, absq; eo quod meditari possint, neq; voluntatem ad meditandum flectere.* Et post pauca subiungit: *Ita vt pluries sese inueniat anima in ista amorosa vel pacifica assistentia, nihil (vt declaratum est) potentijs operando: qua pacifica notitia obtenta non discurrit, nec laborat iam potentijs anima, tunc enim verius dici poterit, intelligentiam & suauitatem in ea quasi passiuè se habente, fieri seu produci, quam quod ipsamet aliquid operetur, sed solummodo vt attentam cum amore habeat ad Deum animam &c.* Et paulo inferius iterum sic subiungit: *Discat spiritualis cum amorosa ad Deum aduertentia, cum intellectus pace permanere dum meditari nequit, licet illi se otiosum esse videatur; hoc quippe modo sensim, & valde cito animæ suæ diuina requies & pax, cum admirandis & sublimibus Dei notitijs amori diuino muolutis, infundetur, &c.* In quibus testimonijs expressè docet dari in hac sublimi contemplatione notitiam, quæ actum intellectiuæ potentiæ denotat, quo actu deficiente ad alios discursiuos recurrendum esse statuit; atque adeo vitiosum illud otium, & quietem absque vllo potentiarum actu, prout ab hæreticis, qui Illuminati dicuntur statuitur, & exercetur, euidenter excludit. Quod etiam apertè declarat, dum asserit in prædicta contemplatione, in qua potentiarum operationes videtur excludere, dari amorosam assistentiam, necnon & attentionem ad Deum cum amore coniunctam, hæc enim omnia actus potentiarum, attentio videlicet actum intellectus, amor vero actum voluntatis manifestè constituunt: & ideo nec apparenter prædictum vitiosum otium adhuc ex vi eiusdem testimonij quod in oppositum adducitur, potest Mystico Doctori nostro imputari, cum potius ex eo euidenter excludatur & reprobetur. 3.

Deinde in alio etiam loco in oppositum adducto, scilicet capite trigesimo primo libri secundi Ascensus Montis Carmeli, id ipsum euidenter etiam docet, sic enim habet: *Quantum ad hæc verba attinet, nihil est quod agat anima, aut ex seipsa tunc velit, nec conetur, sed humilem se duntaxat, & resignatum illi exhibeat, liberum suum assensum Deo præbendo &c.* Ecce qualiter expressè statuit actum liberi consensus ab ipsa anima elicitum, atque adeo falsum illud Illuminatorum otium manifestè excludit. 4.

B.
Joannis
à Cruce

Opera
Mystica
NVI
124

5. Præterea in alio loco in oppositum etiam adducto, nempè libri inscripti, *Flamma amoris viua*, Cantic. tertio, §. sexto, & septimo, hanc eandem doctrinam expresse statuit, sic inquiens de statu sublimis, & quietæ, atque otiosæ contemplationis, in quo anima à Deo constitui solet. *Tunc autem debet etiam anima solius amorosa ad eum aduertentia seu attentioni intenta esse, nullos alios distinctos exprimendo producendoque actus, præter eos ad quos se sentit ab eo stimulari & inclinari, veluti passiue se dumtaxat gerendo, nullamque ex se adhibendo industriam; sed cum amorosa, simplici, sinceraque manendo aduertentia, illius instar, quæ cum aduertentia & attentione amoris aperit oculos. Nam cum Deus tunc tractet cum anima quantum ad dandi modum spectat) per notitiam sinceram & amorosam; debet etiam anima agere cum eo, quantum ad receptionis modum attinet, per notitiam sinceram & amorosam; vt hoc pacto notitia cum notitia, & amor cum amore connectatur &c.*

Ecce qualiter in illo otio notitiam ab intellectu contemplantis elicitam, necnon, & attentionem, seu aduertentiam, quæ in actu intellectus consistit, insuperque actum amoris à voluntate elicitum expresse statuit, eoque ipso falsam illam otiositatem, actuumque omnium suspensionem, quam hæretici docent, expresse exclu-
6. dit.

Insuper in eodem lib. Cant. 1. vers. 1. loquens de sublimi illo statu transformationis in Deum, sic inquit: *Vnde in hoc actuali statu nequit anima istos producere actus, nisi à Spiritu sancto peculiarissime moueatur; quamobrem etiam cuncti ipsius actus, in quantum hoc singulari modo à Deo excitantur, sunt diuini. Vnde etiam quotiescumque flammescit ista flamma, facit illam cum suauitate ac temperamento diuino amare; vitam sibi sempiternam, quæ tam ad diuinam eleuat operationem, conferri arbitratur.*

In quo testimonio euidenter constituit actus elicitos ab ipsa anima in illo sublimi statu actualis contemplationis, & transformationis in Deum, eosdemque actus asserit esse summè meritorios, quæ omnia Illuminatorum erroribus directè aduer-
7. santur, & ideò tantum abest, vt cum eis doctrina hæc aliquatenus consentiat, vt potius sit eis omnino opposita.

Sed ibi de hac re optimè, & clarissimè, ac simul tanquam Mysticus, Scholasticus Doctor locutus fuit & in eodem Cant. 1. vers. 3. sic inquiens: *Et quoniam anima naturaliter industriaque sua nihil absque corporei sensus interuentu & ope valet operari, à quo tamen in præsenti casu liberrima est & remotissima; hinc est, vt vniuersa ipsius occupatio nihil aliud sit, quam à Deo dumtaxat recipere, qui solus in fundo seu centro animæ, absque sensuum adiumento eam mouere, in eaque operari potest; quare vniuersi huiusmodi animæ motus diuini sunt; & quamuis à Deo*
8. *proueniant, etiam ipsius animæ sunt; efficit siquidem eos Deus in illa cum illa ascensum voluntatemque suam præbente &c.*

Tandem aliud testimonium ex lib. 2. Ascens. Montis Carmeli cap. 13. vbi id ipsum expresse explicuit adducemus, ibi enim constituens signa, quæ quis in se ipso reperire debet, vt actus discursiuos relinquat, & ad hanc sublimem contemplationem perueniat, sic inquit: *Tertium signum, idque magis certum est, quando libet animæ solam manere, cum attentione ad Deum amorosa absque alia particulari consideratione, in quadam interiori pace, quiete, ac requie, absque actibus & exercitatione saltem discursiua (quæ ex vno in aliud fertur) potentiæ*

tiarum, Memoriæ, scilicet Intellectus & Voluntatis: sed solum quod maneat cum notitia & aduertentia generali, & amorosa de qua locuti sumus, absque particulari intelligentia &c. Huius signi necessitatem post pauca assignans, sic subiungit: *Nec etiam satis est, primum & secundum indicium in se animaduertere, nisi simul videat & tertium. Quamuis enim cernat, non posse se discurrere, neque de rebus diuinis meditari, neque etiam libeat illi de alijs diuersis rebus cogitare; posset hoc ex Melancholia promanare, vel aliquo deprauato humore, qui cerebrum corque occupat, quique solet producere in sensu suspensionem, & impletionem quandam, quæ efficiunt, vt nihil cogitet, nihil velit, nec libeat illi aliquid meditari, sed solum in illa sapidæ abalienation ecupiat permanere: Contra quæ omnia debet tertium habere indicium, videlicet notitiam & attentionem amorosam in pace & tranquillitate interna, sicuti diximus, &c.* 9.

Et postea cap. 14. sequenti eiusdem signi necessitatem iterum assignans sic ait: *Veruntamen adducemus nunc vnam solum rationem, qua manifeste demonstremus, quo modo in euentu quo Contemplatiuo prætermittenda sit meditationis via, necessarium illi sit, hoc aduertentiæ amorosæ, ac generalis Dei notitiæ indicium. Est autem hæc ratio, quia si anima tunc temporis, ista notitia vel in Deum assistentia destitueretur, sequeretur nihil illam tunc agere aut habere, & necessario illi vniuersum circa Deum exercitium deesset, cum anima nulla ratione possit operari, nec aliquid in se recipere, nec in eo ad quod operando deuenit, perseuerare, nisi per ista duo potentiarum genera sensitiuarum nempe, & spiritualium; nam medijs sensitiuis potentijs, vt diximus potest illa discurrere, inuestigare, & notitias obiectorum producere; medijs autem spiritualibus potentijs, potest frui notitiarum, in istis potentijs iam receptarum, obiecto, sine eo quod amplius ipsa laborando inuestigando, vel discurrendo operentur. Et sic discrimen quod inter animæ exercitium per potentias sensitiuas, & eiusdem exercitium per potentias intellectiuas intercedit, idem est, quod inter operantem & fruentem opere iam perfecto; vel certe illud, quod est inter aliquid recipientem, vel fruentem rebus iam receptis; vel illud, quod est inter viæ laborem & requiem, quæ in viæ termino reperitur; denique veluti illud quod inter cibos præparantem, vel iam præparatos edentem & gustantem. Quod si anima in nullo istorum exercitiorum detineatur, hoc est, nec in meditatione, & discursu, potentiarum sensitiuarum operatione vtatur; nec in Contemplatione & notitia simplici, de qua iam dictum est, rebus iam receptis & operatione acquisitis fruatur, sed in vtrisque otiaretur & vacaret, non esset vnde vel quomodo posset duci occupata. Est ergo hæc notitia necessaria ad discursum & meditationem relinquendam &c.* 10

Quod testimonium ideo sic ad longum retulimus, quia in eo non solum sæpè, & expresè docet reperiri in illa contemplatione sublimi actus ab ipsa anima elicitos, sed etiam, quia expresè damnat suspensionem omnium actuum, & vitiosam illam otiositatem, quam hæretici constituunt, docetque, quod cessante huiusmodi actu simplicis, & amorosæ notitiæ, statim recurrendum est ad alios actus discursiuos, ne anima suspensa, & vitiose otiosa remaneat, ac tandem declarat optimè, in quonam sensu tunc anima ex se non operari dicatur. 11.

Plura alia testimonia ex libris Mystici nostri Doctoris desumere possemus ad id ipsum ostendendũ, sed ea, quæ adduximus, satis superq; ostendunt nullatenus eius do-

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
NVII
124

ctrinam aliquo modo suffragari erroribus Illuminatorum potentiarum omnimodam suspensionem, & omnium actuum carentiam, vitiosamque proinde otiositatem in contemplatione statuentes, imò potius errores hos euidenter excludere, & damnare in eisdem locis in quibus otium, & quietem contemplationis statuit. Vnde hactenus dumtaxat possent prædicti Illuminati Mystici nostri Doctoris aliqua testimonia in suorum errorum patrocinium adducere, quatenus eo modo quo Scripturæ testimonijs malè citatis abuntur; possunt etiam eius testimonijs abuti, captando, scilicet, aliqua verba hinc inde diuulsa, & ab antecedentibus, & subsequentibus separata, nullaque significationis, sed soni dumtaxat verbalis ratione habita, quod hæreticorum ingenium, & morem esse in referendis, tam Scripturis sacris, quam alijs testimonijs Sanctorum Patrum, & illustrium Doctorum, supra in prima parte huius Elucidationis capite tertio, fusè ostendimus, & ideò ex huiusmodi hæreticorum abusu nihil amplius contra hanc doctrinam, quam contra Scripturam sacram, Sanctorumque Patrum libros argui potest.

Cùm igitur ostensum sit, nullatenus Mysticum nostrum Doctorem in prædictis locutionibus fauere erroribus iam relatis Illuminatorum, sed potius illis aduersari, atque adeò in longe diuerso sensu otium, quietem, somnum, annihilationem, silentium, obliuionem, operationem cessationem, seu suspensionem, passiuum se habendi modum, similesque locutiones protulisse, superest modo, vt ex eiusdem doctrina, verum hunc, ac legitimum earum sensum declaremus, Sanctorumque Patrum, ac illustrium Doctorum auctoritate muniamus.

§. II.

Verus sensus prædictarum locutionum multipliciter declaratur.

12. EX multiplici itaque causa meritò Mysticus noster Doctor, & alij Sancti Patres, ac Doctores Catholici (quorum testimonia infra referemus) asserunt in hac actuali contemplatione operationes potentiarum cessare, atque adeò dari tunc otij, somnum, silentium, rerum obliuionem, quietem, spiritus annihilationem, à proprio vtique operandi modo, ac tandem animam tunc passiuè se habere. Primo scilicet, quia tunc intellectus, & voluntas non operantur modo sibi connaturali, nempè mediis actibus discursiuis, & imaginibus rerum corporearum, nec ex propria vestri industria, arte, & inquisitione, sed supernaturali modo, & spirituali Spiritus Sancti motione respectu cuius passiuè se habent, cum eam recipiunt. Quem sensum euidenter expressit Mysticus noster Doctor in testimonijs iam citatis, & alijs similibus in quibus dum asserit potentias non operari, sæpè addit particulam illam: *De suo, vel tanquam suum; vel de sua industria.* subiungitque operari, *modo diuino*, quod verissimum esse dubitari non potest, & hanc causam sufficientem esse ad hoc, vt prædictæ locutiones proferantur, docent (præter Sanctos Patres, quorum testimonia infra referemus) plures alij Doctores, qui hac de causa eas locutiones approbant. Vnde citatus Antistes Frater Bartholomæus à Martyribus 2. parte compendij cap. 11. §. 2. hanc causam assignãs, sic inquit: *Et quamuis hac feruens dilectio elicitur à voluntate, dicitur*

dicitur tamen passiua, quia ad illam non excitat voluntas se ipsam, velut ad primam, sed immediatè excitatur à Deo fortiter, &c. Et cap 13. §. 3. de ijs, qui huiusmodi contemplatione afficiuntur, sermonem instituens sic habet: *Similes namque fiunt paruulo matrem amplexanti, vbera sugenti, qui plerumq; nihil videt, aut audit, aut saltim se videre, & audire non iudicat, experimentali solum delectatione, & lætitia occupatus, par est affectualis cognitio Theologorum Mysticorum delitijs affluentium super dilectum suum, &c.*

Eandem causam assignant, & approbant, pro vsu prædictarum locutionum Gerson tractatu de Dilucidatione Mysticæ Theologiæ, consideratione 11. Suarez tomo 2. de Religion. lib. 2. de oratione cap. 12. specialiter num. 18. ibi: *Est ergo vitalis illa passio, vnde non est sine intellectus, vel voluntatis efficientia, denominatur autem potius passio, quam actio, quia principalis motor, ibi est Spiritus Sanctus, qui animam tum agit per specialissimum auxilium internum, per dona sua, & non tantum per ordinarium modum operandi virtutibus accommodatum.* Docent etiam Venerabilis ille vir Pater Balthasar Aluarez, vt in eius vita refert Pater Ludouicus de la Puente cap. 14. §. 1. noster Ioannes à Iesu Maria de Mystica Theolog. cap. 7. noster Thomas à IESV lib. 5. de contemplatione cap. 13. noster Hieronymus à Matre Dei in annotationibus ad cap. 6. libri Sanctæ Matris nostræ THERESIÆ, qui inscribitur *Conceptus amoris diuini*, quem super Cantic. scripsit. Pater Antonius Sucquet de via vitæ æternæ lib. 3. cap. 16. de contemplatione. Arias in lib. de profectu spirituali tractatu 5. de oratione mentali cap. 19. Molina Carthus. tractatu 2. de oratione cap. 7. Magister Ludouicus Legion. in annotatione marginali ad cap. 22. vitæ Sanctæ Matris nostræ THERESIÆ, noster Didacus à IESV, in annotationibus ad librum Mystici nostri Doctoris, discursu primo, phrasi secunda & quarta, Magister Basilius Legionensis in Defensorio iam citato, propositione tertia, Albarado tomo primo, artis bene viuendi libro secundo, capit. 39. num. 14. & plures alij. 13.

Secunda vero ratio ob quam Venerabilis noster IOANNES, aliiq; Doctores Mystici, necnon & Sancti Patres infra referendi, merito prædictis locutionibus vsi fuere, est quia illud solum operari videtur anima, quod operatur cum difficultate, vel labore, & quia in sublimi hac contemplatione sine labore, & difficultate, sed potius cum summa suauitate & delectatione mens operatur: ideo merito tunc nihil agere dicitur, sed potius à Deo suauitatem illam, ac dulcedinem recipere & pati. 14.

Sensum hunc declarauit D. Augustinus libr. de quantitate animæ cap. 33. ibi: *Fieri potest vt hæc omnia simul agat anima, sed id solum sibi agere videtur, quod agit cum difficultate, aut agit cum timore, &c.* Quod etiam optime explicuit noster Ioannes à IESV Maria c. 6. Mysticæ Theologiæ sic inquiens. Asserendum, non prorsus deficere potentiarum actus in ea caligine diuina, sed esse actus adeo tranquillos, & suaues, vt cũ alijs incitatis actibus, quos paulo antea hæ potentiæ proferebant comparati, eandẽ proportionem habere videantur, quam elatus sermo habet, cum voce valde summissa, qua si quis vtatur iuxta cœnobiticam disciplinam, silentium dicitur obseruare, quæ sanè responsio captu facilis est, quippe tunc Deus animæ amantissimè blandiens, tam cœlesti suauitate eam ad intelligendum, & amandum permouet, vt ipsa non se agere, sed suauissimè duci, & quasi erumpentes vltro à potentijs actus nõ tam 15.

B.
Joannis
à Cruce

Opera
Mystica
TOM II
124

producere, quam pati videatur, & hæc fortasse est illa insignium Heroum passio, quam Hieroteus sustinebat: qui doctus fuisse asseritur non solum dicens, siue sciens, verum & patiens diuina, & iuxta hunc dicendi modum responderi debet eas potentias diuinam caliginem ingressas, non ita silere, vt nihil omnino agant, sed intellectum altissima, & tranquillissima contemplatione, voluntatem suauissima fruitione pasci, at hæc in vnione Mystica tam sedate tranquilleque fieri, vt potentiæ silere, hoc est tam suaui Dei intus agentis actione fieri videantur, ac si prorsus nihil agerent, sed ab alio productos actus tantummodo reciperent.

16. Eundem sensum declarauit noster Thomas à IESV, lib. 5. de contemplatione capite 13. ibi: *Stabiliendum est in hac Mystica, ac supereminentissima anima cum Deo vnione, vt simul Dei altissimam cognitionem siue contemplationem quæ licet non ab omnibus, qui diuina patiuntur, sentiatur, tum propter vehementem amorem, & declarationem, quæ illam supereminentem animæ cum Deo vnionem, & amplexum comitantur, quibus ita anima intus absorbetur, & ab alijs abstrahitur operationibus, vt nulla ratione supra se ipsam, vel suprema potententiarum actus valeat reflecti.* Iuxta quem etiam sensum prædictas locutiones explicat, & approbat Magister Basilius Legionensis in Defensorio cit. propos. 3. num. 16.

17. Quod autem in hac sublimi contemplatione, mens sine labore, sed cum magna delectatione operetur, docent D. Thomas 2.2. quæst. 180. artic. 7. D. Augustinus lib. 12. de Genes. ad literam serm. 27. de verbis Domini, lib. de correctione, & gratia cap. 2. & lib. 10. confes. cap. 40. D. Hieronymus in regula Monastica cap. 26. Recudus tractatu de gradu violentæ charitatis, Gregorius lib. 24. moral. cap. 5. & homil. 14. in Ezech. D. Bonauent. itiner. 6. æternitatis, distinctione 1. Sancta Mater nostra THERESIA cap. 17. suæ vitæ, ibi: *In tam sublimi orationis gradu in quo constituta est, intelligit hoc se sine vlla intellectus defatigatione facere, nisi quod hic meo iudicio velut consistentus hæreat, apud se considerans quam bene Dominus hortulani partes expleat, dum nos vult ut hic laborem vllum subeat, sed dum taxat florum, iam redolere incipientium odore sese oblectet &c.* Mysticus noster Doctor lib. 2. Ascens. Mont. Carmel. cap. 14 ibi. *Quamobrem statim ac sese in oratione constituerit (instar illius, qui aquam ad bibendum in promptu habet) suauissimi bibit absque labore: nec indiget amplius præteritarum considerationum, formarum, ac figurarum aquæductibus &c.* Et capit. 15. sequenti ibi: *Qua pacifica notitia obtenta, non discurrit, nec laborat iam potentijs anima; tunc enim verius dici poterit, intelligentiam & suauitatem intra quæ passiue se habente fieri, seu produli, quam quod ipsamet aliquid operetur; sed solummodo ipsa incumbit, vt attentam cum amore habeat ad Deum animam, &c.* Et citato cap. 14. id optimis comparationibus explicuit, inquiens, quod inter actus discursiuos, & actum huius quietis contemplationis: *Est idem discrimen quod est inter operantem & fruentem quoniam perfecto; vel quod est inter viæ laborem & requiem, quæ in vitæ termino reperitur, vel aliud quod est inter cibos præparantem, vel iam præparatos edentem, & gustantem.* Taulerus cap. 31. instit. Gerson cap. 8. de Monte contemplationis, ac denique communiter omnes, qui de contemplatione disserunt.

Hacergo de causa merito tunc anima nihil operari dicitur, quamuis reuera operationem naturalem, tam intellectus, quàm voluntatis, ac valdè eleuatam magna cū

voluptate, & delectatione eliciat, imo adhuc in communi nostro loquendi modo, cum aliquid sine labore, sed cum magna voluptate efficimus, dicere solemus, *Ego nihil ago hac in re.*

Tertia deinde ratio, propter quam Mysticus noster Doctor, alijque Sancti Patres, ac Doctores Mystici prædictis locutionibus vtuntur, est, quia in hac sublimi contemplatione mens supra suas operationes non reflectitur, nec intelligit se operari: quoties enim sine hac reflectione operamur, facilè operationis nostræ obliuiscimur, imò, & videtur nobis nihil nos operari, vt docuit Phil. lib. 1. de memoria capite 1. & D. Thomas 3. part. quæst. 83. art. vltimo ad 5. 18.

Quod autem mens in hac sublimi contemplatione sine huiusmodi reflexione operetur, docet S. Mater nostra THERESIA cap. 16. suæ vitæ ibi. *Vult Dominus, ita hic hortulanum adiuuare, vt ipse quodammodo hortulanus fit, & quidquid faciendum est, faciat. Est quidam potentiarum animæ somnus, vt quæ nec penitus perduntur, nec, quid agant, intelligant, &c.* Et in lib. qui inscribitur, *Conceptus amoris Dei &c.* cap. 6 explicans illa verba Cant. 2. introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem, sic inquit: *Verum quoque est, quod ne ad amandum quidem se excitatam intemat. Sed ô bratum somnum, ter fœlicem ebrietatem, quæ sponsum eo supplere agit, quod anima per se ipsa præstare non potest; dum scilicet mirabili quodammodo ordinat, vt omnibus potentijs mortuis aut dormitantibus, amor maneat viuus, & ipsomet non intelligente quomodo operetur Dominus ordinet, vt tam mirabiliter operetur, vt cum ipso amoris Domino, Deo inquam, vnum quid factus sit &c.* Quod in eodem cap. sæpè repetit.

Id ipsum docet Venerabilis noster IOANNES citato cap. 14. lib. secundi Ascens. Montis Carm. ibi: *Illud tamen alta mente hoc loco perpendendum est, notitiam hanc de qua loquimur, generalem, esse aliquando adeo subtilem, ac delicatam; (præsertim quando ipsa in se est purior, simplicior, perfectior, spiritualior & intimior) vt anima, quam occupat, minimè illam animaduertat, neque percipiat &c.* Quod in eodem cap. & alibi sæpè repetit, specialiter verò in lib. qui inscribitur, *Flamma amoris viua &c.* Cant. tertio, versiculo 3. §. 6. ibi: *Quod cum ita contigerit, vt nimium sentiat se anima in silentio & auditione collocari; amorosa etiam de qua locutus sum aduertentia simplicissima esse debet, absque sollicitudine seu reflexione aliqua: ita vt quasi obliuiscatur illius, vt tota auditioni inhiet: vt hac ratione libera remaneat ad id, quod tunc ab ea requiritur.* 19.

Consonat citatus Bartholomæus à Martyribus c. 13. compendij spiritualis §. 3. ibi: *Similes fiunt paruulo matrem amplexanti, vbera sugenti, quiplerumque nihil videt, aut audit, aut saltem se videre, & audire non iudicat.* Id ipsum docet Suarez tom. 2. de Religion. lib. 1. de oratione capite 4. numer. 7. & lib. 2. cap. 13. numero 24. ibi: *Cogitatio de ipsomet Deo melius coniungitur cum ipsius amore, quam cogitatio, vel cognitio ipsius amoris, nam hæc est cogitatio rei creatæ, quæ per se non conducit ad talem amorem, imò contingit, vt cum anima fertur in Deum per amorem si occupatur circa se ipsam, & circa suos actus, quasi reflectendo supra illos, & cogitando quid agat, distrahatur, & tepescat in amore Dei, &c.* 20.

Idemque docent Basilius Legionensis, & noster Thomas à IESV locis citatis, Aluarado tom. 1. lib. 2. cap. 43. & numer. 6. Magister Luisius Legionensis in Apologia pro libris S. Matris nostræ THERESIÆ, vbi eiusdem sanctæ locis id ipsum 21.

B.
Joannis
a Cruce

Opera
Mystica
TOM II
124

ipsum ostendit. Pro quo etiam facit illud, quod refertur de Sancto Abbate Isaac, quod scilicet sæpe perpendere solebat illam magni Antonij sententiam asserentis, non esse perfectam orationem illam, in qua Monachus suam cognoscit orationem.

Propter hunc ergo reflexionis defectum sæpè asserunt Doctores Mystici, & cum eis Venerabilis noster IOANNES, eum, qui hac perfecta contemplatione afficitur, non operari, id est, nequaquam scire, aut aduertere se operari, suæque operationis obliuisci, imò illam prorsus ignorare, sibique videri esse sine operatione, quod etiam sæpè in nobismetipsis, quoties sine hac reflexione operamur, experimur.

22. Quarta tandem ratio, propter quam meritò Mysticus noster Doctor, aliique Sancti Patres, & illustres Doctores prædictis locutionibus vsi fuere, est, quia in sublimi illa contemplatione, quamuis anima actum cognitionis, necnon, & amoris ad illum subsecuti verè eliciat, quia tamen per viam negationis, seu remotionis procedit, cognoscendo, scilicet, non *Quid Deus sit*, sed *quid non sit*, quæ est illa altissima caliginosa cognitio, de qua supra in Elucidatione secundæ propositionis diximus, quamque Diuus Dionysius, & alij Mystici Doctores præcipuè suadent, ideò potius ignorare, & operationibus cognoscitiuis carere, quàm aliquid cognoscere dicuntur.

23. Hac enim ratione D. Dionysius in lib. de Mystica Theologia cap. 1. sic Timotheum alloquitur: *Tu verò Timothee charissime intentissima contuendo spectaculo Mystico exercitatione, & sensus linque, & intellectuales operationes, & sensibilia, & intelligibilia omnia, & quæ non sunt, & quæ sunt omnia, vt illi iungaris, qui super omnem substantiam, omnemque scientiam est, ignotè pro viribus te ipsum intende, &c.* Vbi verba illa: *Linque intellectuales operationes*, necnon & illa, *super omnem scientiam ignotè*, perpendenda sunt, in quibus hæc operationum intellectualium carentia rigorosius, quàm in locutionibus Venerabilis nostri IOANNIS stabilitur, quod etiam in eodem c. 1. circa finem idem D. Dionys. repetit, sic inquiens: *Tum verò ipsa quoque visibilia, atque intellectualia contemplator linquit, ingreditur ignorationis Mysticam profecto caliginem, in qua omnia scientiæ, & cognitionis præsidia terminans, totus in ea fit, qui tactum penitus, visumque refugit, transcenditque omnia, penitus autem ignoto scientiæ omnis, & cognitionis vacatione, præstantiori modo coniungitur, & in quoque ipso, quod nihil cognoscit, supra sensum mentemque cognoscens, &c.* Quibus etiam locutionibus vtitur c. 7. de diuinis nominibus, sic Theologiam Mysticam describens: *Est igitur augustissima Dei scientia, quæ per ignorationem scitur in coniunctione illa, qua supra sensum, quando mens omnia entia transiliens, & se ipsam demum linquens, coniuncta fuerit lucidissimis radijs inde, atque illic inscrutabili sapientiæ profundo illustrata &c.*

24. Ecce qualiter sæpè D. Dionysius ignorationem, carentiã cognitionis & scientiæ, derelictionẽ omnium intelligibiliũ, in hac sublimi contemplatione statuit, non quidẽ, quia omnem actum cognoscitiuũ ab intellectu elicitũ excludere voluerit, sed in sensu iam dicto, quia scilicet tunc cognoscitur per remotionem, *quid Deus non sit*, nequaquam autem affirmatur, *quid positiuè sit*, qui cognoscendi modus potius ignorantia, cognitionisque defectus, quàm cognitio meritò appellatur.

Vnde iuxta hunc sensum interpretatur Diuus Thomas, D. Dionysium supra cit. cap. 7. de diuinis nominibus sic inquiens: *Rursus autem est alia perfectissima Dei cognitio, per*

per remotionem, scilicet quod cognoscimus Deum per ignorantiam, per quandam vnitionem ad diuinam, supra naturam mentis, quando scilicet mens nostra recedens ab omnibus alijs, & postea etiam dimittens se ipsam vnitur supersplendentibus radijs Deitatis, in quantum scilicet cognoscit Deum esse non solum supra omnia, quæ sunt infra ipsam, sed etiam supra ipsam, & supra omnia, quæ ab ipsa comprehendi possunt, &c.

In quo etiam sensu adducta verba Dionysij ex fine capitis primi de Mystica Theologia explicat Ambrosius Florentinus Abbas, Generalis ordinis Camaldul. ita inquiens: *Tunc quando contemplator ad Mysticam Dei cognitionem adspirat creaturarum omnium, tum corporearum, tum incorporearum imagines relinquens, secretam quandam in nebulam abdit se, vbi mira est ignoratio: ibi enim amittit omnia scientia, cognitionisque adminicula, hoc est, simulachra, quibus hominis nititur cognitio, iamque omni obstaculo expeditus totus voluntatem, siue affectum fit, hoc est, transformatur in eum, qui tangi, viderique nequit à viatoribus, & qui cum sit Dominus vniuersorum, nec se ipso altior esse queat, nullius est, nec sui quidem ipsius: modus autem transformationis hic est, vt Deo penitus per assertiones ignoto, scientiæ omnis, & cognitionis assertricis vacatione, præstantiori modo, id est, per ablationem, seu negationem cognoscens, affectu intimo coniungatur, & eo ipso, quod nihil asserendo, sed omnes expositiones auferendo, cognoscit altius multo Deum supra sensum mentemque, hoc est, mentis conceptum assertiuum cognoscit, &c.* 25.

In quo etiam sensu interpretatus est Sanctum Dionysium Dionysius Carthusianus in commentarijs capite 1. Mysticæ Theologiæ, & alibi sæpè, quod etiam optimè explicuit Suarez tom. 2. de Religion. lib. 2. de oratione cap. 12. numer. 20. ibi: *Quocirca ignoratio Dei de qua loquitur Dionys. non est ignorantia priuationis, aut praua dispositionis sic enim ignoratio Dei summa est imperfectio, per ignorantiam ergo intelligit quandam Dei cognitionem, per quam potius cognoscitor*, quid Deus non sit, *quam quid sit, & ideò ignoratio esse dicitur. &c.* 26.

Quod confirmari potest ex illa reuelatione facta Sanctæ Matri nostræ THERESIÆ, vt ipsa refert in lib. suæ vitæ cap. 10. cum enim illa scire desideraret, quid in Mystica vnione intellectus operaretur, respondit ei Dominus, vt ipsa refert dicto capite suæ vitæ: *Cum nequeat comprehendere hoc quod intelligit, est non intelligendo intelligere, &c.* Hac ergo ratione optimo iure Mysticus noster Doctor, alijque Sancti Patres prædictis locutionibus supra in hac propositione relatis, quæ in hoc sensu verissimæ sunt, vsi fuere, de quo videri potest noster Thomas à Iesu lib. 5. de diuina contemplatione cap. 13. & hanc explicationem ipsemet Venerabilis noster IOANNES adhibuit lib. 3. Ascens. Mont. Carmeli capite 1. ibi: *Cum autem verum sit, (vt est verissimum) debere animam potius cognoscere Deum per id, quod non est, quam per id quod est; vt ad illum pergere possit; necessarium omnino est nullo admittere modo, sed abnegare quidquid ex omnibus suis apprehensionibus, siue naturalibus, siue supernaturalibus abnegari potest. Quam ob causam idem nunc cum memoria faciemus, ex proprijs naturalibus limitibus eam educendo, & supra seipsam (hoc est) super omnem distinctam notitiam possessionemque apprehensibilem, ad sublimem spem incomprehensibilis Dei, illam subleuando &c.* 27.

Propter has ergo rationes, quarum quælibet, & multo magis omnes illæ simul sumptæ, de se sufficientissimæ sunt, meritò Mysticus noster Doctor prædictis locutionibus, quæ in hac propositione referuntur, vsus fuit, communem Sanctorum

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
NVII
124

Patrum Doctorumque Mysticorum vsum sequens, qui prædictis etiam locutionibus, imo & strictioribus, ac difficilioribus frequenter vsi fuere, vt ex eorumdem Doctorum testimonijs, quæ iam subiungimus, manifestè constabit.

§. III.

Plura Sanctorum Patrum, & illustrium Doctorum testimonia, in quibus eadem doctrina, & locutio continetur referuntur.

28. IN primis igitur his locutionibus vsus fuit Mysticæ Theologiæ princeps D. Dionys. locis supra num. 23. citatis ex cap. 1. de Mystica Theologia, & ex cap. 7. de divin. nomin. quas locutiones cæteri Doctores Mystici approbantes ab eodem deluxerunt, vnde D. Bonauen. de itineribus æternitatis itiner. 5. dist. 6. sic inquit: *Cessante in ista caligine ab operatione cognitionis intellectus dicitur inoculatus à priuatione omnis actus proprius, &c.* Quo etiam loquendi modo vsus fuit de Mystica Theologia part. 4. & de luminaribus Ecclesiæ serm. 2. de ingressu ad sapientiam. Consonat Dionys. Carthus. de Theologia Mystica cap. 2. ibi: *Non sufficit ista relinquere, nisi relinquantur omnia intelligibilia, operationesque propriæ.* Consentit Hugo Victor. lib. 2. de anima cap. 20. ibi: *Omnis interior vis animæ proprio viduatur officio,* & Ricardus lib 4. de contemplatione cap. 12. ibi: *In medio nebulæ Moyses ingreditur, quando humana mẽs ab illa diuini luminis immensitate absorpta summa sui obliuione sopitur.* Eodem modo loquitur Rusbroch. lib. 2. de ornat. spiritualium nuptiarum cap. 71. ibi: *Vbi vero Deo occurrimus, tam ingens & immensa illius claritudo, & æstus est, vt spiritus omnes sua actione destituantur, &c.* Et infra subiungit: *Cuncta virtutum nostrarum actione vacant, &c.* Et cap. 73. subdit. *In nihilo autem ab actione omni deficit.*

29. Nec minus strictè locutus fuit Ioannes Taulerus cap. 12. institut. sic inquens: *Ibi planè spiritus præ lumine absque luce, præ cognitione, absque cognitione, & præ amore, absque dilectione efficitur, &c.* Et paulò inferius subiungit: *Hic iam internum quoddam, mutumque silentium fit, nec vllum hic verbum eloqui licet, sed nec intus, nec foris quidquam hic operari permittitur, sed ipse spiritus patitur dulcem quandam insensibilem, & ineffabilem passionem, insuper miraculo miraculo lucidissime supersplendentis abyssalis Deitatis.*

Consonat Blosius cap. 12. spiritualis institutionis, ibi: *Hinc præcognitione facta sine cognitione in solo amabili nudo simplici, & ignoto Deo quiescit, lux quippè diuina propter nimiam sui claritatem inaccessibilis est; vnde, & caligo appellatur.* Accedit citatus Bartholomæus à Martyribus supra relatus, ibi: *Non humana, sed diuina duntaxat est operatio.*

30. Vnde locutionem hanc, constituentem otium, quietem, & potentiarum suspensionem in contemplatione, præter Doctores, & Sanctos Patres recensitos habent D. Augustin. sermone 27. de verb. Domini, & lib. 19. de Ciuitate Dei capit. 2. & 19. D. Thomas 2. 2. quæst. 179. artic. 2. D. Bernardus sermon. 46. in Cant. citatus Diu. Bonaventura itinere 5. æternit. dist. 6. Gilbertus Abbas serm. 1. in Cant. Rosignolius de disciplina

ciplina Christianæ perfectionis lib.5.cap.11.Aluarez de Paz tom.1. de vita spirituali lib.2.part.5.cap.41.& lib.4.part.2.cap.23. noster Ioannes à IESV Maria de Mystica Theologia cap.6.& plures alij.

Sed optimè,vt solet locutione hac vsa fuit,eamque explicuit Sancta Mater nostra THERESIA cap.18.suæ vitæ.referens reuelationem illam sibi à Deo circa hoc factam,in qua tale à Deo accipit responsum. *Et quia quæ intelligit nequit comprehendere,hinc perinde est,atque si intelligendo non intelligeret,*statimque ipsa subiungit: *Hic omnes potentiæ deficiunt,& taliter suspenduntur,vt nullo modo percipi possit,sicut dictum est,illas operari. Si alicuius mysterij meditatione tam occupabatur,ita mox ipsum de memoria elabitur,ac si nunquam eius meminisset aut de eo cogitasset.si in libro legat,mox lectorum non recordatur,aut quousque peruenerat; idē quoq; in oratione vocali vsu venit. Adeo vt importuni huius papilionis (memoria inquā) alæ hic adeo antur.& se ipsa iam monere amplius non possit. Voluntas quidē amando maxime occupetur oportet,sed tamē,quomodo amet,non intelligit.Intellectus denig,si quid intelligat,nō intelligit, quomodo intelligat;saltē nihil eorū quæ intelligit potest cōprehendere: equidē non puto ipsum quidquam intelligere;nam sicuti iā dixi,hoc non intelligitur,& quomodo id fiat,plane ego intelligere non valeo.* Et c.10.eiusdē libri sic inquit: *Intellectus (quantū mihi videtur) non discurrit,non tamen amittitur : sed vt dico non operatur &c.* Et cap.12 .*Et admirandi & in quo se interim occupet materiam dat; & efficit,vt etiam sine mentis discursu breuissimo tempore plus intelligat,quam nos omni nostra diligentia plurimis annis possemus comprehendere &c.*Et cap.23.suæ vitæ ait,quod in illa oratione,quam ipsa vocat quietis:*nihil cogitabam,nec cogitare quid poteram.* Quā doctrinam repetit cap.17.18.& 26.suæ vitæ,& Mansione quinta cap.1. & in lib. viæ perfectionis cap.30.& alijs in locis relatis à Magistro Luisio Legionensi in apologia supra citata. 31.

§. IV.

Ex Theologorum doctrina, & locutione amplius eadem locutio confirmatur.

SEd,vt plura alia testimonia,in quibus eadem continetur locutio,omittamus,sufficiat pro huius locutionis euidenti approbatione , quod prædicta contemplatio communiter à Sanctis Patribus otium appellatur,imò & Philos.10.ethicorum naturalem contemplationem,quæ longè inferior est,vacationē appellauit, non quia in illa detur cessatio ab operatione, sed quia huiusmodi operatio,propter rationes supra adductas,prædicta nomina,sicuti,& nomen quietis,& alia similia promeretur. Quæ omnia coniunxit D.Tho.in 3.dist.35.q.1.ar.2.quæstiunc.1.vbi in secundo argumento sic habet. *Vita contemplatiua à sanctis otium dicitur,& Philosophus etiam 11.ethicorum dicit ipsam vacationem,sed voluntas est vis motiua,cum ergo motus otio, & vacationi repugnet,videtur, quod vita contemplatiua non consistat in actu affectiue,sed solum in actu cognitiue.* 32.

Cui argumento sic respondet: *Ad secundum dicendum,quod voluntas non solum est motiua quamtum ad exteriores motus , qui vacationi repugnant , sed etiam motuum interiorum etiam ipsius intellectus , qui quidem motus æquiuoce dicuntur , vt patet in tertio de anima sunt enim actus perfecti,& ideo magis assimilantur quieti,quam motui,&c.* Ecce qualiter huiusmodi locutjo non solū apud Mysticos,sed etiā apud Scholasticos, & Philosophos

B.
Joannis
a Cruce

Opera
mystica
TOM II
124

communis sit, quæ confirmatur ex illo Psalm. 45. *Vacate, & videte quoniam suauis est Dominus*, Vbi vacatio, seu otium simul cum visione constituitur, ad denotandum huiusmodi otium, seu vacationem non excludere actus à potentijs elicitos, sed eos modo quodam superiori, & valde quieto secum afferre, iuxta quem etiam sensum referens D. Stephanus sublimen illam Moysi visionem de rubo ardenti dixit, *Treuefactus Moyses non audebat considerare*. Actorum 7. n. 32. quamuis reuera actum sublimis contemplationis tunc Moyses exercebat.

33. Id ipsum optimè confirmatur ex eo, quod docent Theologi cum D. Thom. 1. 2. quæst. 111. artic. 2. scilicet, *Gratiam operantem esse illam, quam Deus in nobis, sine nobis operatur, seu quæ datur ad effectum, in quo mens nostra est mota, & non mouens*; Quæ tamen doctrina nullatenus excludit, quod mens nostra eliciat illos actus, respectu quorum datur gratia operans: cum enim sint actus vitales, non possunt non à potentijs vitalibus elicitiuè procedere, hactenus tamen verificatur prædicta locutio, quatenus prædicti actus, vt exeunt à gratia operante, non eliciuntur liberè ab ipsis potentijs, atque adeò in hoc sensu dicitur mens nostra non se mouere ad illos. Simili ergo modo, iuxta phrasim Mysticam, quamuis in sublimi hac contemplatione reperiantur actus elicciti à potentijs vitalibus, tamen meritò dicitur, tunc ipsas potentias non se mouere ad illos, quatenus, etsi elicitiuè, & liberè eos producant, non tamen mouent se ad illos modo proprio, seu ex propria industria, nec cum inquisitione, vel labore, nec per modum motus, sed per modum quietis propter ea, quæ iam explicuimus.

§. V.

Alia locutio contemplationem potius in passione, quam in actione constituens testimonijs Sanctorum Patrum, & illustrium Doctorum comprobatur.

34. ET ex hoc à fortiori comprobata, & explicata manet locutio illa apud eosdem Patres, & Doctores Mysticos valde communis, quod scilicet illa sublimis contemplatio potius se habet per modum passionis, quã per modum actionis, seu quod tunc mens potius se habet passiuè, quam actiuè, quamuis re vera operationes vitales, & liberas, atque adeò actiuè ab illa procedentes eliciat; eo quod respectu talium actionum speciali modo à Deo mouetur, & excitatur, eiusque ductum, non autem propriam industriam, & excitationem sequitur, iuxta quem etiam sensum D. Dionys. cap. 2. de diuin. nomin. §. 4. de diuino Hierotheo dicere solebat, quod erat patiens diuina: quem modum loquendi ibidem sequitur D. Thomas, necnon, & Theodor. Actor. 1. super illud, *Factum est in mentis excessu*. Rusbruch. lib. de ornatu spiritualium nuptiarum cap. 71. vbi de hac contemplatione loquens ait: *Quod in ea diuinam operationem tanquam meræ creaturæ patiantur oportet*, & inferius, *Operatio diuina horis omnibus nos mouens, vrgens, incitans, introrsum trahens, &c.* Qua etiam phrasi vsus fuit D. Paulus ad Rom. 8. dicens *Quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt Filij Dei*. Ecce qualiter Filios Dei agi spiritu Dei (quod passionem denotat) non autem semetipsos agere, docet, quamuis re vera eliant operationes, ad quas ex spiritu Dei mouentur.

Quod

Quod optimè explicuit D.Tho.ſuper hunc Pauli locum lect.13. inquiens: *Homo autem ſpiritualis non tantum inſtruitur à Spiritu ſancto, quid agere debeat, ſed etiam cor eius à Spiritu ſancto mouetur, ideo plus intelligendum eſt in hoc, quod dicitur:* Quicumque ſpiritu Dei aguntur. *Illa enim agi dicuntur, quæ quodam ſuperiori inſtinctu mouentur. Vnde de brutis dicimus, quod non agunt, ſed aguntur, quia à natura mouentur, & non ex proprio motu. ad ſuas actiones agendas, ſimiliter autem homo ſpiritualis non ex motu propriæ voluntatis principaliter, ſed in ſtinctu Spiritus ſancti inclinatur ad aliquid agendum ſecundùm illud Iſai.56.* Cum venerit quaſi fluuius violentus, quem ſpiritus Dei cogit. *Et Lucæ 4. quod Ieſus agebatur à ſpiritu in deſerto, non tamen per hoc excluditur, quin viri ſpirituales per voluntatem, & liberum arbitrium operentur, quia ipſum motum voluntatis, & liberi arbitrij Spir. ſanctus in eis cauſat, ſecundum illud ad Phil. 2. Deus eſt qui operatur in vobis velle, & perficere, &c. Hucuſque Doctor Angelicus.* 35.

Cuius rei philoſophicam rationem aſſignauit idem D.Tho. quæſt. vnica de vnione Verbi artic.6. ibi. *Conſiderandum tamen, quod ſi virtus, quæ eſt actionis principium ab alia ſuperiori virtute moueatur, operatio ab ipſa procedens non ſolum eſt actio, ſed etiam paſſio, in quantum ſcilicet procedit à virtute, quæ à ſuperiori mouetur.*

Conſonat D.Proſperus lib. ſententiarum Auguſtini num.30. ibi. *Plus eſt procul dubio agi, quam regi, qui enim regitur aliquid agit, ideò regitur, vt rectè agat, qui autem agitur, agere ipſe aliquid vix in elligitur, & tantum præſtat voluntatibus noſtru gratia Saluatoris, vt non dubitet Apoſtolus dicere, quotquot ſpiritu Dei aguntur, hi Filij Dei ſunt; nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere poteſt, quam vt illi ſe commendet, qui malè agere non poteſt, &c.* Super quem etiam Apoſtoli locum ſic ad propoſitum noſtrum loquitur Caietan. *Cùm audis: Spiritu Dei aguntur, caue ne furorem intelligas, ne velut amentes agi homines ſpiritu Dei intelligas, ſed obedientiam talem, ac tantam ſpiritus noſtri exhiberi Spiritui ſancto habitanti in viris perfectis, vt parendo aguntur obſequentiſſimi à Spiritu ſancto habitante in eis; agitur autem non ſolùm inuitus, aut neſcius, ſed etiam promptiſſimè obſequens, &c.* 36.

Quod etiam ibi explicuit Toletus ſic inquiens. *Agi ſpiritu Dei eſt opera facere ſecundum ſpiritum, quorum motor, & autor primus eſt ſpiritus Dei inhabitans in iuſtis per gratiam, virtutes, & dona &c.* Vnde merito Beda ibi ſic diſſerit: *Dicet mihi aliquis, ergo agimur non agimus; reſpondeo, imò, & agis, & ageris, & tunc benè agis ſi à bono ageris ſpiritus enim Dei, qui te agit, agenti adiutor eſt tibi.* Quæ verba deſumpſit ex D. Auguſtino ſerm. 3. de verbis Apoſtoli, & Benedictus Iuſtinianus ſuper eundem locum ſic inquit: *Ducimur igitur, atque agimur, ſed nobis conſentientibus, & liberè diuinæ motioni reſpondentibus; ita tamen maluit loqui Apoſtolus, vt vim atque efficaciam diuinæ gratiæ oſtenderet.* Tandem D. Auguſt. lib. de correct. & gratia cap.2. ſic ait: *Intelligant ſi Filij Dei ſunt. ſe ſpiritu Dei agi, vt quod agendum eſt, agant, & cum egerint, illi à quo aguntur gratias agant, aguntur enim, vt agant, non vt ipſi nihil agant.* 37.

Nec huius locutionis oblita fuit Sancta Mater noſtra THERESIA, eam namque habet cap.17. ſuæ vitæ ibi. *Hic orationis modus iam vtcumque ſufficienter expoſitus eſt, nec non quid animam, quæ eum habet, facere oporteat, aut potius, quid Deus in ea faciat: ipſe enim eſt, qui hortulani partes iam ſubit, illam autem vult requieſcere & latari; ita vt voluntas in gratias illas, quibus fruitur, dumtaxat conſentiat, ſeque reſignare debeat ad omnia, quæcumque vera ſapientia in ipſa operari volet &c.* Id ipſumque docet in omnibus locis ſupra num.31. citatis, in quibus potentiarum ſuſpenſionem, ceſſationem, otiumque, & quietem in hac contemplatione conſtituit.

B.
Joannis
à Cruce

Opera
Mystica
TOM II
124

39. Vnde hunc loquendi modum, passionem potius quam actionem in hac sublimi contemplatione statuentem approbant, & sequuntur, præter recensitos Patres, & Doctores, plures alij, vt sæpè relatus Antistes Bartholomæus à Martyribus 2. parte compendij cap. 11. parum ante §. 1. sic inquiens: *Non humana, sed diuina dumtaxat est operatio, ibi enim Deus ipse est agens, homo verò patiens,* & §. 2. ibi. *Et quamuis hæc feruens dilectio eliciatur à voluntate, datur tamen passiua, quia ad illam non excitat voluntas se ipsam velut ad primam, sed immediatè excitatur à Deo,* &c. Noster Thomas à IESV lib. 5. de contemplatione cap. 13. noster Ioannes à IESV Maria de Mystica Theologia in principio num. 4. Venerabilis Pater Balthasar Aluarez, relatus à Patre Ludouico de la Puente in eius vita cap. 13. & 41. Suarez lib. de oratione cap. 12. numer. 18. & cap. 19 numer. 7. noster Didacus à IESV in annotationibus ad libros Mystici nostri Doctoris discursu secundo, phrasi secunda, Molina Carthusianus in titulo de oratione capite septimo, §. primo, Pater Basilius Legionensis in Defensorio sæpè citato, propositione tertia, & plures alij.

§. VI.

Locutio silentium contemplationi tribuens, testimonijs Sac. Scripturæ, & Patrum stabilitur.

40. EX dictis satis etiam, & à fortiori comprobata manet illa locutio, in qua huiusmodi contemplatio silentium appellatur, non quidem quia mens in illa nullum actum exerceat (in hoc enim sensu, tunc etiam internè loquitur) sed quia prædictum actum non exercet modo proprio, neque ex propria industria, & inquisitione atque adeò quoad sibi propria silet, solumque exercet actum modo quodam superiori & ex speciali motione diuina, absque reflexione propria, per quem actum diuinæ veritati loquenti attendit, ac propterea potius auditio, quam locutio appellatur, vnde hoc nomen silentij contemplationi tribuit D. Dionysius de Mystica Theologia cap. 1. statim in principio & D. Thomas super illa verba Apocalypsis 8. *Factum est silentium in Cœlo quasi dimidia hora.* Super quæ verba idem docet Diu. Gregorius lib. 3. Moral. cap. 29. in fine, & lib. 5. cap. 26. & lib. 30 cap. 12. & super Ezech. homil. 14. circa illa verba Ezech. 40. *Et in manu viri calamus mensuræ sex cubitorum, & palmo.* Idemque docent D. Bernardus serm. 52. in Cant. & ser. 13. ad sororem, & sermone de 7. spiritibus, Augustinus in Psalm. 94. & epist. 119 D. Basilius serm. de Natiuitate Domini, Ambros. lib. 1. de fide ad Gratianum, Sancta Mater nostra THERESIA in lib. qui inscribitur, *Conceptus amoris Dei*, super Cant. cap. 5. & 6. Diu. Ioannes Climacus grad. 27. Hugo l. 2. de anima c. 20. & de claustro animæ l. 4. c. 36. super citata verba Apoc. Albertus Mag. de adhærendo Deo cap. 20. Bartholomæus à Martyr. 2. par. compend. c. 11. ibi: *Festinemus ad Sancta Sanctorum, & ad internum illud silentium, in quo non humana, sed diuina dumtaxat est operatio, ibi enim Deus ipse est agens, homo verò patiens.* P. Balthas. Aluarez relatus à Ludou. de la Puente in eius vita c. 13. P. Thom. de Villanueua in Cant. supra illa

illa verba: *Capite nobis vulpes paruulas.* Noster Hieronymus à Matre Dei in annotationibus ad cap. illud 6. modò citatum Sanctæ Matris nostræ THERESIÆ, noster Didacus à IESV vbi supra, & communiter S. Patres, ac Doctores Mystici.

Quæ etiam locutio non parum fundamentum habet in Scriptura Sacra : 41.
etenim Psalm. 36. vbi vulgata nostra habet : *Subditus esto Domino, & ora eum*, est in Hebræo, *tace Domino, & expecta eum.* Vbi id, quod per verbum tacendi significatur, nequaquam repugnat actui orandi, imò verumque coniungitur, quia taciturnitas illa, seu silentium in sensu supra explicato sumitur, quod adhuc clarius exprimitur Eccles. 32. vbi dicitur: *Audi tacens: & pro reuerentia accedes tibi bona gratia.* Et in eodem sensu dicebat Samuel ad Deum. *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* 1. Reg. 3. num. 10. quê locũ ad hoc propositũ bene explicuit Mysticus N. D. l 3. Ascen. Mont. Carm. c. 2.

§. VII.

Nomen somni, & mortis Scripturæ, & Patrum testimonijs confirmatur.

IMO non solum silentium, sed etiam somnium appellatur à Patribus, & Doctoribus Mysticis huiusmodi contemplatio, vt sic eius quies magis denotetur, quam 42.
locutionem ex ipsamet Scriptura Sacra deprompsit Mysticus noster Doctor cap. 14. Ascens. Mont. Carmel. explicans illud Cant. 5. num. 2. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* His verbis: *Quamuis enim potentiarum Animæ harmonia & concentus cesset, ipsius tamen intelligentia ad eum se modum habet, sicuti exposuimus : & idcirco sapiens sponsa tacitæ suæ hac de re obiectioni respondit dicens: Quamuis dormiam ego secundum id quod naturaliter mihi competit ab operatione desistendo; meum tamen cor vigilat supernaturaliter ad notitiam supernaturalem eleuatum &c.*

Quæ etiam locutio somnij habetur in eodem Canticor. lib. cap. 3. nu. 5. vbi sponsus cernens animam sibi dilectam in hac quieta contemplatione positam, ac veluti dormientem sic loquitur: *Adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas ceruosque camporum ne suscitetis, nec euigilare faciatis dilectam donec ipsa velit.* Quem locum ad hoc propositum optimè explicat Mysticus noster Doctor in lib. qui inscribitur, *Flamma Amoris viua*, Cant. 3. vers. 3. §. 11. his verbis: *Quanti Deus faciat tranquillitatem istam, vel consopitionem seu annihilationem sensus, optime ex illa tam notabili efficacique adiuratione, quam fecit in Canticis apparet, dum ait:* Adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas ceruosque camporum, ne suscitetis neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. *Quibus verbis significauit quantum obdormitionem solitariamque obliuionem amet, quandoquidem solitaria hac, & recessui dedita animalia interponit &c.*

Ex quo statim infert, quam reprehensione, digni sint illi, qui animam in hoc somno contemplationis relinquere nolunt, quasi in illo inutiliter tempus consumat, & eam 43.
ad alios actus discursiuos minusq; perfectos excitant. Vnde cõtra hos spirituales Magistros sic subiungit. *At spirituales isti Magistri nolunt quiescere animam; sed laborare semper, taliterque operari, vt non præbeat locum operationi diuinæ.* Et post pauca iterum addit. *Verum fortasis homines isti bono ducti zelo in errorem labuntur, eo quod eorum scientia non se amplius extendat. non tamen propterea excusati sunt dum consilia temeraria dant, non intellecta prius via spirituque quo anima ducitur: quod si illius notitiam non habent, cur rudem suam manum rei*

quam

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
TOM. VII
124

quam ignorant, adhibere non verentur, nec tales animas ad eos, qui melius eas intelligant, & dirigant, transmittunt? Nec enim exigui res est oneris & culpæ in causa esse, vt inæstimabilium bonorum iacturam faciat anima ob inepta consilia, imo & tota pessum eat &c.

44. Eundem sensum tribuit eisdem Canticorum verbis Venerabilis ille Pater Balthasar Aluarez in relatione suis superioribus facta, circa suum orationis modum, quam refert citatus Pat. Ludouicus de la Puente cap. 13. suæ vitæ, vbi de hac quieta contemplatione loquens sic ait. *Ista quies videtur esse somnus ille, quem Deus præcipit habere animæ in Canticis:* Adiuro vos filiæ Hierusalem ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam quoad vsque ipsa velit. *Respondet Sponsa: vox ista, Dilecti mei est: talis buccella, tam secura, ac dulcis ab ipsius solummodo manu prouenire potest, &c.* Quam explicationem prius tradiderant D Bernard. serm. 52. in Cant. Anselmus, Rupertus, & D. Thom. super eundem locum, qui omnes Patres eadem somni locutione ad hoc propositum vsi fuere.

45. Eadem somni locutione vtitur San. Mat. nostra THERESIA cap. 19. suæ vitæ in principio, & cap. 5. & 6. libri, *Conceptus amoris Diuini &c.* in Cant. & in annotationibus ad illud cap. 6. noster Hieronymus à Matre Dei. Præterea Ricardus in Psalm. 4. plaresque alij Doctores, quæ etiam locutio fundamentum habet in eo, quod dicitur Gen. 2. *Misit Deus soporem in Adam*, vbi alij legunt, *Misit Deus extasim in Adam*, intelligentes per illum soporem, seu somnum, sublimem quandam contẽplationem, sic namq; interpretantur illum locum D. Ambrosius lib. 2. de Iacob. D. Gregorius lib. 4. moral. cap. 30. Chrysostomus homil. 15. in Genes. Isidorus lib. 7. ethimologiarum cap. 8. & alij expositores, quibus quoad prædictam locutionem consentiunt B. Thomas de Villanueua in Cant. fol. 123. pag. 1. col. 1. relatus à Magist. Basilio Legionensi in Defensorio citato, propositione sexta, & Suarez lib. secundo de oratione cap. 12. num. 3.

46. Imo D. Bernardus serm. 55. in Cant. non solùm nomen somni huic contemplationi tribuit, sed etiam nomen mortis, quo etiam loquendi modo vsus fuit D. Gregorius lib. 6. moral. cap. 17. Sancta Mater nostra THERESIA cit. cap. 6. in Cant. & ex Diuo Dionysio idem asserit Diuus Bonauent. itiner. mentis in Deum, cap. 7.

§. VIII.

Annihilationis nomen, & locutio ex Sacra Scriptura, & Sanctis Patribus confirmatur.

47. TANDEM propter easdem rationes nomine annihilationis ad ipsum explicandum frequenter vtuntur sancti Patres, & Doctores Mystici, non quidem, quia existiment animam suum esse naturale amittere, & quoad illud in nihilum redigi, sed quia suum naturalem, & ex propria inquisitione operandi modum amittit, vt in Deum per amorem transformetur, modumque valdè superiorem, & diuinum operandi habeat, ad eum modum quo de semetipso dicebat Paulus, *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.*

Accedit etiam, alia ratio desumpta ex eo, quod dum anima in contemplatione, id quod

quod ex se habet in conspectu diuinæ maiestatis cognoscit, ac semetipsam Deo comparat, statim se tanquam nihilum ante Deum reputat, iuxta illud: *Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum, & inane reputatæ sunt ei.* Isai. 40. n. 17. suamque vilitatem cognoscens, ita se Deo submittit, ac semetipsam humiliat, vt se annihilare videatur, iuxta illud Pauli ad Philip. 2. *Semetipsum exinanuit formam serui accipiens.*

Iuxta hos ergo sensus verissima est hæc locutio, qua frequenter vtuntur S. Patres, 48.
vt Nazianzen. orat. 17. Tertul. lib. 3. contra Marcionē, Bernard. ser. 71. in Cant. Rusbrochius de vera contempl. c. 64. S. Vicentius Ferrer in libello de vita spirituali, vbi inter duodecim res, quas pro vita spirituali assequēda assignat, quarto loco numerat sui ipsius annihilationem, Dionys. Carthus. de fonte lucis, art. 17. vbi ad hoc propositum explicat illud Ps. 72. n. 22. *Ad nihilum redactus sum, & nesciui.* Henricus Arphius li. 3. Mysticæ Theologiæ par. 3. c. 23. Rosignolius l. 5. disciplinæ Christianæ perfectionis c. 24. Aluarez de Paz to. 2. de vita spirituali l. 4. de effectibus humilitatis p. 4. c. 6. in fine, noster Didacus à Iesv loco sæpè citato, discursu 1. pluresque alij Doctores.

§. IX.

Conclusio totius capitis.

EX quibus omnibus satis superq; constat sensum harum locutionum, prout à Mystico N. Doctore, alijsqq Sanctis PP. Doctoribusq; Catholicis iam citatis habentur, esse longè diuersum ab eo, quem in similibus locutionibus intēdunt hæretici, qui Illuminati dicuntur, imò & illis contrarium, vt manifestè constabit conferendo has locutiones, iuxta earundē sensum à prædictis Doctoribus intentum, & à nobis declaratum, cum similibus locutionibus, iuxta sensum prædictorum Illuminatorum, quem supra in 1. parte, huius Elucidationis cap. 8. ex Rusbrochio, & alijs proposuimus, quem etiam erroneum sensum Illuminati huius ætatis sequuntur. 49.

Vnde ad iudicandum de his locutionibus, nequaquam ad externum dumtaxat earum sonum attendendum est, nec ex eo, quod aliquibus ex his vocibus, v. g. otij, quietis, annihilationis &c. prædicti hæretici ad suos explicandos errores abutantur, statim huiusmodi locutiones tanquam suspectæ, vel erroneæ reijciendæ, ac damnandæ sunt in alijs Doctoribus Catholicis, in quibus ex ipsomet eorum contextu, & declaratione antecedentibusque, & subsequentib. constat longè diuersum, imo & contrarium sensum habere, siquidem multoties contingere solet, vt eadem locutio quoad externum sonum, quæ ab hæreticis frequenter vsurpatur, in Doctoribus Catholicis, imò & in ipsamet Scriptura S. habeatur, propter diuersam tamen cōtextus seriem Catholicum, & verissimum sensum obtineat, vt supra 1. parte Elucidationis cap. 3. per totum, & cap. 9. à num. 10. fusè ostendimus.

Vnde cum euidenter ostensum sit prædictas locutiones apud Mysticum nostrum Doctorem esse omnino liberas ab erroneo hæreticorum sensu, imò illis aduersari, eundemque obtinere sensum, quem apud Ecclesiæ Patres, & Doctores Catholicos obtinet, nulla ratione possunt in illo damnari, vel tanquam suspectæ haberi, nisi eodem prorsus modo apud Sanctos Ecclesiæ Patres reliquosque Doctores Catholicos damnentur, vel suspecta habeantur, quæ tamen suspicio de tot Ecclesiæ Patribus proculdubio impia esset.

B.
Joannis
à Cruce

Opera
Mystica
NVI
124

CAPVT V.

QVINTA PROPOSITIO ELVCIDAtur, eiusque doctrina simul, & loquendi modus Sanctorum Patrum testimonijs illustratur.

1. QVinta deinde propositio, quæ in Venerabili Parente nostro ab aliquibus notata fuit, habetur lib. 2. Ascens. Mont. Carmeli cap. 31. vbi sermonem instituens de locutionibus substantialibus, quibus Deus ad animam loquitur, sic habet. *Quantum ad hæc verba attinet, nihil est quod agat anima, aut ex seipsa tunc velit nec conetur, sed humiliem se dumtaxat, & resignatam illis exhibeat, liberum suum assensum Deo præbendo: Nec est curandum aut vereatur, aut in exequendis ijs, quæ præscribunt laboret; Deus enim ipse istis substantialibus verbis idipsum in ea & cum ea operatur, quod secus in formalibus & successiuis accidit. Nec est, (vt dixi) quod hic reijcere conetur: effectus quippe eorum substantiatus, vt sic dicam, diuinusque bonis refertus in anima manet: quem quoniam passiue recipit, vniuersus eius conatus minor est: nec est quod aliquam deceptionem vereatur, nam neque intellectus, neque cacodæmon sese immiscere huic rei queunt &c.*

Vt clarius circa huius propositionis Elucidationem procedamus, eam in quatuor partes secabimus. Prima est, in qua asserit Mysticus noster Doctor dari huiusmodi locutiones internas substantiales. Secunda est in qua docet, quod tunc non oportet animam laborare in exequendo eo, quod per huiusmodi locutiones significatur, quia medijs his locutionibus substantialibus id Deus in ipsa, & cum ipsa operatur. Tertia est, non oportet quod tunc anima aliquid agat, sed solum quòd habeat se in illis cum resignatione, & humilitate, præbendo liberum suum consensum Deo. Quarta tandem est, quod tunc non debet timere aliquam deceptionem, eo quod nec malignus spiritus, nec proprius possunt se se in hoc immiscere.

Quoad omnes igitur has partes verissimam esse hanc propositionem, eiusque doctrinam, & locutionem frequenter apud Sanctos Patres, & Catholicos Doctores haberi, manifestè ostendemus, per singulas enumeratas partes suo ordine discurrendo.

§. I.

Prior pars propositionis illustratur, & Sanctorum Patrum testimonijs corroboratur.

2. QVOAD primam igitur partem, dubitari non potest huiusmodi locutiones substantiales, distinctas ab his quas Mysticus noster Doctor formales tantum appellat,

pellat, reperiri; huiusmodique distinctionem in eo consistere, quod locutiones substantiales semper operantur, & imprimunt in anima id, quod significant, ita scilicet, vt si diceret Deus ipsi animæ: *Esto iusta*, statim esset iusta, vel si diceret illi, *prosequere me amore*, statim hunc amorem in se ipsa sentiret, vel si illi diceret: *Ne timeas*, statim magnam tranquillitatem, & fortitudinem in semetipsa experiretur; hanc autem infallibilem operationem, & effectum aliæ locutiones formales tantum, minimè verò substantiales, non obtinent: sed solum intellectum de agendis illustrant: etenim doctrinam, & distinctionem hanc, quamuis ad aliud propositum expresse docet Diuus Thomas secunda secundæ quæstione 76. articulo 1. vbi sic inquit: *Dicere autem, tripliciter se habet ad id quod dicitur: vno modo per modum enunciationis sicut aliquid exprimitur modo indicatiuo, alio modo dicere se habet ad id quod dicitur per modum causæ, & hoc idem primò, & principaliter competit Deo, qui omnia verbo suo fecit, secundum illum Psalm. 32. dixit, & facta sunt.* Sed clarius, & expressius ad propositum nostrum docet in propriis terminis doctrinam hanc Diu. Bernardus serm. 45. in Cant. sic inquiens: *Verbi lingua sauor dignitatis est, animæ verò, deuotionis feruor; cum huiusmodi linguam suam verbum mouet, volens ad animam loqui, non potest anima non sentire, &c.* Et infra subiungit: *Verbo ergo dicere animæ pulchræ est, & appellare amicam, infundere est, vnde amet, & se præsumat amari.* Vnde concludit: *Itaque locutio Verbi infusio doni, responsio animæ cum gratiarum actione, admiratio, &c.* Quid clarius, & ad rem nostrã expressius?

Id ipsum expresse docet Sancta Mater nostra THERESIA, Mansione 6. cap. 3. vbi de his locutionibus sermonem instituens, inquit: *Certiores porro quæ hic haberi possunt notæ meo iudicio, sunt istæ. Prima ac præ cæteris vera est, dominium & potestas illa, quam ipse secum fert, quod scilicet loquatur simul & operetur. Clarius me explicabo. Versatur, verbi gratia, anima quædam in omni tribulationis, angustiæ & pressuræ interioris, quam dixi genere: intellectus adhæc illi penitus obscuratus est, magnaque eam occupat ariditas: & ecce vel vnica harum allocutione exempli gratia solum dicendo:* Noli affligi, *mox omnis pressura discutitur, summaque vndequaque luce perfunditur: adeo vt omnis illa pœna, quam ei (vt quidem videbatur) non mundus vniuersus, neque quidquid doctorum hominum est, si ad rationes, ob quas non doleret, ei proponendas conuenissent, eximere ac dimouere, quantumcumque demum ad id contenderent potuissent, id momento euanescat & afflictio illa prorsus cesset. Multum deinde affligitur, quod Confessarius & alij nonnulli ei dixerint spiritum satanæ esse, à quo ipsa diripitur; vnde ipsa penitus consternata, ingenti timore percellitur, & ecce, vel vnico verbo quod ei dicatur,* Ego sum, noli timere, *in momento fugit omnis afflictio & ingenti consolatione in animo persusa, prorsus serenatur, adeo vt nullus tanta sibi futurus videatur eloquentia, qui, vt aliud id esse credat, sibi persuadere possit. Denique ob gratia quædam negotia valdè anxia, & afflicta est, quod quis eorum sit futurus euentus ignoret; audit sibi dicentem vt quiescat & tranquilla sit, etenim fœlicem vniuersa successum habitura, vnde valde certa ac secura redditur, nullamque exinde anxietatem sentit. Atque ita de alijs plurimis id genus rebus &c.* Et cap. 25. suæ vitæ sic etiam de hac re loquitur: *Cum ergo in magna illa anxietate constituta essem, hæc sola verba animis quam sufficientia fuêre ad illam auferendam, mentemque meam omni nubilo discusso, serenandam:* Filia noli timere; ego enim sum, & non deseram te, noli timere. *Putabam sane (vt quidem me dispositam vidi) valde longo tempore opus esse, ad mihi persuadendum, vt mentem ego meam ad quietem ponerem, & neminẽ sufficientẽ ad hoc eloquentiã & ingenium adferre posse: & ecce sola verba hæc,* 3.

B. Joannis à Cruce

Opera Mystica

NVII

124

ita me ſerenant, corroborant, animant, ſecurum reddunt, quietant & illuminant, vt animam meam in momento plane immutatam viderem, & aliam, & contra vniuerſum mundum diſparandis rationibus euicisſem Deum eſſe, qui in me operaretur. O quam bonus Deus eſt! verba eius ſunt opera, vnde ita mecum ipſa dicebam, quis eſt hic, cui omnes potentiæ meæ ita obediunt, & qui vnius momento, tam ſpißis in tenebris lucem ſerenitatemque adſert &c. Idemque repetit cap. 26. & 30. ſuæ vitæ.

4. Id ipſum docet D. Bonauentura itiner. ſecundo æternitatis diſt. 5. vbi ex Diu. Bernardi doctrina ſic loquitur: *Vide quoniam Verbum Dei, quod egreditur de ore Dei, non reuertitur ad Deum vacuum, ſed proſperatur & facit omnia ad quæ miſit illud, vt dicere poſſis & tu, gratia Dei in me vacua non fuit.* Conſonat Beatus Thomas de Villanueua in Cant. fol. 124. colum. 1. in fine ſic inquiens: *Quod etiam in hac vita in Sanctis impleri exiſtimo, quando non iam per Scripturas, ſed per ſeipſum loquitur os, & impletur, quod ſcriptum eſt,* erunt omnes docibiles Dei, *Cum ſic Spiritus loquitur omnis litera faſtiditur.* Quam etiam doctrinam de locutione Dei operatiua, & effectiua, ſeu infuſiua docet Diuus Gregorius lib. 2. Moralium cap. 4. ibi: *Reſpondere ergo Dei, eſt eorum mentibus libenter expectanda moras infundere.* Noſter Ioannes à IESV Maria de Myſtica Theologia cap. 8. Suarez libro ſecundo de oratione, cap. duodecimo, numero 21. Antonius Fernandez de viſionibus Prophetarum, præludio 3. numero 3. Venerabilis Doctor Ildephonſus de Oroz. o in lib. de meditatione & contemplatione, folio 138. paginina 1. columna ſecunda, Magiſter Baſilius Pontius Legionenſis in Defenſorio citato, propoſitione 5. & plures alij.

5. Quod autem attinet ad terminum illum, *ſubſtantialis locutio*, ſatis vſitatus, & communis eſt huiuſmodi terminus, ad ſignificandas res, quæ & ſi, phyſicè loquendo, ſubſtantiam phyſicam non importent, tamen ſunt magni ponderis, & momenti, deſumpta ſimilitudine à ſubſtantia phyſica, quæ reſpectu accidentium quid firmum, & ſolidum importat, rationemque entis ſimpliciter obtinet; accidentia vero comparatione illius debilia, & multò minoris momenti, ac non niſi entia ſecundū quid ſunt, & ideò quoties volumus ſignificare aliquid valde ſolidum, & magni momenti, dicere ſolemus, illud eſſe valde ſubſtantiale; econtra vero ad ſignificandam rem minoris momenti, parumq; ſolidā ſolemus eam accidentalē appellare: quia ergo huiuſmodi locutiones ſunt magni momenti, & perfectiſſimæ, eo quod effectum magni ponderis, quem ſignificant, re ipſa in anima, ſiue immediatè, ſiue mediatè operentur, idcò meritò ad id ſignificandum ſubſtantiales locutiones appellantur, quamuis mediis accidentibus, cuiuſmodi ſunt ſpecies intelligibiles, actuſque vitales potentiarum exerceantur.

6. Quem ſenſum ipſemet IOANNES noſter ſatis explicuit, dum in eodem capite 31. apponens exemplum huiuſmodi locutionum ſubſtantialium, & in quo hæc ratio ſubſtantialitatis, vt ſic dicamus, conſiſtat, explicans, ſic inquit: *Itaque licet certum ſit omne ſubſtantiale verbum eſſe etiam formale: non tamen propterea omne formale verbum ſubſtantiale eſt, ſed ſolummodo illud, quod (ſicuti ſuperius diximus) vere realiterque illud imprimit animæ quod ſignificat. Vt ſi Dominus noſter formaliter diceret anime,* Sis bona, *illicò ſubſtantialiter foret bona, vel ſi diceret.* Dilige me, *confeſtim in ſe amoris ſubſtantiam haberet, & ſentiret, qui eſt verus Dei amor, &c.* Ecce qualiter ſubſtantiam amoris, non pro ſubſtantia phyſica-

sica, sed pro vero amore sumit, quamuis alias, physicè loquendo, amor accidens sit, iuxta quem etiam sensum, alius terminus huic similis, nempè, essentialis, sumi solet.

Iuxta hunc ergo sensum valde vsitata est hæc locutio. Sanctus namque Dionysius cap. 2. de diuinis nominibus, & ibidem D. Thomas lect. 4. virtutes substantificas appellat, D. etiam Bonauent. in soliloquijs cap. 4. vocat contemplationem, *Gaudium substantiale*, plures etiam alij, vt Suarez tom. 2. de Relig. lib. 2. cap. 6. & 8. veram deuotionem, substantialem appellant, Thaulerus quoque sermone 2. Dominicæ 18. post festum Sanctissimæ Trinitatis, amorem valdè perfectum, essentialem nominat; & in hunc modum plures aliæ locutiones frequenter reperiuntur, & in communi vsu loquendi vsurpantur.

Alia etiam de causa locutiones istæ, substantiales dici possunt, quamuis non in ipsa animæ substantia, sed in eius potentijs exerceantur, quia scilicet fiunt valdè intimè, & cum minori dependentia ab externis sensibus: quia ergo substantia, seu essentia rei est maximè intima in vnaquaque re, ideò ad explicandam hanc intimitatem huiusmodi locutionum, independentiamque ab externis sensibus, meritò locutiones istæ substantiales dicuntur. 7.

Accedit deniq; alia ratio, quia sc. huiusmodi locutiones, propter suâ perfectionē, participant aliquando modum illum, quo substantijs immaterialibus Deus loquitur, necnon, & assimilantur magis visioni beatificæ, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 174. art. 2. & Suarez tractat. de fide disp. 8. sect. 5. num. 6. cumque per visionem beatificam Dei substantia & essentia cognoscatur, ideò ad perfectionem huiusmodi locutionum, quæ magis prædictæ visioni assimilantur, explicandam, terminus ille, substantialis locutio meritò eis applicatur. Vnde modum hunc loquendi approbauit citatus Magister Basilius Legionensis loco citato, & re vera iuxta prædictos sensus, qui satis vsitati sunt, maxime verò primus, non potest non approbari.

§. II.

Secunda propositionis pars elucidatur, & ex communi doctrina confirmatur.

QVo ad secundam verò partem, quæ asserit non oportere tunc animam laborare in exequenda re, quæ per talem locutionem significatur, eo quod ipse Deus tem illam in ipsa anima, & cum ipsa operatur. 8.

Verissima est hæc propositio, constatque ex dictis circa infallibilem efficaciam, & operationem huiusmodi locutionum, hac enim stante certum est, quod sine vllo labore animæ, accipiet ipsa effectum huiusmodi locutionum.

Per hoc autem quod excludatur labor, nequaquam excluditur operatio, vt constat ex dictis circa propositionem præcedentem à num. 14. & etiam ex ipsismet verbis Mystici nostri Doctoris, in hoc eodem loco siquidem asserit: *Habeat se cum resignatione & humilitate in illis, dando suum liberum assensum Deo &c.* Resignatio enim, humilitas, & liber consensus, operationes ipsius animæ manifestè exprimunt, & statim

B.
Joannis
à Cruce

Opera
Mystica
NVI
124

subiungit rationem, quare ipsa non debet laborare. *Cum istis siquidem verbis substantialibus operatur Deus in illa & cum illa &c.* Vbi *cum illa. &c.* cooperationem ipsius animæ euidenter ostendit.

Imò etiam tunc dari operationes meritorias docuit Mysticus noster Doctor loco supra c. præcedenti citato num. 6. ex li. *Flamma amoris viua*, Cant. 1. vers. 2. nectar, & in præsenti testimonio, dum liberum consensum admittit, libertate namque concessa statim meritum subsequitur.

9. Vnde, generaliter loquendo, huiusmodi locutiones Dei ad animam non fieri sine perceptione, & operatione vitali ipsius animæ, eo quod in quadam illuminatione, & inspiratione consistant, docent optimè D. Gregor. lib. 28. Moral. c. 2. & sequentibus. D. Bonauen. itinere 5. æternitatis dist. 2. D. Thomas 2. 2. quæst. 172. artic. 3. Cassiodorus in prologo super Psalmos cap. 1. Curiel controuersia vnica, super illud ad Hebræos multifariam multisque modis, &c. art. 2. difficultate 3. num. 48. Antonius Fernandez de visionibus præludio 1. & 3. Suarez lib. 2. de oratione cap. 12. num. 11. vbi rem hanc bene explicat pluresque alij.

§. III.

Elucidatur & confirmatur tertia propositionis pars.

10. DEINDE quoad tertiam partem, quæ asserit tunc non oportere animam aliquid agere, sed solũ habere se cum resignatione, & humilitate præbendo suum liberũ consensum Deo, verissima est etiã hæc propositio, cuius sensus patet etiam ex dictis eodem modo sicuti, & sensus præcedentis, siquidem nequaquam omnem animæ operationem vult excludere, cum expressè in hoc eodem loco eam constituat, vt modo perpendimus, & in alijs etiam locis in elucidatione præcedentis propositionis citatis, eam etiam multoties statuat, sed solum vult excludere operationem propriam in sensu, quem ex communi SS. Patrum & Theologorum Mysticorum doctrina, & testimonijs, circa propositionem præcedentem explicuimus.

11. Vnde locutiones has in silentio ipsius animæ in sensu dicto fieri optimè docuit Venerabilis ille Antistes Bartholomæus à Martyribus in 2. parte compendij cap. 11. inquiens: *Nam dum vires animæ silent, & à propria actione quiescunt, Deus ipse loquitur, easque mentis vires prolibito disponit, & afficit, nobilissimum opus in ea perageris, &c.* Quod etiam indicare voluit Samuel 1. Reg. 3. n. 10. dicẽs ad Dominum: *Loquere Domine quia audit seruus tuus.* Exprimiturque in illo Ecclesiast. 32. *Audi tacens, & pro reuerentia audies tibi bona gratia.* vt supra propos. 4. n. 41. explicuimus: & ideò huiusmodi cessatio ab operatione simul appellatur silentium, & clamor, seu clamor silentij, vt bene notauit citatus Antonius Fernandez præludio illo 3. num. 1.

Ex quibus satis superque constat quantum distet, imò expressè aduertatur hæc doctrina & locutio ab errore hæreticorum asserentium, nos absq; cooperatione nostra iustificari; in quo tanquam in re manifestissimè ex dictis, tam circa hanc, quam circa præcedentem propositionem demonstrata, amplius immorari non oportet.

§. IV.

§. IV.

Vltima propositionis pars elucidatur, & ex communi Theologorum doctrina confirmatur.

DENIQVE quoad vltimam partem, quæ asserit, quod in his locutionibus non habet quis aliquam deceptionem timere, eo quod nec malignus spiritus, nec proprius possint sese in illis immiscere, verissima est etiam hæc propositio, & cõformis communi Theologorum doctrinæ, tum quia iuxta illam certum est, non posse Diabolum intellectum immediatè illuminare, aut illabi in illo, sed solùm per aliquá imaginariam visionem, aut etiam sensibiliter loquendo, & ideò in visionibus seu locutionibus merè intellectualibus non potest sese immiscere, vt expressè docent D. Augustlib. 2. de Genes. ad literam cap. 13. in fine, & cap. 14. in principio D. Thom. 2. 2. quæst. 172. artic. 5. ad 2. & ibi Caietan. Curiel controuers. 1. super illud ad Hebræos multifariam multisque modis artic. 2. numer. 63. Tyreus de Apparitionibus lib. 4. capite 15. & 16. Suarez libro secundo de Angelis cap. 25. num. 9. & lib. 6. cap. 16. & in tract. de fide disp 8. sect. 7. Antonius Fernandez de visionibus præludio 3. Magister Basilius Legionensis loco citato propositione 5. & plures alij. 12.

Vnde quoties is si animæ manifestatur, prædictas locutiones esse mere intellectuales, & spirituales, statim etiam cognoscit esse omnino liberas ab illusione Dæmonum, & ideò prædictas illusiones non potest tunc timere, vt ex modo dictis euidenter deducitur, optimeque docet Sancta Mater nostra THERESIA Mansione 6. cap. 3. ibi: *Quod in intima animæ parte fiat, tam clarè animæ suæ auribus ista verba, & ipsummet Dominum ita secreto sibi loquentem se audire putat; vt hic ipse ea audiendi modus, accedentibus etiam operationibus, quas hæc ipsa visio operatur, securam, ac certam eam faciat, nullum diabolo hic posse locum esse &c.* 13.

Cum quo tamen optimè cohæret, quod aliquando quamuis Deus ad animam loquatur, ipsa tamen non omninò certo, & euidenter id cognoscat, nec plenè discernat, an sit spiritus Dei, vel spiritus malignus, vel etiam spiritus proprius, sed id ex quibusdam signis, & coniecturis colligere debeat, vt docent, & exemplis confirmant D. Gregorius homilia 1. in Ezech. D. Bonauent. de processu Relig. cap. 18. D. Thom. 2. 2. q. 171. art. 5. & q. 173. art. 4. asserens, quod tunc non reperitur vera prophetia, sed solum instinctus propheticus, qui est quid imperfectum in genere prophetiæ. Docent etiam Suarez tract. de fide disp. 8. sect. 4. Curiel vbi supra art. 2. Santius in lib. 2. Reg. cap. 7. versiculo 4. num. 6. Cornelius in Isai. in proœmio fol. 9. Aluarez in cap. 1. Isaiæ à num. 6. & plures alij.

Cæterum quamuis hoc aliquando contingat, tamen quando locutio, aut visio est perfecta, hanc incertitudinem non relinquit, sed affert secum omnimodam certitudinem, imò, & euidentiam, quoad *an est* de Deo reuelante, vel loquente, & de veritate rei reuelatæ, vt reuelata est, quæ excludit omne dubium, vel suspicionem, an aliunde scilicet, vel ex spiritu maligno, vel ex proprio procedat, vt docet Augustinus lib. 2. super Genes. ad literam cap. 17. & lib. 2. cap. 19. D. Athanasius de passione Domini, D. Hieronymus Isa. 1. D. Basilius præfatione in Isaiam, & Isai. 1. & homil. 1. in Psalm. 28. & D. Thomas 2. 2. quæst. 171. articul. 5. in corp. & quæstio. 12. de verit. 14.

B.
Joannis
a Cruce

Opera
mystica
TOM VII
1724

verit.art.1.ad 4.& quæst.173.art.4.& in eisdem locis, Caietanus, necnon & Curiel vbi supra artic.2.difficultate 2. Suarez tract.de fide disp.8.sect.5.& titul.1. de gratia prolog. 3. capite 5.num.22.Cornelius in proœmio in Isaiam, estque communis Theologorum sententia.

15. Quæ locutiones sic perfectè non solum personis publicis, sed etiam particularibus valde familiaribus,& amicis Dei fieri solent, vt constat ex communi doctrina Theologorum, qui id tanquam certum supponentes, vertunt in dubium, an fides diuina, per quam persona particularis assentitur huiusmodi reuelationibus, sit eadem cum fide communi,& Catholica, per quam datur assensus reuelationibus communibus pertinentibus ad mysterium nostræ fidei. Quam quæstionem tractant Caietanus, Cano, Soto, Bannez, Valencia, Zumel, Belarm. Aragon, Salmeron, quos refert Suarez disp.3.de fide sect.10.& Aluarez in Isaiam capite 1. versiculo 1. num.8.& in ea quæstione vtraque pars est satis probabilis, & vtraque supponit id, quod modo dicebamus, scilicet eum, cui fit prædicta reuelatio, aut locutio, siue sit persona particularis, siue publica, & siue res reuelata pertineat ad commune bonum Ecclesiæ, siue ad aliquid aliud particulare bonum posse habere omnimodam certitudinem, atque adeò euiuidentiam quo *ad an* est de reuelatione diuina, seu de Deo vt reuelante, quæ excludat omne dubium, vel suspicionē an aliunde, vel scilicet ex maligno spiritu, vel ex proprio talis reuelatio proueniat contra quod nulla ratio alicuius momenti reperiri potest, vt bene,& late probat Curiel controuers. citata art.2.

Vnde plures ex huiusmodi reuelationibus fuerunt factæ aliquibus personis particularibus valde familiaribus,& amicis Dei, vt de D.Benedicto, de B. Catharina Senensi, de B.Brigitta,& alijs docet Curiel vbi supra art.2.num.44.& de S.Matre nostra THERESIA constat ex his, quæ ipsamet refert cap.25.suæ vitæ,& Mansione 6. cap.3.

Et ideò id ipsum, etiam pro personis particularibus, docent D. Gregorius lib.28.
36. Moral.cap.2.& lib.8.capite 13.& lib.4.dialog.cap.48.D. Augustinus lib.3.confes. capite 11. quem ad hoc propositum refert Cornelius vbi supra fol.5. D.Bonauent. de proces.Relig c.20.Hugo Victorinus, quem refert, & sequitur Medina 1.2.q.22. in fine, B.Thomas de Villanueua in Cant. fol.123. pag.1. Venerabilis Antistes Bartholomæus à Martyribus 2.par. compendij § 1.Perier.li.1.in Daniel. super illa verba: *Fuit autem Daniel vsque ad annum primum.* Cyrillus disp.de somnijs quæst.3.Fernandez de visionibus, prælud.3 Tyreus de apparitionibus cap.15.numer.5.& cap.18.id latè probans,& confirmans,& Aluarado tom.1.Artis seruiendi Deo lib.2.cap.38.nu. 18.latissimeque id docuit,& explicuit S.Mater nostra THERESIA locis super citatis. Vnde propter hanc omnimodam certitudinem plures, & graues Theologi docent huiusmodi particulares reuelationes, & locutiones esse sufficientem rationem pro his, ad quos fiunt, ad assentiendum illis ex fide supernaturali,& diuina. Sicnamque sentiunt Bellarm.lib.3.de iustificat.c.3.& plures alij quos refert,& sequitur Suarez disp.3.de fide sect.10.num.2.

17. Quæ tandem omnia confirmantur, quia ex eo colligitur reuelationem, & cognitionem propheticam esse omnino certam, & infallibilem, quia visionis nomine indigi-

insiguitur, ad denotandam, non minus esse certam illam cognitionem, quam visionem oculorum circa proprium, & proportionatum obiectum, vt constat ex multis Scripturæ testimonijs, in quibus huiusmodi reuelationes, visiones appellantur, & Prophetæ appellabantur communi vocabulo Videntes, vt bene notarunt Curiel citato art. 2. n. 5. Fernandez de visionibus præludio 1. Aluarez in c. 1. Isaiæ versiculo 1. à num. 1. & alij: at aliquando personæ particulares, quibus huiusmodi reuelationes, & locutiones diuinæ fiunt, dicuntur propter summam certitudinem videre id, quod Deus ad ipsas loquitur, vt optimè docuit D. Greg. lib. 28. Moral. c. 2. S. Mater nostra THERESIA Mans. 6. c. 3. Rusbrochius de ornatu spirituali nuptiarum c. 25. Dionysius Carthusianus epist. ad Christianos Principes art. 13. D. Bonaueutura itinere 5. æternit. dist. 4. & itinere 2. dist. 5. noster Ioannes à IESV Matia de Mystica Theologia cap 8. & plures alij: ergo ex simili locutione potest pariformiter colligi omnimoda certitudo harum reuelationum, & locutionum.

Vnde manifeste constat, doctrinam Mystici nostri Doctoris in hac vltima parte huius propositionis, quæ asserit in huiusmodi locutionibus, non debere animam timere deceptionem aliquam, vel maligni spiritus, vel proprij, esse conformem communi doctrinæ Sanctorum Patrum, ac Theologorum, de qua proinde nullus mediocriter peritus potest rationabiliter dubitare. Quomodo autem, & per quam speciem hæc certitudo, & euidentia de Deo reuelante habeatur, quæstio est Theologica, quam latè, & optimè discutit Curiel citata controuers. 1. artic. 2. modum huius certitudinis & euidentiæ optimè assignans. 18.

CAPVT VI.

ELVCIDATVR PROPOSITIO SEXTA, Sanctorumque Patrum testimonijs illustratur.

SEQVITVR iam elucidanda sexta propositio ab aliquibus notata, quæ habetur in libro secundo Ascens. Montis Carmeli capite 32. vbi loquens de quibusdam affectionibus, vel perceptionibus spiritualibus perfectissimis, & valde arcanis, sic loquitur. 19.

Quorum originem & causam, à qua promanant, bonaque opera, propter quæ Deus sublimes adeò fauores tribuit, nec anima ipsa, nec qui illius curam gerit cognoscere, & intelligere queunt: non enim à quibuscumque operibus, quæ anima peragere possit, nec à considerationibus meditationibusq; ipsius dependent; licet huiusmodi res sint bonæ dispositiones ad illa obtinenda: largitur illa Deus cui vult, & ob quam causam illi placet. &c. Pro cuius propositionis elucidatione eam in duas partes diuidemus,

B.
Joannis
à Cruce

Opera
Mystica
TVI
124

§. I.

Declaratur, & confirmatur prior propositionis pars.

2. IN priori igitur parte asserit huiusmodi affectiones, seu perceptiones spirituales, valdè reconditas, & perfectas non posse perfectè cognosci, vel ab ipsa anima, quæ eis afficitur, nec à spirituali Magistro animam gubernante; & hoc verissimum est, huiusmodi namque affectionibus propissimè conuenit nomen Theologiæ Mysticæ, quod, vt sæpè in præcedentibus admonuimus, rem valde secretam, & occultam significat. Vnde doctrinam hanc docent communiter SS. Patres D Bernardus serm. 74. in Cant. vbi sermonem instituens de introitu Dei in animam, sic inquit: *Fateor, & mihi aduenta esse Verbum, & pluries, cumque sæpius intrauerit ad me, non sensi: aliquoties cum intrauerit, adesse sensi adfuisse recordor, interdum, & præsentire potui introitum eius, sentire nunquam, sed ne exitum quidem, nam vnde in animam meam venerit, quove abierit, demum tam dimittens, sed & qua, vel introierit, vel exierit etiam ignorare me fateor, secundum illud: Nescis vnde veniat; aut quo vadat, nec mirum tamen, quia ipse est, cui dictum est, & vestigia tua non cognoscentur, &c.* Et paucis interpositis subiungit: *Ita igitur intrans ad me aliquoties Verbum sponsus, nullus vnquam introitum suum indicijs innotescere fecit, non voce, non specie, non incessu. &c.* Quam etiam doctrinam repetit idem Bernardus citatus à D. Bonauent. in lib. de quatuor mentalibus exercitijs, qui soliloquium appellatur cap. 2. inquiens: *Nonnunquam quasi clausis oculis benè Iesu ad te inhiantis mittis mihi in os cordis, quod non licet mihi scire quid sit, &c.* Consonat Hugo Victorinus ibi ab eodem D. Bonauent. citatus, sic de hac re loquens: *Iam nesciunt vbi se esse conspiciunt, & quasi amplexibus amoris aliquid intus tenent, & nesciunt quid sit, & tamen totis viribus tenere concupiscunt.* Accedit D. Gregor. ibidem citatus inquiens: *Iubilus dicitur ineffabile mentis gaudium, quod non absconds, non sermonibus aperiri potest, sed tamen quibusdam motibus aperitur, licet nullis proprietatibus exprimatur &c.* Quam doctrinam approbant D. Bonauent. loco citato, Rosignol de disciplina Christianæ perfectionis lib. 3. c. 14. Auctor tract. de via salutis apud Dionysium Carthusianum, &c.

§. II.

Elucidatur, & testimonijs Sanctorum Patrum corroboratur secunda pars propositionis.

3. DEINDE in 2. part. huius propositionis, in qua asserit Mysticus noster Doctor huiusmodi affectiones, & perceptiones spirituales valdè sublimes, & reconditas non debere ex operibus, aut considerationibus nostris, vel diligentijs, non excludit huiusmodi dependentiam, seu potius coaptationem, & conuenientiam cum illis, tanquam cum dispositionibus, seu meritis de congruo, cum potius ibi expressè asserat: *Licet huiusmodi res sint bona dispositiones ad illa &c.* sed solum excludit dependentiam ab illis, tanquam à meritis de condigno, seu infallibilibus, & in hoc sensu, quem ipsemet Mysticus noster Doctor explicuit, verissima est hæc propositio: etenim, iuxta com-

communem SS. Patrum sententiam, & quotidianam experientiam huiusmodi spirituales affectiones adeò sublimes, Deique spirituales fauores, non cadunt sub meritis de condigno, nec dependent ex nostris diligentijs, ita vt cum eis infallibilem habeat connexionem, quamuis negari non possit, quod merita nostra, virturumque exercitia sint optima pro illis dispositio. Cæterum independenter ab his dispositionibus misericorditer aliquando imperfectis conferuntur, aliquando verò perfectis denegantur, quod optimè notauit D. Gregor. homil. 17. in Ezech. his verbis, non enim contemplationis gratia summis datur, & minimis non datur, sed sæpè hanc summi, sæpè minimi, sæpe remoti, aliquando etiam coniugati percipiunt.

Vnde doctrinam hanc de independentia à meritis condignis docent communiter S. Patres, & alij doctores D. Bernard. ad Fratres de Monte Dei, D. Bonauent. de septem gradibus contemplationis, & in soliloquio supra citato cap. 2. ibi: *O anima magnum est, quod desideras, inæstimabile donum est, quod exoptas. Vnde (vt æstimo) humano studio non potest obtineri, humano merito vix potest promereri, sed adeò humilibus precibus, & à dignè dispositis ex sola diuinæ pietatis concedentia vix potest impetrari.* Ricard. in Cant. cap. 8. & lib. 4. contemplat. c. 23. Cassianus collat. 4. cap. 5. D. Laurentius Iustinian. de perfectione monastica cap. 18. S. Mater nostra THERESIA cap. 12. suæ vitæ, vt ibidem adnotauit in marginali nota sapientissimus Magister Luisius Legionensis necnon, & in via perfect. c. 25. Beat. Thom. de Villanueua in Cant. super illa verba: *Introduxit me Rex in cellam vinariam.* Frater Bartholomæus à Martyr. 2. p. compendij ca. 13. §. 4. ibi: *Ad tantam gloriæ machinam pertingere non valet mens propria industria, Dei enim donum est, non hominis meritum, &c.* Et cap. 13. §. 1. vbi propter hanc rationem comparat contemplationem gratijs gratis datis, quæ non cadunt sub merito, sic inquiens: *Habeto ergo pro certo in sola charitate esse regnum Dei, gratiam autem contemplationis inter cæteras gratias gratis datas computato, &c.* 4.

Id ipsum docuit S. Pater Ignatius relatus à Rosignolio de disciplina Christianæ perfectionis lib. 3. capite 14 sic inquiens: *Solius est Dei consolari animam nulla præcedente consolationis causa, cum sit hoc proprium Creatoris suam ingredi creaturam, & illam in amorem sui totam conuertere, trahere, & mutare, causam vero præcedere nullam tunc dicimus, quando nec sensibus, nec intellectui, nec voluntati nostræ quidquam obiectum est, quod eiusmodi consolationem causare ex se possit, &c.* Quæ verba fere eodem modo reperiuntur apud citatum Bartholomæum à Martyr. 2. 1. part. compend. c. 7. pag. 54. ac tandem id docent Blosius in epistol. quadam sub finem, Suarez titul. 2. de Relig. lib. 2. de orat. c. 14. num. 5. Molina Carthus. tract. 2. de orat. cap. 6. §. 2. Ludouicus de la Puente in introductione ad orationem mentalem §. 11. circa finem, Basilius Legion. in Defensorio sæpe cit. propos. 3. & 7. noster Thom. à Iesu lib. 1. de contemplat. capite 9. Rosignolius vbi supra, Alphonsus Rodrig. tom. 1. tract. 5. de orat. cap. 18. & plures alij. 5.

Ex quibus omnibus constat, quantum distet, imò potius aduersetur doctrina hæc errori hæreticorum afferentium eum, qui contemplationi vacat, debere ab operibus bonis, etiam si cadant sub præcepto, cessare. De hoc namque, nec verbum fecit Mysticus noster Doctor, sed solum asseruit huiusmodi spirituales affectiones valde sublimes specialesque Dei fauores non dependere ab operibus nostris, tanquam ex 6.

B.
Joannis
a Cruce

Opera
Mystica
TVII
124

meritis de condigno, quamuis bona opera sint pro illis optima dispositio, quod communi Sanctorum Patrum Doctorumque Catholicorum consensu comprobatum est, experientiaque ipsa satis comprobatur.

CAPVT VII.

ELVCIDATVR SEPTIMA PROPOSITIO, Sanctorumque Patrum testimonijs comprobatur.

1. ACCEDAMVS ad septimam propositionem ab aliquibus notatam, quæ habetur lib. 1. qui inscribitur *Nox obscura &c.* cap. 1. vbi sic loquitur.

Amantissima Mater gratia diuina, statim ac noua Deo inseruiendi calore feruoreq; regenerata animam, vniuersa etiam hæc illi exhibet officia. Facit enim eam dulcè sapidumq; spirituale lac in ubera omnibus diuinis absque vllo suo labore reperire; in vniuersis quoq; spiritualibus exercitijs, manum consolationem & gustum: hoc enim præbet illi Deus suum tenera amoris vber quemadmodum tenello infanti. Hinc huiusmodi anima delitiæ sunt, orationi multum temporis, vel fortassis nullum etiam integras insumere; ipsius oblectamenta sunt pœnitentiæ, recreationes summa, vnicum solatij, sacramentis frui, deq; rebus diuinis sermones miscere. Quibus rebus omnibus quanquam magna illi efficacia & intentione incumbant & vacent; magnamque in ijs adhibeant diligentiam spirituales viri, spiritualiter tamen loquendo, vt plurimum, debiliter admodum, & imperfectè esse in illis gerunt. Cum enim ad huiusmodi res, exercitiaque spiritualia moueantur suauitate illa, & consolatione quam in ijs reperiunt, &c.

§. I.

Verus propositionis sensus declaratur.

2. CIRCA huius propositionis elucidationem sciendum est, nequaquã sensum eius esse, quod incumbere spiritualibus exercitijs propter delectationẽ, vel consolationem spiritualem in eis tepertam, sit vitiosum, vel peccaminosum. Etenim, vt rectè D. Bonauent. tom. 1. opuscul. lib. 4. pharetræ c. 29. & 30. multis Sanctorum Patrum testimonijs ostendit, sæpe vtilis est spiritualis consolatio ad hoc, vt hòmines virtutis viam ingrediantur, & in ea perseuerent. Sensus igitur huius propositionis est, quod huiusmodi voluptates, & consolationes spirituales in bonis operibus, & exercitijs appetere, & si vitiosum non sit, est tamen debilis, & imperfectus, seu minus perfectus operandi modus, quã solam Dei gloriam, & voluntatem in illis quærere, & propter solum Deum operari, hunc autem vltimum operandi modum esse omnium perfectissimum, qui sensus ex ipsismet verbis Mystici nostri Doctoris satis constat.

3. Ad hunc igitur sensum, quem ipsamet exprimit, intellecta hæc propositio verissima proculdubio est, eamque communiter Sancti Patres, & Doctores, qui de rebus spiritualibus tractant, vnanimiter docent; constatque manifestè ex dictis supra cap. 1. 2. part. huius Elucidat. circa elucidationẽ 1. propositionis vbi plura Sanctorũ Patrum testimonia adduximus ad ostendendum, quod is, qui perfectè vult operari, debet

debet excludere quærumlibet rerum quantumuis spiritualium, quatenus ad ipsum, per proprium amorem etiam spiritualem pertinere possunt, appetitum, soliusque Dei gloriam intendere, quæ testimonia ibidem videnda sunt. Et ideò D. Tho. 2. 2. quæst. 23. artic. 6. in corpore excellentiam charitatis explicans inquit: *Charitas attingit ipsum Deum, vt in ipso sistat, non vt ex eo aliquid nobis proueniat.* Quod bene nouerat Sancta Mater nostra THERESIA, quando loco supra c. 1. n. 20. citato dicebat. *Hoc quam optime nouit Dominus, vel ipsa in grauissimam cæcitatẽ incidi, quod nec honor, nec vita, nec gloria, nec bonũ aliquod in corpore, nec in anima sit, quod me retineat, & quod nec velim nec desiderem, nec aliud emolumentum quæram præter gloriam eius, &c.* & c. 39. suæ vitæ id ipsum testatur inquiens: *Verba autem, quæ identidem dicere, & quidem verissime (prout mihi quidem videtur) soleo, sunt hæc;* Quid de me ipsa sollicita sum, præterquam de te Domine?

§. II.

Alia ad idem propositum Sanctorum Patrum testimonia subiunguntur.

SED præter illa adhuc alia, ad hoc propositum placuit subiungere, & in primis D. 4
Bernard. explicans illud Cantic. 3. *Tenui eum, nec dimittam*, comparat amorem quem in his verbis sponsa ostendit ad sponsum cum amore, quem ostendit Patriarcha Iacob, dum postquam tota nocte cum Deo, seu Angelo Dei personam repræsentante luctatus fuerat, dixit ei, non dimittam te, nisi prius benedixeris mihi Genesis 32. quibus in verbis Iacob amorem quendam veluti mercenarium respectu Dei demonstrasse videtur, siquidem saltim pro benedictione ipsum Deum dimittere volebat; secus vero Sponsa, quæ adeò ardenter Sponsum diligebat, vt adhuc pro benedictione ipsius Dei nollet ipsum dimittere, sed tenere, ipsum solum præter se ipsum, & non propter eius benedictionem, seu consolationẽ amans, & quærens. Qui modus operandi, & amandi perfectior est, vnde Bernardus loco citato, sic inquit: *Sponsa non vult Sponsum dimittere, & forte magis, quam Patriarcha id non vult, quia nec pro benedictione quidem, siquidem ille benedictione accepta dimisit eum, hæc autem non, sed nolo inquit benedictionem tuam, sed te, quid mihi est in Cœlo, & à te quid volui super terram, &c.*

Eandem doctrinam expresse docet Sancta Mater nostra THERESIA, cap. 11. suæ 5
vitæ, sic inquiẽs: *In primis notandum est, vnde etiam ipsa id dicere audeo (longa quippe experientia id didici) animam, quæ in hac orationis mentalis via firmo cum perseuerandi proposito ambulare incipit, & iam eo peruenit, vt parum curet, ac non multum propterea exultet, aut deijciatur, quod has spiritus consolationes, & animi teneritudinem ei Dominus vel subtrahat, vel concedat; hanc, inquã animam non paruam viæ partem iam confecisse, & metuere non debere, ne retro respiciat; esto subinde labatur, & cespitet; quod ædificium super firmo fundamento strui incipiat. Et certum est, amorem Dei non in effusione lachrymarum, non in his dulcedinibus, & teneritudine (esto hæc plerumque consectemur, & in hu consolationem nostram ponamus) situm esse; sed in eo, vt illi cum iustitia, animi robore, & humilitate seruiamus. In illis quippè, meo iudicio, potius quid accipimus, quam demus. Mulierculis quidem infirmis & parua rum virium, quales ego sum arbitror expedire, vt cum suauitate quadam, & blande conducantur, sicut me Deus modo conducit, vt aliquibus laboribus, quos*

D. Joannis a Cruce

Opera mystica

N VI

124

Maiestas eius mihi imponere voluit ferendũ par sim; sed dum illius tres seruos Dei, viros magnæ authoritatis, & doctrinæ & ingenij magnificere video, quod nullam à Domino sensualem deuotionem accipiunt, graue mihi id est audire. Non dico autem, vt eam non accipiant, si quando illam Deus largitur, aut non magnificiant (tunc quippè Maiestas eius videbit illis eam expedire) sed ne, cum ea carent, sese discrucient, aut ideo eam minime sibi necessariam esse existiment, quod eius Maiestas illam non det, discant vero sui ipsorum Domini & Victores esse. Credant oportet insignem hoc errorem esse (experta hoc ego sum & vsu obseruaui) nec non quandam imperfectionis speciem dicig; non cum libertate spiritus, sed cum pusillanimitate in certando procedere. Idipsum docet eadem S. Mater c. 39. suæ vitæ. & l. mansionum mansione 2. c. 1. *Quod etsi adhuc altas dixi; hoc tamen iterum repeto: nimirum vt qui primum incipit, hic non nisi delicias & consolationes esse putet, aut sibi fingat; hoc namque nimis humile & infirmum tam pretiosi, & magni ædificij fundamentum foret, &c.* Hoc idem mansione 4. cap. 2. repetit.

6. Accedit D. Bonauentura de 7. processu Relig. cap. 10. vbi sic habet: *Sunt etiam quædam sensibiles dulcedines, & suauitates experientiæ, quæ deuotis quandoque infunduntur, quæ cum veræ sint, & à Deo, possumus existimare, quod dentur quibusdam nouis, & rudibus, qui spiritualia nondum lucidè intelligunt, vt saltim per sensibilia consolentur in Domino, qui veritatem purè spiritualium non cognoscunt, in quibus maior vis est, & certior veritas, & fructuosior profectus, & prior perfectio,* & post pauca subiungit. *Sciendum quod aliqui seducuntur in eis, & putant esse aliquid magnum, quod in se nullius est meriti, &c.*

7. Consonat Ioan. Rusbroch. qui li. de vera contemplatione c. 69. hæc habet verbi. *Præcipit etiam nobis, vt absque vlla mercedis contemplatione ipsum supra nosmetipsos. & omnia, intentione, ac amore prosequamur: charitas enim præmium est, & vita æterna. Itaque sine aliquo respectu, vel reflexione amare debemus, amare enim ea de causa, vt vicissim amemur, natura est, & amoris inordinati.* Et inferius subiungit: *Multoque gratius nobis esse debet credere, sperare, atque considere illi, quam de vita æterna esse certos, atque securos, præcipit quidem nobis, vt se æternũ diligamus, non autem præcipit, vt mercedem eligamus* (& post pauca addit) *qui boni sunt, his charum est voluntas Dei, quam suæ ipsorum, malentque esse apud inferos cum voluntate Dei, quam in cælo nolente Deo.* Et lib. 2. de ornatu spiritual. nuptiarum c. 30. eandem habet doctrinam his verbis. *Christus in homine istiusmodi desolato libræ æquamentũ, vel æquilibrium obtinet: siue eum dulcibus eum afficiat, vel amaris; siue lucem infundat, vel premat tenebris: siue quidquid deuotionis imponat, semper libræ seruat æquabilitatem, & omnia æqualiter accipit, semper tamen peccato excepto, quod penitus oportet esse profligatum* (& postea subiungit) *consolatione omni vnquam à Deo præstita, quatenus eidem honorificum esse potest, libenter carendum.* Hæc omnia eleganter Rubrochius.

8. Sed strictissimè in eadem doctrina tradenda loquutus fuit Tauler. ser. Dominica 25. post Trinit. vbi sic ait: *Sed nec pro se ipso, vel sui causa, vero amatori in spirituali interna dulcedine voluptatem, aut oblectationem quærere licet, tametsi imperfectis, ac incipientibus Christi seruis id videatur esse permissum, perfectis verò minime.* Idem docet ser. S. Matthæi fol. 514. col. 1. ibi: *Certè inueniuntur, quos externa exercitia mirum in modum delectent, multaque cum alacritate illis incumbant, tantamque in eis capiant voluptatem, & gloriam, propterea multo minus grati sint Deo: & tanta posset eiusmodi esse delectatio, vt prorsus ingrata foret Deo, sese quæ ab illis auerteret, quando in illis se ipsos potiùs, quam Deum quærerent.* Et inferius inquit: *Itaque hoc nobis significatur, delectationem omnem, quæ in virtutum exercitijs, & actibus haberi potest, amore ipsa*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

concremandam, & immolandam rursus Deo. Et hoc idem prosequens, inferius asserit hanc doctrinam intelligi ab his, qui obscuta itinera, & angustas semitas ingredi habent, quod vtique non est omnium, &c.

Similiter Dionysius Carthusianus id ipsum expresse docet, dialogo in institutione 9.
nouitiorum art. 5. his verbis: *Tu & similes tui in spiritualibus exercitijs non dum satis exercitati, ac triti, putatis veram deuotionem in sensibili quodam sapore interno perceptibilique feruore consistere: non pensantes, quod heretici quoque, Iudæi, & Sarraceni in sacrificijs, & orationibus suis frequenter lachrymantur, feruent, ac dulci afficiuntur sapore.* Et inferius subdit: *Sed scito, quod quamuis internæ consolationis feruores frequenter à Deo præstentur, & veræ sint charitatis effectus, non tamen (vt tactum est) semper, nec ad veram deuotionem necessario requiruntur. Porrò vera, ac secura deuotio est promptitudo superioris appetitus, seu voluntatis ad ea, quæ Dei sunt, cum cordiali detestatione, ac debita fuga omnis mortalis peccati, siue hoc sit cum feruore sensibili, siue non* (& insuper addit inferius se aliquando in hoc errore fuisse.) *Magna est* (inquit) *ignorantia, & inexperientia mea, & erraui huc vsque, tunc solum, ac verè putans me esse deuotum, dum consolationem, feruorem, & gustum sensi internum.*

Suffragatur etiam Albertus Magn. lib. de adhærendo Deo cap. 10. dicens, *Præterea* 10.
non multum cures actualem deuotionem, ac sensibilem dulcedinem, vel lacrymas, sed tantum pro bonam voluntatem in intellectu sis mente, cum Deo, intra te vnitus.

Sed his omnibus tandem modernos aliquos Doctores graues tamen & pios addere placuit; in primis insignem Antistitem sæpè sæpius citatum Bartholomæum à Martyribus 1. part. cõpendij c. 7. pag. 53. qui ideo asserit, Deum aliquando huiusmodi consolationes denegare, *Vt probemur, an stipendio consolationum spiritualium solum ducti Domino inseruiamus, &c.* Ergo sensit non esse opus perfectum Deo propter huiusmodi consolationes inseruire, spiritualibusque exercitijs incumbere. Quam doctrinam repetit idem Antistes 2. parte, eiusdem compendij cap. 13. pag. 124. ibi. *Perfectè vero viuentes non seruili, aut mercenario, sed verè filiali amore in Deum tendunt dicentes: Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? &c.* Non potest ergo negari esse imperfectum operandi modum, prædictis exercitijs, ex amore spiritualium consolationum incumbere.

Accedat singularis ille contemplatiuus Venerabilis Thomas à IESV, Augustinia- 11.
nus, in libro perutilissimo, qui inscribitur labores IESV, labore quadragesimo octauo, ad principium, vbi sic inquit: *Deus denegat diuinas consolationes, vt amor erga ipsum perfectius depuretur, & ne homines quærant, aut ament suam diuinam Maiestatem ob gratias, quas ab ipso exspectant, sed propter id quod est in se, & quia amari meretur, sicque illi ex puro amore subdantur, vt æque libenter ab eo se tractari permittant derelictionibus, ac fauoribus. Et hic est perfectissimus status eorum, qui perfectè amant, & seruiunt Deo, à multis ignoratus, & à paucis expetitus, quemque paucissimi attingunt, &c.* Huc vsque Venerabilis hic vir.

Hanc eandem doctrinam, ab Augustino accipiens, docuit Aluarado in Arte bene 12.
viuendi lib. 2. c. 44. num. 11. Sucquet lib. viæ vitæ æternæ cap. 18. Aluarez de Paz tom. 1. de vita spirituali l. 3 p. 1. c. 12. & to. 2. l. 2. p. 3. c. 8. Rosignolius de disciplinæ Christianæ perfectione l. 5. c. 6. Arias de mortificatione tract. 5. orationis mētalis c. 3. & 4. noster Ioan. à IESV Maria in schola orationis tra. 3. dub. 31. Ludouic. de la Puente in meditat. 3. p. in introduct. §. 3. & in meditatione 26 punct. 3. Molin. Carthus. in doctrina orationis tract. 1. c. 6. Pater Ildephonsus Rodericus tit. 1. tract. 5. c. 18. & tra. 8. c. 24. 25. 26. & in 27. ad hoc propositum refert D. Aug. de ordando Deum epist. 121. S. Hieronym.

B. Joannis à Cruce

Opera Mystica

TVII

124

mum super illud Threnorum 3. *Sed cum clamauero, & rogauero, excluſit orationem meam.* Sanctum Gregor. lib. 20. moral. c. 21. & 24. & Magiſtrum Auilam tom. 2. epiſt. ac denique hanc doctrinam approbat Magiſter Baſilius Legionenſis in Defenſorio ſæpe citato propoſitione 17. vbi ad hoc propoſitum explicat quod dicitur de quibuſdam Lucæ 8. *Qui cum gaudio ſuſcipiunt Verbum Dei, & in tempore tentationis recedunt.* Tales namque aſſerit eſſe illos, qui opera bona ex intuitu prædictarum conſolationum exercent, ex quo fit, vt deficientibus prædictis conſolationibus, earumque loco adueni-entibus tentationibus, ipſi quoque deficiant, & à perfectionis via recedant.

Ex quibus omnibus ſatis conſtat, doctrinã Myſtici noſtri Doctoris in hac propoſitione eſſe communem apud S. Patres, & Doctores Catholicos, de cuius proinde veritate, & ſecuritate nulla rationabilis ſuſpicio ſuboriri poteſt, ſed quidquid contra illam obijceretur, eodem modo aduerſus communem Sanctorum Patrum, & Doctorum Catholicorum conſenſum deberet obijci.

CAPVT VIII.

Octaua propoſitio elucidatur, Sanctorumque Patrum, & illuſtrium Doctorum teſtimonijs illuſtratur.

1. PErgimus vlterius ad elucidandam octauam propoſitionem, quam habet Myſticus noſter Doct. lib. 3. Aſcenſ. Mont. Carm. cap. 17. vbi ſic inquit, *Vanum eſt optare liberos, vt nonnulli faciunt, qui ob filiorum deſiderium mundum vniuerſum inuertunt & perturbant, non enim illis perſpectum eſt, an probi futuri ſint, Deoque famulaturi, & vtrum gaudium quod ex ijs præſtolantur, fortaſſis vertendum ſit in mœrorem: requies & ſolatium in afflictiones & tribulationes: honores in ignominias, præbeantque occaſionem Deum magis offendendi; quemadmodum multis contingere ſolet &c.* (Et paulo inferius ſubiungit) *Vanitas quoque eſſet de vxore vel marito latari, quando euidenter non conſtat melius ſe in ſuo matrimonij ſtatu Deo obſequi &c.* Quam doctrinam confirmat ex illo Apoſtoli Corinth. 7. num. 27. *Qui habent vxores, tanquam non habentes ſint, &c.*

Quamuis huius propoſitionis veritas adeò aperta ſit, vt mirum videatur potuiſſe quẽ in illa offendere, & quamuis etiam legitimus, & Catholicus eius ſenſus ex dictis circa elucidationem primæ propoſitionis, & ex teſtimonijs Sanctor. Patrum ibidem adductis euidentiſſimè pateat, tamen pro maiori huius rei declaratione, aliqua, quæ ad elucidationem huius propoſitionis magis in particulari pertineant, ſubiunge-

mus.

§. I.

Legitimus propositionis sensus declaratur, & Sanctorum Patrum testimonijs corroboratur.

LEgitimus igitur, & apertus huius propositionis sensus est, vanum, ac reprobandum esse nimium aliquorum desiderium, & affectum erga filios, vxorem, vel maritum, sine attentione, & respectu ad maiorem Dei gloriam, spiritualemque eorum vtilitatem, & profectum, sed solum propter aliquod temporale commodum, lætitiam, vel iucunditatem, vel propter similes respectus, quibus plerumq; homines ad talem affectum, & amorem moueri solent. Et ideò intendit Mysticus noster Doctor talem amorem, & affectum iuxta hunc sensum relegare, spiritualesque personas perfectionis cupidas, taliter circa hanc rem instruere, vt nec filios, nec maritum, nec vxorem, præcise propter memoratos respectus diligant, aut illis, vt sic complaceant, sed eatenus dumtaxat suum affectum in eis constituant, quatenus prædicta omnia fuerint medium ad maiorem Dei gloriam, spiritualemque vtilitaem assequendam. Vndè quando huiusmodi conducentia incerta fuerit, consequenter, & rectè asserit, nullatenus in eorum amore, vel complacentia affectum firmandum esse, sed huiusmodi desiderium, & voluntatem, omnino cum diuina voluntate, & beneplacito circa prædicta omnia conformari debere. 2.

Et meritò sanè filiorum, & cognatorum affectum, nisi modo dicto diuinæ voluntati conformetur, & ad Deum omnino dirigatur, speciali cura amputandum esse Venet. IOANNES docuit, quia vix vlli praui affectus periculosius homines tentare solent, quam inordinati filiorum, & cognatorum affectus, adeò, vt aliquando homines improbo filiorum amore adducti à vero numine ad falsa idola defecerint, ita insanientes, vt mortuos filios immortales Deos consecrarent. Sic olim Syrophanes Egyptius mortuo filio, simulachrum eius posuit loco numinis adorandum. Sic & Ninus Assyriorum Rex filium sum Belum vita functum noluit intra mortuorũ vrnas delitescere, sed supra Deorũ aras erectis simulachris fulgurare, sic Thare filium suum Aram morte sublatum, immortalitate donare voluit, dum eius imaginem cõsecrauit. Sed quidquid sit de his exemplis, de quibus longior esse potest disputatio, certum est id, quod diximus ex Script. Sacræ testimonio Sapien. 14. n. 15. ibi: *Acerbo luctu dolens pater citò sibi rapti filij fecit imaginem, & illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & constituit inter seruos suos sacra, & sacrificia, &c.* Cui consonat illud, quod refertur Numeror. 33. n. 4. scilicet Ægyptios videntes, tum filios suos mortuos, tum etiam Deos suos percussos, magis curasse de sepeliendis, ac deplorandis filijs, quàm de Dijs restaurandis. Plura alia ad hoc propositum adducere possemus, ex quibus manifestissimè constaret, quantum nocere soleat nimius filiorum, & propinquorum amor: innumera namque sunt Scripturæ, & Sanctorum Patrum testimonia, in quibus id notatur, & perpenditur, sed in re tam aperta non est necesse amplius immorari, ex di- 3.

B.
Joannis
à Cruce

Opera
Mystica
TOM II
124

tis enim satis superque constat, quam necessarium sit huic amori, & affectui modum præscribere, ne plura, & grauia damna generet: quem modum optimè præscripsit Mysticus noster Doctor hunc effectum relegandum esse docens, nisi quatenus ad maiorem Dei gloriam ordinatur, cumque hæc maior Dei gloria fere semper incerta sit, eò quòd nescitur an filij, propinqui, & cognati grati Deo existant, vel futuri sint, meritò affectum illum, quo nimis anxie amãtur, præscisso prædicto respectu maioris Dei gloriæ, nabitaque attentione ad commodum aliquod, vel iucunditatem temporalem, Venerabilis noster IOANNES tanquam imperfectum, & vnionis cum Deo impeditiuum damnat.

4. Hanc autem doctrinam sæpè Script. sacra, & SS. Patres docent, cum propinquorum, & cognatorum amorem in sensu dicto amputare, & omnino relegare strictissimis verbis suadent, cuiusmodi sunt verba illa Christi Domini Lucæ 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & filios, & agros, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Et Lucæ 9. cum quidam diceret ad Iesum: *Domine permitte mihi primum ire, & sepelire patrem meum, respondit ei Iesus: Sine vt mortui sepeliant mortuos suos; tu autem vade, & annuntia regnum Dei, &c.* Super quæ verba Diuus Ambrosius sic inquit: *His paterni quoque funeris sepultura prohibetur, vt intelligas humana post habenda diuinis, bonum studium, sed maius impedimentum, nam qui partitur studium, deriuat affectum, qui diuidit curam, differt profectum, &c.* Et D. Chrys. hom. 28. in Matthæum circa finem eundem explicans locum inquit: *Quid igitur hinc præcipuè discimus, nisi quod nullo momento temporis cadere hæc, etiam si necessaria videantur, spiritualibus anteferenda sunt, &c.*

Nec minus stricta sunt verba illa Christi Domini Matth. 10. ibi: *Non veni pacem mittere, sed gladium, veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius.* Vnde recte D. Basil. in constitutionibus Monasticis ca. 21. inquit: *A propinquis autem amicis parentibus, siue amoris affectionibus nos tam longe oportet esse disiunctos, quàm longe eos, qui iam sunt vita disiuncti, à nobis videmus distare.*

Quam etiam doctrinã exemplo nos suo docuit idemmet Christus Dñs, dum Matrem suam, quantumuis sanctissimam, aliquando durè alloquutus fuit, dicens: *Quid mihi, & tibi mulier?* Quod pro nostra instructione fecit, vt benè notauit D. Bern. ser. 2. de mutatione aquæ in vinum his verbis: *Vt quid ergo? fratres vtique propter nos, vt non solicitet carnalium cura parentum, & necessitudines illæ impediant exercitium spirituale, &c.*

5. Sed adhuc strictius de hac re exemplum præbuit cum cuidam dicenti illi: *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te, respondit Iesus, quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei: & extendens manus in Discipulos suos, dixit: ecce mater mea, & fratres mei, &c.* Matth. 12. n. 47. quod exemplum rectè perpendens D. Ambr. li. 6. in Lucam c. 8. sic inquit: *Moralis magister, quid de se cæteris præbet exemplum, ipse suorum executor est præceptorum: præscripturus enim cæteris, quoniam qui non reliquerit patrem, aut matrem suam, non est filio Dei dignus sententiæ huius primus ipse se subiecit, non quo materna refutet pietatis obsequia, sed quia paternis se mysteriis amplius, quam maternis affectibus debere cognoscat, neque tamen iniuriosè refutantur parentes, sed religiosiores copula mentium docentur esse, quam corporum, &c.* Quod etiam super eundem Matthæi locum adnotauit Tertul. lib. 4. contra Marcionem c. 19. & li. de carne Christi c. & plures que alij Sancti Patres.

14.

Id ipsum strictissimis etiam verbis statuitur Exod.32.num.27.vbi tale præceptum habetur: *Occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum.* Quod explicans D. Ambr.epist.56. sic inquit: *Quod occidi fecit à proximis proximos, filios à parentibus, à fratribus fratres, præceptum euidens, quia præferenda est religio necessitudini, pietas propinquitati, ea est enim vera pietas, quæ præponit diuina humanis, perpetua temporalibus, vt contemplatione, ac amore reuerentiæ diuinæ perimeretur omnis affectus necessitudinis.* 3

Plura alia his similia Scripturæ, & S. Patrum testimonia adducere possemus, in quibus filiorum, parentum, & propinquorum affectus in sensu dicto resecari strictissimè iubetur, ea tamen consulto amittimus, quia ex dictis satis superque constat, quam vtilis, & necessaria, ac Scripturæ sacræ, & SS. Patrum doctrinæ conformis sit propositio nostri Mystici Doctoris, in qua id ipsum edocetur, nimiusque affectus erga filios, maritum, & vxorem damnatur, eo quod incertum est, an ipsi Deo grati existant, vel futuri sint, nec ne. 7.

§. II.

Egregio S. Mat. nostræ THERESIÆ testimonio aliisque etiam SS. Patrum dictis eadam doctrinæ confirmatur.

CÆterum non possumus non pro huius doctrinæ maiori confirmatione celebre quoddam testimonium S. Matris nostræ THERESIÆ adducere, quod habetur l.3. suarum fundationum c.7. vbi fundationem Monasterij oppidi Alba describens refert, quod cum fundatrix eiusdē monasterij, quæ appellabatur Theresa de Laiz summopere desideraret filios sibi à Deo concedi, nihilominus tale accipit à Deo responsum: *Noli velle prolem, nam condemnaberis.* 8.

Et vt testimonium hoc melius perpendatur ipsamet THERESIÆ nostræ verba referre placuit: *Sobolem vt à Domino obtineret, permagnis id deuotionibus & precibus ipsa cōtendebat; hanc autem vt desideraret, non alia eam impellebat ratio, quam vt se vita defuncta, hæres superesset, qui suo nomine Maiestatem illius continenter laudaret; & mihi quoque retulit, nunquam se in prole petenda aliud quid, quam dixi spectasse. Est namque mulier veritatis amantissima, christianis virtutibus & religione insignis. Hoc ergo desiderium cùm multis annis haberet, & illud B. Andreæ Apostolo commendaret, quem fœcundare steriles veteres didicerat, post multas preces & deuota exercitia in hunc finem assumpta quadam nocte cum in lecto iaceret, talis ad eam vox facta est: Noli velle prolem; nam condemnaberis, &c.*

Hoc ergo testimonio mirificè comprobatur Ven. N. IOANNIS doctrina, si enim hæc mulier, quantumuis solius Dei gloriā intenderet, tamen desiderans filios, re vera desiderabat id quod suæ damnationis causa futurum erat, quis non videat, quam vtilis, & necessaria sit Mystici nostri Doctoris doctrina, nimium desiderium filiorum, complacentiamque in marito, & vxore damnans, eo quod fere semper incertum sit, an exinde maior Dei gloria, animarumque vtilitas prouentura sit, nec ne. 9.

Vnde D. Hieron. lib.1. contra Iouinianum postquam retulerat paruam vtilitatē, quam exceperat Samuel ex filijs suis, qui nequaquam eius virtutis hæredes fuerunt,

B.
Joannis
a Cruce

Opera
Mystica
NVII
124

meritò reprobat desiderium, quo plures optant sibi filios à Deo concedi, cum nesciant an probi futuri sint, & ita sic eleganter loquitur. *Hæredem desiderauit hominem, cuius res Christi? & optabit liberos, nepotumque serie delectabitur, quos forsitan sit occupaturus Antichristus? Cum legamus Moysen, & Samuelem filijs suis alios prætulisse, nec putasse liberos, quos vellent Domino displicere.* Et in c. 1. epist. ad Titum sic de eadem re loquitur: *Samuel quoque qui talis fuit, vt inuocaret Dominum, & Dominus exaudiret eum, & in tempore messis plaustrum hymniis impetraret, habuit filios, qui declinauerunt post auaritiam.*

Quod etiam rectè notauit D. Chrysostomus himil. 9. in Matth. sic inquiens: *Quid filios Samuelis necessitudo iuuit parentis, cuius non fuerunt virtutis hæredes? Quid Moysi liberis æternæ profuit cura iustitiæ, cuius eis non successit imitatio?* &c. Optimè de hac eadem re disserunt Ambros. in epist. ad Rom. c. 11. & Philo Hebræus lib. de temulentia, pluresque alij Sancti Patres, quorum testimonia, prolixitatis euitandæ gratia, omittimus, solumque addimus ipsiusmet Spiritus sancti testimonium Ecclesiast. 16. n. 4. ibi: *Vtile est mori sine filijs, quam relinquere filios impios*, &c.

10. Ex dictis ergo rectè concluditur, meritò Mysticum nostrum Doctorem docuisse non esse multum desiderandos filios propter prædictam incertitudinē, & ideò nequaquam matrimonium eiusque fructum damnat, sed solum nimietatem affectus erga filios, vxorem, aut maritum. Cui consonat doctrina S. Mat. nostræ THERESIÆ in lib. viæ perfectionis c. 1. vbi de desiderio huiusmodi rerum temporalium loquens, sic inquit: *Non sic charissimæ, non sic, non est iam tempus ad parui momenti negotia cum Domino pertractanda. Sane, nisi ad humanam infirmitatem, quæ libenter in omnibus iuuari gaudet (& bene quidem si modo ipsa aliquid hic possemus) respectum haberem; quam vellem ipsis persuadere possem, non esse hæc huiusmodi, quæ tam sollicitè & affectuosè in hoc S. Iosephi monasterio commendari Deo debeant*, &c. Vbi sapientissimus Magister Luisius Legionensis hanc apponit Marginalem notam: *Dicere vult, eos qui paupertatem profitentur, sollicitè & anxiè aliorum voluntates sibi lucrari non debere, vt eleemosynas ipsis conferant.* Ex quibus omnibus doctrina huius propositionis satis superque elucidata, & confirmata manet.

CAPVT IX.

Elucidatur nona propositio, Sanctorumque Patrum, ac illustrium Doctorum testimonijs corroboratur.

1. SEquitur iam nona propositio, quæ habetur in lib. 3. Ascensus Montis Carmeli cap. 34. vbi agens Mysticus noster Doctor de cultu imaginum sic loquitur.

Spiritualis ac deuota persona, in inuisibili præcipuam suam reponit deuotionem, pauciss. indiget & vtitur imaginibus, ipsis; præsertim, quæ plus diuini quā humanis præ se ferunt: vestitū & ornatū eas, seque ipsam circa eas iuxta alterius potius sæculi schema, & formā, & iuxta Sanctorum statum,

nec vllo pacto huius sæculi figuræ, modoque sese accommodat: vt non solum appetitum ipsius, vestis sæculi huius, schemaque non permoueat: sed vt ne recordetur quidem eius per illud, aliquid illi, vel ipsius rebus simile præ oculis habendo, &c.

Tota doctrina, & locutio huius propositionis, maximè si sumatur coniuncta cum toto contextu illius capitis, adeò Catholica, & apertè vera est, vt non appareat quonam pacto potuerit quispiam in ea offendere, vel rationabilem aliquam suspicionem de illa concipere, etenim nequaquam vult negare, aut impedire vsum sacrum, cultumque debitum sacrarum imaginum, quem Ecclesia sæpè approbauit propter ingentes vtilitates, quæ ex huiusmodi cultu, & veneratione sequuntur, vt constat ex decretis Sextæ Synodi generalis Can. 83. & Concilij Nizeni 2. actione 3. necnon Septimæ Synodi generalis, Concilij etiam Senonent. & Maguntini, ac denique Tridentini sess. 25. relatis ab expositoribus Diui Thomæ 3. parte quæst. 25. vbi præcipuè Suarez. & Vazquez. per multas disputationes de hoc tractant. necnon, & plures alij Doctores Catholici, quos congessit Augustinus Barbosa in remissionibus ad Concilium Tridentinum loco citato.

§. I.

Verus propositionis sensus ex doctrina Venerabilis nostri IOANNIS manifestè demonstratur.

HVNC ergo vsum, & cultum sacrarum imaginum nequaquam reprobare voluit Mysticus noster Doctor, imò potius illum sæpissimè, adeò expressè commendat, vt non appareat quomodo quispiam, qui doctrinam eius legerit, poterit, etiam per modum leuis suspicionis, prædictum errorem in illo notare, etenim capite 14. lib. 3. Ascensus Montis Carmeli, sic loquitur: *Verum animadvertere te hoc loco oporteret (ô charissime Lector) quod nequaquam assentimur, neque conspiramus. sed neque assentiri & conspirare in hac nostra doctrina volumus, cum illa pestiferorum hominum doctrina, qui à Satanica superbia inuidiaque persuasi, eliminare & extirpare ab oculo fidelium sanctum & necessarium vsum, inclytamque Dei, ac Sanctorum Imaginum adorationem, & venerationem voluerunt. Quin potius nostra hæc doctrina plurimum ab illa discrepat: non enim hoc loco docemus, vt non habeantur imagines, neque vt illis adoratio debita non impendatur, sicut ipsi docent; sed solummodo explicamus discrimen quod inter illas Deumque reperitur: & vt taliter picturæ intueantur, vt non impediantur ad id, quod imagines repræsentant tendere plus illo, quam ad pergendum ad spiritualia satis sit, inhærendo. Quemadmodum enim bonum necessariumque est medium ad consequendum finem (cuiusmodi medium sunt imagines ad reuocandum in memoriam Deum ac Sanctos) ita etiam quando plus assumitur ex medio, plúsque in eo sistitur, quam solius medij necessitas postulet, ipsum medium assecutionem finis impedit & retardat, &c.* Quod idem optimè vsque ad finem capitis prosequitur. 2.

Et cap. 34. eiusdem prædicti libri 3. Ascensus Montis Carmeli sic iterum imagines commendat: *Cum imagines tanti sint ad cultum diuinum momenti, tamque ad permouendam & excitandam ad deuotionem voluntatem necessariæ: quemadmodum approbatio vsusque earum, qui in sancta Ecclesia Matre nostra viget perspicuè demonstrant; (vnde etiam semper illis ad excitandum teporem nostrum vti expedit) multæ tamen reperiuntur personæ, quæ gaudium suum in* 3.

B.
Joannis
à Cruce

Opera
Mystica
NVI
124

pictura potius ornatuque earum reponunt, quam in eo quod repræsentant. Ob duos primarios fines sacrarum imaginum vsum instituit S. Ecclesia: primo ob debitum in illis honorem, & reuerentiam sanctis exhibendam: secundo ad permouendam voluntatem, atque deuotionem erga eos per illas excitandam. Et quatenus ad hæc conferunt ac deseruiunt, summam adferunt vtilitatem, vtique earum necessarius est, ad quem finem consequendum imagines illæ, quæ magis propriè ad vnum repræsentant, magisque voluntatem ad deuotionem excitant, eligi debent, ad ista potius, quam aduerum valorem, curiosum artificium & ornatum, oculos collimando. Et cap. 36. sequenti sic ait. *Quemadmodum imagines non mediocriter conferunt ad excitandam Dei sanctorumque memoriam, & voluntatem ad deuotionem permouendam, vtq ordinaria, sicuti æquum est, illis vtendo; ita etiam non leuia erunt occasio erroris, si cum res supernaturales circa eas contingunt, nesciat anima qualiter ad Deum tendere debeat, &c.*

4. Ex quibus omnibus testimonijs euidenter constat, Mysticum nostrum Doctorem nequaquam debitũ cultum, & veneratione sacrarum imaginũ, prout ab Ecclesia sancta approbatus est, reprobare, sed potius valdè cõmendasse. Vnde solũ voluit reprobare imperfectiones, quæ in prædicto vsu immiscerí solent, vel ratione nimiæ curiositatis, vel ratione affectus ad figuram ipsam, seu speciem externam imaginis, qui affectus motum cordis, & deuotionem ad prototypum, seu Sanctos per imagines repræsentatos impedit, aut retardat, vel ratione vanæ fiduciæ, quæ in vna imagine potius quam in alia eiusdem Sancti, vel Sanctæ ratione maioris ornatus, vel pulchritudinis figuræ, aut alia simili de causa ab aliquibus apponi solet: has inquam, & alias similes imperfectiones solum vult in prædictis locis, vbi de hac materia agit, relegare: quia re vera ordinato, & vtili sacrarum imaginum vsui, prout ab Ecclesia Catholica approbatur, aduersantur, ac proinde Catholicam doctrinam, quæ has omnes imperfectiones relegandas esse docet, adstruit, docetque ipsum, quod docuit Concilium Tridentinum loco citato his verbis: *Imagines porrò Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas, & retinendas, eisque debitum honorem, & venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in ijs diuinitas, vel virtus propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum; vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant, sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant, vt per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur; id quod conciliorum præsertim, vero secundæ Nicænæ Synodi decretis contra imaginum oppugnatores est sanctum.*

5. Quod autem hæc sit aperta mens Mystici nostri Doctoris in eisdem locis, constat ex manifestis eiusdem testimonijs. Etenim cap. 34. citato: vnde hæc propositio, quam elucidamus, desumpta est, sic loquitur. *Sunt nonnulli qui imaginis potius artem valoremque intuentur & considerant, quam illud quod repræsentant: & internam deuotionem quam ad inuisibilẽ sanctũ spiritualiter dirigere deberent, in exteriori affectu & curiositate ista ponunt, vt sibi in ea complaceat ac oblectetur sensus, amorque & voluntatis gaudium in ea remaneat; quæ res totaliter verum spiritum impedit, qui affectus annihilationem in omnibus rebus particularibus requirit. Hoc clarè animaduertere licet, ex quadam abominanda consuetudine, quæ temporibus istis apud plerosque inualuit, qui cum vanum mundanorum vestiendi modum maximè abhorruerint, sacras imagines illo vestimentorum schemate, quod homines vani ad recreationem, alio-*

ac leuitatum suarum satisfactionem indies adinueniunt, exornant, eaque vestium forma, quæ in ipsis reprehensione digna est, sanctorum induunt imagines, quæ res profecto sanctis, quos repræsentant, semper ingrata fuit & inuisa adhuc est: hocque modo conatur dæmon, & ipsi cum eo, authoritatem vanitatibus suis, in Sanctos eos conferendo, non sine graui ipsorum iniuria conciliare.

Quamuis laudabile sit huiusmodi imagines & instrumenta habere, quæ animæ deuotionem excitent, (ad quem etiam finem semper huiusmodi seligendæ sunt, quæ eam magis excitent) verum non est perfectionis: adeo illis adhærere, vt eas cum proprietate possideat, ita vt si ab ea tollerentur, contristetur. Quamobrem id sibi persuadeat anima, quod quo maiori cum proprietate imagini vel motiuo sensibili adhæserit, eo minus orationem ac deuotionem suam ad Deum ascensuram. Licet enim extra controuersiam sit, quod imagines quæ magis adamussim rem repræsentant, magisque quam aliæ deuotionem excitant, ob id, eamque solam ob causam maiori cæteris amore dignæ sint; minimè tamen id fieri debet cum ea proprietate & adhæsione, de qua nuper sum locutus, ne videlicet eo, quod spiritum celeri quodam volatu in Deum subleuare debebat, oblitioni dato, totum absorbeat sensus, delectationi instrumentorum immersus, quæ cum spiritum solummodo promouere deberent, ad hunc que dumtaxat deseruire finem; iam ob istius hominis imperfectionem, potius obstaculo sint, & impedimento, & aliquando non minus, quam cuiusuis alterius rei adhæsio & proprietas. Et cap. 35. sic ait: *Multa de ruditate & stupiditate quæ circa imaginum vsum multa laborant personæ, essent dicenda; nam eousque stoliditas hæc peruenit, vt nonnulli plus fiduciæ in quibusdam reponant imaginibus, quam alijs, à solo affectu, amoreque, quo in vnam magis quam in aliam feruntur figuram, inducti: quæ in re insignis quadam ruditas & rerum ad diuinum cultum ac honorem illi debitum attinentium, ignorantia latet: qui orantis fidem, accordis puritatem maximè intuetur.* Quos abusus & alios similes inordinatos affectus, & imperfectiones, circa imagines, rosarios, oratorios, peregrinationes, deuotionesque superstitiosas ab aliquibus rudibus inuentas, & vsitatas in reliquo huius capitis, & subsequentibus latè reprobat, & condemnat.

Vnde his imperfectionibus relegatis, & damnatis, docet debitum modum, qui in vsu sacrarum imaginum seruari debet, nempè, vt illæ dumtaxat tanquam mediũ in quo nullatenus sistere, aut detineri, sed per illum ad repræsentata, nempè ad verũ prototypum, cordis affectu, transire debeamus. Vnde c. 35. eiusdem libri sic inquit. *Quare nullo modo facienda est reflexio in artificij artisque, cum qua imago est efficta, differentiam, vt plus spei in vna reponatur, quam in alia: esset enim hoc insignis stupiditatis; sed illæ pluris fiant, quæ magis acuunt deuotionem.* Et cap. 36. sic ait. *Quapropter ad vniuersa damna, quæ in hoc euentu anima pati posset euadenda: (quæ sunt à celeri in Deum volatu præpediri & retardari, vel vili modo & insipienter imaginibus vti, vel certè per illas decipi, quæ omnia superius adnotauimus) ad repurgandam præterea voluntatis delectationem & gaudium, & dirigendam per eas ad Deum animam, (qui est scopus quem in ipsarum vsu proponit Ecclesia) vnicum dumtaxat monitum & documentum quod pro omnibus satis est, præscribere volo; & est huiusmodi: Quod quandoquidem imagines sacræ ad nil deseruiunt aliud, nisi vt sint nobis motiua inuisibilium rerum, nihil etiã aliud requiramus in eis præter motiuum, affectum, voluntatisq; delectationem in re viua, quam referũt & repræsentant. Propterea vtatur fidelium quilibet hac circumspectione, vt statim ac aliquam fuerit intuitus imaginem, nolit illi sensum immergere & alligare, siue fuerit corporea imago, siue imaginaria, siue fit pulchrè & eleganter efficta, siue pretiosè ornata, siue illi sensitiuam, siue etiam spiritualẽ conciliet deuotionẽ: omnibus istis accedẽtibus spretis nõ amplius sese ad eã reflectat: sed præstita*

6.

Ima-

B. Joannis à Cruce
Opera mystica
NVI
124

Imagini ea, quam Ecclesia præcipit adoratione, confestim inde erigat mentem ad rem quam repræsentat, succum & voluntatis oblectamentum in Deo, vel sancto, cuius opem implorat, cum deuotione ac spiritus sui oratione reponat: ne id quod vnico prototypo & spiritui debetur, à pictura & sensu vsurpetur.

§. II.

Sanctorum Patrum & illustrium Doctorum testimonijs eadem doctrina confirmatur.

7. VNDE constat doctrinam Venerabilis nostri IOANNIS circa hunc cultum omnino coincidere cum ea, quam ex Cõcilio Tridentino supra retulimus, quamque omnes Doctores Catholici tradunt. Et ideò Adrianus I. in epist. ad Constantinum & Irenem, quæ in 2. act. 7. Synodi refertur, loquens de Iacob, qui adorauit summitatem virgæ Ioseph, sic inquit. *Non quod virgam, sed tenentem eam adoranit, quid hoc sibi vult? nimirum, quod nos iuxta desiderium, & amorem quo erga Deum Sanctosque ipsius affecti sumus, figuras imaginibus repræsentamus, non inquam in coloribus, & tabulis honorem constituentes, &c.* Id ipsum docent Chrysostomus, Damascenus, Stephanus Episcopus Bostrensis citati ab Adriano loco supra citato.

8. Hanc eandem doctrinam tradidit Gregorius Nissenus citatus ab Adriano ep. ad Imperatorem, quæ habetur in 7. Synodo act. 2. his verbis: *Nam qui Imaginem aspicit, quæ ex arte per diuersos colores in tabula est expressa, non ex pictura, & colorum sinistura similitudinem accipit, sed ad contemplationem primi exemplaris animam reducit, &c.*

Accedit Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in epistola ad Ioannem Episcopum, quæ habetur in 7. Synodo act. 4. insuper, & Epiphanius Diaconus act. 6. eiusdem Synodi cuius hæc sunt verba, ibi. *Nec salutis spem in illis (scilicet imaginibus) constituunt, nec ab his iudicium aliquod futurum expectant, &c.*

9. Consentit noster Thomas Waldensis tomo 2. de Sacramentalibus capite 156. num. 6. inquiens: *Sicut enim qui viderit imaginem alicuius, videt eum cuius est imago, ao scilicet intuitu, ita quod plenè obliuiscitur imaginis, dum prima contemplationis instantia rapitur in signatum, & sic vident multi quosdam vestitos, qui interrogati de colore vestis ignorant, quia tota ferebantur in hominem: ita qui adorant imaginem, eum adorant cuius est imago.* Alia quam plurima, tam Sanctorum Patrum, quàm Conciliorum, Pontificum, & Theologorum testimonia in fauorẽ huius veræ, & Catholicæ doctrinæ adducit Vazquez tomo primo, in tertia parte, disputatione 108. capite tertio, quarto, quinto, & sexto, quibus consentit reuelatio, quam habuit Sancta Mater nostra THERESIA de hac re, cum enim (vt ipsa refert in additionibus ad suam vitam) ipsa legisset in quodam libro imperfectionem esse possidere imagines curiosè ornatas, & ita reliquere vellet quamdam imaginem, quam in cella habebat, taliter à Diuino oraculo edocta fuit, *Librum illum non imaginem, sed nimium artificium & curiositates in imaginibus improbare, &c.*

10. Consonat etiam Venerabilis Antistes Frater Bartholomæus à Martyribus 1. p. compendij spiritualis cap. 3. pag. 32. vbi sic inquit: *Non habeas superflua, & curiosa, quia dispu-*

distrahunt, & occupant cor, quare nol im affectes habere imagines, tabulas curiosè depictas, &c. Cui consonat illud, quod in 2. parte compendij, cap. 10. pag. 74. sic inquit. *Nihil tenaci corde possideas, nullius viri quantumuis sancti amicitiam, & familiaritatem humanitus expetas, nam non solum, quæ mala sunt, sed etiam bona huic sapientiæ officiunt, si inordinatè diliguntur, vel quæruntur, &c.* Et cap. 11. fol. 90. ita ait: *Imò tempore vnionis inter Deum, & animã quascumque, licet bonæ imagines sunt procul expellendæ, quia sunt media inter vtrumque. Ideo athleta huc peruenire cupiēs (Deo ipsum trahente, atque vocante) cum primum senserit se diuino amore vehementer inflāmari, ac sursum trahi, properè rescindat quaslibet imagines, festinetque ad Sancta Sanctorum, & internum illud silentium, in quo non humana, sed diuina dumtaxat est operatio.* Vnde constat, quam conformis ad Sanctorum Patrum mentem, sanctæque Ecclesiæ fidem sit doctrina Mystici nostri Doctoris, quippe qui cum eis constanter asserat imagines ad deuotionem excitandam perutiles, ac necessarias, veneratione neque, & honore propter prototypum dumtaxat dignas esse.

§. III.

Doctrina Mystici nostri Doctoris amplius declaratur.

TANDEM circa id quod Mysticus noster Doctor in hac eadem propositione asserit, scilicet personam spiritualem, & deuotam paucis imaginibus indigere, & vti, eo quod principaliter in visibilibus deuotionem suam constituat, obseruandum est, nequaquam illum denegare velle personis spiritualibus, & deuotis debitum sacrarum imaginum vsum, vt ex adductis ipsius testimonijs euidenter constat, sed solum vult assignare differentiam inter personas spirituales, ac deuotas comparatione earum, quæ valdè sensibiles sunt, deuotioneque vera carent, ac rebus spiritualibus non adeò intendunt. Hi namque imperfecti, cum rebus sensibilibus valdè attēdant, & in illis sint immersi, spiritualia autem ægre percipiant, magis indigent medijs sensibilibus, & visibilus, cuiusmodi sunt imagines, quibus ad spiritualia, & inuisibilia ducantur; at verò personæ spirituales, & verè deuotæ cum à rebus visibilibus, & sensibilibus mentem iam abduxerint, ac spiritualibus, & inuisibilibus magis intendāt, non adeò indigent prædictis medijs visibilibus, ac sensibilibus, cuiusmodi sunt imagines, ad hoc, vt in earum prototypa ferantur, sed faciliter sine illis possunt orationi ac Dei, & Sanctorum inuocationi intendere, cumque id ad quod ipsæ imagines ordinantur, nempè ad eleuandam mentem in Deum, & Sanctos, orationisq; studium promouendum, assequantur, & obtineant, iam propter rationem dictam prædictæ personæ sine his medijs, meritò non adeò illis indigent, & vtuntur, sicut aliæ personæ non spirituales, quæque non nisi per sensibilia, & visibilia ad inuisibilium cognitionem peruenire solent: Cæterùm adhuc prædictis personis spiritualibus, & verè deuotis nequaquam sacrarum imaginū vsum omnino denegat, sed solum asserit paucis indigere, eoque ipso aliquibus indigere, & vti concedit, quoties scilicet ad excitandum in Deum, & Sanctos affectum, & deuotionem necessariæ, vel vtiles illis fuerint. 11.

B.
Joannis
a Cruce

Opera
Mystica
NVII
124

Quæ doctrina sic explicata verissima est, eamque approbat Magister Basilius Legionensis in Defensorio sæpè citato, propositione 12. colligiturque ex eo quod docet Gerson, opusc. de Mystica Theologia practica, consideratione quarta, refert, & sequitur Frater Bartholomæus à Martyribus in secunda parte compendij capite 11. cui coniungenda est doctrina Tauleri cap. 35. institutionum, vbi sic inquit: *Quæsi quæratur, cur omnibus imaginibus renuntiandum sit? Respondetur eam ob causam, quod non nisi via quædam sint ad nudam, & simplicem veritatem, &c.*

13. Quod hoc exemplo potest optimè declarari, si enim habuerit quis ante conspectum suum imaginem Regis, ac simul ipsam personam Regis, ineptum esset non omittere pro tunc reuerentiam, & intuitionem imaginis, eo quod illi videretur indecorum esse, prædictam reuerentiam imagini regiæ non exhibere, id inquam tunc stultum esset, siquidem maior irreuerentia esset, debitum honorem, & reuerentiam ipsi personæ Regis, quam in conspectu haberet, immediatè non exhibere, vt scilicet reuerenda, & honoranda imagine regia occuparet; ita ergo in præsenti, cum persona spiritualis, & perfecta interiùs attendat, ac veluti præsentem habeat Deum, & Sanctos, si vellet pro tunc se diuertere ab interna adoratione ipsius Dei, & Sanctorum, vt ad eorum imagines externas se conuerteret, proculdubio imprudenter, ac inordinatè se gereret: cum igitur personæ spirituales, & perfectæ huic internæ attentioni ad Deum frequenter incumbant, excitatumque habeant affectum ad Dei, & Sanctorum cultum, & veneratsionem, quidquid medijs imaginibus externis quærere possent, frequenter sine illis obtinere solent, & ideò non adeò indigent, neque vtuntur externarum imaginum vsu, sicuti illi, qui propter defectum internæ attentionis ad Deum, & ad res spirituales, prædictis medijs sensibilibus freqeenter indigent, iuxta hunc ergo sensum, quem ipsa verba propositionis Mystici nostri Doctoris satis exprimunt, verissima est hæc doctrina, & ab omni sinistra suspicione libera, vt ex dictis satis superque constat.

14. Tandem in fine huius elucidationis animaduertimus id ipsum, quod circa vsum, & cultum imaginum ex doctrina Mystici nostri Doctoris diximus, & explicuimus, ad vsum etiam, & deuotionem locorum Sanctorum, cuiusmodi sunt oratoria, & alia similia deuotionis prouocatiua, seu excitatiua applicandum esse, vt bene notauit Basilius Legionensis loco citato, constatque manifestè ex Mystica nostri Doctoris doctrina, quæ proinde verissima, & vtilissima est.

CAPVT X.

PROPOSITIO DECIMA ELVCIDATVR, & Sanctorum Patrum, illustriumque Doctorum testimonijs illustratur.

1. PERGIMVS vlterius ad elucidandam decimam propositionem, quam habet Mysticus noster Doctor lib. 1. *Obscuræ Noctis*. cap. 4. vbi sic loquitur,

Ob-

Crebro siquidem euenit vt in ipsismet spiritualibus exercitijs, absque eo quod hoc in eorum situm sit potestate impari sensualitatis motus exurgant & sentiantur: & hoc interdum tunc fit, cum spiritus sublimem exercet orationem, vel certè pœnitentiæ ac Eucharistiæ Sacramentis vtitur. Qui motus cum non sint (vt dixi) in illorum potestate, ex vna è tribus causis oriuntur. Primo loco huiusmodi commotiones (quanquam raro, & in hominibus debilis complexionis) à suauitate, qua in rebus spiritualibus demulcetur natura, interdum promanare solent: cum enim spiritus sensusque suauitate illa fruuntur, refectione seu recreatione illa qualibet etiam hominis pars, secundum proportionem & proprietatem suam, ad delectationem prouocatur; Tunc enim spiritus, qui est superior pars, ad oblectandum & se Deo recreandum excitatur; sensualitas vero, quæ inferior est portio, ad sensibilem suauitatem & delectationem permouetur: non enim nouit illa alio delectationis modo frui; vnde accidere potest, animam secundum spiritum in oratione Deo esse intentam; ex alia vero parte secundum sensum, rebelliones ac commotiones sensuales passiue, non absque graui sua renitentia & nausea, experiri.

§. I.

Verus, & legitimus propositionis sensus ex ipsa Mystici N. IO ANNIS doctrina apertè demonstratur.

PRo elucidatione, & vera intelligentia huius propositionis, & vt manifestè conster quantum à turpibus erroribus hæreticorum, qui Illuminati dicuntur, re vera distet, solum est necessarium ipsa propositionis verba attendere, ac perpendere. Etenim nequaquam in eis asserit Mysticus, ac purissimus noster Doctor id, quod prædicti hæretici turpiter asserebant, scilicet motus, ac delectationes turpes; & inhonestas posse licitè, & cum libero consensu voluntatis à personis spiritualibus amplecti, & desiderari, ac intendi, eo quod ex redundantia spiritus eas dimanare asserebant. Huius namque pestiferi, & turpissimi erroris oppositum expressè docet in hac propositione Venerabilis noster IOANNES, siquidem asserit huiusmodi sensualitatis motus, quos aliquando personæ spirituales orationi incumbentes patiũtur, non esse in earum libera potestate, atque adeò nequaquam liberos, sed merè naturales; illi vero hæretici asserunt esse liberos, & cum consensu voluntatis: præterea docet IOANNES noster huiusmodi motus contingere, *Non absque graui animæ renitentia*, ipsi vero affirmant ab ipsa anima libenter amplecti, imò & desiderari, ac intendi: tandem Mysticus noster Doctor asserit huiusmodi motus oriri ex naturæ debilitate, & infirmitate; prædicti vero hæretici ex ipso spiritu oriri affirmant, & ideò manifestè constat non minus distare IOANNIS nostri doctrinam à prædicto errore, quam lucem à tenebris, nulloque, vel apparenti prætextu posse, sine manifesta calumnia, tam turpem errorem Angelico huic viro tribui. 2.

Vnde legitimus, & securissimus huis propositionis sensus est, quẽ ipsa verba satis exprimunt, scilicet quod aliquando cum mens circa rerum spiritualium contemplationem, & delectationem est occupata, simul inferior hominis pars, non quidem per se ex vi spiritus, seu affectionis spiritualis, sed merè concomitanter, & per accidens occasione aliqua ex delectatione circa res spirituales per accidens & remote 3.

B.
Joannis
à Cruce

Opera
mystica
TOM
I

desumpta, patitur motus aliquos turpes, & inhonestos prouenientes ex ipsius naturæ, seu partis inferioris debilitate, absq; vllo consensu voluntatis, in cuius potestate non est tunc prædictos motus euitare, imò potius ipsa voluntate renuente, & cum magna eius displicentia eos patitur, quod ad euitandam molestiã anxietatem & afflictionem sanctarum mentium, quæ huiusmodi res inuitè patiuntur, & ad earum lucem, ne scilicet propter hæc ab orationis, & contemplationis salubertimis exercitijs auertantur, aduotare, & docere conuenientissimum fuit.

§. II.

Ratione, & experientia propositionis doctrinæ comprobatur.

4. AD hunc ergo sensum, quem ipsa clarè exprimit, intellecta hæc propositio verissima proculdubio est, constatq; tum experientia, sæpe enim audiuimus personas aliquas spirituales vitam perfectissimam, atque purissimam agentes fateri non sine magna verecundia se in oratione, vel contemplatione, ac rerum spiritualiũ delectatione huiusmodi turpibus motibus, ac delectationibus sensualibus, reluctante voluntate, imò, & cum magna animi molestiã, & dolore in inferiori parte affici. Tũ etiam ratione philosophica quam indicat sapientissimus Magister Basilius Legionensis in Defensorio supra citato propositione 18. Etenim certum est, quod magna aliqua lætitia, vel tristitia ipsius animæ propter cõiunctionem eius ad corpus esteriã occasionaliter causa transmutationis corporalis secundum calorem, vel frigus, quæ transmutatio per accidens se habet ad prædictum animæ affectum, per se tamen ordinatur ad aliquem actum appetitus sensitiui, quã doctrinam expresè docet D. Th. q. 26. de verit. art. 10. in corpore, vbi sic habet: *Secundum naturæ ordinem propter colligantiam virium animæ in vna essentia, & animæ, & corporis in vno esse compositi, vires superiores, & inferiores, & etiam corpus, & anima inuicem in se influunt, quod in aliquo eorum superabundat, & inde est, quod ex apprehensione animæ transmutatur corpus secundum calorem, & frigus, & quandoque vsque ad sanitatem, & agritudinem, & vsque ad mortem,* & 1. 2. q. 22. art. 2. ad 3. sic inquiens. *Est autem, & alia naturalis transmutatio organi prout organum transmutatur, quantum ad suam naturalem dispositionem, puta, quod calefit, aut infrigidatur, & alio simili modo transmutatur, & huius transmutatio per accidens se habet ad actum apprehensiuæ, sed ad actum appetitus sensitiui per se ordinatur huiusmodi transmutatio. Vnde in definitione motuum appetitiuæ partis materialiter ponitur aliqua naturalis transmutatio organi, sicut dicitur, quod ira est accensio sanguinis circa cor,* &c. Vlterius supponendum est huiusmodi transmutationem corporalem debere proportionari affectioni animæ à qua occasionaliter, & per accidens dimanat, vnde sicuti ex timore, vel tristitia oritur frigefactio, & constrictio per quam pori corporis constringuntur, vt docet D. Thom. citata q. 26. de veritate art. 3. in corpore, ita è contra ex amore, delectatione, & gaudio ipsius animæ, oritur etiam modo dicto calor, liquefactio, & dilatatio organi corporalis, per quam pori corporis dilatantur, vt docet idem D. Thom. 1. 2. q. 28. art. 5. experientiaque ipsa comprobatur.

5. Ex dictis ergo deducitur ratio eius, quod dicebamus, cum enim ex amore, & delectatione,

ctatione, gaudioque animæ circa spirituales res, oriri possit saltim per accidens transmutatio in organo corporali, secundum calorem, liquefactionem, & dilatationem, inde est quod semel supposito hoc calore, & dilatatione in corporali organo, maximeque adiuncta naturæ debilitate, possint aliquando, etiam nulla præcedente, vel præsenti imaginatione turpi, in ipso corporali organo insurgere, etiam tenuente voluntate, motus sensuales, & turpes, imo & in aliquibus, in quibus virtus retentiua seminis fuerit debilis, poterunt tales motus vsque ad eius effusionem omnino inuoluntariam, imo & ipsis incognitam peruenire, vt citatus Magister Basilius Legionensis, vbi supra bene adnotauit, docuitque expresse Abulensis in Matthæi 4. quæst. 68. ad 5. his verbis: *Calefacto corpore insurgit in homine motus libidinis, etiam sine aliqua imaginatione præcedenti, vel præsenti, & iste motus est purus naturalis, nec habet rationem peccati.* In similibus ergo casibus loquitur Mysticus noster Doctor, cuius proinde doctrina securissima, & verissima est.

Potestque id ipsum amplius confirmari ex eo, quod iuxta communem Doctorum consensum, huiusmodi seminis effusio ex corporis debilitate, nulla alia præcedenti causa oritur, quod adeo verum est, vt asserat Abulensis in cap. 15. Leuiti. quæstione 2. & paradox. 1. capite 45. quod ieiunantes potius nocturnam patiuntur pollutionē diebus quibus ieiunant, quam diebus quibus comedunt abundanter, & potissimum, cum ante accubitum aquam solam biberint, non quidem, quia ex hoc materia seminalis multiplicatur, sed quia exinde virtus retentiua seminis laxatur, & debilitatur. Illi ergo in quibus similis naturæ debilitas reperitur, (de quibus in hac propositione expresse loquitur Mysticus N. Doctor) nihil mirum, quod propter quasuis immutationes corporales, etiam si ex lætitia, vel delectatione spirituali accidentaliter modo dicto proueniant, patiantur prædictos motus, ipsismet secundum superiorem partem illos respuentibus, imò & aliquando nescientibus, & absque vlla imaginatione turpi præcedente, vel præsente. 6.

Accedit alia ratio id ipsum suadens, quia scilicet proprius vnuscuiusque naturalis amor in quauis re quantumuis sancta aliquid suum requirere soler, quod optime notauit Taulerus serm. vnico Dominicæ 16. post Trinit. vbi sic habet: *Hic enim noxius amor semper aliquid suum requirit, hacque de causa, & concionibus interest, & Venerabile percipit Sacramentum, vt videlicet aliquid suum accipiat. qui aures habet audiendi audiat, &c.* Quod adeo verum est, vt Rosignolius lib. 5. de disciplin. Christian. perfect. cap. 6. loquens in propriis terminis ad rem nostram dixerit: *Voluptas quæ ex spiritus dulcedine fluit, qua nobis ipsis maxime placere solemus, magis nutrit amorem nostri, quam illecebræ rerum mundanarum, &c.* 7.

Hinc ergo fit, vt cum anima gaudium, & spiritualem delectationem, ac voluptatem in diuinarum rerum contemplatione percipit, ibi etiam naturalis amor quasi insensibiliter, ipsaque anima, vel nesciente, vel repugnante, aliquid sibi proprium requirat, & ideo facile ex tali naturæ desiderio, & appetitu labitur imaginatio ad repræsentandum taliter aliquod obiectum, etiam si aliàs in se ipso sanctum sit, vt delectationem libidinosam excitare possit, vnde turpis motus in inferiori parte, reluctante, vel nesciente ipsa anima insurgunt, nam is qui gaudio, & lætitia afficitur, vicinam quandam dispositionē habet ad hoc, vt obiecta libidinosa, vel modo libidinoso

B.
Joannis
a Cruce

Opera
mystica
NVI
124

ei proponatur, sic attestante D. Gregorio lib. 29. Moral. cap. 12. ibi: *Quia etenim lætitia voluptas iuxta est, lætis moribus luxuriam proponit.*

8. Consulto autem omittimus rationem aliam, quæ desumitur ex malignitate, & arte, ac impugnatione Dæmonis, immittentis in phantasia orationis tempore repræsentationes turpes, vt inde turpes motus excitentur, qui animam ab ipsa contemplatione auertant: hanc ergo rationem consultò omittimus, quia & si verissima sit, communique Sanctorum Patrum, & Doctorum Catholicorum consensu comprobata, quorum testimonia passim occurrentia modo referre non oportet, eandemque rationem secundo loco assignet Mysticus noster Doctor, inter tres rationes, quas initio illius c. 4. vbi hæc doctrina continetur, proposuerat, tamen de hoc nullus vnquam dubitauit, nec id ab aliquo notatum est, sed solum difficultas aliqua esse potuit in prima illa ratione, quam in principio eiusdem capitis assignat IOANNES noster, nosq; in principio huius præfiximus, quam proinde dum taxat elucidandam, & explicandam suscepimus, eiusque legitimum sensum verissimum esse, & ab omni sinistra suspicione omnino liberum optimæque doctrinæ, tàm à Theologis, quam à Philosophis communiter receptæ, necnon, & experientiæ omnino conformem esse constat, quod pro eius securitate, & elucidatione satis superque erat: sed pro maiori abundantia, & vt consuetum ordinem seruemus, plura Sanctorum Patrum, & illustrium Doctorum testimonia, in quibus hæc eadem doctrina Venerab. nostri IOANNIS expresse continetur, subiungemus.

§. III.

Testimonijs SS. Patrum, & illustrium Doctorum eadem doctrina corroboratur.

9. ET in primis habemus de hac re illustre, & expressum testimonium in D. Gregorio lib. 10. Moralium c. 8. vbi sic loquitur: *Sæpè contingit, vt ad summa iam mentem spiritus eleuet, sed tamen hanc importunis caro tentationibus impugnet, cumque ad contemplanda cœlestia animus ducitur, obiectu actionis illicitæ imaginibus reuerberatur, nam carnis repente hunc stimulus sauciat, quem extra carnem contemplatio sancta rapiebat, cœlum ergo simul infernus quoarctatur, cum vnam eandemque mentem, & subleuatio contemplationis illuminat, & importunitas tentationis obscurat, vt & videat intendendo, quod appetat, & succumbendo in cogitationis illecebra, quod erubescat. De cœlo quippè lux oritur, infernus autem tenebris possidetur, ex vnum ergo cœlum infernumque redigitur, cum mens, quæ iam lucem patriæ supernæ considerat, etiam de carne bello tenebras occultæ tentationis portat, &c.* Idemque docet li. eiusdem operis c. 19. vbi sic: *in ipso orationis sacrificio importunæ se cogitationes ingerunt, quæ hoc rapere, vel maculare valeant, quod in nobis Deo flentes immolamus. Vnde Abraham cùm ad occasum solis sacrificium offerret, insistens aues pertulit, quas studiosè ne oblatum sacrificium raperent, abegit; sic nos cum mentis holocaustum Deo offerimus, ab immundis hoc volucribus custodiamus, ne maligni spiritus, & peruersæ cogitationes rapiant, quod mens nostra offerre se Domino viliter sperat, &c.*

10. Id ipsum fatetur ex propria experientia D. Hieronymus in dialogo aduersus Lucife-

Luciferianos, sic inquiens: *Creberrimè in oratione mea, aut per porticus deambulo, aut de fune re computo, aut abductus turpi cogitatione etiam quæ dictu erubescenda sunt gero, &c.*

Consentit D. Bernardus tractatu de interiori domo ca. 49. sic inquiens: *Cum ad cor meum redire volo, desideriorum carnalium turbæ, tumultusque vitiorum tentationibus suis cogitationem meam dissipant, & intentionem cordis in oratione perturbant, & dum conuerti ad Deum post perpetrata vitia studeo, & contra hæc eadem vitia, quæ perpetraui illum exorare conor, occurrunt cordi phantasmata peccatorum, quæ feci, & mentis meæ aciem reuerberant, confundunt animum, & deprecationis meæ vocem premunt, ita mala, quæ feci cogitationi meæ suis imaginibus impressa in ipsa mea oratione me conturbant. Caterum quanto grauiore tumultu cogitationum carnalium premor, tanto ardentius orationi insistere debeo, &c.*

Accedit D. Bonauentura de 5. processu Religion. ca. 5. vbi tale præbet documentum: *Sicut Abraham Deo iubenti sacrificia offerens, descendentes supra ea volucres ad lacerandum,* 11.
vel fœdandum solicite abigebat, ita & nos ne aliquando in conuentu Dei appareamus vacui, quandocumque sacrificia ei offerentes bonæ voluntatis, bonæ actionis, bonæ locutionis, sacræ meditationis, & piæ affectionis volucres, id est, malarum cogitationum, & affectionum statim abigere debemus, ne ea nobis dissimulantibus aliquatenus maculent, & Deo ingrata efficiantur, & nobis inefficacia ad meritum, & spiritualem profectum, &c.

Hoc idem documentum præbuit S. Mater nostra THERESIA Mansione 2. cap. 12.
vnico, vbi sermonem instituens de oratione illius Mansionis propria, sic inquit: *Procuremus, quam possumus accuratissimè, agere quod in nobis est, & ab animalibus illis venenatis caueamus: sæpè namque nos Dominus à malis cogitationibus & ariditatibus impugnari vexarique finit, vt eas à nobis ipsi displicere non possimus.*

Id ipsum adnotauit D. Ioan. Climacus gradu 15. qui est de incorruptibili castitate, sic inquiens: *Perscrutemur, & diligenter metiamur atq; obseruemus, quæ nobis, dum psallimus immunditas ac suauitas ex fornicationis spiritu, quænam vero ex spiritualibus eloquijs atque ex eorum virtute & gratia obueniat: noli ô iuuenis tibi ipsi occultus & ignotus esse. Vidi enim quosdam dum ex animo pro suis charis & dilectis orarent, ex huiusmodi memoria in concupiscentiam præcipitatos, charitatis legem se implere putauisse, &c.*

Accedit S. Diadochus Episcopus, cuius opera habentur tom. 5. Vererum Patrum 13.
cap. 88. de perfectione spirituali, sic inquiens. *Sic igitur accidit, vt anima honesta, & non honesta eodem puncto temporis cogitet, sicut homo cuius exemplum supra posuimus, eodem temporis spatio friget, & tepescit, ex quo enim mens nostra in duplicem cognitionem delapsa est, necesse habet, vt eodem momento quamuis nolens honesta, & turpia cogitata ferat, ij præsertim, qui ad subtilitatem discernendi veniunt. Semper enim, vt mens properat aliquid honesti considerare, continuò subit recordatio mali.*

Confirmatur id ipsum exemplis S. Cathar. Senensis, & S. Brigittæ, de quibus refert Blosius cap. 4. monilis spiritualis, plures motus, & cogitationes inhonestos, & turpes etiam tempore sacræ communionis, & spiritualium exercitiorum passas fuisse, ex quibus non paruum dolorem, & molestiam capiebant; ac proinde non in earum demeritum, aut culpam, sed potius meritum cedebant, & ideò ipse Deus prædictæ S. Catharinæ dolenti, & afflictæ dixit: *Cur te ipsam crucias, si tibi molesti sunt, ecce ipse præsens adsto.* Idemque refert ex se ipso Palladius in historia Lausiaca, & in lib. qui Vitæ Patrum dicitur, plura ad hoc propositum exempla passim reperiuntur.

Tan-

B. Joannis à Cruce
Opera mystica
NVI
124

14. Tandem doctrinam hanc in sensu explicato docent plures Theologi, vt noster Ioannes à Iesu Maria tract. 2. de schola orationis dub. 46. Thomas Sanchez lib. 9. de Matrimonio disp. 45 num. 4. vbi ex communi Doctorum sententia, inter occasiones, ex quibus sine culpa nostra oriri solent motus inhonesti, & turpes, numerat contionem, sic inquiens: *Constat inter omnes Doctores, quoties pollutio sequitur præter intentionem ex aliqua causa necessaria, vel conuenienti corpori, vt est cibus, vel potus moderatus, aut anima, vt orare, studere, &c. nullam esse culpam non desistere à causa illa, &c.* Quod idem alij Doctores asserunt, ac denique id ipsum docet, approbans hanc propositionem Mystici nostri Doctoris, Magister Basilius Legionensis in Defensorio sæpè citato, propositione 38. & ideo nulla potest rationabilis suspicio suboriri de huius doctrinæ veritate, & securitate, neque turpis error Illuminatorum potest ex vi huius propositionis Mystico nostro Doctori imputari cum potiùs, vt demonstratum est, huic errori in hac eadem propositione omninò aduersetur, eundemque in suis libris passim damnet, quamus frequentissimè rigidam mortificationem internam, & externam, bellumque continuum contra carnem, & sanguinem, efficaciter suadet.

CAPVT XI.

ELVCIDATVR PROPOSITIO VNDECIMA, Sanctorumque Patrum & illustrium Doctorum testimonijs corroboratur.

1. DEVENIAMVS iam ad vndecimã propositionem, quæ notata fuit in Mystico nostro Doctore, habeturq; lib. 2. operis inscripti *Nox Obscura*, c. 16. in principio, vbi sic inquit.

Obscuritas, de qua hoc loco loquitur anima, circa appetitus & potentias sensitiuas interiores & spirituales (sicuti iam diximus) versatur, quæ omnes in Nocte ista in suo lumine naturali obscurantur: vt hoc lumine repurgato, possint supernaturali lumine illustrari. Appetitus siquidem sensitiui & spirituales consopiti sunt & mortificati, nec valent rem aliquam siue diuinam, siue humanam delectiter degustare; affectus animæ oppressi & coarctati, nec sese mouere aut aliquid reimmisti possunt: imaginatio ligata, nec aliquem discursum aptum formare potest: memoria exstincta: intellectus obtenebratus, & quod hinc sequitur voluntas etiam arida & angustiata, vniuersa potentia euacuata, & super omnia densa quædam & onerosa nubes animam premit, quæ illam coarctat & quasi à Deo alienat.

§. I.

Doctrina huius propositionis Sanctor. Patrum, & illustrium Doctorum testimonijs confirmatur.

2. PRopositionem hanc ideo aliqui difficilem & duram, minusque veram existimauerunt, quia censent animas iustas ad Dei vnionem media oratione, & contem-

plã-

platione tendentes, nequaquam in tot tantisque spiritus angustijs, amaritudinibus, anxieratibusque à Deo constitui, sed potiùs faciliori, ac suauiori via duci, prædictasq; angustias non nisi peccatoribus in suorum vitiorum pœnam euenire.

Cæterum hæc existimatio experientiæ defectum manifestè indicat, cum potius ij, qui huiusmodi animas iustas, & ad summam perfectionem adspirantes, spiritualiter tractant, plerumque veritatem huius doctrinæ in eis experimento comperiant, quia re vera consuetus Dei stylus est medijs his amaritudinibus, internisque angustijs, & afflictionibus animas sibi charas purificare, sicut in igne purgatur aurum, & argentum, vt sic iam purificatæ, & mundatæ, atque à semetipsis omnino quasi deficientes, cum Deo, qui summa puritas est, perfectius coniungi, atque in ipsum transformari valeant, & ita adimpleatur illud Prouerb. 17. num. 3. *Sicut igne probatur argentum, & aurum camino, ita corda probat Dominus.*

Vnde doctrinam hanc communiter docent SS. Patres, inter quos Diu. Bernardus §. serm. 3. de Resurrectione, loquens de personis, spiritualibus exercitijs pœnitentiæ deditis, sic inquit. *Sunt quibus nondum surrexit Christus, qui in laborum anxietate, & afflictione pœnitentiæ morte afficiuntur tota die, nondum spirituali consolatione recepta, sed nisi breuiati fuissent dies illi, quis posset sustinere, &c.*

Consonat D. Gregorius lib. 3. moral. cap. 15. explicans illum Psalm. 40. *Vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.* Super quem locum sic inquit: *Cum enim quisque curis secularibus fatigatus, desererepe r diuinam gratiam huiusmodi itinera laboriosa compungitur, cogitare solet quomodo præsentis vitæ desideria fugiat, & ab eius laboribus requiescat, sibique mox desiderata quietis ordinem quærit, & velut quoddã stratum, sicut à cunctis laboribus cessationis lucem, inuenire concupiscit, sed quia in hac vita adhuc homo positus in cuiusuis ordinis loco, in cuiuslibet secreti secessu, viuere sine tentationibus nullatenus potest, plerumque in id quod ad requiem constituitur, maior dolor tentationis inuenitur. Vnde, & rectè per Prophetam dicitur: vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius, ac si diceret: omne quod quis sibi parauit ad requiem, hoc ei mutasti occulto iudicio ad perturbationem: Quod pio quidem Dei consilio agitur, vt huius peregrinationis tempore electorum vita turbetur, &c.* Et post pauca concludit: *Vnde electis suis ad se pergentibus Dominus huiusmodi iter asperum facit, &c.* Has autem afflictiones, & tribulationes specialiter personis contemplatiuis euenire docuit idem Gregorius lib. 2. in Ezechiel. homilia 14. ibi: *Hinc est, quod plerumque qui plus in contemplationem rapitur, contingit, vt amplius intentione fatigetur sicut quibusdam sapè contingere bene proficientibus solet, quorum mentem, dum aut compunctio afficit, aut contemplatio super semetipsum rapit, statim etiam tentatio sequitur ne de his, ad quæ rapta est extollatur, nam compunctione, vel contemplatione ad Deum erigitur, sed tentationis suæ pondere verberatur ad semeipsam, quatenus tentatio aggraues, ne contemplatio insl.t, &c.* Et lib. 20. Moral. cap. 19. explicans illud Iob 30. *Non fuit qui ferret auxilium*, sic de hac re loquitur: *Qua itaque ratione nunc dicitur non fuit qui ferret auxilium, nisi quia Omnipotens Deus eos quos in æternum diligit, aliquando ad tempus relinquit, sanctos etenim suos Dominus inueniendo adiuuat, relinquendo probat, donis firmat, tribulationibus tentat, vnde rectè quoque per quendam sapientem dicitur, in primis elegit eum, timorem, & metum, & probationem inducet super illum, & exercitabit illum in tribulatione doctrinæ suæ, donec tentet illum in cogitationibus illius, &c.*

B.
Joannis
à Cruce

Opera
mystica
NVII
124

4. Accedit D. Bonauentura de 4. processu Religionis, qui postquam in 3. processu, & in 1. cap. processus 4. ostenderat qualiter Deus consolationes spirituales incipientibus infundat; statim à c. 2. incipit enarrare graues tentationes. & angustias, quibus proficientes premit, vt ad perfectionem secure pergant, & ideo plures tentationum species enumerat, inter quas *Prima est* (inquit) *subtractio, & inopia deuotionis, subtracto ergo tam singulari refugio homo quodammodo inermis expositus est hostibus tentationum, & ideo paulatim efficitur, & pusillanimis.* Deinde verò ad 3. tentationum speciem accedēs, sic inquit c. 4. *Ex hoc sequitur alia tentatio, scil. fastidij, qua fastidit homini omne bonum, tadet eum orare, legere, meditari, tadet eum audire bona, vel loqui, vel operari, vel interesse diuinis etiam, quae sine graui labore posset facere.* Et post pauca subiungit: *Haec tentatio fastidij, dum non habet in spiritualibus delectationem, & in carnalibus consolari renuit, sic nunquam inueniens refugium malo maerore consumitur.* Et vlterius progrediens in cap. 5. grauiorem aliam tentationis speciem assignat his verbis: *Sequitur alia tentatio grauis impatientiae contra Deum, quare tam durus, & immisericors sit tribulato, quare tam parcus in dando gratiam egeno, & tam anxie petenti, & tam importune pulsanti? Et haec tentatio quandoque tam valida est, quod quasi insanit homo, & palpitat ex vehementi maerore, quia ibi non inuenit solatium, quod deberet esse vnicum refugium in oratione, & in tanta suppositione.* Et in eodem capite sic concludit: *Caelum quasi aeneum sentitur, &c.* Ac tandem in cap. 7. de alijs acerbissimis tentationibus mentionem faciens, sic inquit: *Acerbissima tentationes videntur, haesitatio in fide catholica, & desperatio de Dei misericordia, & spiritus blasphemiae contra Deum, & Sanctos, & tentatio inferendi sibi manus, & se perimendi, & quaedam perplexitas querulosae conscientiae medicinale consilium non admittendi &c.*

5. Id ipsum optime ostendit exemplum, & doctrina S. Mat. nostra THERESIÆ, de qua Reuerendissimus Fr. Didacus de Yepes Episcopus Tirasionensis eius Confessarius in eius vita lib. 1. cap. 12. sic refert: *In his etiam tenebris se abdebat daemon, & eius poenis multo maiores addebat, mille imaginias ei repraesentando, vt persuaderet eam à Deo separatam, & reprobatam esse. idque tam sensibili atque intollerabili spiritus angustia, vt nulli rei aptius comparari posset, quam poenis & supplicijs damnatorum in inferno: nullum enim in impetuosa hac tempestate consolationibus reficiebatur; gratia quoque adeo latebat & abscondita erat, vt ne minimam illius scintillam cerneret, imo nec vnquam habuisse arbitraretur; quin imo bona quae olim egerat, & fauores, quos à Domino ante hac receperat, vt somnium & phantasma videbantur: solum cernebat multitudinem suorum peccatorum & defectuum, & reducebat nonnunquam Deus animam suam ad tales angustias, vt è caelo ei prater afflictiones nihil accideret, perinde ac si Deus ei terga vertisset, & à se reiecisset, aut illi inimica foret, &c.* Et post pauca subiungit: *Si quid solatij causa recitare tentabat, erat ac si non recitaret: imo nec quod recitabat, intelligebat, nec se ipsam quidem, quod etiam in vocalibus precibus accidebat; nam ad mentalem instituendam orationē, tempus erat importunum, vtpote potentijs tunc penitus ad eam indispositis: imò maioris damni, & nocumenti occasio erat solitudo; quod aliud peculiare tormenti genus erat; ex alia vero parte nullius praesentiam nec colloquium admittebat: & ita, etsi magnam sibi vim inferret, adeò tamen graue tadium praese ferebat, & amaricationem, vt facile poenam & prementem illam afflictionem quis aduertere posset &c.*

(†)

§. II.

§. II.

Insigni Sanctæ Matris nostræ THERESIÆ *testimonio id ipsum demonstratur.*

SED melius erit id ipsum eiusdem S. Matris nostræ THERESIÆ verbis ostendere, ipsa namque cap. 25. suæ vitæ, sic inquit: *Sed cum sola essem, nullum amicum habens, cuius alloquio me ipsam solarer, non poteram vel orare, vel in libro legere; sed ob tantam tribulationem & timorem, ne fortè mihi cacodæmon illuderet, tota inquieta & afflicta, plane nesciens quid tandem de me factura essem (& hanc quidem angustiam aliquoties, imò sæpè sensi, sed nunquam meo iudicio ita grauem & excessiuam ac tunc) quatuor aut quinque horas in hoc statu manebam, vt ne à terra mihi vllum; nec è cœlo veniret solatium aut affulgeret refrigerium; nisi quod Dominus me mille inter periculorum timores constitutam pati cerneret.* Et cap. 1. Manſ. 6. de hac re ſermonem etiam instituens, sic habet: *Quando vero insuper sequuntur ariditates, adeò quidem, vt nũquam Dei recordata esse aut recordatura deinceps vnquam videatur, & quando de illius maiestate aliquẽ loquentem audit, perinde se habeat, ac si de aliquo qui adhuc procul inde abest, aliquid dici audiret; nihil vero sunt hæc omnia, nisi insuper illud accedat, quod se se non satis Confessarijs aperire ac declarare, sed in errorem illos trahere ac decipere putet: & quantumuis quo ad hoc serio reflectat & videat ne quidem motum primo primum, quem non ijs aperiat, & esto vt quieta sit ei dicatur, nihil tamen inde iuuatur: etenim ita obscuratus est intellectus vt ad veritatem videndam potens non sit: sed ad credendum dumtaxat, quod imaginatio ei repræsentat & oggerit, tum quippè hæc ipsa dominatur, nec non ineptiæ, quas ei diabolus repræsentare vult. Huic enim Dominus tunc proculdubio facultatem concedit, ad eam probandam, eique persuadendum ipsam à Deo esse reprobatam. Multa quippe sunt à quibus tunc impugnatur accedente tam sensibili atque intollerabili spiritus angustia, vt cui ea assimulari possit nesciam, nisi fortè in inferno damnatorum pœnis & supplicijs: nullus enim hac tempestate durante consolationibus admittendis est locus. Deinde si librum aliquem esto vernacula lingua scriptum ad legendum in manus acciperet, non magis illum intelligere poterat, quam si legere nesciret, eo quod intellectus ad hoc tunc minimè dispositus erat, sed planè ineptus. At quid tandem aget misera hac anima si quando ad multos dies in hac afflictione & miseria agere oportebit? nam si horas recitet, perinde est ac si non recitaret (videlicet quantum ad ipsius solatium ac leuamen faciat, quia id ad interiora eius non penetrat) nec quid recitet intelligitur, vti nec ipsa se, esto vocale sit, quod recitat. nam vt mentalem instituat, tempus hoc opportunum & conuenies non est, quod facultates animæ ad eam neutiquam dispositio sint, porro vt quis quod tunc patitur, verbis exprimat (vt verum fatear) est prorsus impossibile: sunt namque angustiæ & pœnæ spirituales, quæ quo dicantur nomine, vix quisquam sciat &c.* Quibus in verbis spiritualem hanc tempestatem, amarissimasq; afflictiones optimè depingit, ac fere coincidunt eius verba cum verbis Mystici nostri Doctoris in hac propositione. 6.

Hæc autẽ referens citat. Episc. Tirasionensis vbi supra, sic subiungit: *Hi labores & angustiæ duobus annis duraruut, etsi nõ semper in eadẽ intensione & eodẽ modo. Est ordinaria via hæc aridit atis & obscuritatis in magnæ sanctitatis viru: nec non maxime laboriosa ac terribilis hi qui conuersantur cum Deo: cum n. in intimo animæ se abscõdat, & quasi in nube quadã & tenebris obscurã lateat; ex altera autẽ parte omnẽ discursum intellectus & gustũ, nec nõ delectationẽ seu affectũ voluntatis ab eo auferat; vt lẽtur sibi in deserto seu solitudine & obscuritate maxima sine Deo morari: etsi verum sit Deũ tunc maximè præsentem esse, licet magis lateat, per has tenebras in quibus anima iacet* 7.

B. Joannis à Cruce
Opera mystica
NVI
124

operando, & expurgando eam ab imperfectionibus, vt sese dignam reddat. Beatus ille S. Franciscus adeo per duos annos afflictus fuit (vt eius refert historia) & quandoque ita fatigatum, & desolatum se sensit, vt nec cuiusquam fratris colloquium pateretur. Et sane certum est hanc solitudinem tenebras, & derelictionem à Deo, maximam esse crucem, quam sancti experiri vnquam possint.

8. Id ipsum testatur sublimis ille Doctor Mysticus Taulerus sermone vnico in festo plurimorum Martyrum, sic inquiens: *Ad verum Dei amorem duplici via pervenitur, prima est delectatio affluentis gratiæ Dei; altera via resignationis, & crucis, seu afflictionis est, in omni homo spirituali solatio priuatur, estque hæc via ariditatis, & siccitatis deuotionis, &c.* (& infra) *habent autem curas & angustias multas in hac vita, adeo vt sæpè ignorent, quo se, præ huiuscemodi mœroribus, vertere debeant, & nudæ dumtaxat fidei, spei, charitati, in obscura quadam caligine innituntur.* (Et infra) *Cumque maius adhuc studium, & conatum adhibent, multo adhuc intus aridiores, & lapide duriores efficiuntur, ita vt nonnunquam vix ferant patienter, & magis magisque animo deficiantur, excrucienturque.* (Et infra) *Videtur autem illis non posse se non offendere Deum, vel per impatientiam, vel per desperationem, vel animi grauitatem, seu mœrorem, id vero dolent ex animo, cum odio habeant omnem iniquitatem, &c.* Et post pauca de eisdem, sic subiungit: *Vellent etiam, & percuperent ex animo vitia sua exstirpare, ac vincere, & exercere virtutes, sed non possunt, quod ipsum, & huius similia tantos interdum dolores, curas, angustias intus eis parit, vt sibi infernales pœnas pati videantur, id vero ex ingenti cordis ipsorum erga Deum amore, & fidelitate eis accidit, tametsi id ipsi de se ignorent. Vnde omnium, quos mundus habet se sceleratissimos reputant, cùm tamen coram Deo purissimi sint.* Alia que ad hoc propositum, tam ibi quam serm. 3. Dominicæ 3. post Trinit. & ser. vnico Dominicæ quinquagesimæ subiungit.

9. Eandem doctrinam tradit Rusbrochius de ornatu spiritualium nuptiarum ca. 20. dum sic ait: *Exiens igitur homo iste, miserum ac desolatum sese conspicit. Hic iam omnium amoris æstus impetus, & impatientia mitescit, & refrigescit, & feruens æstas transit in autumnum: & opes omnes in ingentem inopiam commutantur. Tum vero ex quadam erga se ipsum commiseratione, querulas reddit voces; quonam amoris æstus compunctio, laus, & gratiarum actio iucunda abscesserint, vbi nam consolatione interna, intimo gaudio, & gustu sensibili destitutus sit, & qui tandem validus amoris æstus, & dona omnia vnquam perepta, ita penitus extincta sint. Nec secus iam cum illo agitur, quàm cum homine erudito, sed qui postea scientiam, & operam omnem perdiderit. Interim sæpe numero ob huiusmodi iacturam natura perturbatur, & dolet, quandoque etiam Dei permissu homo sic desolatus insuper terrenis spoliatur rebus, aut amicis, & cognatis, & à creaturis omnibus derelinquitur; & quidquid habet sanctitatis in oblivionem abit, ac nihili penditur: totamque vitam, & omnes eius actus in peiorem partem hominum interpretantur: contemnitur item, & despicitur ab ijs omnibus, quibuscum viuit, interdumque diuersorum generum morbis corripitur, aut tentationibus corporalibus, vel quod omnium grauissimum est, spiritualibus fatigatur. Sub hac igitur tanta paupertate constitutus iam casum veteri incipit, & quadam pulsatur diffidentia: qui est extremus, & vltimus terminus, in quo, citra desperationem, in gratia persistere quis possit.*

10. Accedit Dionysius Carthusianus de remedijs tentationum lib. vnico ar. 35. vbi sic ait: *Videns Satan nequissimus quosdam se non posse vincere per tentamenta, & peccata carnalia, nec per ea quibus naturalis ratio contradicit, talibus solet tentationes ingerere de quadam infidelitate, aut hæsitatione circa veritatem fidei Christianæ, quosdam incitat ad imaginandum turpitu-*

turpiter de Christo,& Virgine gloriosa,vel ad cogitandum indecenter, ac indignè de Deo, siue ad blasphemandum;aliquos verò tentat, vt sibi ipsis manus injciant violentas, ex animi mœrore, desperatione, aut tædio vitæ; aliqui demum tentantur mira quadam mentis ariditate, ita quod cœlum æneum eis videtur terraque ferrea, & apparet eis quod sint præsciti,&c. Idemque docet dialog.de instruct.nouitior.art.4.& 5.

Consentit Venerabilis Frater Ildephonsus de Orozco libro secundo suarum cõfessionum,sic inquiens:*Labores corporis se habent adinstar ictuum in muris ciuitatis,qui quasi ab extra feriunt, at tentationes spiritus feriunt & vulnerant intima,& sentiuntur viuacius.*

Quod etiam optimè docuit noster Ioannes à IESV Maria in schola orationis tractatu 2.dub.45. vbi sic quærit : *Quomodo ea se anima in oratione geret, quæ summam quandam difficultatem sentit,vt vel vnum cum Deo loquatur verbum, idque propter odij, impietatis,blasphemiæ & diffidentiæ & alias multas,quibus eo tempore exagitatur,tentationes, vel etiam scrupulorum,aliasque id genus, quæ impediunt,quo minus sese Domino Deo applicare queat.* Et tractatu 4.num.10.sic subiungit:*Circa tentationes autem blasphemiæ notandus est furiosus diaboli conatus & contentio,ipsos Dei seruos in magnas impatientias continua sua instigatione præcipitare satagentis.Tentatio hæc,quantum quidem intelligere potui, sola venire non solet, sed eam vt plurimum comitantur ingens quædam mœstitia interior,tentatio ad desperationem, Dei odium denique graues contra castitatem vexationes.cuius rei causa est, quia cum inferior hominis portio se grauiter affligi,omnique consolatione & voluptate carentem cernit: aduersus rationem,& consequenter aduersus Deum,instar furentis canis,eo immanius & atrocius insurgit, quo à diabolo magis instigatur &c.* Et infra, *Vnde tunc horrendæ quædam cogitationes oboriuntur, quin etiam subinde in verba intemperantia ac dura homo prorumpit,sed solent hæc esse inuoluntaria,& indeliberatè effundi,propter tentationis impetum ac vehementiam.&c.* 11.

Tandem hanc eandem doctrinam tradunt,& approbant communiter spirituales Magistri, vt Magister Auila tractatu 3. epist.spiritual. fol.nobis 154. Balthasar Aluarez, cuius circa hanc rem doctrinam refert,& approbat in eius vita Ludouicus à Ponte cap.50.Aluarado in arte Bene Viuendi,lib.2. cap.52. Gerson lib.3. de imitatione Christi cap.55. ac tandem approbat in proprijs terminis propositionem hanc Magister Basilius Legionensis in Defensorio citato propositione 24. 12.

Ex quibus omnibus satis constat id,quod initio huius cap.diximus, scilicet propositionem hanc, solum posse videri difficilem,aut minus veram ijs, qui & experientia,& Sanctorum Patrum spiritualiumque Doctorum lectione caruerint, cum ostensum sit,eandem prorsus apud ipsos reperiri, sæpissimèque eam in personis iustis,& sanctis verificari.

CAPVT XII.

ELVCIDATVR DVODECIMA PROPOSITIO,& Sanctorum Patrum testimonio corroboratur.

SEQVITVR iam elucidanda duodecima propositio, quam habet Mysticus noster Doctor in lib.2.operis, quod inscribitur Nox Obscura cap.24. vbi loquens de dispositionibus ad diuinam vnionem requisitis,sic inquit. 1.

B.
Joannis
à Cruce

Opera
Mystica
NVI
124

Vt istæ duæ portiones animæ (spiritualis scilicet & sensitiua) ad diuinam vnionem amoris peruenire possint, necessarium est vt priùs reformentur, ordinentur, & quantum ad sensitiua animæ & spiritualia, quietentur, ad normam status innocentiæ, quæ in Adamo reperiebatur; quantum non vndequaque à tentationibus inferioris partis sit immunis.

§. I.

Verus, & legitimus propositionis sensus ex verbis Mystici nostri Doctoris manifestè ostenditur.

2. PRo elucidatione huius propositionis obseruanda sunt vltima illa verba: *Quantum non vndequaque à tentationibus inferioris partis sit immunis.* Ex quibus manifestè constat, nequaquam Mysticum nostrum Doctorem asseruisse, debere virum contemplatiuum ad hoc, vt ad statum vnionis, qualis in hac vita haberi potest, perueniat, obtinere perfectionem iustitiæ originalis, quam Adamus initio suæ conditionis habuit, quamque per peccatum, tam pro se, quam pro omnibus posteris perdidit, vt constat ex Concilio Mileuitano, & Arausicano 2. & Tridentino sess. 5. decreto de peccato originali num. 1. & 2. demonstrantque scholastici cum Magistro in 2. dist. 18. & 30. & D. Thom. 1. 2. q. 81.

Ex prædictis igitur verbis Venerabilis nostri IOANNIS constat, nequaquam ipsum perfectionem hanc iustitiæ originalis viris contemplatiuis tribuisse, siquidem in prædicto statu iustitiæ originalis erat contradictio partis inferioris ad superiorē, ex qua contradictione tentationes suboriri possent, vt colligitur ex Concilio Tridentino loco citato, vbi asserit huiusmodi contradictionem, & rebellionem ex peccato ortam fuisse, docentque D. Aug. lib. 14. de Ciuitate Dei, c. 10. & 17. & lib. 4. contra Iulianum c. 13. D. Thom. 1. p. q. 95. art. 2. quem sequuntur Caietanus, Sotus, Medina, Conrad. pluresque alij Theologi, quos refert, & sequitur Curiel 1. 2. q. 89. art. 3. §. 3. & Suarez tom. 1. de gratia prologo. 4. c. 2. à n. 3.

3. Et ex eisdem etiam verbis manifestè colligitur nequaquam Mysticum nostrum Doctorem voluisse tantam perfectionem prædictis viris contemplatiuis concedere, vt omninò impeccabiles redderentur, sicut hæretici Illuminati asserebant (vt constat ex eorum erroribus relatis supra in prima Elucidationis parte cap. 8. num. 20.) cum enim Venerabilis noster IOANNES admittat in illo sublimi statu contemplationis tentationes aliquas ex rebellione inferioris partis prouenientes, consequenter etiam potentiam ad peccandum relinquit, maximè cum hanc potentiam habuerit Adamus in statu iustitiæ originalis, vt docet D. Augustinus lib. de correctione & gratia cap. 11. experientiaque ipsa compertum fuit, cum de facto peccauerit, sicque peccato iustitiam originalem amiserit, & quamuis aliquibus ex speciali priuilegio confirmationis in gratia, potentia ad peccandū mortaliter in sensu composito, ut, & Beatæ Virgini ad peccandum venialiter ablata fuerit, hoc tamen priuilegium nequaquam pro viris contemplatiuis exigit, siquidem nullum verbum ex quo id colli-

gitur

gitur apponit, & ideò nullo modo fauet erroribus Illuminatorum tale priuilegium sibinaniter, & temere adscribentibus.

Vinde verus, & legitimus sensus huius propositionis, quem ipsa verba satis exprimunt, est, viros contemplatiuos, qui ad illum sublimem statum vnionis cum Deo, qualis in hac vita haberi potest, perueniunt, obtinere quādam similitudinem in subiectione partis inferioris ad superiorem, cum perfectione status innocentiæ, similitudinem, inquam, non omnimodam propter ea, quæ dicta sunt, sed aliqualem, quatenus rebellio, seu cōtradictio partis inferioris ad superiorem adeò minuitur per assuefactionem subiectionis, ac debitæ obedientiæ virium inferiorum ad superiores, & per continuum mortificationis ac negationis exercitium, vt iam raro, & debiliter talem contradictionem sentiant, & ita maxima quadam quiete, & rectitudine gaudeant. 4.

§. II.

Eadem doctrina testimonijs SS. Patrum, & illustrium Doctorum comprobatur.

QVAM doctrinam communiter docent SS. Patres & Doctores Catholici, & ideò D. Thomas 1. 2. quæstione 59. art. 5. & quæst. 61. art. 6. loquens de virtutibus quas vocat purgati animi, sic inquit: *Quædam verò sunt virtutes, iam assequentium diuinam similitudinem, quæ vocantur virtutes purgati animi; scilicet quod prudentia sola diuina intueatur, temperantia terrenas cupiditates nesciat, fortitudo passiones ignoret, iustitia cum diuina mente perpetuo fœdere societur, eam scilicet imitando, quas quidem virtutes diximus esse Beatorum, vel aliquorum in hac vita perfectissimorum.* Et quæstione vnica de virtutibus artic. 4. ad 7. sic inquit: *Tota rebellio irascibilis, & concupiscibilis ad rationem tolli non potest per virtutem, cum ex ipsa natura irascibilis, & concupiscipibilis in id, quod est bonum secundum sensum, quandoq; rationi repugnat, licet hoc posset fieri diuina virtute, quæ potens est etiam naturas immutare, nihilominus tamen per virtutem minuitur illa rebellio in quantum prædictæ vires assuefiunt, vt rationi subdantur.* Et artic. 10. ad 14. sic inquit: *Passiones ad malum inclinantes non totaliter tolluntur, nec per virtutem acquisitam, nec per virtutem infusam, &c. Sed tam per virtutem acquisitam, quam infussam huiusmodi passiones modificantur, vt ab his homo non effrænatè moueatur.* 5.

Id ipsum docuit Bonauent. de luminar. Ecclesiæ serm. 1. *Prudentia purgati animi est diuina, non quasi in electione præferre, sed sola nosse, & hæc tanquam nihil aliud sit, intueri. Hæc prudentia fuit præcipuè in Apostolo Paulo, & Beato Francisco (& inferius) Fortitudo purgati animi est passiones per impassibilitatem ignorare, non vincere, vt nescias irasci, cupiasque nihil, hæc fortitudo fuit præcipuè in Virgine gloriosa, & Virginibus, Martyribusq; sacris Agnete, Agatha, Lucia, Cæcilia, Catharina, Prisca, Christina, (& inferius;) Temperantia purgati animi est terrenas cupiditates nō reprimere, sed penitus oblitisci, id est, non sentire, vt patet in cōtemplatiuo Fr. Aegidio (inferius) Iustitia purgati animi est, ita cum supera diuina mente superare, vt seruet perpetuum cum ea fœdus imitandum.* Quam etiam perfectionem Sanctus Doctor de 7. processio. 6.

Relig.

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
NVI
124

Relig. capite 15. sic declarat: *Hæc est hominis in hac vita sublimior perfectio, ita vniri Deo, vt tota anima cum omnibus potentijs suis, & viribus in Deum collecta vnus spiritus fiat cum eo, vt nihil meminerit nisi Deum, & omnes affectus in amoris gaudio vniti*, in sola conditoris fruitione suauiter quiescant, &c. & paulò inferius subiungit. *Quamuis autem omnes virtutum conatus ad hanc perfectionem tendere videantur, tamen specialiter orationis studium ad hoc nititur, vt anima toto affectu, & intellectu, & memoria in Deum feratur, quia alijs postpositis anima soli Deo inhærere desiderat cum orat. Vnde orationis perfectio est, cum anima illud obtinet ad quod orando tendit, vt tota ab infimis abstracta solis iungatur diuinis, nec volens, nec valens aliud sentire nisi Deum, vbi verè quiescit anima, ibi delectatur in splendore lucis, & amœnitate diuina dulcedinis & in securitate pacis, &c.*

7. Huc spectat diuisio illa, quâ idem D. Bonauent. opusc. de 7. itiner. æternitatis dist. 3. adducit ex Ricar. de S. Victore in prolog. ad lib. de Trinitate, & lib. 5. de contemplatione cap. 12. necnon, & ex auct. lib. de spiritu, & anima tom. 3. apud Augustinum, ex quorum mente triplicem gradum spiritus distinguit, scilicet spiritum in spiritu, spiritum supra spiritum, & spiritum sine spiritu; ex quibus gradibus primum sic ex Ricardo declarat. *Spiritus in spiritu esse, tunc rectè assentitur, quando exteriorum omnium obliuiscitur pariter, & ignarus est omnium eorum, quæ in corpore corporaliter aguntur, & illa solum intelligit per memoriam, vel intellectum, quæ in spiritu, & circa spiritum actitantur, vel hoc est spiritum in spiritu esse, semetipsum intrare, & intra semetipsum totum colligere, & ea, quæ circa carnem, seu etiã in carne geruntur interim penitus ignorare, &c.* Ecce qualiter quandã ignorantiam contradictionis, seu rebellionis carnis aduersum spiritum in vitis perfectis constituit, eamque doctrinam tradit itiner. 4. dist. 5.

8. Sed adhuc strictius de hac re loquutus fuit D. Amb. octonario 22. in Psalm. 118. vbi explicans illud Cant. 5. *Exui tunicam meam, quomodo induam eam: laui pedes meos, quomodo inquinabo eos*, sic inquit: *veteris igitur hominis vestimentum vitijs erroris intextum in lauacri regeneratione depositum, nescit quomodo possit induere. studio enim correctionis inolenerat obliuio peccatorum, tanta vis consummatæ emendationis est, vt in quandam pueritiæ redeat spiritualis ætatem, quæ vias erroris ignoret, crimen etiam si velit non possit admittere, quia desuerit vsum nosse peccandi, &c.* Quæ verba quamuis per quamdam exaggerationé dicta sint, tamen optimè ostendunt perfectionem maximam, ad quam in hac vita potest anima Dei gratia peruenire.

§. III.

Alijs Sanctorum Patrum, & Doctorum illustrium testimonijs, & exemplis eadem doctrina confirmatur.

9. IPsum optimè declarat D. Dionysius Areopag. in epist. cuius titulus est Ioanni Theologo Apostolo, & Euangelistæ exulanti in Pathmo insula, vbi sic loquitur: *Et quidem, nunquam ita amens sum, vt aliquid pati arbitrer, sed corporis mala hoc tantum, quod tu diiudices sentire credo, &c.* Et paulò antea dixerat reperiri viros adeò spirituales, vt mere-

venereantur appellari. *Liberi ab omnibus malis Dei amore impulsi, qui ab hac principium futuræ ffaciunt, cum inter homines Angelorum vitam imitentur in omni animi tranquillitate, & Dei nominis appellatione, &c.* Quibus in verbis ad huc maiorem perfectionem, quam Venerabilis noster IOANNES in propositione, quam elucidamus, constituit.

Ad hunc autem gradum virtutum animi purgati, in quo nulla, aut ferè nulla partis inferioris contradictio, aut rebellio sentitur, multi Sancti peruenerunt, specialiter verò id de S. Matre nostra THERESIA affirmant, & latè probant sacræ Rotæ Auditores in secunda relatione iam typis mandata, quam summo Ecclesiæ Pastori Paulo V. fœlicis recordationis pro eius canonizatione fecerunt articul. 2. §. 2. & sequentibus, & ideò nihil mirum, quod perfectionem hanc Mysticus noster Doctor in illis, qui ad summam cum Deo vnionem in hac vita peruenire debet, assignet.

Consonat Albertus Magnus in lib. de adhærendo Deo cap. 8. vbi hanc eandem similitudinem, cum statu innocentiæ in his, qui per creaturarum abstractionem, & denudationem ad Dei vnionem tendunt expresse constituit his verbis. *Quanto magis magisque te nudaueris à phantasmatibus, & omnibus rebus mundialibus, & creatis, ac per bonam voluntatem intellectu Deo vnitus fueris, tanto magis ad statum innocentiæ, & perfectionis appropinquas, &c.* 10.

Tandem id ipsum docuit Ioannes Rusbrochius in tabernaculo fœderis cap. 19. vbi sic loquitur. *Quarta denique proprietas, qua spiritus nostri simplicitas æternum possidetur à Deo, illius essentialis est intra nos existentia, quæ quidem proprietas, & ipsa introrsum trahit: enimvero in sese nos attrahit, efficitq; nos à nobis ipsis aberrare in infinitum, ac abyssalem quamdam, & incognitam caliginem; vbi tunc nos ipsos in vastissima, ac deserta amittimus solitudine, amittendo autem nos ipsos beatitudinem inuenimus, & inueniendo eligimus, & eligendo eligimur, atque inter eligere hoc, & eligi innocentia nascitur, quæ quarta proprietas est, in qua virtutes omnes, & inchoantur, & consummantur; per innocentiam enim, vsque adeò in nostram demergimur electionem, tamque fortiter amore in Deo capimur, constringimur, & complectimur, vt nihil aliud, nec possimus, nec velimus, nec sciamus, quam in omnem æternitatem cum amore in ipso permanere, quod ipsum, & in omni essentia, & cunctis actibus simplices, & expeditos nos efficit.*

Denique hanc eandem perfectionem assignat Dionysius Carthusianus de vita inclusarum lib. 1. art. 14. sic inquiens: *Hæc autem vita Deiformis, atque clarissima est, idcirco mens humana non est ad eam apta & digna, nisi fuerit à passionibus vitijsque purgata, virtutibus exercitata, ad illustrationes diuinas bene disposita. Passiones vero animæ non sunt nisi quadam affectiones appetitus sensitiui in homine, propterea reformatio passionum consistit in hoc, vt homo non afficiatur ad aliquam rem sensibilem, transitoriam, seu carnalem, nisi secundum rectæ rationis iudicium. Recta quoque ratio iudicat vniuersa sensibilia, & terrena ordinanda esse ad spiritualia, & æterna, imò ad Deum sublimem, & benedictum, ita vt homo non plus amet, quærat, cupiat, colligat, aut teneat ista sensibilia, & caduca, quàm sibi necessarium extat, aut vtile ad bene viuendum, ad complacendum Domino Deo, ad spiritualem profectum, sicque in nullius rei creatæ inordinata, aut immoderata affectione maculet mentem, nec sit in anima inordinata delectatio in rebus caducis, nec timor superfluus eas perdendi, nec excessiuus dolor de amissione earum, nec desiderium inordinatum ad ipsas habendas, sed nec ad famam, aut gloriam, honoremque temporalem, atque inanem homo afficiatur, nec de sua diffamia, despectione, aut inhonoratione immoderanter curet, aut contristetur, imò potius gaudeat, &c.* 11.

B.
Joannis
à Cruce

Opera
Mystica
TVI
124

12. Ex quibus omnibus satis superque constat, perfectionem hanc, quam in hac propositione assignat pro viris perfectis Mysticus noster Doctor similem statui innocentiæ, quo ad ordinationem, & quietem passionum, & quasi cessationem contradictionis portionis inferioris ad superiorem, hanc inquam perfectionem assignari etiam communiter à SS. Patribus Ecclesiæ Doctoribus, in qua proinde doctrina nulla offensionis iusta occasio esse potuit, quia reuera iuxta legitimum eius sensum à nobis supra explicatum, quem ipsamet propositio apertè declarat, verissima est, de qua iterum redibit sermo, magisque confirmabitur infra cap. 14. in elucidatione 14. propositionis.

CAPVT XIII.

PROPOSITIO DECIMATERTIA ELVCIdatur, eiusque manifestus sensus ex communi doctrina comprobatur.

1. DECIMATERTIA propositio habetur in libro qui inscribitur *Flamma amoris viua*, Cant. 1. vers. 1. vbi loquens de actibus amoris, quos exercet anima in illa sublimi transformatione, quam in altissima contemplatione cum Deo habet, hæc inquit.

2. *Vnde actus isti amoris, immensi sunt valoris, plusque eorum vno prometeretur anima, quàm in aliis multis, quos sine transformatione ista elicuerat.*

Propositio hæc adeò est manifestè vera, & Theologorum doctrinæ conformis, vt mirum sit potuisse aliquem in Theologia etiam scholastica mediocriter versatum in illa offendere; & ideò non est cur in eius elucidatione immoremur, sed solum recolere oportebit communem, & certam doctrinam Theologorum cum D. Thom. 2. 2. quæst. 24. artic. 6. vbi tanquam certissimum ab omnibus statuitur, meritum essentialis præmij, eo magis crescere, quo actus charitatis fuerit intensior, imò valde probabile est actus remissos, vel nullum essentiale præmium, vel saltim non statim exhibendum mereri, sed huiusmodi præmium solis actibus feruentioribus habitu præexistenti deberi, vt communiter ibidem tenent discipuli D. Thomæ, in quo tamen modo vim non facimus, quia ad veritatem huius propositionis necessarium non est, sed sufficit, quod feruentissimus, ac intensissimus actus charitatis, superet in valore meritorio plures alios actus remissos, quod à nullo Theologo negatur, nihilque amplius asserit Mysticus noster Doctor in hac propositione, siquidem expressè affirmat actus charitatis, seu amoris, exercitos in illa sublimi transformatione contemplationis, esse pretiosissimos, vtpotè feruentissimos, & intensissimos; plures verò alios extra illam transformationem exercitos, esse respectu illorum remissos, atque adeò multo minoris meriti.

Quæ

Quæ doctrina amplius confirmatur ex præstantia contemplationis supra cætera omnia, propterea namque Christus Dominus, Lucæ 10. de contemplatione loquens dixit: *Porrò vnum est necessarium, Maria optimam partem elegit.* At vero Marthæ in alijs operibus vitæ actiuæ valde excellentibus occupatæ, cuiusmodi erat hospitium Christi, dixit: *Martha Martha sollicita es, & turbaris ergà plurima.* Vbi vnicum opus contemplationis Mariæ prætulit multis operibus valdè excellentibus in quibus exercebatur Martha, quod bene notauit D. Thomas super illum locum ibi: *Præponitur vnum multis*, & Gregor. 6. Moral. cap. 28. ibi: *Martha cura non reprehenditur, Maria vero laudatur, quia magna sunt actiuæ vitæ merita, sed contemplatiuæ potiora.* Et D. Ambros. lib. 7. in Lucam: *Agat tè sicut Mariam, desiderium sapientiæ, hoc enim maius, hoc perfectius opus, nec ministerij cura à cognitione verbi cœlestis auertat, nec Martha tamen in bono ministerio reprehenditur, sed Maria, quod meliorem partem sibi elegerit, anteferatur, &c.*

Accedit Taulerus serm. Dominicæ 16. post Trinitatem, vbi loquens de contemplatione, sic inquit: *Longe enim hoc pleraque externa instituta excellit, estque plane sanctissima occupatio ab ipso Spiritu sancto instituta.*

Præterea Albertus Magnus lib. 5. de adhærendo Deo, loquens de studio contemplationis, illud præfert multis alijs bonis operibus per hæc verba: *Quapropter si incipis te nudare, & purificare à phantasmatibus, & imaginibus, & simplificare, & tranquillare fiducialiter in Domino Deo tuo cor tuum, & mentem tuam, vt hauries, & sentias fructum beneplaciti diuini in omnibus interioribus tuis, & per bonam voluntatem sis Deo vnitus in intellectu, sufficit tibi hoc pro bono studio, & lectione sacræ Scripturæ, &c.*

Consentit Venerabilis Fr. Ildephonsus de Orozco in monte contemplationis fol. 136. pag. 1. sic inquiens: *Imo pluris videtur æstimari & valere vna hora impensa in hoc tam perfecto exercitio, quam multæ aliæ in contemplatione aliarum rerum &c.* Quam etiam doctrinam approbat, & tuetur in proprijs terminis huius propositionis Magister Fr. Basilius Legionensis in Defensorio sæpe citato propositione 28.

Ex quibus omnibus patet, nullam rationabilem suspicionem posse de veritate huius propositionis suboriri, quin potius doctrinam omninò certam, & inter SS. Patres, & Theologos communem actritam continere. Vnde errores Illuminatorum asserentium eos, qui ad statum falsæ quietis, & otij, quod ipsi assignant, peruenerunt, mereri sine vllo exercitio actum charitatis, nec iam deincepsindigere virtutum exercitio, aut alijs bonis operibus; prædicti inquam errores non solum in propositione hac fundamentum non habent, imò potius illi, & vniuersæ huius libri doctrinæ manifestè aduersantur, vt ex dictis satis constat.

B.
Joannis
à Cruce

Opera
Mystica
TOM VII
124

CAPVT XIV.

PROPOSITIO DECIMAQVARTA ELVCIdatur, Sanctorumque Patrum, & Doctorum illustrium testimonijs corroboratur.

1. DEVENIAMVS iam ad decimamquartam propositionem, quam habet Mysticus noster Doctor lib. qui inscribitur, *Flama amoris viua*, Cant. 1. vers. 6. vbi loquens de statu illo transformationis, ad quem media contemplatione mens peruenit, sic inquit.

Iam enim in hoc statu finit eam Deus propriam intueri pulchritudinem, donaque ac virtutes quibus eam insigniuit, fidentius ipsi committit, cuncta siquidem hæc, in amorem illi laudesque conuertuntur procul iam ablegato fermento, quod massam corrumpit.

Pro elucidatione huius propositionis eam in duas partes diuidemus; in quarum prima asserit prædictis mentibus, sic in Deum transformatis, & perfectis ostendere Deum suam pulchritudinem. Secunda verò est, quod in illo statu non est fermentum, quod massam corrumpat.

§. I.

Prior pars propositionis elucidatur.

2. ET quidem in priori huius propositionis parte, nequaquam Mysticus noster Doctor intendit prædictum contemplationis statum ad claram Dei visionem peruenire, siquidem in verbis immediatè antecedentibus expressè asserit, tunc solùm habere animam illam perfectionem, quæ cum fide, & statu præsentis vitæ compatitur, sic inquiens: *Animaduertit enim se (quantum fides præsentisque vitæ conditio patitur) ipsam & opulentam, & ad tantum bonum capiendum idoneam.* Certum est autem, & apud omnes notum, statum visionis claræ Dei, atque adeò comprehensoris, nec cum statu viatoris, qualis est apud nos; nec cum statu ambulantis per fidem in ænigmate compati posse, iuxta illud Apostoli ad Hebræos 11. num. 1. *Fides est sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium.* Solum ergo vult animam sic perfectam Dei pulchritudinem videre, quatenus in sublimi illa contemplatione cognitione quadam Dei perfectissima, & valdè sublimi afficitur, quæ comparatione aliarum cognitionum nomen visionis in communi, & vsitato, tam in Scriptura sacra, quam in SS. Patribus, & Doctoribus Catholicis loquendi modo, obtinet.

3. Vnde ad hunc sensum dixit Iacob, Genes. 32. num. 30. postquam luctatus fuerat cum Angelo Dei per ignem repræsentante, *Vidi Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.* Quæ verba sunt multo strictiora, quàm ea, quæ in hac propositione habetur; & tamen nequaquam voluit per illa verba significare claram Diuinæ essentiæ visio-

visionem, sed aliam Dei cognitionem huic inferiorē, quamuis superiorem alijs, quæ communiter de Deo habentur, vt docet D. Tho. 1. par. quæst. 12. ar. 11. & ex D. Grego. explicat idem Angelicus Doctor 2. 2. quæst. 180. art. 5. ad 1. his verbis: *Per hoc ergo quod Iacob dixit, vidi Deum facie ad faciem, non est intelligendum, quod Dei essentiam viderit, sed quod formam scilicet imaginariam vidit, in qua Deus locutus est, vel quia per faciem quemlibet cognoscimus, cognitionem Dei faciem eius vocauit, sicut Glossa Gregorij ibidem dicit.* In quo etiam sensu scilicet de imaginaria visione, & non de faciali explicat idem D. Tho. 2. 2. quæst. 174. artic. 4. illud quod de Moyse dicitur, Exod. 33. quod scilicet: *Loquebatur ei Dominus ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.*

Hinc etiam D. Gregor. 2. dialogorum cap. 35. asserit D. Benedictum vidisse in Dei lumine Angelos intra globum igneum ad cœlos redeuntes, quam tamen visionem non facialem diuinæ essentiæ, sed sublimem quandam contemplationem ex illustratione diuini luminis habitam, fuisse explicat D. Thom. 2. 2. q. 180. ar. 5. ad 3. quo etiam pacto S. Mater nostra THERESIA cap. 38. suæ vitæ asserit, se vidisse magna arcana Dei, & in eodem c. sic subiungit: *Vidi hic sacratissimam Christi humanitatem multo gloriosiorem & splendidiorem, quam eam hactenus vnquam videram: per admirabilem & perspicuam quandam notitiam mihi repræsentatum est, quomodo ipse sit in sinu Patris, etsi quomodo ibi sit, exprimere non possem, nam etiā meipsam non intuendo, me coram diuinitate illa præsentem cernere videbar.* (Et Paulo inferius subiungit.) *Hanc ipsam visionem etiam alijs tribus vicibus vidi: & est (vt mihi quidem videtur) omnium, quas mihi Dominus exhibere dignatus est visionum, eminentissima & altissima &c.* Quibus in verbis sublimem quandam contemplationem arcanorum Dei, & eam per quem cognouit qualiter filius in sinu Patris sit, appellat visionem; & c. 40. suæ vitæ aliam similem visionem, sic refert: *Ostensum mihi fuit, hanc quam dico veritatem ipsissimam in se veritatem esse, ac nec principium nec finem habere: atque adeo omnes omnino veritates ab hac veritate dependere, vti cæteri omnes amores ab hoc amore, cæteræ magnitudines ab hac magnitudine dependent: esto nimis quam obscure loquar hic, respectu claritatis & perspicacitatis illius, qua illam mihi Dominus significare dignatus est.* Et inferius subiungit: *Quadam die mihi in oratione agenti subito repræsentatum est, nulla specie vel imagine oblata (repræsentatio autem maxima cum claritate & splendore fiebat) quomodo vniuersa quæ sunt, in Deo videantur, & hæc omnia ipse in se contineat, hoc non possem describere, animæ tamen meæ valde impressum hæsit, &c.* Et inferius subiungit: *Mira res, me in tam breui temporis interuallo in clarissimo illo adamante tot simul res intueri &c.* Quibus omnibus in locis altissimam cognitionem Dei, & eorum, quæ in Deo sunt, appellat visionem. 4.

§. II.

Alijs Sanctorum Patrum testimonijs eadem pars confirmatur.

AD hunc etiam sensum D. Hieronymus in regula Monachali c. 26. inquit: *Adhuc viuens in corpore sæpè Angelorum choris interfui, de corporeis per hebdomadam nihil sentiens, diuinæ visionis intuitu, post multorum fere dierum spatium, præscius futurorum, reditum corporis flebam.* Super quæ verba inquit noster Thomas à Iesu, lib. 6. de contemplatione cap. 3. 5.

B.
Joannis
à Cruce

Opera
Mystica
TOM VII
124

Quæ omnia altiorem modum intuendi, ac supra communem hominum statum non obscure demonstrant. Accedit Hugo Victorin. lib. 4. de anima c. 14. vbi sic inquit. *Vidi talia, quæ nullus hominum potest digne loqui. Dicam tamen aliquid prout potero, vidi Deum, sed per speculum.*

6. Vnde Mystica Theologia (vt bene notauit Dionysius Carthusianus in commentarijs de Mystica Theologia cap. 3.) vocatur visio, contemplatio, intuitio: & Enrichus Arphius lib. 2. de Mystica Theologia capite 64. inquit: *Intellectus ita sublevatus, & clarificatus à spiritu veritatis Deum videt in proprio speculo.* Et inferius subiungit: *Tribuit tamen lumen istud contemplationis spiritibus veram agnitionem, qua Deum vident, sicut in hac vita videri potest, &c.* Et Venerabilis Bartholomæus à Martyribus in secunda parte compend. cap. 13. §. 3. loquens de viris contemplatiuis ait: *Datur aliquando illis ad quandam puram ac lucidam diuinæ veritatis inspectionem peruenire, &c.* Et Nicolaus Ecquius *Contemplationem perfectam vocat visionem Dei.* Imò D. Paulus cognitionem fidei appellat visionem 1. ad Corinthios 13. ibi: *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* Qui modus loquendi communis est apud Patres, & Doctores Catholicos, qui etiam speciali, & proprio titulo contemplationem illam perfectam quæ in hac vita per fidem de Deo, ac de rebus diuinis habetur, visionem appellant, vt ex adductis testimonijs, & pluribus alijs similibus constat; beneque notauit noster Thomas à Iesu vbi supra, & Antonius Sucquet lib. 3. de via vitæ æternæ dialog. de contemplatione cap. 16. Pater Ludou. à Ponte, tom. 1. meditationum 3. parte meditatione 35. puncto 2. & ita Venerabilis ille vir Gregorius Lopez in hora mortis, loquens de rebus futuræ vitæ, vt refert Losain eius vita dixit. *Omnia perspicua sunt, & instar lucis meridianæ mihi clarescunt.* Consonè iam ad illud, quod D. Laurentius, dum pateretur Martyrium dixit, scilicet: *Mea nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt.* Vnde verissimè, & consone ad communem Sanctorum Patrum, & illustrium Doctorum loquendi modum asseruit Mysticus noster Doctor animam, quæ media sublimi contemplatione in Deum transformatur, Dei pulchritudinem videt, non quidem propter claram diuinæ essentiæ cognitionem, quam in hac vita obtineat, sed propter perfectissimam cognitionem, & contemplationem iam explicatam: ex quo prior pars propositionis elucidata, & confirmata manet.

§. III.

Secunda propositionis pars declaratur & confirmatur.

7. IN secunda verò parte asserit Mysticus noster Doctor, quod prædictis viris perfectis: *In hoc statu, cuncta hæc in amorem illi, laudesque conuertuntur, procul iam ablegato fermento, quod massam corrumpit.* Quæ locutio verissima etiam est, & deducta ex D. Paulo 1. ad Corinth. 5. sic inquit: *Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi, itaque epulemur non in fermento veteri, nec in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis, & veritatis.*

Vnde per hanc locutionem nequaquam intendit Mysticus noster Doctor, sicut nec

nec D. Paulus, debere in viris perfectis extingui fermentum fomitis pertinentis ad corruptionem naturæ humanæ post peccatum Protoparentis Adam, & ad statum innocentiæ, vel iustitiæ originalis reduci, huiusmodi namque priuilegium speciale fuit in B. Virgine, vt constat ex D. Tho. doctrina 3. p. q. 27. ar. 3. sed solum intendit debere quasi offerri, id est, valde debilitari rebellionem partis inferioris aduersus superiorem, ortam ex passionibus: huiusmodi namque passiones in prædictis viris perfectis habētibus virtutes heroicas, & purgati animi, quasi extinguuntur, quatenus propter assuefactionem ad hoc, vt rationi subdantur, iam ferè nullam illis molestiam inferunt, nec illos impediunt, quin totum suum affectum in Deum dirigant, vt eius amori incumbant taliter, vt similitudinem magnam cum statu innocentiæ, vbi fermētum massam naturæ humanæ corrumpens nō erat, sortiantur, vt sup. c. 12. à n. 5. ostendimus ex D. Thom. 1. 2. q. 59. art. 5. & q. 61. art. 6. & q. vnica de virtutibus art. 4. ad 7. & art. 10. ad 14. & ex D. Bonauent. ser. 1. de luminar. Ecclesiæ, & in 7. proces. Relig. c. 15. & opusc. de 7. itiner. æternitatis dist. 3. & ex D. Ambros. Octonario 22. in Ps. 118. & ex D. Dionys. Areopag. ad Ioan. Euangelistam, & ex Alberto Magno lib. de adhærendo Deo c. 8. & ex Rusbrochio in tabernaculo fœderis cap. 19. ac tandem ex Dionysio Carthus. de vita inclusarum li 1. ar. 14. quorum omnium testimoniorum verba ibi ad longum retulimus, & ideo ea in præsenti repetere superfluum est, & ex illis omnibus satis superque corroborata manet, tam quoad rem, quam quoad loquendi modum hæc secunda pars propositionis Mystici nostri Doctoris.

§. IV.

Eadem secunda pars alijs SS. Patrum, & illustrium Doctorum testimonijs amplius confirmatur.

QVÆ adhuc magis confirmatur ex eo, quod docet D. Thom. 2. 2. quæstione 184. artic. 2. in corpore, vbi assignans perfectionem, ad quam potest quis in hac vita peruenire, perueniuntque viri perfecti, sic inquit: *Tertia autem est perfectio, quæ nec attenditur secundum totalitatem ex parte diligibilis, nec secundum totalitatem ex parte diligentis, quantum ad hoc, quod semper actu feratur in Deum, sed quantum ad hoc quod excludant ea, quæ repugnant motui dilectionis in Deum, sicut Augustinus dicit in lib. 83. quæstionum, quod venenum charitatis est cupiditas, perfectio nulla cupiditas: Et talis perfectio potest in hac vita haberi, & hoc dupliciter: vno modo in quantum ab effectum hominis excludit omne illud, quod contrariatur charitati, sicut est peccatum mortale, & sine tali perfectione charitatis esse non potest, vnde est de necessitate salutis, alio modo in quantum ab effectu hominis excluditur non solum illud, quod est charitati contrarium: sed etiam omne illud, quod impedit ne affectus mentis totaliter dirigatur ad Deum, sine qua perfectione charitatis esse potest.* (Puta in incipientibus, & proficientibus) & 2. 2. quæstione 180. art. 6. ait, quod potest homo ad talem statum peruenire in quo, *Prætermissis omnibus in sola Dei contemplatione persistitur.* Id ipsum docet q. 24. art. 8.

Con-

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
TOM II
124

9. Consonat Albertus Magnus lib. de adhærendo Deo cap. 3. vbi loquens de perfectione, ad quam homo potest in hac vita peruenire, sic inquit: *Quia ex re est hominis in hac vita sublimior perfectio ita Deo vniri, vt tota anima cum omnibus potentijs suis, & viribus in Dominum Deum suum sit collecta, vt vnus fiat spiritus cum eo, & nihil meminerit, nisi Deum, nihil sentiat, vel intelligat nisi Deum, & omnes affectiones in amoris gaudio vnitæ, in sola contemplatiua fruitione suauiter requiescant.* Et cap. 6. in eundem sermonem, sic redit: *Verus itaque ille Christi amator sic debet esse vnitus intellectui, per bonam voluntatem diuinæ voluntati, & nudus ab omnibus phantasmatibus, & passionibus, vt non aduertat si derideatur, diligatur, vel quidquid sibi inferatur. Voluntas namque bona omnia complet, super omnia est. Vnde si voluntas esset bona, & Deo in intellectu pure conformis, & vnita fuerit, non nocet sibi caro, & sensualitas (inferius) & toto, & totam se in Creatorem suum immergit, ita quod omnes operationes suas dirigit, quia extra in Dominum Deum suum, nec extra eum quidquam quærit. Et sic transformatur quodammodo in Deum, quod nec cogitare, nec intelligere, nec amare, nec memorari potest nisi Deum patrem, & de Deo, &c.* Quod idem non solum in præsenti prosequitur. Verumetiam cap. 10. in fine & cap. 13. inquit: *Tunc erit perfecta nostra charitas, cum nobis omnis amor, omne desiderium, omne studium, omnis conatus, denique omnis cogitatio nostra, omneque quod videmus, loquimur, quodque speramus Deus erit* (inferius) *Nos quoque ei perpetuo, & inseparabili dilectione iungamur, ita scilicet eidem copulati, vt quidquid speramus, quidquid intelligimus, quidquid loquimur, & cramus, Deus sit.*

10. Hanc eximiam puritatem, & perfectionem denotare quoque voluit Sponsus Cant. 4. sic Sponsam, scilicet animam perfectam alloquens: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Quem locum Gislerius ex doctrina Catenæ Trium Patrum sic declarat: *Sponsa est tota pulchra, mente nimirum, & anima, & carne: carne quidem, vt per actiones ab alijs perturbationibus purgata, & virtutum moribus excedens, anima autem, vt ab omni improba cupiditate seiuncta, & sermonibus decorata mandatorum; mente vero, vt ab exilibus etiam cogitationibus libera, &c.* Super quæ verba Cantic, sic etiam inquit Diu. Bernardus homil. infra octauam Epiphaniæ. *Immaculata sordibus peccatorum, vel passionum euolans à rerum occupationum, euanescentibus imaginibus exteriorum creaturarum, cordis sui faciem ad eamdem, quem diligit, summa auiditate subtollit, &c.*

11. Eandem doctrinam plures alij SS. Patres docent, sed quia testimonia sup. capit. 11. & in hoc etiam cap. citata, satis superque rem hanc confirmant, ideo ab illis adlungum referendis prolixitatis euitandæ gratia abstinemus; videri tamen potest pro hac re Diu. Bernard. serm. 52. & 79. in Cant. Diu. Bonauentura itinere 4. æternitat. dist. artic. 2. vbi gradus amoris assignat. Rusbrochius libello de 7 gradus amoris cap. 5. Tauler. cap. 33. instit. Esquius in exercitijs diuinis exercit. 5. 6. & 13. S. Nilus cap. 85. Diadochus de perfectione spirituali capit. 97. noster Ioannes à Iesu Maria c. 2. de Mystica Theologia, & plures alij, ex quibus omnibus legitimus sensus congruentissimaque locutio Mystici nostri Doctoris in hac propositione, satis elucidata, & confirmata manet.

CAP.

CAPVT XV.

Elucidatur decimaquinta propositio, & ex communi Sanctorum Patrum, & illustrium Doctorum auctoritate corroboratur.

SEquitur elucidanda decima quinta propositio, quam habet Mysticus noster Doctor in lib. qui inscribitur *Flamma amoris viua*, Cant. 2. versu 2. vbi sic loquitur. 1.

Euenit vt dum anima amore isto flagrat, vt sentiat anima se ab aliquo transfigi Seraphino ardentissimo amore intincto telo transverberante illam carbone isto accenso. (& inferius) *Quod si aliquando effectus aliquis foras ad corporeum sensum prodire permittatur, iuxta quod interius vulnus influxit (id est Seraphim) panditur exterius vulnus: quemadmodum euenit cum S. Franciscum Seraphinus plagis insignuit, nam cum animam ipsius sauciasset amore, vulnerum effectus eodem modo foras prosilijt.*

§. I.

Doctrina huius propositionis quam plurimis Sanctorum Patrum, & illustrium Doctorum testimonijs comprobatur.

TOTA huius propositionis doctrina, & locutio verissima est, & in Sanctorum Patrum libris frequenter reperitur, deducturque ex Scriptura sacra, Cantic. 2. vbi Sponsa sic loquitur: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Vbi vertunt Septuaginta, quia charitate vulnerata fuit. Sponsus etiam cap. 4. Sponsam alloquens inquit *Vulnerasti cor meum, &c.* 2.

Vnde locutione hac, quod scilicet Sponsa vulneratur charitate, vtuntur Origenes homil. 22. ex duabus, *Quam pulchrum est* (inquit) *quam decorum à charitate accipere, alius iaculum carnei amoris excepit, alius terreno cupidine vulneratus est, tu* (loquitur cum Sponsa) *nuda membra tua, & præbe te iaculo electo, iaculo formoso, siquidem Deus sagittarius est.* Idem docet homil. 3. ex quatuor, cui consonat illud, quod Diu. Augustinus huiusmodi vulnus in semetipso sentiens dicere solebat. *Sagittaueras tu Domine cor meum charitate tua.*

Suffragatur etiam D. Gregorius Nyssenus homil. 4. in Cant. explicans prædicta verba, *charitate vulnerata ego sum*, sic inquiens: *Post hæc laudat sagittarium, quod scopum rectè attingat, & qui telum pulchre in ipsam dirigat, vulnerata inquit sum à dilectione, ostendit verbo telum, quod cordi alte insidet, qui telum autem iaculatur est dilectio, seu charitas, charitatem autem, esse Deum didicimus à sacra Scriptura, qui electam suam, sagittam nempe Deum vnigenitum* 3.

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
NVI
124

emittit in eos, qui seruantur spiritu vita illita triplici aculei cuspide, videt ergo dulce telum charitatis, quo ipsa fuit sauciata, & de eo vulnere gloriatur dicens, vulnerata sum ego à dilectione, &c.

Eundum modum loquendi obseruat Ricardus Victorinus tract. de 4. grad. violentæ charitatis, sic inquiens: *Supra tamen omnes gradus dilectionis, est amor iste ardens & feruens, qui cor necessitat, & medullitus transfigit, vt veraciter dicat, vulnerata charitate ego sum.* (& inferius) *Charitas vulnerat, ligat, languidum facit: vulnerat, vulnerasti cor meum soror mea sponsa, &c.* Quod idem in reliquo eleganter prosequitur.

4. Fauet Diuus Bonauentura itiner. 4. æternitat. distinctione 5. articulo 1. & 2. sic scribens: *Nota, quod amor violentus non sulum vulnerat matrices animas, sed etiam cæleste substantias, imo etiam ipsum fontem amoris Deum vulnerat.* Hæc ex Bercellensi tradit Diuus Bonauentura, addens ex Ricardo ibi, signa huius charitatis vulnerantis, vt apud ipsum videri potest. Tandem ne longius sermonem protrahamus, videri potest hæc locutio apud D. Ambrosium serm. 15. in Psalm. 118. & lib. 3. de Virginibus, Hieronymum epist. 140. ad Principiam, Theodoretum supra prædictum locum Canticorum 2. Basilium interrogatione secunda Regul. Fusius disput. Gregorium lib. 6. Moral. cap. 14 & lib. 2. super Ezechielem homilia 15. Augustinum in Psal. 37. Orozcum in monte de contemplatione fol. 138. pag. 1. Magistrum Basilium vbi supra propositione 30.

5. Sed præter dicta omittere non possumus illustre testimonium Sanctissimæ Matris nostræ THERESIÆ, quæ simili charitatis vulnere sauciata, sic de semetipsa loquitur cap. 29. suæ vitæ, *Videbam illum (loquitur de quodam Seraphino) longum quoddam aculum aureum, sed ad ferri cuspidem pauxillo igne inflammatum, in manu habere, hoc ipso ille cor meum subinde ad intimas vsque fibras transuerberare, & dum rursus illud educeret, quædam earum frusta simul educere videbatur; quo facto ingenti Dei amore me totam æstuantem & inflammatam reliquit. Tam vehemens porro hæc pœna erat, vt in hos me gemitus & expostulationes facerret prorumpere; sed suauitas, quam summus hic dolor mihi adfert, tam excessiua est, vt eum mihi aufferri prorsus nolim, nec anima minorem voluptatem & delectationem quærat, quam ipsummet Deum. non est autem pœna corporalis, sed spiritualis, etsi corpus ab ea plane immune non sit, sed tanto minùs quam multum sentiat. Est hæc tam suauis inter animam & Deum amoris reciprocatio, vt tum ego bonitatem rogem, eam vt gustare faciat illum, qui me fortè censebit mentiri: omnibus diebus quibus hoc durauit, eram quasi mentis impos, hoc passa sum aliquoties.* Hæc mirabiliter admiranda Theresia.

§. II.

Animaduersio notanda.

6. EX quibus satis constat, quam communis sit doctrina hæc, & locutio apud SS. Patres, & Doctores Catholicos. Vnde quamuis eadem locutione charitatis vulneratæ abutantur hæretici ad aliquos falsos sensus exprimendos, non tamen propterea locutio hæc, qua in bono, & verissimo sensu vtuntur Doctores Catholici, & cum eis Mysticus noster Doctor reijcienda, aut damnanda est, nam vt optimè in simili dixit Diu. Augustinus lib. 2. de sermone Domini in monte cap. 12. *Nec illa*

oues debent pelles suas deponere, si aliquando eis lupi se contegant. Alias oporteret locutiones antiquas, & Catholicas passim deserere, & alias nouas quærere, & sic omnia confundere, Sanctissimumque Parrum doctrinam antiquis, & vsitatis locutionibus scriptam obscurare, imo prorsus ignorare, eo quod ingenium hæreticorum est Catholicorum locutionibus ad suos errores dolose disseminandos abuti; qua de causa dixit Christus Dominus, Matth. 7. *Attendite à falsis Prophetis*, vbi nomine falsorum Prophetarum intelligit hæreticos, vt ibi explicat D. Tho. quos ideo attendendos esse docet, quia sub veris, & Catholicis locutionibus suos errores malitiose palliare solent, adeò vt dixerit D. Aug. de serm. Dom. in monte relatus à D. Thoma Matth. 7. *Cauendum est in ipso Christi nomine ab hæreticis, vel quibuslibet male intelligentibus, & seculi huius amatoribus ne decipiamur.*

Ad hoc autem, vt sciamus à quibusnam cauere debemus, statim addidit Christus Dominus, *à fructibus eorum cognoscetis eos*, cum ergo prædictam locutionem de charitate vulnerata protulerint illi, cuius fructus nempe opera, & doctrina vitiosa fuerint, vt in hæreticis, qui Illuminati dicuntur, contingit, non immeritò poterit in illis cauere, suspectaque haberi, econtra vero cum eandem locutionem protulerint viri, quorum fructus operum, & doctrinæ saluberrimi, immaculati, sanctitateque pleni sunt, vt in Mystico nostro Doctore, & in alijs Sanctis Patribus, & Doctoribus Catholicis hac locutione vtentibus contingit, non potest rationabiliter locutio hæc damnari, aut suspecta haberi, sed potius tanquam communi Sanctorum Patrum, & Doctorum Catholicorum vsu comprobata ab omnibus debet venerari, non obstante malitia hæreticorum eadem locutione abutentium: sicuti similis malitia non obstat, nec obstare debet ad vsum aliarum plurium locutionum Catholicarum, quibus etiã illi abutuntur, sicuti ex eo, quòd Caluinistæ malitioso fine, ac intensione sæpe in ore haberent hæc verba, *Pater noster cœlestis*, & ex eo quod magnificarent Christum, & fidem in ipsum, laudarentque eleemosynas, temperantiam, ac modestiam (vt refert Maldonatus, Matthæi 7. n. 15.) nullus sanæ mentis poterit asserere talia verba, prædictarumque virtutum commendationem à Doctoribus Catholicis debere relegari, de quo plura diximus supra in 1. par. huius elucidationis cap. 3. & 9. quæ ad propositionem applicari debent. 7.

§. III.

Eiusdem propositionis doctrina, quo ad vltimam partem confirmatur.

NEc minus etiam est verum, & certum, id quod in hac eadem propositione subiungit Mysticus noster Doctor, scil. quod aliquando ex eo quod Deus interius vulnerat animam charitatis vehementia, immittit etiam in corpore exterius aliqua signa, v. g. aliquod vulnus ad eum modum quo contigit in D. Francisco, cuius vulnera externa fuerunt signa interni vulneris, quo eius anima amoris diuini vehementia, ab eo sauciata fuerat. 8.

Hoc inquam certissimũ, & verissimum est, & ipsomet exemplo S. Francisci optimè com-

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
NVI
124

comprobatur, iuxta id quod de hac re docuit D. Bonauent. in Legenda S. Francisci c. 13. & refert in lectionibus festi impressionis sacrorum stigmatum à Sede Apostolica approbatis, vbi sic habetur: *Vidit quasi speciem vnius Seraphim sex alas, tam fulgidas quàm ignitas habentem, de cœlorum sublimitate descendere, &c.* (Et post pauca subiungit) *Ideo huiusmodi visio suis fuit representata conspectibus, vt amicus ipse Christi præsciret se non per martyrium carnis, sed per incendium mentis, totum in Christi Iesu crucifixi expressam similitudinem transformandum: disparens itaque visio, post arcanum, ac familiare colloquium, mentem ipsius Seraphico interius inflammauit ardore, carnem vero crucifixo conformi exterius insigniuit effigie, tanquam si ad ignis liquefactiuam virtutem præambulam, sigillatim quædam esset impressio subsequuta, statim namque in manibus, & pedibus eius apparere cœperunt signa clauorum, ipsorum capitibus in inferiori parte manuū, & superiori pedum apparentibus, & eorum acuminibus existentibus ex aduerso, dextrum quoque latus quasi lancea transfixum rubra cicatrice obductum erat, quod sæpè sanguinem sacrum effundens, tunicam, & femoralia respergebat.*

9. Id ipsum comprobatur exemplo aliorum Sanctorum, & Sanctarum, cuiusmodi fuere S. Catharina de Sena, quibus impressa fuerunt miraculosè aliqua externa signa, nempè vulnera, & spinea corona, aliaqua huiusmodi in signum interni amoris, & charitatis, quo eius anima à Deo vulnerata erat; imo etiam de D. Augustino refert Fr. Ioannes ab Angelis in lib. qui inscribitur, *Los triunfos del amor*, exterius in corpore vulneratum fuisse ex interiori illo vulnere, vnde desumpsit ipse Augustinus celebre illud dictum: *Sagittauerat tu Domine cor meum charitate tua.* Et pro hac sententia refert citatus Auctor D. Bonauenturam, quam etiam sequitur Magister Legionensis in Defensorio sæpè citato propositione 30.

10. Id ipsum à simili declaratur ex eo, quod adnotauit D. Bernardus de passione Domini cap. 3. scilicet Christum Dominum voluisse exterius in latere vulnerari, ad hoc, vt vulnus illud externum esset signum interni vulneris, quo præ amore hominum sauciatum erat, verba D. Bernardi sunt: *Vulnerasti* (inquit in Cant. amoris sponsus) *cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum, vulnerat cor tuum Domine Iesu Sponsa tua amua tua, soror tua, quid necessarium fuit illud ab inimicis vltra vulnerari? Quid agitis, ô inimici, si vulneratum est, imò quia vulneratum est cor dulcis Iesu, quid secundum vulnus apponitis? An ignoratis, quod vno vulnere talium cor emoritur, & fit insensibile.* (Et inferius) *Nihilominus, & propterea vulneratum est, vt per vulnus visibile, vulnus amoris inuisibile videamus, quomodo hic ardor vltra ostendi potest, nisi quod non solum corpus, verùm etiam ipsum cor, lancea vulnerari permisit. Caro ergo vulnus, vulnus spirituale ostendit.* (Inferius) *Quia zelo amoris tui vulnerasti me, lancea quoque militis vulneratus sum.*

11. Quæ doctrina adhuc magis elucidatur, & confirmatur, ex eo quod docet D. Tho. 1. p. q. 43. ar. 6. ad 2. & ibi expositores, necnon & in 1. dist. 15. q. 5. art. 1. quæstiunc. 3. & art. 2. quæstiuncula 1. scilicet quod quando aliquis insigniter proficit in aliquem nouum actum, vel nouum statum gratiæ, tunc secundum illud augmentum gratiæ, attenditur, & datur missio inuisibilis Spiritus Sancti ad illum, vnde talis missio procul dubio dabitur ad illum, qui interiori illo charitatis vulnere, de quo Mysticus noster Doctor loquitur, sauciatur, siquidem tale vulnus ad supremum, & excellens charitatis augmentum, & gradum pertinet, vt ex dictis in hoc capite satis constat, docetque specialiter D. Bernard. ser. 30. in Cant. ibi: *Cordis vulnus, vehementiam designat amoris.*

VI.

Vlterius autem addendum est id quod docet ipsemet D. Thom. eadem quæst. 43 primæ partis art. 7. scilicet conueniens esse, vt etiam inuisibiles missiones diuinarum personarum secundùm aliquas visibiles creaturas manifestentur. Et ideò pro simili manifestatione multa signa externa plerumque ostendit Deus, ad demonstrandum inuisibilem missionem, vel internam sui assistentiam in anima, aut excellentem eius sanctitatem, vt contigit in Christo Domino, super quem descendit Spiritus Sanctus in specie columbæ, vt refertur Matthæi 3. cuius etiam sanctitatis signũ fuit nubes lucida, quæ in eius transfiguratione apparuit, vt docent D. August. epist. 102. & D. Thom. 1. p. q. 43. art. 7. ad 6. & quæst. 45. art. 4. ad 2. similiterque contigit in Apostolis, ad quos descendit Spiritus Sanctus sub externo signo sonitus, externaque specie flatus, & sub linguis igneis, vt constat ex Actorum cap. 2. notauitque D. Thomas loco citato. 12.

Quo etiam pacto S. Mater nostra THERESIA c. 38. suæ vitæ, refert, se vidisse in vigilia Pentecostes super caput suum columbam quandam valde splendentem, quæ proculdubio fuit signum inuisibilis missionis Spiritus S. per quã eius anima in Dei amore insigniter profecit, vt constat ex verbis ipsiusmet S. THERESIÆ, quæ loco citato, sic inquit: *Hæc igitur me considerantem, ingens impetus spiritus me corripuit: cuius quænam esset occasio vel causa, prorsus intellegere non poteram; tanta autẽ eius erat vis, vt anima violenter è corpore erumpere velle videretur, quod seipsa non caperet, imparemque tanto bono admittendo agnosceret, ea autem erat impetus vehementia, vt me ipsa retinere aut regere non possem. Hoc in statu constituta video columbam quandam capiti meo desuper imminentem, longe diuersam ab illis, quas hic in terra conspicimus, neq; enim tales, vt illa habebat pennas, sed alas velut è conchulis quibusdam magnum ex se splendorem emittentibus, contextas. Erat hæc nostris communibus columbis maior, videbarque strepitum, quem alis suis volaturiendo excitabat, inaudire; ita quidem tum anima mea constituta erat, vt seipsam perdens, etiam columbæ aspectum ex oculis perderet; spiritus porro tam bono hospite intra se admisso, prorsus tranquillatus est. Intellexi me ex eo die summum in sublimiore quodam Dei amore, virtutibusque magis heroicis & fortibus, profectum fecisse & & promotum esse.* (Et postea subiungit) *Eandem etiam columbam vidi aliàs capiti cuiusdam Dominicani impendere, excepto quod radij & fulgores alarum ipsius longius se iam distendere viderentur: simul intellexi fore, vt multas hic Deo animas lucraretur.* 13.

Similiterque contigit in D. Gregorio Magno, super cuius caput, dum scriberet, Spiritus sanctus, in similitudine columbæ, frequentissimè ostendebatur, vt supra in 1. p. huius elucidationis c. 1. n. 4. retulimus.

Ex quibus omnibus deducitur, quàm verum sit id, quod Mysticus noster Doctor in hac propositione docet, scilicet quod quandoque immittit Deus externa signa ad manifestandum internum charitatis vulnus, quo animam sauciat, quæ externa signa sunt quædam visibiles missiones Spiritus sancti, per quas inuisibilis, & interna missio manifestatur. 14.

Tandem hæc eadem doctrina ex eo magis confirmatur, & elucidatur, quia scilicet iuxta communem SS. Patrum, & Theologorum doctrinam ex sacra Scriptura deductam, quando externos aliquos affectus, verbi gratia, sanitatis, & curationis operabatur Christus Dominus in corpore, similes effectus interius operabatur in anima, ita vt vtraque operatio interna, & externa simul coniungeretur, quod rectè

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
NVI
128

adnotarunt Patres super illud Matthæi 4. *Sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem*, & super illa verba Ioan. 7. n. 23. *Totum hominem sanum fecit in Sabbatho*, vt videre est apud D. Tho. in eisdem locis, & in D. August. tract. 30. in Ioannem, idemque adnotauit idem D. August. tract. 17. in Ioannem agens de curatione paralytici, quæ refertur Ioan. 5. Beda super illa verba Marci. 2. n. 5. *Cum autem vidisset Iesus fidem illorum ait paralytico, &c.* Et c. 21. in Luc. Chrysost. quem refert D. Tho. Marci 2. in principio, & alio etiam in loco, quem refert idem D. Thomas Marc. 5. super illa verba: *Vade in pace, & esto sana à plaga tua.* Necnon & homil. 28. in Matthæum, Theodoretus Marci 2. super illa verba: *Et cognouit cogitationes eorum, &c.* Cyrillus quem refert D. Tho. Luc. 18. in fin. & in eisdem locis, & plures alij Doctores. Ex quibus omnibus veritas eorum quæ in hac propositione Mystici nostri Doctoris dicuntur satis probata, communique SS. Patrum, & Doctorum Catholicorum consensu corroborata manet.

CAPVT XVI.

ELVCIDATVR DECIMASEXTA PROPOSITIO, eiusque legitimus sensus declaratur, Sanctorumque Patrum testimonijs corroboratur.

1. SVPEREST decimasexta propositio, quam habet Mysticus noster Doctor in lib. qui inscribitur *Flamma amoris viua*, Cant. 2. versu 3. vbi explicans verba illa eiusdem versus, *ô, attactum delicatum &c.* sic loquitur.

O ergo attactus delicate, Verbum Fili Dei, qui ob diuinæ essentiæ tuæ subtilitatem, subtiliter animæ meæ penetras substantiam, & dum eam delicatè molliterque tangis, totam eam in diuinos, inusitatos & inauditos suauitatum modos absorbes.

§. I.

Verus propositionis sensus declaratur.

2. PRo huius propositionis elucidatione solum necesse est explicare locutionem illam: *Attactus in substantia animæ, seu attactus substantiales.* In his namque locutionibus videtur Mysticus noster Doctor asserere Deum substantialiter tangere animam perfectam, quæ ad hunc sublimem contemplationis gradum peruenit aliquo speciali contactu substantiali, & immediato, diuersoque ab eo, quo alias animas, imò & res omnes per suum intimum illapsum, seu præsentiam tangit, cum tamen specialis hic modus contactus substantialis non appareat qualis nam esse possit, cū omnis hæc sublimitas perfectionis non nisi, vel mediante gratia, quæ est accidens in anima

recepta, vel medijs habitibus, & actibus potentiarum, quæ omnia accidentia sunt, contingere posse videatur.

Sed re vera, locutio hæc verissima, & congruentissima est, cuius verus sensus potest multipliciter declarari; in primis namque quamuis contactus iste fiat medijs accidentibus physicis, cuiusmodi sunt gratia in anima recepta, habitusque, & actus supernaturales potentiarum, quos actus nunquam negat Venerabilis noster IOANNES, vt ex his, quæ supra cap. 4. in elucidatione 4. propositionis diximus, euidenter constat: potest tamen dici substantialis iuxta illos sensus, in quibus terminum illum, *substantialis locutio* explicuimus, & ex communi doctrina comprobauimus supra capite 5. in elucidatione 5. propositionis, quos in præsenti repetere non est necesse, sed ibi videri debent. 3.

Deinde in alio etiam strictiori sensu potest contactus hic substantialis Dei ad animam sic perfectam explicari, ex doctrina D. Dionysij cap. 4. de diuinis nominibus, & D. Augustin. lib. 8. de Trinitate cap. 10. quos refert, & sequitur D. Tho. 1. 2. quæst. 28. art. 1. vbi duos effectus, seu duas vniones in amore assignat, aliam videlicet vnionem affectiuam per conformitatem scilicet affectuum, aliam verò effectiuam per realem scilicet, & physicam vtriusque præseniam. Vnde sic inquit Angelicus Doctor: *Duplex est vnio amantis ad amatum, vna quidem secundum rem, puta cum amatum præsentialiter adest amanti, alia verò secundum affectum, &c.* Primam ergo vnionem amor facit effectiuè, quia mouet ad desiderandum, & quærendum præsentiam amati, quasi sibi conuenientis, & ad se pertinentis; secundam autem vnionem facit formaliter, quia ipse amor est talis vnio, vel nexus, vnde D. Augustinus dicit 8. de Trinitate: *Quod amor est quasi iunctura quædam, duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet, & quod amatur, quod enim dicit copulans, refertur ad vnionem affectus, sine qua non est amor. Quod verò dicit copulare intendens, pertinet ad vnionem realem.* Hucusque D. Thomas, quod etiam explicatin tertio, dist. 27. quæst. 1. art. 1. ad 4. inquiens: *In amore est vnio amantis ad amatum, ex hoc enim, quod amor transformat, facit amantem intrare in interiora amati, & è contra, vt nihil amati amanti remaneat non vnitum.* Per quæ omnia satis declaratur realis vnio, ad quam amor suapte natura tendit. 4.

Cum ergo charitas perfectissimum amorem amicitiæ inter Deum, & animam importet, huiusmodi etiam vnionem realem quærit, & desiderat, cuius desiderij fructu, vel affectu nullatenus frustrata manet, quia re vera medijs actibus charitatis, quibus anima diligit Deum, & se ad gratiam, vel ad gratiæ augmentum disponit, assequitur, vt Deus non solum illi communicet sua dona, sed etiam ipsamet substantia, & essentia Dei, ipsimet animæ speciali titulo substantialiter adsit. 5.

Quod aperte significatur in multis Scripturæ locis, cuiusmodi est illud Ioann. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Quibus in verbis per ly, *veniemus*, suam realem præsentiam promittit, cui consonat illud Pauli ad Roman. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Vbi particula illa, *qui datus est*, ad propositum perpendi debet. Et 1. Ioan. 4. asseritur. *Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* Nec non 1. ad Corinthios 6. de iustis dicitur: *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, &c.* Ac tandem Sapientiæ 7. de diuina sapientia asseritur:

Omnia

D. Joannis à Cruce
Opera Mystica
NVI
124

Omnia potest, & in se permanens omnia innouat, & per nationes in animas sanctas se transfert, & amicos Dei constituit.

6. Ex quibus omnibus locis meritò colligunt Theologicum D. Thom. 1. part. quæst. 43. art. 3. & Scholastici in 1. dist. 14. & 15. quod quando nobis infunditur in anima gratia gratum faciens, per quam Deus habitat in ea sicut in templo suo, non solum communicat sua dona, sed etiam (vt loquitur D. Thomas) *ipsemet Spiritus sanctus datur, & mittitur, & inhabitat animam*, vbi particula illa *ipsemet*, perpendenda est, quæ proculdubio vnionem non solum affectiuam, sed etiam effectiuam nempè realem præsentiam Spiritus sancti in anima exigit; quod adeò verum est, vt D. Thomas loco citato asserat errorem esse dicere Spiritum sanctum non dari, sed eius dona; hæc autem specialis Dei præsentia prouenit specialiter ex natura gratiæ gratum facientis; vt docet ibidem Diuus Thomas, nam in operatione, seu productione aliorum effectuum, solum adest Deus modo quodam generali, quo per essentiam, & potentiam est in omnibus rebus; quam doctrinam etiam docet D. Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto cap. 4. & 5. D. Augustin. de Trinitate cap. 26. & tractatu 32. & 74. in Ioannem, & Leo Papa in sermone 2. Pentecost.

§. II.

Eadem doctrina magis declaratur.

7. QVAMVIS autem aliqui hanc specialem Dei assistentiam, seu præsentiam in anima explicent per hoc, quod Deus est in illa modo quodam speciali, nempè sicut cognitum in cognoscente, & sicut amatum in amante, & tanquam causa effectiua gratiæ, tamen hoc non videtur sufficere ad verificandum non solum dari dona Dei, sed etiam ipsummet Deum, & personam Spiritus sancti, vt bene ostendit Suarez lib. 12. de Trinitate cap. 5. à num. 9.

8. Vnde alij asserunt, quod ex vi gratiæ gratum facientis, ipsemet Deus substantialiter vnitur, & coniungitur cum anima modo speciali, ac diuerso ab illo generali, quo cum alijs rebus creatis, in quibus operatur intime, & substantialiter per essentiam, & potentiam, & immensitatem adest, quod rectè explicuit citatus Suarez in eodem loco num. 11. his verbis: *Videntur mihi satis probabiliter & pie sentire, qui dicũt talia esse dona gratia gratum facientis, vt vi sua, vel quasi connaturali iure postulent intimam, realem, ac personalem præsentiam Dei in anima per talia dona sanctificata, quod per hanc conditionalem optimè declaratur. quia si per impossibile fingamus Spiritum sanctum non esse aliàs realiter præsentem extra animam, eo ipso quod anima talibus donis afficeretur, ipsemet Spiritus sanctus veniret ad illam per præsentiam personalem, & in ea esset, & maneret quamdiu gratia in illa duraret, atque hac ratione licet nunc aliàs habeat illam præsentiam ratione suæ immensitatis, & potentiæ, merito dicitur nunc habere illam speciali titulo ratione gratiæ, & charitatis, & ideò merito dicitur venire, vel mitti ad animam mediantibus hìs donis &c.*

9. Hoc autem exemplo vnionis hypostaticæ sic bene idem Auctor declarat: *Sic etiam intelligimus missionem Verbi diuini ad humanitatem, quam assumpsit, quia licet fingeremus Verbũ non esse per immensitatem præsens illi humanitati, eo ipso quod illi hypostaticè vniretur, ex vi vnio-*

vnionis, & ad illam terminandam oporteret fieri intimè præsens, & ideò ratione vnionis dicitur nunc esse in illa humanitate realiter, & intimè speciali modo. Ad hunc ergo modum dicimus Spiritum Sanctum dari animæ, & speciali modo esse in illa intimè, ac realiter, ratione gratiæ sanctificantis, nam per gratiam, & charitatem perfectissima quædam amicitia inter Deum, & hominem constituitur, amicitia verò ex se petit vnionem inter amicos non solum per conformitatem affectuum, sed etiam per inseparabilem præsentiam, & coniunctionem, &c. Quod ibidem latè prosequitur, & mentem esse Diui Thomæ ostendit.

Hanc eandem doctrinam optimè tradit Pater Didacus Ruiz de Montoya disp. 109. de Trinitate sect. 3. à numer. 11. sic inquiens: *Ratione supernaturalis amicitiæ, & participationis diuinæ naturæ, nouum vinculum, fortius, & strictius additur ad realem præsentiam Dei in anima, nam ex vi huius denuo venit, & realiter ad animam Spiritus sanctus, & realem præsentiam denuo quæreret, etiam si per impossibile prius non esset præsens per essentiam, præsentiam, & potentiam, &c.* Quod ibi latè confirmat, & tandem numer. 19. sic concludit: *At vero quatenus per illos actus, & habitus, Deus constituit amicitiam intimam animæ, tanquam filiæ, & sponsæ, per quandam resultantiam obligationis, necessario sequitur præsentia realis, & coniuncto, hoc autem modo non sequitur ex eo, quod Deus causet alios effectus, &c.* 10.

Id ipsum bene ostendit, & probat Cornelius à Lapide in Comment. super cap. 1. Oseæ vers. 12. vbi sic inquit: *Tota ergo Trinitas personaliter, & substantialiter venit ad animam, quæ iustificatur, & adoptatur, &c.* Idque probat ex illo 1. ad Corinthios 6. *Qui adhæret Deo vnus spiritus est cum eo.* Et ex illo Ioann. 17. *Vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, & ipsi in nobis vnum sint.* Vnde paulò inferius subiungit: *Totaque Deitas, & sancta Trinitas, quæ se, hisce suis donis substantialiter quasi annexuit, & inclusit, vt nos sibi substantialiter vniat, sanctificet, Deificet, & adoptet, &c.* Et infra: *Ex hac communicatione ipsiusmet personæ Spiritus sancti, & Diuinitatis sequitur in anima summa cum eo vnio, & quasi Deificatio, & consequenter adoptio perfectissima, scilicet, non tantum per gratiam, sed etiam per substantiam diuinam, &c.* Quam doctrinam repetit hic Auctor in Comment. super c. 2. Aggæi Prophetæ n. 8. 11.

Hanc eandem doctrinam melius experientia edocta nobis Sancta Mater nostra Theresia monumentis suis relinquit c. 1. scilicet Mansionis 7. sic inquiens: *Omnes tres personæ hic se illi familiares reddunt, cum ipsa communicant, ei loquuntur, hæque verba, quæ Dominum dixisse, Euangelium testatur, se scilicet ac Patrem, ac Spiritum sanctum ad animam, quæ ipsum diligeret, ac mandata eius seruaret, venturum, & apud ipsam mansionem facturum, eam reipsa intelligere faciunt. Quotidie autem magis ac magis anima hæc obstupescit, quod sanctas hasce personas nunquam exinde à se abiisse aut recedere sibi persuadeat; sed euidentissime videat, eo modo, quo dictum est, in intimo animæ suæ penetrali, in recessu quodam admodum profundo (quod quomodo fit explicare nequit eo quod scientiam ac doctrinam non habet) diuinum hoc contubernium sibi adesse ipsumque in se sentiat.* 12.

Hæc autem vnio specialis Spiritus sancti, non solum contingit in prima infusione gratiæ, sed etiam in eius augmento maximè, quando anima proficit in nouum statum gratiæ, quia tunc etiam datur missio inuisibilis Spiritus sancti, vt cap. præcedenti n. 11. ex D. Thom. diximus, beneque ostendit Suarez cit. lib. 12. de Trinit. c. 5. à n. 16, & Ruiz de Montoya vbi supra sect. 4. 13.

Ex quo apertus manet sensus huius locutionis Mystici nostri Doctoris, constituentis

D.
Joannis
à Cruce

Opera
Mystica
NVI
124

tuentis substantiales contactus, substantialemque præsentiam Dei in anima, quæ valdè proficit media illa sublimi transformatione contemplationis in gratia, & charitate, tunc enim ratione huius insignis augmenti gratiæ, obtinet illum specialem modum substantialis præsentiæ, & contactus Dei in anima, quem hactenus ex D. Thom. & Theologorum recepta doctrina explicuimus; iuxta quem etiam sensum idem Angel. Doctor q. 28. de verit. art. 3 inquit: *Tangit Deus animam gratiam inserendo.* Pro quo adducit locum illum Psal. *Tange montes*, cum explicatione Glossæ dicentis: *Tange gratia tua &c.*

§. III.

Obiectio quædam diluitur.

Nec huic doctrinæ obstat id, quod aliquis dicere posset, scilicet huiusmodi contactus, quos Mysticus noster Doctor appellat substantiales, potius pertinere ad actualem gratiam, quæ in actuali illustratione intellectus, & inflammatione voluntatis consistit, quæque terminatur ad actus intellectus, & voluntatis, quos in sublimi illa contemplatione, sublimiter, medijs potentijs exercet anima, atque adeò non pertinere ad gratiam habitualé, & ita non rectè appellatos fuisse substantiales contactus, siquidem non in substantia animæ, sed in eius accidentarijs potentijs recipiuntur. Non inquam id obstat prædictæ doctrinæ, nam eo ipso, quod exerceantur prædicti actus medijs potentijs, necesse est etiam, vt detur in substantia animæ nouum augmentum gratiæ gratum facientis, prædictis actibus intensis, & seruentibus correspondens, & proportionatum, vt ex communi Theologorum doctrina supponimus, & ideò necesse est etiam dari nouum illum modum substantialis vnionis, & præsentiæ Dei ad animam, qui in prædicto augmento gratiæ iuxta doctrinam traditam, & probatam reperitur, ad quod attendens Venerabilis noster IOANNES, meritò prædictos contactus, substantiales appellauit.

89. Quod benè explicatur ex eo, quod docet D. Thomas in 3. dist. 13. quæst. 1. art. 1. his verbis: *Gratia principaliter duo facit in anima, primo enim perficit ipsam formaliter in esse spirituali, secundum quod Deo assimilatur, vnde, & vita anima dicitur: secundo perficit eam ad opus, quia non potest esse operatio perfecta, nisi progrediatur à potentia perfecta per habitum, &c.* Ex quo constat, quod quando in potentijs intellectus, & voluntatis exercentur in sublimi illa contemplatione actus supernaturales, prædictis potentijs correspondentes, prius reperitur in anima gratia, vel augmentum gratiæ perficiens animæ substantiam, secundum quod Deo assimilatur, atque adeò reperitur contactus ille Dei, seu præsentia substantialis in anima, quem iam explicuimus.

66. Quibus omnibus tandem addimus, quod etiam ratione ipsorum actuum potentiarum, qui in sublimi illa contemplatione exercentur, potuit optimè Mysticus noster Doctor, prædicta locutione substantialium contactuum vti, eo quod plerumque locutiones illæ, quæ pertinent ad rei substantiam, vel essentiam applicantur eius operationi, quando talis operatio est valde propria tali substantiæ, & ad illam præci-

præcipuè tendit, quod optimè adnotauit D. Thom. in 4. dist. 49. q. 1. artic. 2. quæstiunc. 3. vbi innuit, quod & si nomen vitæ directè pertineat ad substantiam, & naturam viuentis, iuxta illud Philosophi viuere viuentibus est esse. Tamen *translatum est* (verba sunt D. Thom.) *nomen vitæ ad assignandam operationem, & secundum hunc modum vnusquisque illam operationem suam vitam reputat, cui maximè intendit, quasi ad hoc sit totum esse suum ordinatum.* Cùm igitur actualis contemplatio amorosa, sit proprium opus ad quod tendit anima, quæ ad illum sublimen transformationis in Deum statum accedit, meritò Mysticus noster Doctor, locutionem pertinentem ad substantiam talis animæ, prædictæ operationi adaptauit, cumq; ratione gratiæ, seu insignis augmenti gratiæ existentis in substantia animæ, reperiatur substantialis Dei contactus in illa, specialisque modus præsentiæ substantialis Dei ad illam, meritò locutiones has ad explicandam prædictam operationem, quam tunc sublimiter exerceret anima, adaptare potuit.

§. IV.

Sanctorum Patrum, & illustrium Doctorum testimonijs, eadem doctrina confirmatur.

HVNC autem substantialem contactum specialemque modum substantialis præsentiæ, & vnionis Dei ad animam, denotare voluerunt Sancti Patres, alijque Doctores Mystici, cum quibus consentit Venerabilis noster IOANNES, quando asserunt animam perfectam ad eum sublimitatis gradum peruenire, vt in Deum taliter transformetur, vt à se ipsa velut deficiens, tota in Deum conuertatur, & transmutetur. 17.

Ad hunc namque sensum loquens de hac intima vnione D. Bernardus in tractatu de diligendo Deo inquit: *Eò certè desœtatior, & purior, quo in ea de proprio nihil iam admixtum relinquitur, eo suauior, & dulcior. quo totum diuinum est, quod sentitur, sic affici deificari est.* Et tractatu de diligendo Deo hoc idem optimè explicuit idem Bernardus, sic inquiens: *Quomodo stilla aquæ multo infusa vino, deficere à se tota videtur, dum & saporem vini induit, & calorem: & quomodo ferrum igneum, & candens igni simillimum fit, pristina propriaque forma exutum: & quomodo solis luce perfusus aër in eandem transformatur hominis claritatem, adeò, vt non tam illuminatus, quam lumen ipsum esse videtur: sic omnem in sanctis humanam affectionem, quodam ineffabili modo, necesse erit à semetipsa liquescere, atque in Dei penitus transfundi voluntatem, alioquin quomodo omnia in omnibus erit, si in homine de homine quidquam superierit?* Et de vita solitaria ad fratres de Monte Dei sic rem hanc optimè declarauit: *Super hanc autem, alia est adhuc similitudo Dei in tantum propriè propria, vt non iam similitudo, sed vnitas spiritus nominetur, cùm sit homo cum Deo vnus spiritus, non tantum vnitate voluntatis idem; sed expressiore quadam vnitate virtutis, aliud velle non valendi, dicitur autem*

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
NVI
124

hac vnitas Spiritus, non tantum quia efficit eam, vel afficit ei spiritum hominis Spiritus sancti, sed quia ipse est Spiritus sanctus Deus charitas: cum per eum, qui est amor Patris, & filij, & vnio, & suauitas, & bonum, & osculum, & amplexus, & quid quid commune potest esse amborum in summa illa vnitate veritatis, & veritate vnitatis; hoc idem homini suo modo fit ad Deum, quod cum substantiali vnitate filio est ad Patrem, vel Patri ad filium, cum modo ineffabili incogitabilique fieri mereretur homo Dei, non Deus, sed tamen, quod Deus est ex natura, homo ex gratia, &c.

18. Hanc vnionem appellant Doctores Mystici, matrimonium spirituale, quod inter alios optimè Magistra illa cœlestis, ac Doctrix Mystica THERESTA sic eleganter capite 2. *Mansionis*, 7. explicat: *Occulta namque hac vnio peragitur in interiori animæ centro* (quod idem est ac in substantia animæ secundum Mysticum nostrum Doctorem) *quod ipsum haud dubiè est locus, vbi Deus ipse commoratur; Apparet ergo Dominus in hoc animæ centro sine vlla imaginaria, sed sola intellectuali visione, esto longe subtiliore & delicatiore, quam ea quæ hucusque dictæ sunt; eo modo quo Apostolis suis ianuis clausis apparuit, cùm ipsis dixit, Pax vobis. Est tam grande arcanum & gratia tam eminens, id quod Deus ibi animæ in instanti communicat, & maxima quam sentit voluptas, vt cui illam comparem nesciam, plura de hoc dicere queunt, quam* (quantum intelligi potest) *animæ huius spiritum iam vnum quid cum Deo factum esse: qui* (sicuti & ipse spiritus est) *amorem quo nos prosequitur demonstrare voluit, nonnullis hominibus declarans, quousque eis se extendat, quo sic magnitudinem eius dilaudemus; quia sicuti placuit & voluit creaturæ se vnire, vt quemadmodum duo coniuges tam coniuncti separari nequeunt, sic nec ipse ab ea disiungi velit; hic perinde est ac si aqua de cœlo in fluuium aut fontem aliquem caderet, vbi ambæ aquæ ita vna fiunt, vt diuidi non possint, & discerni nequeant, quanam sit aqua fluuialis, quænam ea quæ de cœlo decidit. Est etiam quemadmodum si modicus aliquis riuus in vastum mare influeret; neque enim iam vlla eius ab hoc sequestrandi apparet ratio; aut denique quemadmodum si in cubiculo aliquo duæ fenestræ forent, per quas in ipsum magna se lucis copia infunderet, quæ licet diuisa & disiunctim ingrediatur, vna tamen & eadem amba lux fiunt. Hic forsan locum habebit illud Apostoli.* Qui adhæret Deo, vnus cum eo spiritus efficitur; *quantum scilicet ad diuinum istud Matrimonium; præsupponit enim maiestatem eum iam per vnionem animæ se coniunxisse. Vnde & addit:* Mihi viuere Christus est & mori lucrum: *sic & anima mihi hic dicere posse videtur; hic enim est vbi papilionculus, quem diximus, amoritur & quidem summo cum gaudio, cum eius vita iam sit Christus.*

19. Cum hac doctrina optime intelligitur tertium membrum diuisionis illius, triplicis spiritus, quam tradit Auctor libri de spiritu, & anima tom. 3. apud August. Ricardus in prolog. ad lib. de Trinit. & specialiter lib. 5. de contemplatione cap. 12. circa finem, & ex eis D. Bonauent. opuscul. de 7. itiner. æternit. dist. 3. primus scilicet gradus est spiritus in spiritu; secundus, spiritus supra spiritum; tertius spiritus sine spiritu. *Et ab humano* (dicit Ricardus loquens de 3. isto gradu) *in diuinum videtur deficere, ita vt ipse iam non ipse.*

Propter hanc rationem vnionem hanc nomine deificationis Nazianzenus; Deiformitatis autem titulo alij insigniuere, vt videre est apud Rosignol. lib. 5. de perfectione disciplinæ Christianæ capit. 24. simillimusque est ad hoc propositum Dei, ad Augustinum lib. 7. confess. c. 10. qui Deum sibi ita loquentem (loquendi modum)

dus) audiuit: *Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me, nec tu me in te mutabis sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.*

Consentit Albertus Magnus de adhærendo Deo, cap. 12. dicens: *Solus amor est, quo conuertimur ad Deum, transformamur in Deum, adharemus Deo, vnimur Deo, & sumus vnus spiritus cum eo.* (Et inferius) *Nihil amore acutius, nihil subtilius, aut penetrabilius, nec quiescit, donec naturaliter totam amabiliter penetrauerit virtutem, & profunditatem, ac totalitatem, & vnum se vult facere cum amato, & si fieri potest hoc idem ipse sit, quod amatum* (Et inferius) *Est enim amor ipse virtutis vnitiuæ, & transformatiuæ, transformans amantem in amatum, & econtra, vt sit vnus amatorum in alterum, & è conuerso, in quantum intimius potest, &c.* Quod idem latè eodem cap. prosequitur. 20. 21.

Accedit Dionysius Carthusianus de vita solitaria lib. 2. cap. 10. *Enim vero in transformatione hac ipsa mentis in Deum, mens ipsa à se defluit, ac deficit, & se omnique sui, ac caterorum demum proprietate relictis, in ipsam Deitatis superineffabilem, simplicissimam, interminabilemque abyssum, & inscrutabilem quoque inaccessibilemque caliginem mergitur, & demergitur, liquescit, & eliquescit, profundatur & deprofundatur, & vt omnia simul dicam, annihilatur, & à se ipsa deperditur. Porro in Deo viuit, itemque cum illo ab omni proprietate, commixtione, ac affectione nuda, pura, & libera existens, vnum efficitur, vnus spiritus, vna anima, vnum esse, vna fœlicitas, alteritatem namque nō percipit. Quoniam in Deiformem simplicitatem meauit, & intrahens Dei influxus, ac superducens contactus, animam à se alienat, & in alteritatem quamdam transponit: Non quod in omnibus hu natura, aut existentia creaturæ mutetur, aut desinat, sed quia modus exaltatur, deificatur que qualitas.*

Circa argumentum hoc nimis longum esset recensere, quod D. Bonauentura habet itiner. 7. æternitatis dist. 1. 2. 3. & 4. Rusbroch. de gradibus amoris gradu 7. cap. 14. & opusc. de vera contemplatione 1. cap. etiam 14. 26. & 27. & lib. de perfectione filiorum Dei cap. 14. quibus locis strictissimè de hac vnione loquuntur, quorum doctrinam sequens Mysticus noster Doctor, sæpe etiam in suis operibus non solum in loco, vnde hæc propositio, quam elucidamus desumpta fuit, sed etiam in libro *quadraginta Cantuum*, Cant. 36. 37. &c. sublimem hanc, & strictam vnionem inter animam perfectam, & Dei substantiam assignat. 22.

Ex quo patet, quam diuersa sit hæc stricta vnio, quam Doctores Mystici, & cum eis Venerabilis noster IOANNES assignant, ab vnione, quam hæretici, qui Illuminati dicuntur stultè constituebant inter ipsorum, & Dei substantiam, siquidem hi constituebant vnionem per identitatē essentiæ, & ita asserebant se non indigere gratia, nihilque Deum sine illis operari posse, eo quod essent Dij per naturam, atque ita se creasse cœlum, & terram, ac cætera omnia, esseque filios Dei Patris ex vi generationis æternæ, necnon Beatæ Virginis secundum generationem temporalem, aliasque huiusmodi insanias deductas ex illa vnitate per identitatem, quam inter Deum, & semetipsos constituebant affirmare non dubitabant, quos errores late refert, & explicat Rusbrochius lib. de vera contemplatione cap. 18, 19, 20. & 21. ab his ergo erroribus non minus, quam lux à tenebris distat doctrina Venerabilis nostri IOANNIS, & aliorum Doctorum Mysticorum, strictam illam vnionem inter substantiam Dei, & substantiam animæ constituentium; nullatenus enim vnionem per essentiam, & 23.

B.
Joannis
à Cruce

Opera
Mystica
NVII
124

identitatem constituere volunt (id namque absurdum, & stultum est, ipsique naturali lumini contrarium) sed solum illam specialem Dei præsentiam, & substantialem, specialemque modum unionis intimæ, substantialisque contactus inter Deum, & animam ex gratia habituali veluti dimanantem, quem in hoc cap. ex Theologorum doctrina explicuimus, quemque explicat Venerabilis noster IOANNIS in citat. lib. 40. Canticum Cantu 36. vers. 2. vbi postquam strictissimè de hac vnione loquutus fuerat, asserens eandem esse Dei, & animæ perfectæ pulchritudinem, vt manifestius mentem suam declaret, sic subiungit: *Hæc est adoptio filiorum Dei, qui veraciter dicent Deo quod idem filius apud Ioannem dixit æterno Patri his verbis.* Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt, *ille quidem per essentiam, vtpote Filius naturalis, nos per participationem, vtpote filij adoptiui: sic dixit, non propter se tantum qui caput erat, sed etiam propter totum corpus suum mysticum, quod est Ecclesia.* Quo nihil clarius pro totius huius rei explicatione dici potuit: ex quibus omnib. verissimus, & legitimus sensus propositionis, quã elucidamus, satis apparet, totaque eius doctrina, & locutio stabilita, & confirmata manet.

CAPVT XVII.

Elucidatur decimaseptima propositio, eiusque legitimus sensus ex communi Sanctorum Patrum doctrina demonstratur.

1. PRopositio decimaseptima habetur in libro, qui inscribitur, *Flamma amoris viua*, Cant. 3. §. 7. vbi sic Mysticus noster Doctor loquitur.

Constitue in libertate serenæ pacis animam, eamque ab operationis suæ iugo & seruitute libera. hæc enim est Aegyptiaca captiuitas, cum vniuersas istas operationes exercere paulo amplius sit, quam paleas ad coquendum latercs congregare, & duc eam ad promissionis terram, quæ fluit lacte & melle.

2. Sensus huius propositionis manifestissime constat ex dictis supra in hac 2. parte elucidationis cap. 4. vbi ex multis Mystici nostri Doctoris testimonijs euidenter demonstrauimus, nequaquam ipsum voluisse, operationes vitales ab anima, eiusque potentijs actiuè elicitas in sublimi contemplationis statu excludere, imo tales operationes semper reperiri debere, expresse docuisse, sed solum voluisse excludere operationes proprias, id est, proprio labore, industria, acquisitione, discursu, modoq; connaturali exercitas, ne tales operationes impedirent alias eleuatiores, ac superioris ordinis ex diuina gratia, & peculiari Spiritus sancti motione supernaturali modo in illo sublimi statu eliciendas, vt loco citato explicuimus. Hanc ergo doctrinam modò repetit in ea merito persistens, operationesque illas modo proprio laboriolo, ac discursiuo elicitas, iugum, seruitutem, Ægyptique captiuitatem merito vocat, respectu illius status sublimis contemplationis, quem promissionis terræ comparat, in quo sine labore, ac propria industria, sed cum magna quiete, serenitate, & pace operationes longè eleuatiori modo ex specialissima Dei motione, absque vllo labore exercentur, ad quem libertatis, & serenitatis statum non potest anima peruenire quo vsque ab illo iam dicto seruitutis, & captiuitatis statu exeat, vt loco cit. fusius explicuimus. Vnde non oportet modo in huius propositionis elucidatione amplius immorari, sed ea quæ ibidem diximus, recolenda sunt.

Sed

Sed pro maiori huius doctrinæ intelligentia, & illustratione non possumus non addere egregium eiusdem Mystici nostri Doctoris testimonium in eodem libro, vnde hæc propositio desumpta fuit, ibidem enim optimè rem hanc declarat, specialiter vero citato Cant. 3. §. 9. 10. & 15. etenim cum in §. ... hanc propriarum operationum in sensu dicto cessationem, & annihilationem docuisset, statim tacitæ occurrens obiectioni, ita subiungit. 3.

Non dicas ergo animam non progredi, nihilq; agere: nam si tunc non magis sapiunt ei intelligẽtiæ aliæ quã antea, ad vlteriora proceditur, ad supernaturalia tendit. Sed dices, nihil distinctè intelligit: imo si tunc distinctè intelligeret, non progrederetur: Deus enim incõprehensibilis est, intellectumq; excedens, vnde quo magis proceditur anima, eo magis debet à seipsa recedere, in fide ambulando, credendo, no aũt videndo; hocq; modo magis approximat Deo, non intelligendo, in sensu explicato. Et propterea nõ affligaris inde, si enim nõ retro eat intellectus, notitijs distinctis, alijsq; vitæ huius intellectionibus occupari volendo, ad vlteriora proceditur; ad vlteriora autem progredi, est in fide magis ambulare. Intellectus vero cum nesciat neque possit comprehendere qualis sit Deus pergit ad eum non intelligendo. Vnde hoc quod tu in eo reprehendis, ad ipsius bonum potius expedit illi, nimirum vt intelligentijs distinctis sese non implicet, sed ambulet in fide perfecta. Et in §. decimo, sic prosequitur. 4.

Sed dices, voluntatem, nisi intellectus distinctè cognoscat, at minus otiosam futurã, neq; amaturam, non enim amari potest nisi cognitum? Respondeo, ita se rem habere in operationibus præsertim, actibusque animæ naturalibus, voluntatem scilicet non amare, nisi id quod distinctè cognoscit intellectus. Sed illo temporis spatio, quo contemplatio, de qua loquimur, durat quam infundit Deus in animam, minimè necessarium est, notitiam distinctam interuenire, & animam multos facere discursus; tunc enim communicat illi Deus notitiam amorosam, quæ simul est velut lux calida indistincta; tunc autem secundum intelligentiæ modũ est etiã amor in voluntate. Nam cum notitia generalis sit & obscura, non valente intellectu distinctè intelligere, quod intelligit: voluntatem etiam in genere absque distinctione aliqua amare necesse est: nam cum in subtilissima cõmunicatione Deus lux sit & amor; æqualiter duas istas informat imbuitque potentias; quamuis interdum vnam feriat amplius, quam aliam. Vnde nonnunquam plus sentitur intelligentia quã amoris, nonnunquã vero intẽsior amor quam intelligẽtia percipitur. Et propterea, nõ est cur in statu istо volũtatis otiositas timeatur si enim ab exercitio actuũ per particulares notitias (in quantũ ab ipsa proficiscebantur) directorũ & gubernatorum desistat, inebriat illã Deus amore infuso, mediante contẽplationis notitia, vt nuper diximus. Sunt autẽ tanto meliores, dulciores magisq; meritorij actus, qui contẽplationis huius infusa ductu eliciuntur: quanto melior est motor, qui amorẽ istum infundit anima, & in ea accendit: manet enim voluntas Deo vicina, & ab alijs actibus abstracta & aliena. Propterea sollicite inuigiletur, vt voluntas à suis amoribus vacua sit, & abstracta: si. n. non retrocedat, aliquẽ cupiendo degustare succum vel consolationẽ, etiã si illã particulariter in Deo nõ sentiat, ad vlteriora proceditur ad Deũ super omnia ascendẽdo, quandoquidẽ nullius rei gustu delectationeq; tangitur, & quanquã adeò particulariter & distinctè Deũ non degustet, nec eũ ita distincto actu diligat, plus tamẽ degustat eũ in illa infusione generali, obscure & arcane, quã si notitijs distinctis regeretur, sæpẽ manifestè tunc illa agnoscit, nullam notitiam tantam sibi delectationem adferre, quantum quietalis & solitaria: amatque illum super omnia amabilia, quandoquidem omnes alios succos, vniuersarumque rerum delectationes repudiauerit, & sint illi insulsa. Vnde non est cur affligatur; si enim nequit anima succis gustibusque actuum particularium occupari & oblectari, ad vlteriora tendit; nam non retrocedit 5.

aliquid

B.
Joannis
a Cruce

Opera
mystica
TOM II
1729

aliquid sensibile amplectendo, est in accessibili, quod est Deus, vlterius progredi. Atque ita voluntas adhoc vt ad Deum tendat, potius hoc facere debet, ab omni se re delectabili ac dulci abstrahendo, quam illi innitendo. Hoc modo optime satisfacit præcepto amoris, quod præscribit Deum super omnia diligendum. Quod vt cum omni perfectione fiat, cum ista nuditate & omnium rerum peculiari
6. *vacuitate exerceri debet.* Et tandem in §. decimoquinto sic concludit.

O igitur animæ, quando tam sublimia dona à Deo recipitis, vt per solitudinis recollectionisque fœtum vos deducat à vestro laborioso sensu vos separando, ne quæso ad eum reuertamini: sed operationes vestras relinquite: si enim prius vobis adiumento erant ad mundum, vosque ipsas abnegantes, cum in incipientium statu versaremini, nunc cum Deus hunc vobis insignem exhibet fauorem, vt ipsemet operarius & artifex esse velit, erunt vobis obstaculo & maximo impedimento. Dum modo enim iuretis in nulla re operationes vestras occupare, ab omnibus rebus eas abstrahendo, nec illas implicando (hoc enim vobis ex parte vestra in isto statu faciendum incumbit) & præterea vt simul aduertentiam seu attentionem amorosam & simplicem adhibeatis, nullam animæ vim inferendo (nisi forte abstrahendo illam ab omnibus & subleuando ne pacem ipsius perturbetis & alteretis) huic inquam præstitis, cœlesti refectione cibabit illam Deus, quandoquidem nullum ipsi in ea pontis obstaculum. Quod Mystici nostri Doctoris testimonium sic ad longum retulimus, quia ex eo tota eius doctrina, quoad materiam huius propositionis, non solum legitimè declarata, sed etiam valde confirmata manet.

CAPVT XVIII.

Elucidatur decimaoctaua propositio, & ex dictis in tota hac elucidatione verus eius sensus aperte ostenditur.

1. SEQVITVR iam decima octaua propositio Mystici nostri Doctoris, quæ talis est.

Hæc transformatio & vnio in sensum & habilitatem humanam cadere nequit, sed necessarium est vt anima perfectè & voluntariè seipsam euacuet ab omnibus quæ habere potest, (loquor de affectu & voluntate quatenus ad se pertinent) Deo etenim quis prohibeat, ne quod libuerit faciat in anima resignata, denudata, & exinanitata?

2. Doctrina huius propositionis quoad omnes eius partes est aperte vera, & optima, eiusque verissimus sensus ex dictis in toto hoc opere manifestè demonstratus manet: etenim in tres partes diuidi potest, in quarum prima asserit huiusmodi vnionem, & transformationem in Deum perfectum nequaquam sub sensu, & industria humana cadere: & hoc certissimum est, non solum, quia est quid supernaturale ad quod proinde vires humanæ ex se ipsis pertingere non possunt, vt contra Pelagianos, & Semipelagianos diffinitum est in Concilio Mileuitano cap. 5. Arausicano 2. cap. 6. & Tridentino sessione 6. decreto de iustificatione cap. 5. canone 1. 2. & 3. sed etiam quia adhuc in ipsomet ordine supernaturali est quid valde eleuatum communem operandi modum superans, eoque ipso sub diligentia humana adhuc adiuta communi, & ordinario auxilio gratiæ cadere non potest, vt in 1. huius elucidationis parte cap. 3. num. 5. ex

ex communi doctrina ostendimus, & ideo de veritate huius propositionis quoad hanc primam partem dubitari non potest.

Deinde in 2. parte eiusdem propositionis asserit Mysticus noster Doctor debere animam, quæ hac sublimi contemplatione transformationeque potiri debet, esse vacuam à cæteris omnibus, non quidem quoad operationes discursiuas intellectus, & rerum imagines, aliaque huiusmodi, nam de hac vacuitate, & denudatione non in hac, sed in alijs propositionibus agit, nosque eius doctrinam explicantes egimus etiam latè supra c. 2. 3. & 4. sed modo inquit debere esse vacuam ab omnibus affectionibus, desiderijs, & amore rerum creatarum eo modo, quo supra in 2. parte elucidationis cap. 1. 12. & 14. latè demonstrauimus. Vnde nihil modo pro elucidatione huius propositionis quoad hanc partem addendum superest. 3.

In tertia vero parte asserit debere animam esse resignatam in Deum, denudatam, & annihilatam: cuius doctrinæ quoad resignationem veritas adeo certa est, vt iuxta sanam Theologiam de ea nequeat dubitari: quo ad denudationem vero, & annihilationem constat legitimus eius sensus ex dictis supra in prima huius elucidationis parte, cap. 3. & 4. specialiter vero §. octauo, cap. quarto, vbi locutiones has fusè explicuimus. 4.

Quod autem asserit Mysticus noster doctor, scilicet posse Deum facere, quidquid sibi placuerit in anima resignata, denudata, & annihilata, nequaquam denotat non posse Deum si voluerit idem operari in alijs animabus non ita perfectis; sed sensus est prædictam resignationem, & denudationem esse optimam dispositionem ad hoc, vt Deus in illa hæc sublimia operetur, sine qua dispositione, vt in plurimum ea operari non solet, & ideo longè melius esse ad hæc à Deo obtinenda prædictam resignationem, & denudationem habere, quam carere illa, de cuius doctrinæ veritate, nec leuiter dubitari potest. 5.

CAPVT XIX.

Propositio decimanona, ex dictis declaratur, & elucidatur.

PRopositio decimanona habetur in libro qui inscribitur, *Flamma amoris viua*, Can. 3. §. 4. vbi loquens de impedimentis, quibus anima ab hac perfecta vnione retardari potest, asserit primum impedimentum esse spiritualem Magistrum, de quo sic subiungit. 1.

Non mediocriter necessarium est animæ, proficere & non retrocedere cupienti, considerare cuius se manibus credat; pro itinere porro isto saltem pro sublimioribus eius rebus, imo etiam pro mediocribus, vix ductorem aliquem perfectum, secundū omnes quæ ad officium istud requiruntur partes, reperiet.

Doctrina huius propositionis verissima est, in qua nequaquam Mysticus noster Doctor, vel leuiter insinuat errorem hæreticorum, qui Illuminati dicuntur, asserentiū

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
M VI
124

nullos alios reperiri idoneos spirituales Magistros præter ipsos, vel eos quos ipsi assignabant, quos in suis erroribus, ac turpitudinibus, cum ipsis consentire sciebant: hunc inquam errorem nequaquam, vel leuiter Mysticus noster Doctor insinuat, imo potius grauiter condemnat eos, qui taliter spirituali magisterio animarum abutuntur, vt nunquam eas à sua disciplina exire, alioque spirituales Magistros quærere permittant, vt videre est lib. citato, *Flamma amoris viua*, citato Cantic. 3. §. 12. Vnde sensus huius propositionis nullus est alius, nisi ille quem supra in prima par. huius elucidationis cap. 5. à num. 11. & cap. 7. per totum latè explicuimus, vbi fusè ostendimus ex communi Sanctorum Patrum, & Theologorum doctrina, quanta sit inopia spiritualium Magistrorum, qui munus hoc perfectè possint exercere propter scientiam non mediocrem, tam scholasticam, quàm mysticam, insuperque experientiam, quæ ad hoc requiritur, vbi id videri debet. Ibidemque specialiter vero citato cap. 7. §. 4. quonam pacto Theologia Mystica per scholasticam examinari, & iudicari debeat, ostendimus, quod nullatenus in hac propositione Magister noster Doctor negat.

CAPVT XX.

Elucidatur vigesima propositio, & Sanctorum Patrum testimonijs corroboratur.

1. PErgamus tandem ad elucidandam vigesimam propositionem, quam habet Mysticus noster Doctor in lib. 1. Ascensus Montis Carmeli cap. 9. vbi asserit quemlibet appetitum inordinatum, & si mortalis culpa non sit, coinquinare animam, & eam maculare, quod in fine eiusdem capitis etiam de imperfectionibus, quæ nec mortalis, nec venialis culpa sunt, asserit sic concludens. *Id solum ad præsens institutum affirmo, quemlibet minutissimæ etiam imperfectionis appetitum obscurare, ac perfectam animæ cum Deo vnionem impedire.*

Doctrina huius propositionis eiusque locutio est communis apud Sanctos Patres, & Doctores præsertim Mysticos, qui sæpè asserunt, quidquid potest aliquo modo perfectam contemplationem, & vnionem cum Deo impedire, & si nec mortalis, nec venialis culpa sit, esse maculam, quæ purgatione indiget, eo quod animam aliquo modo coinquinat.

2. Hac enim ratione Albertus Magnus lib. de adhærendo Deo, purificationem imaginum, & phantasmatum (in quibus nulla culpa reperitur) tanquam necessariam ad hanc vnionem statuit, & ideo cap. 4. de eis sic loquitur: *Quæ tamen, & si nonnunquam levia, & tanquam nulla videantur peccata, tamen magna sunt impedimenta huius sancti exercitii, & operis, & ideo etiam si vtilia, & necessaria visa fuerint, siue magna, siue parua, vel noxia, & pernitiosa, illico sunt reijcienda.* Et cap. 5. sequenti sic subiungit. *Qua propter sinistis te nudare, & purificare à phantasmatibus, &c.* Et cap. 8. sic iterum de hoc loquitur

Oportet

Oportet vt ab omnibus à phantasmatibus, & inuolutionibus. & obnubilationibus sit depuratus spiritus tuus tanquam Angelus corpori alligatus, &c.

Optimè etiam de hac re loquitur Diu. Bonauentura opusc. 1. de 7. itineribus æternitatis, vbi explicans illud Cantic. 5. *Laui pedes meos, quomodo inquinabo eos.* Affert explicationem quandam Vercellensis, quæ sic habet. *Quomodo inquinabo eos iterum vmbris, & imaginibus temporalium, cùm etiam intellectuales operationes, & formæ insuper intellectuali exercitio reputentur maculæ, & offendicula, &c.* 3.

Consonat Gilbertus Abbas serm. 1. in Cantic. vbi perpendens, quam bona sit contemplationis nox, quamq; malus sit dies ille, quem scriptura vocat diem hominis, sic inquit: *Heu me quomodo me circumfulget dies iste? quomodo affectum meum arripuit ad se? vbique erumpunt, & emergunt in cogitatum cuncta, quæ spiritum, vel turbent, vel deturpent, licet enim animus castigatiore repellat illa proposito, solo tamen irruentium cogitationum sordidatur attactu, non important cum violenter importantur culpam aliquam, tamen iniuriam irrogant affectatæ munditiæ.* 4.

Id ipsum docuit D. Thom. de veritate quæstione 13. articulo 4. his verbis: *Per se impediunt se inuicem intellectiuæ, & sensitiuæ operationes, tum per hoc quod in vtrisque operationibus oportet intentionem esse: tum etiam, quia intellectus quodammodo sensibilibus operationibus admiscetur, cum à phantasmatibus accipiat, & ita ex sensibilibus operationibus quodammodo intellectus puritas inquinatur.* 5.

Accedit Venerabilis Antistes Bartholomæus à Martyribus in 2. parte compendij cap. 11 pagina 90. vbi optimè de hac re loquitur his verbis. *Heu, quam pauci sunt qui bus huc peruenire contingit, modicus enim amor, tenuisque affectus, quo quis mortali creaturæ adhæret, verbum otiose prolatum, aut buccella panis aliter quam oportet sumpta, & alia huiusmodi, licet minutulæ paleæ efficiunt, vt Deus, qui summa puritas est, non intimè animæ vniatur, donec hæ inordinationes expientur, imò tempore vnionis inter Deum & animam quæcumque, licet bonæ imagines sunt, procul expellendæ, quia sunt media inter vtrumque, &c.* 6.

Tandem eandem doctrinam, & locutionem tenent noster Hieronymus à Matre Dei, in annotationibus ad cap. 7. libri Sanctæ Matris nostræ THERESIÆ, qui inscribitur, *Conceptus amoris diuini*, circa finem, noster Didacus à IESV in annotationibus ad librum Mystici nostri Doctoris, discursu primo, phrasi prima, pluresque alij Doctores, & ideo doctrina hæc, & locutio omnino vera est, nullatenusque per eam denotare vult Venerabilis noster IOANNES sicuti, nec alij citati Doctores, huiusmodi res, quæ ad mortalem culpam non pertingunt, coinquinare, & maculare animam per hoc, quod inducant in illa maculam, quam Theologi Scholastici priuationem gratiæ appellare solent, hanc enim maculam solum appetitus mortalis culpæ inducere expresse docet Mysticus noster Doctor citato lib. 1. Ascens. Mont. Carmeli cap. 12. & ideo solum vult prædictos affectus, qui ad mortalem culpam non pertingunt, imo etiam si solum sint imperfectiones, eatenus maculare animam, quatenus impediunt insignem illam puritatem, quæ ad perfectissimam, qualis in hac vita haberi potest, cum Deo vnionem, ac transformationem, sublimemque contemplationem requiritur, vt in eisdem locis ipsemet Mysticus noster Doctor optimè explicat, Scripturæque Sacræ testimonijs confirmat. 7.

B.
Joannis
a Cruce

Opera
Mystica
NVI
124

8. Propositiones alias, quæ ab aliquibus simul, cum præcedentibus notatæ fuerunt, consulto omittimus, quia cum ijs, quas elucidauimus, omnino coincidunt; & ideò ex prædictarum explicatione, & elucidatione, aliæ quoque, quas omittimus, explicatæ, & elucidatæ manent; ita vt pro earum declaratione, & recta intelligentia nihil addendum superfit: ea autem omnia, quæ huc vsque diximus, Sacrosanctæ Matris Ecclesiæ correctioni prompto animo omnino subijcimus, & vt in Dei laudem, & gloriam, Mysticique nostri Doctoris debitum honorem, ac veneration[illegible], necnon, & erga eius præclara scripta debitam fidem, ac pium affectum cedant, enixè precamur.

CAPVT XXI.

Elucidatur vigesimaprima propositio, veruſque eius ſenſus Sanctorum Patrum teſtimonijs corroboratur.

1. PROPOSITIO vigesimaprima habetur in lib. cui titulus est, *Flamma amoris viua*, Cantic. 3. §. 5. vbi loquens Mysticus noster Doctor de statu incipientium, quibus necessarij sunt actus discursiui sic subiungit:

At postquam istud aliquatenus iam effectum est, confestim incipit Deus euehere eos, ad istum contemplationis statum, quod valde cito, breuique tempore fieri solet, præsertim in personis in Religione Deo dicatis, eo quod magis tempestiue repudiatis sæculi rebus sensum appetitumque Deo aspirent & accommodent; quo facto nil superest aliud, quam vt meditatione ad contemplationem confestim gradum faciant.

2. Hæc propositio ideo forsitan aliquibus difficilis videri quodammodo poterit, quia sæpè apud Sanctos Patres Mysticosque Doctores scriptum reperitur, contemplationem non nisi ijs, qui in meditatione, virtutumque exercitijs versati sunt tribui, ita namque docuisse videtur S. Gregorius homilia 3. in Ezechiel. ibi. *Seruus Hebræus emptus sex annis seruire præcipitur, ita vt in septimo liber exeat gratis, quid enim per senarium numerum nisi actiuæ vitæ perfectio designatur? quid per septenarium nisi contemplatiuæ vitæ exprimitur? sex ergo annis seruit, & septimo egreditur liber, qui per actiuam vitam, quam perfectè exhibuerit ad contemplatiuæ vitæ libertatem transit, &c.* Consonatque Diu. Bernard. in scala claustrali vbi inquit. *Raram, ac prodigiosam esse contemplationem, quam orationis exercitia non præcedunt.* Et serm. 3. de circuncisione ait. *Cum in ijs fueris diutius exercitatus, roga dari tibi deuotionis lumen, diem serenissimum, & sabbathum mentis.* Quod etiam serm. 46. in Cant. docent suffragaturque Ricardus de præparatione ad contemplationem cap. 79. ibi: *Absque dubio sine ingenti exercitio, sine frequenti studio, sine ardenti desiderio ad perfectam scientia altitudinem mens non subleuatur.* Eandemq; doctrinam tradit Cassianus collat. 14. c. 2. 3. 26. 27. Dionys. Carthus. de fonte lucis c. 9. Rosignolius de disciplina Christianæ relig. li. 5. c. 14. Caietanus 2. 2. q. 180. ar. 2. & q. 182. art. 1. Molina Carthus. tract. 2. partium orationis c. 6. §. 3. & plures alij.

§. I. Ve-

§. I.

Verus propositionis sensus declaratur.

CÆTERVM nullatenus SS. Patrum, ac Doctorum Mysticorum doctrinæ propositio hæc Mystici nostri Doctoris benè intellecta aduersatur. Etenim vt eius verus sensus percipiatur, duplex distinctio præ oculis habenda est: prima scilicet circa personas, quæ orationis studium profitentur, vel enim negligenter, ac tepidè in meditatione rerum diuinarum, exercitijs virtutum, ac passionum mortificatione se gerunt, vt frequentius contingere solet, vel ingenti conatu huiusmodi exercitijs incumbunt, & ad perfectionem tendunt. Rursus (& hæc est 2. distinctio) vel possumus loqui de eo, quod vt in plurimum contingere solet, vel de eo, quod multoties Deus ex speciali sua misericordia, vel prouidentia operatur. 3.

Quibus suppositis verus, & legitimus sensus huius propositionis, quem ipsemet contextus, & verba Mystici nostri Doctoris satis exprimunt, est, quod & si vt in plurimum, ac secundum consuetum diuinæ prouidentiæ ordinem, contemplationis gratia, non nisi post longum tempus in meditationis, & virtutum exercitijs consumptum tribui soleat, eo quod ij, qui orationis studium profitẽtur, vt in plurimum tepidè, & remissè in meditationis, & virtutum exercitijs segerunt, nec ingenti illo conatu, quem dicebamus ad perfectionem tendunt, tamen quoties personæ orationi dediræ, strenue, ac diligenter in meditatione sancta terrenarum rerum abdicatione cordialique renuntiatione, virtutum exercitijs, passionumque mortificatione se gerunt (quod in ijs, qui religiosum profitentur statum, maximè vero reformatum, & valde perfectum) cuiusmodi erant illi ad quos doctrinam suam specialiter Mysticus noster Doctor dirigebat (satis frequenter contingere solet) tunc regulariter etiam loquendo non multum immoratur Deus in contemplationis gratia eis tribuenda, sed breui tempore ex meditationis exercitijs eos educere, & ad contemplationem perducere solet: cum quo tamen stat, quod aliquando, vel propter specialem Dei gratiam, aut prouidentiam, vel propter personarum ingenia, aut occupationes, vel alijs specialibus de causis, oppositum contingat, ita scilicet, vt aliquando imperfectis & negligentibus contemplationis gratia concedatur; aliquando verò prouectis, ac feruentibus, imò & perfectis denegetur. 4.

Cæterum cùm id regulare non sit, sed potius id, quod antea dicebamus, vt in plurimum, & regulariter contingat, meritò Mysticus noster Doctor iuxta id, quod regulariter in personis religiosis, quæ diligenter, & strenuè in virtutum, & orationis studio se exercent, festinanterque ad perfectionem currunt, contingit, doctrinam suam scripsit: quæ in sensu dicto verissima est, & SS. Patrum, ac Mysticorum Doctorum doctrinæ omnino conformis: quamuis enim ipsi vnanimiter doceant meditationem debere regulariter loquendo cõtemplationem præcedere, vt ex supra adductis eorum testimonijs constat, nequaquam tamen generalem regulam de diuturna mora, ac longo tempore, quod inter meditationem, & contemplationem pertransire debeat, statuunt, quin potius taliter de hac re loquuntur, vt eandem prorsus, quam ex Mystico nostro Doctore doctrinam tradidimus, ipsi prius tradiderint, & docuerint, vt ex testimonijs, quæ iam subiungimus, manifestè constabit. 5.

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
NVI
124

6. Vt autem manifestius appareat, quàm conformis sit sensus, quem tradidimus, textui, ac doctrinæ huius propositionis, verba ipsius secundum eius contextum prius referre placuit, quæ talia sunt: *Incipientium status est, meditationi insistere, in statu istorum necessarium est, vt suppeditetur animæ materia, vt ex se seu naturaliter discurrat, & interiores actus exerceat; & igne feruoreque spirituali sensibili vtatur; hoc enim modo sensus appetitusque rebus bonis assuefacere conuenit, vt suauitate ista illecti, à rebus seculi diuellantur. At postquam istud aliquatenus iam effectum est, confestim incipit Deus prouehere eos ad istum contemplationis statum, quod valde cito, breuique tempore fieri solet, præsertim in personis Deo in Religione dicatis: eo quod magis tempestiuè repudiatis seculi rebus sensum appetitumque Deo adaptent & accommodent: non facto nil superest aliud, quam vt à meditatione ad contemplationem confestim gradum faciant, quod tunc fit, quando iam discursiui actus, propriæque animæ meditationes, nec non sensi, primique sensitiui fernores cessant & euanescunt, non valente iam anima sicut prius discurrere, nec aliud alimentum per sensum recipere, sed in ariditate remanente.* Ecce qualiter ad hoc, vt à meditatione ad contemplationē quis debeat trānsire, abdicationem, & eradicationē à rebus sensibilibus, taliter, vt in illis suauitatem, & saporem iam nequeat percipere, Mysticus noster Doctor exigit, sicuti etiam idem docuerat in lib. 2. Ascens. Montis Carmeli c. 13. quod & si in ijs, qui valde diligenter, ac strenuè orationis, & virtutum studio non incumbunt, non nisi post longum tempus contingere soleat, tamen in ijs, qui ingenti conatu, ac feruore per orationis viam ad perfectionem tendunt, vt in personis religiosis sæpe reperitur, hanc temporis diuturnitatem regulariter non requiri, sed breuiter id fieri meritò Mysticus noster Doctor asserit: sed iam Sanctorum Patrum, & illustrium Doctorum testimonia in totius huius doctrinæ confirmationem adducamus.

§. II.

Sanctorum Patrum, & illustrium Doctorum testimonijs doctrina tradita corroboratur.

7. IN primis igitur D. Bonauentura in prologo Mysticæ Theologiæ, sic loquitur: *Sic quilibet nouus discipulus ad perfectionem huius essentiæ* (scilicet Mysticæ Theologiæ) *gradatim ascendat, vt primo in via purgatiua, quæ est via pueriliu, & incipientium studiosissimus se exerceat: postea autem per spatium modici temporis, scilicet per mensem vnum vel per duos, secundum quod diuino superradiante lumine, sibi videtur expedire, ad amorem cogitando consurgat. Quod si præsumptuosum fortè alicui videatur, quod anima inuoluta peccatis multiplicibus, audeat à Christo, amoris petere vnionem, in se ipso cogitet, nihil esse periculi, &c.*

8. Id ipsum idemmet S. Doctor in eodem libro Mysticæ Theologiæ c. 3. particul. 4. in fine his verbis profitetur: *Hæc scribere volui, ad hoc, quod minus experti in ista sapientia roborato itinere semita dirigant, scientes, quod citissimè inuenitur. Quod si in principio purgantiu, vel ecstaticæ consurrectionis difficultas mirabilis sentiatur, tamen in pauciu vexati citissime in multis bene disponentur, ita vt experimento videant omne, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, &c.* In quo testimonio particula illa *citissime* bis repetita, perpendenda est.

9. Quod etiam tetigit D. Bernard. ser. 3. de circumcisione his verbis: *Ad hanc perfectionem*

tionem (scilicet contemplationis) *pauci ni fallor perueniunt in hac vita: nec enim si quis aliquando videtur hanc habere, continuo credat sibi necesse esse, maximè si nouitius est, nec per præfatos ascendit gradus. Pius enim Dominus noster Iesus Christus pusillos corde blanditijs talibus solet allicere, sed nouerint, qui huiusmodi sunt gratiam hanc præstitam sibi esse non datam.* Vbi apertè fatetur D. Bernardus participationem contemplationis perfectæ, concedi etiam nouitijs, & pusillis corde, quamuis simul suadeat ne ipsi propter hoc sibimetipsis confidant, seu credant, eò quod cum in illis virtus omnino radicata non sit, facilè propter aliquam negligentiam hanc gratiam sibi concessam amittere possunt, qua de causa inquit D. Bernardus, talem gratiam præstitam illis esse non datam: cum hoc tamen stat, quod si ipsi diligenter, ac perseueranter in virtutis studio, & in via spiritus se exerceant, prædictam contemplationis gratiam non amittere, sed retinere soleant, vt ex doctrina S. M. N. Theresiæ statim ostendemus.

Consonat D. Greg. hom. 17. super Ezech. sic inquiens *Non enim contemplationis gratia summis datur, & minimis non datur, sed sæpe hanc summi, sæpè minimi, sæpius remoti, aliquando etiam coniugati percipiunt.* 10.

Sed optimè de hac re loquitur S. M. N. Theresia sæpè in suis operibus etiam cap. 11. suæ vitæ, vbi pro diuersis orationis gradibus explicandis quatuor aquarum genera distinguens, sic loquitur. *Aliquis illorum, quorum iussu hæc scribo; maiorem quadrimestri spatio Domino iuuante profectum fecit, quam ipsa septemdecim annis ipsis fecerim: melius scilicet ille se disposuit: itaque nullo suo labore hortum hunc quadruplici aqua hac irrigat, tametsi vltima adhuc ei non nisi guttatim detur: sed ita inde proficit, vt propediem, cum Dei gratia, in illam penitus absorbendus sit.* Deinde cap. 22. suæ etiam vitæ circa finem sic inquit. *Et sane reperire aliquando est, quos Deus iam inde à principio per viam valde sublimem conducit, qui putant & alios pari modo posse proficere, & intellectum sine vllis corporearum rerum adminiculis ad quietem posse perducere.* 11.

Præterea capite 11. eiusdem libri, sic inquit: *Si pro posse tamen animum à terrenis omnibus auelleremus, atque omne nostrum studium & conuersatio in cœlis esset; certissimè mihi persuadeo, fore vt bonum hoc quam breuissimo tempore nobis daretur. si modo (vti sanctos nonnullos fecisse constat) nos quam citissimè totaliter huc disponeremus.* Quibus in verbis eandem prorsus, quam Mysticus noster Doctor scripsit, doctrinam in sensu à nobis supra §. 1. huius cap. explicato continet. 12.

Insuper in libro, qui inscribitur: *Conceptus amoris diuini.* capite 6. sic de altissima contemplatione, vbi suspendium potentiarum reperitur, loquitur: *Euidentia equidem rei huius proferre argumenta potero, etenim quadam in alijs conspexi: memini me vnum vidisse, cui Dominus triduo vno tot tantaque bona dedit, vt nisi experientia (quia iam abhinc annis aliquot ipsa in illis se exercuit, quin & semper indies in melius profecit) id me credere compelleret, id mihi impossibile videretur. Aliam vero cui in trimestri spatio datum; & ambæ erant adhuc satis iuuenes. Alias vero vidi quibus non nisi post multos annos hanc Deus gratiam præstat. Et sicuti de duabus illis dixi, possem & de aliquot alijs dicere. Et ideo hoc annoto, quod hoc loco scripsi, paucas esse animas, quibus nisi ad multos annos afflictiones & pressuras passe sint, has Dominus gratias conferat: vt sciatur saltem esse aliquas. Tam potenti autem & magno Domino, & ad gratias dandas tam propenso non est terminus aut taxa aliqua constituenda.* 13.

Vlterius cap. 34. suæ vitæ loquens de quodam suo Confessario sic ait: *Breuissimo* 14.

omnia

B. Joannis à Cruce
Opera Mystica
NVI
124

enim tempore per magnam rerum ad spiritum spectantium experientiam est consecutus: hæc quippe sunt dona Dei, quæ Dominus & cum vult, & quomodocumq; vult, dare solet: neque hoc in ipsa temporis diuturnitate aut obsequiorum præstitorum magnitudine situm est, non tamen duco, hæc nihil omnino ad hoc conferre, sed Dominum subinde his post viginti annos contemplationi iugiter impensos non dare quod alijs dat in vno, nouit scilicet Maiestas eius quare id ita faciat. Tandem in lib. Mansionum Mansione 4. cap. .sic de hac re loquitur: *Vt vero quis ad hanc mansionem pertingat, videri potest necesse esse diu in prioribus illis Mansionibus egisse. Quamuis autem ordinarium sit, vt in ea, quam tam paulo supra descripsimus, aliquantulum egerint, tamen non est certa hæc Regula (quemadmodum iam sapius audiuisse ex me potestis) largitur enim hanc Dominus, quando, quomodo & cuicumque voluerit, vtpote bona sua & propria, & ita vt nulli iniuriam inferat.* Ex quibus omnibus testimonijs constat, quam consona sit doctrina Mystici nostri Doctoris in sensu à nobis explicato, doctrinæ S.M.N. THERESIÆ.

15. Præterea eandem doctrinam tradunt plures alij Doctores, de quorum numero est Suarez lib. 2. de orat. cap. 11. n. 10. vbi sic habet: *Denique addendum est non esse ita propriam contemplationem virorum perfectorum, quin magna ex parte degustari possit ab imperfectis, imò & ab incipientibus, datur ergo etiam incipientibus interdum participatio aliqua huius contemplationis, ex peculiari quidem gratia* ordinaria quidem, *vt existimo, si ipsi faciant, quod in ipsis est.* Vbi particula illa *ordinaria quidem si ipsi faciant, &c.* perpendenda est; traditam, namq; à Mystico nostro Doctore doctrinam iuxta sensum à nobis explicatum omnino continet.

16. Denique (vt plura alia omittamus testimonia) eandem doctrinam tradunt noster Ioannes à Iesu Maria c. 2. de Mystica Theol. Molina Cartus. tract. partium orat. c. 6. §. 3. vbi asserit se experimento cognouisse plures personas, quibus breui tempore Deus contemplationis gratiam communicauit, Albarado tom. 1. artis bene viuendi, lib. 1. c. 15. n. 20. ibi. *Et est magnus error arbitrari contemplationem esse tantummodo valde perfectorum, & multum profectorum, & non incipientium.* Et lib. 2. c. 1. n. 6. ait quod iuxta doctrinam D. Bonauent. Henrici de Palma, & aliorum DD. solum 15. dies solent de lege ordinaria in via purgatiua, antequam ad illuminatiuam aditus pateat, consumi, ac tandem plures alij Doctores, seu speciales Magistri.

17. Ex quibus omnibus etiam constat, non parum errare spiritualemque animarum profectum impedire, eos qui absque maturo examine, & consideratione, contemplationē illorū reprobant; qui non longo tempore in orationis studio se exercuerūt; vel adhuc aliquibus imperfectionibus inspirituali via, virtutumq; exercitio, afficiūtur; quasi hæc contemplationis gratia non nisi post congruum meditationis tempus; nec alijs, quam viris valdè perfectis concedatur. Hi, inquam, qui sic de hac re iudicant; proculdubio errant, aliorumque profectum multum impedire possunt: non enim iuxta Sanctorum Patrum, ac Doctorum Mysticorum doctrinam, quam retulimus, hæc diuturna mora, ingensque perfectio semper expectanda est: sed plerumque breui tempore totum hoc negotium conficitur; iuxta doctrinam à Mystico nostro Doctore, alijsque Patribus traditam, & à nobis §. 1. huius capitis explicatam.

Laus Deo, & Beatæ Mariæ.

INDEX

INDEX CAPITVM, QVÆ IN HOC LIBRO CONTINENTVR.

PARS prima elucidationis, ea, quæ ad propositiones hac in communi pertinent complectens. pag. 10

Cap. 1. Huius libri doctrinam propter aliquorum scrupulum, districtioremve censuram non obscurari, sed potius exinde occasionaliter illustrari, & commendari, ibid.

Cap. 2. Securitas, vtilitas, insigniſque authoritas, & excellentia doctrinæ venerabilis parentis nostri Ioannis à Cruce ex multiplici capite demonstratur, 16

Cap. 3. Primæ obiectioni, quæ aduersus venerabilis Patris nostri Ioannis doctrinam in communi fit occurritur. 22

Cap. 4. Secunda principalis obiectio aduersus Mysticã nostri Doctoris doctrinam in communi proponitur, & diluitur. 29

Cap. 5. Tertiæ principali obiectioni aduersus eandem doctrinam in communi sumptam occurrit. 32

§. 2. Horum librorum in lingua vulgari vtilitas, & conuenientia demonstratur. 37

§. 3. Insignis authoritas Magistri Luisij Legionensis ad hoc propositum adducitur. 40

§. 4. Propositæ obiectionis responsio concluditur. 65

§. 5. Incidenti quæsito fit satis. 42

Cap. 6. Theologiam Mysticam, sicuti & quamlibet aliam scientiam, vel artem proprias, ac reconditas phrases, aut locutiones sibi vendicare, quarum vsus minime ab alijs in tali scientia ineruditis iudicandus, aut taxandus, sed illius professorum iudicio (dummodo de veritate constet) relinquendus est. 44

§. 2. Facultatem hanc potiori iure Theologiam Mysticam sibi vendicare ostenditur. 48

§. 3. Id ipsum exemplis à terminis imperfectis desumptis in Theologia Mystica confirmatur. 51

§. 4. Vsus terminorum dissimilium, & contrariorum in Theologia mystica exemplis ostenditur. 52

§. 5. Terminorum superperfectorum in mystica Theologia vsus ad idem demonstrandum adducitur. 53

Cap. 7. Scientiam non mediocrem, sed summam insuperque experientiam ad mysticæ Theologiæ sublimes materias, propriasque eius locutiones, ac phrases perfectè intelligendas, & sine errore iudicandas necessariam esse demonstratur. 54

§. 2. Necessitas experientiæ præter scientiam demonstratur. 56

§. 3. Aliquando simplices personas esse sapientiores in mystica Theologia, quam alias in speculatiuis scientijs eruditas ostenditur. 58

§. 4. Quinam Theologi apti, vel inepti sint ad iudicium de rebus, ac locutionibus mysticis ferendum ex dictis concluditur. 59

Cap. 8. Hæretici, qui Illuminati dicuntur, summatim proponuntur. 60

§. 2. Prior hæreticorum, qui Illuminati dicuntur classis, eorumq; errores referuntur, & ex doctrina mystici nostri Doctoris, aliorumque Patrum reijciuntur. 61

§. 3. Secunda, & peior Illuminatorum classis refertur. 63

§. 4. Tertia, & pessima Illuminatorum classis refertur. 64

B. Joannis a Cruce
Opera Mystica
NVI
124

§. 5. *Vltima illuminatorum classis refertur.* 65
Cap. 9. Vnde aliquorum deceptio circa sinistram suspicionem, minusque benignam censuram aliquarum propositionum venerabilis nostri Ioannis orta fuerit declaratur. 67
Secunda pars Elucidationis, ea quæ ad propositiones in particulari pertinent, complectens. 75

Secunda pars.

Cap. 1. Prior propositio elucidatur, ac Sanctorum Patrum, illustriumq; Doctorum manifestis testimonijs corroboratur. 75
§. 1. *Pro elucidatione huius propositionis aliqua prænotantur.* 75
§. 2. *Ex doctrina tradita propositionis huius legitimus sensus ostenditur.* 77
§. 3. *Plura Sanctorum Patrum, & illustrium Doctorum testimonia ad propositum adducuntur.* 78
§. 4. *Testimonijs S. M. Nostræ Theresiæ huius propositionis elucidatio absoluitur.* 82
Cap. 2. Secunda venerabilis nostri Ioannis propositio elucidatur, eamque tam quoad rem, quam quoad modum loquendi, apud Ecclesiæ Patres, & Doctores Catholicos frequentem esse ostenditur. 83
§. 1. *Legitimus huius propositionis sensus declaratur, & ex sacra Scriptura, ac Theologia comprobatur.* 83
§. 2. *Sanctorum Patrum, & illustrium Doctorum testimonijs eadem doctrina, & locutio corroboratur.* 86
§. 3. *Illustri S. M. N. Theresiæ testimonio eadem doctrina, & locutio corroboratur.* 90
Cap. 3. Tertia elucidatur propositio, eiusque doctrina, & loquendi modus pluribus Sanctorum Patrum, & illustrium Doctorum testimonijs confirmatur, & illustratur. 91
§. 1. *Præmittuntur quædam notatu digna.* 92
§. 2. *Ex dictis elucidatur prior pars huius propositionis.* 95
§. 3. *Testimonijs Sanctorum Patrum prædicta doctrina, & locutio comprobatur.* 96
§. 4. *Animaduersio circa statutam doctrinam valde notanda.* 100
§. 5. *Secunda propositionis pars declaratur, & elucidatur.* 103
§. 6. *Pluribus S. M. nostræ Theresiæ, & aliorum Doctorum testimonijs comprobatur.* 104
§. 7. *Tacita quædam obiectio præcluditur.* 107
§. 8. *Animaduersio notatu digna pro debita traditæ doctrinæ intelligentia.* 108
§. 9. *Tertia propositionis pars elucidatur, & SS. Patrum testimonijs corroboratur.* 110
Cap. 4. Quarta & præcipua propositio elucidatur, Sanctorumque Patrum, ac illustrium Doctorum testimonijs comprobatur. 112
§. 1. *Erroneus illuminatorum sensus à prædictis mystici nostri Doctoris locutionibus pluribus, & manifestis eiusdem testimonijs euidenter excluditur, & Catholicus eius sensus comprobatur.* 112
§. 2. *Verus sensus prædictarum locutionum multipliciter declaratur.* 116
§. 3. *Plura S. Patrum, & illustrium Doctorum testimonia, in quibus eadem doctrina, & locutio continetur, referuntur.* 118
§. 4. *Ex Theologorum doctrina, & locutione amplius eadem locutio confirmatur.* 119
§. 5. *Alia locutio contemplationem potius in passione, quam in actione constituens testimonijs Sanctorum Patrum, & illustrium Doctorum comprobatur.* 124
§. 6. *Locutio silentium contemplationi tributum testimonijs sacræ Scripturæ, & Patrum stabilitur.* 126
§. 7. *Nomen somni, & mortis scriptura, & Patrum testimonijs confirmatur.* 127
§. 8. *Annihilationis nomen, & locutio ex sacra Scriptura, & sanctis Patribus confirmatur.* 128

§. 9. Con-

§.9. Conclusio totius capitis, 129
Cap.5. Quinta propositio elucidatur, eiusque doctrina, simul, & loquendi modus Sanctorum Patrum testimonijs illustratur, 130
§.1. Prior pars propositionis illustratur, & Sanctorum Patrum testimonijs corroboratur. 130
§.2. Secunda propositionis pars elucidatur, & ex communi doctrina confirmatur. 133
§.3. Elucidatur, & confirmatur tertia propositionis pars, 134
§.4. Vltima propositionis pars elucidatur, & ex communi Theologorum doctrina confirmatur, 135
Cap.6. Elucidatur propositio sexta, Sanctorumq; Patrum testimonijs illustratur, 137
§.1. Declaratur, & confirmatur prior propositionis pars, 138
§.2. Elucidatur, & Sanctorum Patrum testimonijs corroboratur secunda propositionis pars, ibid.
Cap.7. Elucidatur septima propositio, Sanctorumq; Patrum testimonijs cõprobatur, 140
§.1. Verus propositionis sensus declaratur, ibid.
§.2. Alia ad idem propositum Sanctorum Patrum testimonia subiunguntur, 141
Cap.8. Octaua propositio elucidatur, Sanctorumque Patrum, & illustrium Doctorum testimonijs illustratur, 144
§.1. Legitimus propositionis sensus declaratur, & Sanctorum Patrum testimonijs corroboratur, 145
§.2. Egregio S. Mat. nostræ Theresiæ testimonio, alijsque etiam Sanctorum Patrum dictis eadem doctrina confirmatur, 147
Cap.9. Elucidatur nona propositio, Sanctorumque Patrum, ac illustrium Doctorum testimonijs corroboratur, 148
§.1. Verus propositionis sensus ex doctrina Venerabilis nostri Ioannis manifestè demonstratur, 149
§.2. Sanctor. Patrum, & illustrium Doctorum testimonijs eadem doctrina confirmatur, 152
§.3. Doctrina mystici Doctoris amplius declaratur, 153
Cap.10. Propositio decima elucidatur, & Sanctorum Patrum, illustriumque Doctorum testimonijs illustratur, 154
§.1. Verus, & legitimus propositionis sensus ex ipsa mystici Ioannis nostri doctrina aperte demonstratur. 155
§.2. Ratione, & experientia propositionis doctrina comprobatur, 156
§.3. Testimonijs Sanctorum Patrum, & illustrium Doctorum eadem doctrina corroboratur, 158
Cap.11. Elucidatur propositio vndecima, Sanctorumque Patrum, & illustrium Doctorum testimonijs corroboratur, 160
§.1. Doctrina huius propositionis, Sanctorum Patrum, & illustrium Doctorum testimonijs confirmatur, ibid.
§.2. Insigni S. Matris nostræ Theresiæ testimonio id ipsum demonstratur, 163
Cap.12. Elucidatur duodecima propositio, & Sanctorum Patrum testimonio corroboratur, 165
§.1. Verus, & legitimus propositionis sensus ex verbis mystici nostri Doctoris manifeste ostenditur, 166
§.2. Eadem doctrina testimonijs Sanctorum Patrum & illustrium Doctorum comprobatur, 167.
§.3. Alijs Sanctorum Patrum, & Doctorum illustrium testimonijs, & exemplis eadem doctrina confirmatur, 168
Cap.13. Propositio decima tertia elucidatur, eiusque manifestus sensus ex communi doctrina comprobatur, 170
Cap.14. Propositio decima quarta elucidatur, Sanctorumque Patrum, & Doctorum illustrium testimonijs corroboratur, 171
§.1. Prior propositionis pars elucidatur, ibid.
§.2. Alijs Sanctorum Patrum testimonijs eadem pars confirmatur, 173
§.3. Secunda propositionis pars declaratur, & confirmatur, 174
§.4. Eadem secunda pars alijs Sanctorum Patrum,

B.
Joannis
à Cruce

Opera
Mystica
NVI
124

trum, & illustrium Doctorum testimonijs amplius confirmatur, 175
Cap.15. Elucidatur decima quinta propositio, & ex communi Sanctorum Patrum & illustrium Doctorum authoritate corroborata 177.
§.1. *Doctrina huius propositionis quam plurimis Sanctorum Patrum, & illustrium Doctorum testimonijs comprobatur, ibi.*
§.2. *Animaduersio notanda,* 178
§.3. *Eiusdem propositionis doctrina, quoad vltimam partem confirmatur,* 179
Cap.16. Elucidatur decima sexta propositio, eiusque legitimus sensus declaratur, Sanctorumque Patrum testimonijs corroboratur, 182.
§.1. *Verus propositionis sensus declaratur, ibi.*
§.2. *Eadem doctrina magis declaratur;* 184
§.3. *Obiectio quædam diluitur,* 186
§.4. *Sanctorum Patrum, & illustrium Doctorum testimonijs eadem doctrina confirmatur,* 187
Cap.17. Elucidatur decimaseptima propositio, eiusque legitimus sensus ex communi Sanctorum Patrum doctrina demonstratur, 190
Cap.18. Elucidatur decima octaua propositio, & ex dictis in tota hac elucidatione vera eius sensus aperte ostenditur, 192
Cap.19. Propositio decima nona ex dictis declaratur, & elucidatur, 193
Cap.20. Elucidatur vigesima propositio, & Sanctorum Patrum testimonijs corroboratur, 194
Cap.21. Elucidatur vigesima prima propositio, veruſque eius sensus Sanctorum Patrum testimonijs corroboratur, 196
§.1. *Verus propositionis sensus declaratur,* 197
§.2. *Sanctorum Patrum & illustrium Doctorum testimonijs doctrina tradita corroboratur,* 198

FINIS.

Ex Bibliotheca Soc. Jesu Paderborn.

B.
Joannis
à Cruce

Opera
Mystica
NVII
124

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

B.
Joannis
à Cruce

Opera
Mystica
NVI
124

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th
2802